


Digitized by Google

C
IV
25

~~D~~
~~IV~~
~~28~~

Alle 106 f. 20 —

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONES CONTROVERSISTICAE,

IN QUIBUS PLERIQUE

FIDEI ARTICULI

Ab hodierno prætenſæ Reformationis Miniſterio in Controverſiam deducti, ad verum Romanæ Eccleſiæ ſenſum exponuntur, occaſione

LIBELLORUM

A IOANNE IACOBO VEDROSIO MINIſtro Curienſi, & Joanne Heinrico Heideggero Tigurino Profeſſore editorum.

AUCTORE

Adm. Reverendo, & Clariſſimo Domino ac Patre

AUGUSTINO REDING

Ordinis S. Benedicti, Ss. Theologiæ Doctore, Almæ Univerſitatis Salisburgenſis olim Profeſſore, & Exempti Monaſterij Einſidlenſis Decano.

Cum facultate Superiorum.

Typis Monaſterij EINSIDLENSIS.

Per Nicolaum Wagenmann. Anno Chriſti M. DC. LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PRAESVLI,

Zeloſiſsimo Animarum Paſtori,

S. Rom. Eccl. Cardini, Epiſcoporum Archetypo. Eccleſiaſticæ & Regularis Diſciplinæ Magiſtro, Hæreſum Frœno, Orthodoxæ Religionis Propagatori, Prodigiorum Tavmaturgo, Inſubriæ Apoſtolo, Helvetiæ Catholicæ Patrono.

CVRRVI ISRAEL, ET AVRIGÆ EIVS

DIVO CAROLO BORROMAEO &c.

Devotiſsima cultus DVLIÆ obſequia.

DVM *attenta mente mecum repeto, quàm inſignia in Monaſterium noſtrum, quàm multiplicia in Orthodoxam* Helvetiam, *quàmque innumera in vicinam* Helvetiis *Confinibus* Longobardiam, *imò in univerſam ſanè Eccleſiam ex Te* GLORIOSISSIME CAROLE, *beneficia promanarint, iure merito, quidquid* Eccleſia *reſtaurati ætate tua ſplendoris, quidquid vigoris* Eccleſiaſticæ *&* Regularis *diſciplinæ Inſubria, & quidquid reliquum inconcuſſæ in Apoſtolico-Romana Fide conſtantiæ vel* Helvetia, *vel ex Apoſtolicis gratijs conceſſum habet Einſidlenſe, celeberrimum in* Germania, *Auguſtiſſimæ* MARIAE *Virginis* SAN-

)o(　　CTVA.

CTVARIVM, id tuis præcipuè favoribus Eremus noſtra, tuæ paternæ providentiæ Helvetia, laboribus tuis Inſubria, tuoque virtutum & Sanctimoniæ ardentiſſimo Zelo Eccleſia Romana in acceptis referendum eſſe fatentur. Præclariſſima equidem ſunt; orbique miranda fateor, Heroum Regiæ (ſi incunabula ſpectem) Borromæanæ ſeu Bonromanæ familiæ geſta, ad commendandam ſeræ poſteritati memoriam, gentilitijs armis ac ſymbolis inſignita, hinc per cæruleas maris procellas, & virides interiectas areolas, perque faſcias multicolores; inde per Camelum, Monocerotem, inſertos aureis annulis Adamantes, ac Frœnum, ipſumque, Friderico Imperatori ſolemne, corona redimitæ HVMILITATIS Lemma; omnia tuorum Progenitorum meritis parta gloriæ trophæa. Veruntamen cùm univerſi Dominus ludens in orbe terrarum ita ſingula quævis laudabilia profana ex ſua Divinæ præviſionis arcano diſpoſuerit, ut per quandam Analogiam priùs ac veriùs ad Electos & Sanctos referantur, minimè dubitandum, quin ſublimiori quodam ſenſu per Gentilitij æquoris undas calcatæ à te generoſo pede fluxæ ſæculi opes, præbendæ, patrimonia & integri principatus fuerint præſignati: uti non minus, per areolas virides illibatæ tuæ innocentiæ viror; per faſcias victoriarum tuarum contra Mundi, Carnis & dæmonum phalanges trophæa; per coronatæ HVMILITATIS ſymbolum profundiſſima mentis demiſſio; per Camelum immenſa laborum tuorum pro Eccleſia Dei ſarcina; Virginitatis intemeratæ Candor per Monocerotem Virginalis gremij amicum, per Adamantes tua ferro plumboque inexpugnabilis patientiæ virtus; per Frœnum denique, non tam Comitis Ioannis Quinti Borromæi gloria exprimenda, quàm pro tuo incomparabili Zelo, divino nutu inventum, quo demonſtraretur, Te velut alterum Eliam, quaſi Currum Iſrael & Aurigam ejus effectum eſſe, ut facilioribus ad pietatem animis ſuave arctioris vitæ frænum immitteres, alios autem magis effrænatè per devia & avia vitiorum concito curſu in præceps ruentes ſtrictioribus habenis coerceres.

Fuiſti ergo Beatiſſime Antiſtes Eccleſiæ Romanæ Currus & Auriga ejus, dum pro eiuſdem per hæreſes impugnatæ Authoritate ſarta tectaque ſervanda, Te, ut plurimùm cooperante, SS. Tridenti-

num

num Concilium feliciter fuit abſolutum. *Fuiſti Longobardiæ* Currus & Auriga, *dum ad corrigendos depravatos mores, ac reducendam in Eccleſiaſticis & Regularibus Diſciplinam, tot Concilia & Synodos, tot laborioſas viſitationes ac itinera, totque ingenti proprio ære profuſo Collegia, Seminaria, Scholas, Fraternitates & Monaſteria inſtituiſti*. Currus Iſrael & Auriga *eras Helvetiæ, in eiuſdem ſubiectis Italis Provincijs illapſos iam hæreticos Ludimagiſtros Catholicorum Cantonum aſſiſtentia exturbando; aſperrimos Rhetiæ montes, aliaſque Helvetas urbes, regiones, & oppida pedes obeundo, Catholicum Gregem quà melle dulciori alloquio conſolando, quà Verbi Divini pabulo & Sacramentorum quoque adminiſtratione confortando, atque paſcendo: prolapſis autem ab avita S.Rom. Eccleſiæ devotione ac Fide tenerrimo doloris affectu compatiendo*. *Fuiſti demùm (liberrimè fateor) non minùs pro Eremo Noſtra ſingularis* Currus & Auriga ejus, *quando Einſidlenſis noſtri à D. N. Ieſu Chriſto divinitus ad gloriam ſuæ Beatiſſimæ Matris conſecrati Sacelli famâ evocatus, non modo cum Illuſtri Inſubricæ Nobilitatis caterva illud Taumaturgæ Virginis Sanctuarium devotiſſimè viſitaſti, & tàm confluentium illuc peregrinorum innumerabilem multitudinem, quàm magnitudinem miraculorum demiratus es; ſed etiam apud Tuum ſanctiſs. mem. Avunculum Pium IV. Pontificem Opt. Max. nobiliſſimorum Privilegiorũ Monaſterij noſtri perpetuam confirmationem pro iſtius Sacratiſſimi loci honore, Divini cultus (uti loquitur Pontifex) augmento, Religionis conſervatione, atque plurimarum ſalute animarum impetraſti*. *Hæc proinde ſunt*, SANCTISSIME PRAESVL, *quæ Te, Regia (licet) proſapia & Ducalibus Ceris non tàm Illuſtrem reddidere, quàm Regijs virtutibus, & gloriæ tuæ immarceſſibilis ſplendore univerſa familia tua ſit effecta clariſſima*. *Hæc ſunt, quæ me, ad initia mei Abbatialis dicamnè honoris? (cuius immeritum) an oneris? (cui me imparem fateor)* Tuo Patrocinio *devovenda, tuis ſub auſpicijs conſecranda excitaverunt*. *Hæc ea ſunt animi mei calcaria, ut, dum paucis abhinc annis*, Te *à laudabili Helvetiorum Cantonum pietate per publicam ſolemnitatem in* Tutelarem *ſuum* Patronum *aſſerto, ſtygius*

 qui-

A. 1655 Menſe Sept. *quidam Coluber non erubuit venenoſa exerta lingua, & calamo, blaſphemis convitÿs, & libellis tuas proſcindere glorias,* Ego *pro earum augmento ad novam, haud procul ab ipſo Einſidlenſi Sacrario, Aram conſtruendam Tuoque cultui dedicandam, manum adiecerim.*
A. 1657. 1668. H*æc tandem ſunt, ut dum recentiùs modò alia duo Lerneæ Hydræ Capita contra Apoſt. Rom. Eccleſiam, einſque intemeratam Authoritatem ac omnia ſimul & ſemel* SS. *Fidei noſtræ dogmata petulanter calces illidunt, criſtaſque arroganter nimis attollunt,* Ego *ex adverſo compilatum hoc volumen ſacratiſſimo* Tuo Nomine *muniendum, Gentilitÿs* Borromæorum *ſignis armandum, & novæ reſplendentis in familia tua* Purpuræ *tegumento involvendum eſſe cenſuerim. Dabit exinde mihi ſupplici præpotens interceſſio tua, ut, quando iam* Te *ceu* Currum Iſrael & Aurigam ejus *per ſublimes Cælorum Cardines glorioſè evectum venerabundus ſuſpicio, fiat in me duplex ſpiritus tuus, ſpiritus zeli ac ſcientiæ, quo dictorum, aliorumvè elata*
Pſal 31. *contra Dei Eccleſiam Capita, linguas, &* maxillas in Tuo Camo & Frœno conſtringam.

PATROCINII TVI

Humillimus Cliens

Auguſtinus Abbas,

EMI-

EMINENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO

FEDERICO BORROMAEO

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, TITULI S. AUGUSTINI

CARDINALI,

ET SANCTISSIMI D. N. CLEMENTIS PAPÆ X.

STATUS SECRETARIO,

DOMINO MEO GRATIOSISſimo omnem felicitatem.

EX quo glorioſa fama Tuæ, PRINCEPS EMINENTISSIME, in ſacri Purpurati Senatûs Collegium exaltationis, non tam arridente fortunâ, vel humano favore accedente, quantùm poſtulantibus Virtutum Tuarum meritis Deo Auſpice factæ montes, valleſquè Eremi noſtræ penetravit, ea Me, meoſquè Conventuales exuberans latequè exundans lætitia excepit, ut quamvis Monaſterium meum cenſerem in meritis infimum tenere locum, primum tamen obtinere geſtiret, humillimis erga TE Reverentiæ, & devotionis obſequijs, quibus Me ad ſublimitatis Tuæ Eminentiam inclinando conteſtarer,

 ſtarer,

Digitized by Google

ſtarer, quòd inter communes applauſus cum tantò ampliori animi mei guſtu deſiderarem debiti mei tributum aliquod ad ſacræ TUÆ PURPURÆ Fimbriam deferre, cum quantò majori aliàs diſplicentiâ reperiebam, meos qualeſcunque conatus quemadmodùm magnæ voluntati meæ impares, ita meritis tanti Principis longè manere inferiores. Inter plurima tam naturæ ſeu fortunæ, quàm gratiæ dona, quæ Magnum Principem, ceu quendam terreſtris Hæmiſphœrij ſolem conſpicuum reddunt, duo præcipua conſiderantur, videlicet QUANTUS ſit, & QUALIS, per illud humanum genus in ſui admirationem trahit, ut colatur; per iſtud ad amorem, ut diligatur. Quòd ſi modò in TE, EMINENTISSIME DOMINE, intentâ acie perſcrutari luberet, QUANTUS ſis de familiâ, Deum immortalem! quantæ oculis meis propediem repræſentarentur Coronæ, Diademata, Sceptra, Faſces, Tiaræ Purpuræ, Mitræ, trophæa, palmæ, triumphi? quantis Imperijs, & potentiâ ſpectatiſſimi Reges, Proreges, Duces, Præfecti, Principes, Marchiones, magnitudine rerum geſtarum in ſago & togâ, vel ipſo Rhodio quondam ſolis Coloſſo, aut moderno altero prodigioſo DIVI CAROLI ad lacum Verbanum poſito excelſiores? Sin verò ad Tuam FEDERICE Eminentiam) QUANTUS videlicet ſis) me converto, obvia quidem mihi fiunt omnia Legationibus Functionibus, officijs, titulis ac dignitatibus cum Majeſtate ingenitâ conjunctis plena. Obviæ Romanæ Faſces, quas laudatiſſimo regimine gubernâſti; obvium Patriarchatûs inſigne, quo candeſcis; obvium ſacræ Purpuræ oſtrum, quo, neſcio, an magis ornatè rubeſcas, an ex Te illud ſui potiùs ſplendoris ruborem acceperit. Verùm cogitanti, QUALIS ſis, mirifico apparatu in occurſum prodeunt Tua prudentia, Comitas, manſuetudo, benignitas, ſuavitas affabilitatis, & liberalitatis quaſi exceſſivæ munificentia, cum reliquis omnium ore decantatis virtutibus, quæ adeò potentes ſunt cordium & ingeniorum Magnetes, ut modo quodam ſuaviter violento captivas tibi reddant hominum voluntates, & rapiant corda

Si porrò ad ulteriora (QUALISNAM fueris in iſtis Helvetiæ partibus) penetranda acceſſus pateat, quamvis mens mea magnis &

Digitized by Google

nis & promeritis de TE conceptibus gravida, multa in lucem parturire geſtiret, quia tamen experimento didicit, coronatam quà Majeſtate, quà modeſtiâ ſpectatiſſimam HUMILITATEM in medio Gentilitij tui ſtemmatis reſidentem, veluti magnalium geſtorũ Reginam, ad proprias laudes obſurdeſcere, idcircò paucula compendioſè delibanti apparebis fuiſſe ſingularis Helvetiæ Gentis amator, patriæ libertatis cum immunitate Eccleſiaſticâ mirificus Conciliator, in graviſſimis pro tempore negotijs tanquam magni conſilij Angelus, in bellis contra hæreticos Fortitudinis columna, mediator & Princeps pacis inter Catholicos, in adminiſtrandâ Juſtitiâ promptus, in diſpenſandis gratijs liberaliſſimus, atque in erogando, & omnibus benefaciendo generoſiſſimus. Apparebis mihi ſpeciali quâdam devotionis teneritudine Einſidlenſe Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Sacellum veneratus, ſingularibus benevolentijs Monaſterium noſtrum proſecutus, nos omnes ceu filios paternâ benignitate complexus toties ſacris initiâſſe Ordinibus, tot confluentes peregrinos, & parvulos hic ſacro Chriſmate confirmâſſe, tam pretioſa de ſanctiſſimo CAROLO argenteis thecis incluſa donâſſe lypſana, ac illo demùm Patriarchalis tuæ Crucis Auguſta Trophæo ad aram Glorioſæ Virignis oblato, palam fuiſſe conteſtatus, Te malle ſolius Dei Genitricis Favores in TEMET agnoſci, ex quibus TANTUS ac TALIS eſſes, quàm quòd ex Teipſo aliàs talis eſſes, tantuſque. Faceſſant modò hinc, quotquot exiſtimant Pythagoræorum opinionem de tranſmigratione Animarum ſuis corporibus ſolutarum in alia corpora viventia, merum eſſe Gentilis ignorantiæ commentum, quando manifeſtâ experientiâ Beatiſſimi magni tui Patrui CAROLI anima, etſi cæli triumphis inſerta, cum ſuâ tamen comitate, pietate, clementiâ, liberalitate, alijſque uberrimis Naturæ, & Gratiæ chariſmatibus in tui pectoris medullas & viſcera illapſa eſſe dignoſcitur. Hinc, CLEMENTISSIME DOMINE, facilè divinare licebit, quis paucis abhinc annis noſtros animos dolor, quis angor Monaſterium noſtrum obruerit, quando tanta diſſitorum locorum intercapedine ab Urbe, à nobis, ab omnium rerum noſtrarum periclitantium momentis, avulſus es in remotiſſimas

Europæ

Europæ partes, eâ vel maximè tempeſtate, quâ te curſûs conquaſſati navigij noſtri Timonem & Clavum tenere, ſuaviqué manuum tuarum directione, obruentes nos procellas, arcere, neceſſitas poſtulâſſet. Sed redijſti tandem propitio Numine, non ſecus ac optatiſſima Naufragis Cynoſura, & dum præcurrente adventum tuum famâ paſſim innotuit, cum quantâ dexteritate, providentiâ ac ſapientiâ periculoſiſſimam toti Hiſpaniarum regno diſcordiarum ac ſanguinis inteſtini inundationem averteris, intercisa nobis hilaritas poſtliminiò redintegrata eſt, non ſolùm viſo, quòd ſub ipſa reditûs tui ad urbem initia noſtram expectationem etſi ampliſſimam, beneficentiâ tam ſuperâſſes uberiore, ſed etiam quòd Te tandem imperante ventis & mari, non jam ampliùs immiti Ponto jactemur & Alto: quod ſanè totum uti Fauſtiſſimo NOMINIS Tui FEDERICI Omini (quod Teutonico vocabulo FRIDERICUM ſeu divitem pacis diſpenſatorem ſonat) tribuimus, ita quidquid ex naufragio ſpoliorum recuperavimus, id omne cum hac præſenti lucubrationum mearum pro ſacroſanctâ Apoſtol-Romanâ Fide ac Sede editarum volumine, ad ejuſdem auſpicatiſſimi Tui Nominis tholum ſuſpendo, non quaſi pretium, quo Me, meoſque Religioſos æternùm devinctos liberem; nec quaſi lytrum, quo Monaſterium ab immortali debito exſolvam, ſed ut pignus, quo Me, noſtramquè omnem poſteritatem ad perennes Tui in hoc divino SANCTUARIO Mariano memorias obſtringam, de hoc ſolo liberrimè gloriando, quòd ſicut pijſſimum Tuum Cor in iſtius SACRARII meditullio perpetuam ſibi requiem fixiſſe, ſic Nos, tuæ ditionis, imperij, ac poteſtatis terminos abſque termino in noſtrorum cordium penetralibus infixos eſſe conteſtemur. Vale Princeps ter Opt. & ad Neſtoris annos in ſuavi Einſidlenſis Tavmaturgæ Gremio feliciſſimè VIVE.

EMINENTIAE TVAE

Devotiſſimus Capellanus

Auguſtinus Abbas Einſidlenſis.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

SI Candide Lector, hujus à me operis editi rationem expetas, paucis ſignifico, me ad id ſcribendum fuiſſe impulſum occaſione tum Libelli ab Ioan. Heinrico Heideggero Tigurino Profeſſore adverſus Einſidlenſis Divinitùs ſacrati Sacelli cultum evulgati, tum exprobrationis ab eodem objectæ, quaſi nemo Pontificiorum hactenus proinerit refellere Libellum à Joanne Iacobo Vedroſio prætenſæ Reformationis Miniſtro Curienſi ſcriptum. Hujus utriuſque igitur tum Heideggeriani, tum Vedroſiani Operis Refutationem eo ordine ſuſcepi, ut univerſas ferè inter Romanam Eccleſiam, ac prætenſæ Reformationis Miniſterium hodie agitatas Fidei Controverſias reduxerim ad Quindecim Diſſertationes. Quarum ſingulas diſtribui in aliquot Sectiones, has ſubdividendo in quatuor ſemper Capita, ita ut in Primo recenſeantur argumenta, per Georgium Rhætum (utpote quæ Vedroſius prætendat à ſe refutata) pro Eccleſia Romana Veritate, adverſùs prætenſum Reformatum Miniſterium deducta. In ſecundo autem Capite exprimi ſolent Argutiæ tum Vedroſianæ, tum Heideggerianæ. Exinde in capite tertio deducuntur fundamenta, pro Fidei veritate pugnantia, & tandem Capite quarto ſolent retorqueri, ac ſolvi Argutiæ in oppoſitum allatæ, ſubjuncto aliquo Corollario Spiritum prætenſæ Reformationis redarguente. In quibus omnibus, ſi qui fortè quoad citationes ſecundùm materialem numerorum errorem, irrepſerunt, me paratum exhibeo ad rem ipſam, abſque ullo fuco legitimè demonſtrandam ex libris authenticis Patrum Orthodoxorum, ac ſacrarum Scripturarum integerrimâ ſemper fide allegatarum. Quam equidem meam ex ſinceriſſimo veritatis amore oblatam voluntatem ſpero, candido ac ſincero lectori abſterſuram omnem ambiguitatem, ſi vel ex Typographiâ, vel alio fortuito inter tot allegationum copioſam multitudinem vix evitabili caſu aliqui fortaſſis errores præter intentionem obrepſerunt. Vale, & fave.

FACUL-

FACULTAS

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI, DOMINI ABBATIS PLACIDI, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ABBATIS MONASTERII EINSIDLENSIS, EXEMPTI, ET SACRI R. I. PRINCIPIS.

CUm præſentes *Diſſertationes Controverſiſticæ* ab Admodùm Reverendo, Clariſſimo, & dilecto noſtro Patre Auguſtino Reding, Ss. Theologiæ olim Profeſſore Almæ Archiepiſcopalis Univerſitatis Salisburgenſis poſitæ, per tres Theologos, ſacræ Theologiæ Profeſſores fuerint recognitæ & approbatæ; idcirco tenore præſentium facultatem concedimus, eaſdem Typis mandandi. Actum in Monaſterio noſtro Einſidlenſi, die 9. Februarii, 1670.

PLACIDUS ABBAS.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGICA.

Diſſertationes iſtæ Controverſiſticæ dogmatibus Fidei Catholicæ, & morum integritati conformes, ubique magno iudicio, & zelo, clarè, doctè, ac fundamentaliter demonſtrant Adverſariorum voluntarias tenebras, errores inexcuſabiles, contradictiones, fraudes, calumniaſque veritati Orthodoxæ, ac toti Reipublicæ Chriſtianæ penitùs intolerabiles: typis proinde publicis dignæ cenſentur, oculisque veram lucem deſiderantibus, ad conſequendam ſalutem æternam.

P. Bernardus Waibel Ord. S. Benedicti, Monachus Einſidlenſis, SS. Theologiæ Doctor, ejuſdemque olim in Univerſitate Salisburgenſi Profeſſor Ordinarius.

P. Ægidius Eſinger, Monachus Einſidlenſis, & Ss. Theologiæ Profeſſor Ordinarius.

P. Adelricus Suter, Monachus Einſidlenſis, & Ss. Theologiæ Profeſſor Ordinarius.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Diſſertationum, Sectionum, Capitum, & Corollariorum.

DISSERTATIO I.

An Fides non habeat aliud fundamentum, quam ſcripti Verbi Dei. pag. 1.

SECTIO I.

An in Eccleſiâ extet aliquod Dei Verbum non ſcriptum, ſed traditum, quod ſit vera fidei fundamentum. ibid.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhati fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij adverſus rationes Georgij proximè expoſitas. pag. 2.

CAPUT III.

Oſtenditur, in Eccleſiâ ſanctâ, & Orthodoxâ ſemper extitiſſe, & adhuc extare Dogmaticas ad fidem ſpectantes Traditiones, ſive Verbum Dei non ſcriptum, ſeu traditum, cui vera Theologica, & Catholica Fides tanquàm motivo formali innitatur. 4.

CAPUT IV.

Refutantur argutiæ Vedroſij cap. 2. expoſita. 8.

Corollarium.

Rationes Georgij Rhati cap. 1. expoſitæ nullatenus ſunt ſolutæ à Vedroſio, ſed integræ adhuc ſubſiſtunt. 20.

SECTIO II.

An, & qualiter verum ſit, Fidem Orthodoxam niti ſolo ſcripto Dei Verbo. 22.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhati fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij Curienſis argutiæ. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, inſignem latere æquivocationem in illo Reformatorum principio, quo dicitur, Fidem Orthodoxam niti ſolo ſcripto Dei Verbo. 24.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ ſupra cap. 2. expoſitæ. 26.

Corollarium,

Georgij Rhati præſ. ſect. cap. 1. expoſita

Digitized by Google

ſita argumentatio nullatenus eſt ſoluta à Vedroſio, ſed integra adhuc perſiſtit. 31.

SECTIO III.

An, & qualiter verum ſit, quòd ſacra Scriptura ex ſe ſit adeò clara, & perſpicua, ut ad ejus legitimum ſenſum eruendum non ſit opus ulteriori fidei regulâ. 32.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij Curienſis. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, vanam, & inanem eſſe Doctorum Reformatorum de ſacra Scriptura claritate ac perſpicuitate jactantiam. 33.

CAPUT. IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij ſupra cap. 2. expoſita. 36.

Corollarium. I.

Ratio Georgiana ſupra cap. 1. expoſita, & ex conſuetâ circa ſacrarum Litterarum perſpicuitatem Hæreticorum jactantiâ petita, à Vedroſio nullatenus ſoluta, ſtat omninò firma. 38.

DISSERTATIO II.

An fides non multorum conſenſui tanquàm prudentiali credibilitatis regula, ſed propriæ duntaxat conſcientiæ ſenſui innitatur. 39.

SECTIO I.

An ex hoc, quòd Reformata Eccleſia Verbi Divini interpretationem propriæ cujuſque conſcientiæ ſenſui committat, in pleroſque antiquorum hæreticorum errores jam olim damnatos reinciderit? ibid.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 40.

CAPUT III.

Ex eo, quòd Reformati Miniſterij fides innitatur privato cujuſque ſpiritui, ſeu propriæ conſcientiæ ſenſui, facilè accidit, ut in quoſvis olim etiam damnatos errores hæreticorum antiquorum reinciderit. 44.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij ſupra cap. 2. deducta. 46.

Corollarium.

Georgij Rhæti ratio octava in præcitatâ Face deducta omnino firma, & inſoluta adhuc ſubſiſtit. 52.

SECTIO II.

An ex eo, quòd Reformata Eccleſia aſſerat, Fidem niti proprio cujuſque conſcientiæ ſenſui, varijs contradictionibus, & contrarietatibus circa Dogmata fidei etiam ſubſtantialia involvatur? 53.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 56.

CAPUT

CAPUT III.

Oſtenditur, ex eo, quòd Reformata Eccleſia contendat, fidē proprio cujuſque conſcientia principio inniti, pronum eſſe, ut varijs circa Dogmata fidei etiam ſubſtantialia, contradictionibus involvatur. 61.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij, & Heideggeri. 63.

Corollarium.

Georgij ratio 22. & 36. cum omnibus ſuis conſequentijs à Vedroſio ne in minimo quidem ſoluta, in priſtino ſuo robore firma ſubſiſtunt. 73.

SECTIO III.

An propria conſcientia ſenſus ac ſpiritus privatus tantæ ſit animoſitatis, ut Oecumenicis etiam Concilijs ſe præferat. 74.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij Curienſis. 76.

CAPUT III.

Oſtenditur, Reformatum Miniſterium ſuum privatum ſpiritum Concilijs etiam Oecumenicis præferendo, eo ipſo receder à tutâ fidei regulâ. 77.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 82.

Corollarium.

Georgij ratio 22. nullo ſanè ejus documento, & argumento per Vedroſium ſoluto, integra adhuc & ſalva ſubſiſtit. 87.

SECTIO IV.

An propria conſcientiæ jactata ſenſus ac ſpiritus privatus in Miniſtris Reformatis adeò ſit turbatus, ut non niſi illuſoriè & contradictoriè utatur ſanctorum Patrum authoritatibus? 88.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 90.

CAPUT III.

Oſtenditur, Reformationis modernæ Miniſtros ſuum ſpiritum privatum ac ſenſum proprium præferendo Patrum Orthodoxorum conſenſui, non abſque periculo errandi in fidei Dogmatibus procedere. 96.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 98.

Corollarium.

Rationes Georgij 4. 5. 6. 7. 10. 11. 13. 17. 19. 21. & 32. in ſuo robore, nè in minimo quidem puncto à Vedroſio refutatæ, omninò integræ ſubſiſtunt. 109.

DISSERTATIO III.

De Verâ Eccleſiâ. 110.

SECTIO I.

An, & qualiter oporteat, veram Eccleſiam eſſe Viſibilem. ibid.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

CAPUT

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 111.

Caput III.

Oſtenditur, viſibilitatem etiam cum perpetuitate conjunctam veræ Eccleſiæ adeò propriam eſſe, ut vel ex hujus proprietatis defectu reÿcienda ſit moderna Reformata Eccleſia. 114.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 118.

Corollarium.

Prima Georgÿ Ratio ſupra cap. 1. *expoſita à Vedroſio nullatenus ſoluta, ſubſiſtit cum omni ſuo robore ac vigore.* 125.

SECTIO II.

An Catholica Chriſti fides reduci poſſet ad unius hominum portionis anguſtiam, ſub quâ ſubſiſteret vera Dei Eccleſia. 126.

Caput I.

Referuntur Georgÿ Rhæti fundamenta. ibid.

Caput II.

Referuntur Vedroſij Curienſis argutiæ. 127.

Caput III.

Oſtenditur, illam Eccleſiam non eſſe Catholicam, & veram, quæ dicit, ſuam fidem ad tam paucas, eaſque mille, ducentis, ſexaginta annis ignotas reliquias fuiſſe redactam, ut in toto, reliquijs hiſce exceptis, terrarum orbe perierit, ac per novam Reformationem reproduci debuerit. 131.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 133.

Corollarium.

Ratio Georgÿ 35. in nullo ſanè argumento à Vedroſio ſolidè refutata ſeu ſoluta, in ſuo vigore ſtat omninò firma, ac integra. 141.

SECTIO III.

An Eccleſiæ veræ proprium ſit, non poſſe errare in fidei articulis? 142.

Caput I.

Referuntur Reformatorum ſententiæ ex Georgio Rhæto. ibid.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 143.

Caput III.

Oſtenditur, Eccleſiam veram viſibilem ita eſſe munitam gratiâ Chriſti, ut in nullo fidei dogmate poſſit aliquando errare. 146.

Caput IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 148.

Corollarium.

Georgÿ Rationes 19 & 29. ſupra cap. *1. obiter tantùm attactæ, ſtant omninò in ſuo vigore, utpote nullibi ſolutæ, ſpeciatim argumentum* cit. cap. 1. n. 3. *ex eodem Georgio formatum ſubſiſtit omninò firmum, & inſolutum.* 155.

SECTIO IV.

An, & quænam ſint veræ Eccleſiæ Notæ? ibid.

Caput I.

Referuntur fundamenta Georgÿ. ibid.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 156.

Caput III.

Oſtenditur, certas eſſe veræ Eccleſiæ

):( ):(notas.

notas, quibus à falſis diſcernatur. 159.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 163.

Corollarium.

Argumenta Georgij Rat. 3. à n. 60. Rat. 18. à n. 2. & Rat. 34. deducta, per nullam prorſus ſolutionem eliſa, omninò integra ſubſiſtunt. 167.

SECTIO V.

An Miracula ſint veræ Eccleſiæ notæ?

CAPUT I.

Referuntur Georgij argumenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij, & Heideggeri. 169.

CAPUT III.

Oſtenditur, in veris miraculis eatenus fundari poſſe prudentiale credibilitatis de Veritate Divinâ judicium, ut vel hinc vera Eccleſia demonſtrari poſſit. 174.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 176.

Corollarium.

Heideggerus non reſpondet directè ac in formâ ad ea, quæ Redingius de miraculis contra ipſius Synodalem adverſùs ſacras Peregrinationes Diſſertationem objecerat, ſed intactis pleriſq; argumentis ſupra cap. 1. præſertim n. 2. 5. & 6. deductis, unà cum Vedroſio multa, ſed parum fundata per longas ambages de Miraculis protulit in medium. 187.

SECTIO VI.

An ex doctrina erga Deum impietate poſſit falſa Eccleſia dignoſci, ac diſcerni à verâ. 818.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, Doctores Reformatos non ita ſobriè ſcribere de Deo, Diviniſque myſterijs, quin exinde argui poſſit, ſpiritum ipſorum haud eſſe purum ac Divinum. 190.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 193.

Corollarium.

Argumenta, quæ Georgius Rat. 33. adverſùs Reformatum Miniſterium deduxit, utpote nullâ ſolidâ ſolutione refutata, integra manent, & omninò firma. 197.

DISSERTATIO IV.

De Primatu, & Cathedrâ Romanæ Eccleſiæ, atque hujus Veritate. 189.

SECTIO I.

De Romano Petri Epiſcopatu omnibus præferendo. ibid.

CAPUT I.

Referuntur Georgij fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij, & Heideggeri argutiæ. 199.

CAPUT III.

Oſtenditur, Petrum Romæ præſediſſe, non urbis duntaxat, ſed totius orbis Epiſcopum egiſſe, ac jus ſucceſſionis

poſt

poſt ipſum in Pontificibus Romanis remanſiſſe. 201.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 204.

Corollarium.

Vedroſius ad punctum argumentationis à Georgio formatæ, ac ſupra n. 5. *expoſitæ non reſpondet, ſed hoc relicto, ad varios anfractus declinat, atque adeò vis illius illationis inſoluta, omninoque firma ſubſiſtit, prout hæc omnia facilè patebunt expendenti Vedroſianas argutias* cap. 2. *expoſitas, &* cap. 4. *refutatas.* 208.

SECTIO II.

De Apoſtolico Petri Cathedræ principatu, Romanæque adeò Eccleſiæ univerſali authoritate. 209.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 210.

CAPUT III.

Oſtenditur, Romanæ Eccleſiæ Cathedram in ſucceſſione Petri fundatam, ex Divino ſacris Litteris tradito jure habere authoritatem judiciariam, ac legislativam, indefinitam & abſolutam in omnes Chriſtiani orbis Eccleſias. 215.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 219.

Corollarium.

Nullum ex Georgij fundamentis à Vedroſio ſolidâ vel refutatione, vel reſponſione eliditur, ſed in ſuo robore firma permanent, imò Vedroſius non ſincerâ fide Patrum verba allegans, ſuæ Reformationis cauſam facit deteriorem. 241.

SECTIO III.

An Romanæ Eccleſiæ authoritas ſit jacturam paſſa ex doctrinæ diſſonantiâ cum veteri Eccleſiâ? 242.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 244.

CAPUT III.

Oſtenditur, Eccleſiam Romanam in nullo unquam dogmate fidei jacturam feciſſe, vel facere potuiſſe. 246.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 247.

Corollarium.

Illationes Georgianæ ſupra cap. 1. n. 3. & 5. *deductæ nullâ Vedroſij ſolutione tactæ, manent integræ.* 256.

SECTIO IV.

Utrùm ſummi Pontifices aliquando errârint, vel errare poſſint in rebus fidei, vel morum? Et an ipſi, vel potiùs Miniſtri Reformati veniant nomine Antichriſti? ibid.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 257.

CAPUT III.

Oſtenditur, Papam quatenus munus Paſtoralis à Chriſto ſibi commiſſæ poteſtatis erga univerſam Eccleſiam exercet, in rebus fidei, imò & Decretis morum errare non poſſe. 264.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 267.

Corollarium.

Vedroſius non niſi calumnijs & blaſphemijs procedendo, Georgij fundamenta relinquit omninò intacta, & inſoluta. 293.

SECTIO V.

An ex prætensâ morum depravatione Romanæ Curiæ argui poſſit ejuſdem cathedræ in fide defectio? 294.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 295.

CAPUT III.

Oſtenditur, ex prætensâ depravatione morum Romanæ Curiæ, neque argui defectionem in fide, neque illam utpote perſonalem imputari poſſe Cathedræ Apoſtolicæ. 296.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 297.

Corollarium.

Georgij fundamenta præced. cap. I. *deducta, ne in minimo quidem puncto ſunt tacta, minùs proinde ſoluta à Vedroſio, ſtantque adeò ſub omnimodâ ſuâ firmitate per ipſummet S. Auguſtinum ſolidata.* 299.

SECTIO VI.

An Romana Eccleſia argui poſſit ex diſſenſione doctrinæ? 300.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, tantam eſſe Eccleſiæ Romanæ in dogmatibus fidei conſenſionem, ut hæc nullatenus labefactari poſſit ex quacunque Doctorum diſſenſione. 305.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 307.

Corollarium.

Vedroſius ita declinat rationem Georgij cap. I. *inſinuatam, ut ſuæ Reformationis infirmitatem ex hoc vel maximè prodat, dum ſuorum in fundamentalibus diſſenſionem contendit enervare ex diverſitate ſententiarum inter privatos duntaxat Doctores, pontificia tamen in Oecumenicis præſertim Concilijs edita definitioni ſeſe ſubijcientes, citra ullam fidei & charitatis læſionem ex ſubtilitatibus ſcholaſticis ſe tenente.* 318.

SECTIO VII.

Utrùm Eccleſia Romana veras Eccleſiæ notas præſeferat? 319.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT. II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri. 322.

CAPUT III.

Digitized by Google

Oſtenditur, ſoli Romanæ Eccleſiæ convenire notas veræ Eccleſiæ expreſſas in ſymbolo Nicæno, profitente unam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. 326.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij & Heideggeri argutiæ. 328.

Corollarium.

Argumenta Georgij ſupra cap. 1. *deducta ne in minimo quidem apice ſolvuntur, ſed omninò prætereuntur, Vedroſio ad alias ſanè impertinentes & futiles argutias declinante.* 337.

DISSERTATIO V.

De Sacramentis. 338.

SECTIO I.

De Septenario Sacramentorum numero. ibid.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 339.

CAPUT III.

Oſtenditur ex ſacris Litteris, & Patribus antiquis Orthodoxis, in verâ Dei Eccleſiâ exiſtere ſeptem Sacramenta, nempe Baptiſmum, Euchariſtiam, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. 342.

CAPUT. IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 346.

Corollarium.

Nullum prorſus fundamentum, ex quo Georgius ſeptenarium ſacramentorum numerum (uti ex præced. cap. *videre licet) probavit, ullâ ſolidâ refutatione vel in minimo eliditur à Vedroſio.* 356.

SECTIO II.

De virtute & efficaciâ Sacramentorum. ibid.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ib.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 357.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſacramenta Novæ Legis ex opere operato ſuſcipientibus, ſi non ponant obicem, verè conferre gratiam. 358.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 363.

Corollarium.

Georgij cap. 1. *deducta argumenta ne in minimo quidem per Vedroſium ſoluta, ſubſiſtunt omnia firma & efficacia.* 370.

SECTIO III.

De Sacramentorum, alijſque Eccleſiaſticis Cæremonijs. 371.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibi.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 372.

CAPUT III.

Oſtenditur, in Eccleſiâ eſſe poteſtatem circa adminiſtrationem Sacramentorum,

Digitized by Google

Oſtenditur, nullum extare Divinum præceptum de Communione utriuſque ſpeciei Laicis, ſeu Sacerdotibus non ſacrificantibus dandâ, vel accipiendâ. 469

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ. 473.

Corollarium.

Contradictiones Reformatæ Eccleſiæ circa Communionem Euchariſticam, imò circa ipſaſmet hujus ſacramenti materias ſubſtantiales cap. 1. *deductæ variationes coarguunt Reformatum Miniſterium, procedere ex alieno à veritate ſpiritu.* 457.

SECTIO IV.

De more aſſervandi ſacram Altaris Hoſtiam, ac deferendi ad ægrotos. 476.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, morem aſſervandi ſacram Altaris Hoſtiam, ac deferendi ad ægrotos, eſſe conformem Divinæ Fidei doctrinæ, ac Orthodoxæ Antiquitati. 478.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 480.

Corollarium.

Argumentum Georgij cap. 1. *deductum ſubſiſtit adhuc firmum, cùm Vedroſius non tantùm prætermiſerit reſpondere ad Canonem Concilij Niceni; ſed ipſoſmet Reformatos quoſdam Doctores ſibi, Rhætiæque Synodali legi repugnantes* ſupra Argut. 1. *non obſcurè faſſus ſit.* 483.

SECTIO V.

De Adoratione Chriſti in Euchariſtiâ. 484.

CAPUT I.

Referuntur argumenta ſtylo ac intentioni Georgij conſentanea. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Adverſariorum argutiæ. 485.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſacrum Tridentinum Concilium Seſſ. 13. cap. 5. demonſtrativè *probare, quòd Euchariſtia utpote Chriſtum realiter in ſe continens, cultu Latriæ ſit adoranda.* ibid.

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ. 489.

Corollarium.

In Reformatos meritò retorquetur illa Chriſti Domini Ioan. 4. v. 22. *increpatio:* Vos adoratis, quod neſcitis. ibid.

DISSERTATIO VIII.

De Miſſæ Sacrificio. 490.

SECTIO I.

Qualiter Miſſæ ſacrificium probetur ex antiquo Teſtamento. ibid.

Ca-

Digitized by Google

Caput I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 492.

Caput III.

Oſtenditur, Miſſæ Sacrificium efficaciter probari ex figuris ac Prophetis Veteris Teſtamenti. 494.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 497.

Corollarium.

Nullum ex Georgij ſupra cap. 1. *deductis argumentis eſt vel in apice aliquo à Vedroſio ſolutum, ſed firma & valida ſubſiſtunt.* 501.

SECTIO II.

Qualiter Miſſæ ſacrificium efficaciter probetur ex Novo Teſtamento. 502.

Caput I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibi.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. ibid.

Caput III.

Oſtenditur ex Novi Teſtamenti argumentis, in Miſſâ offerri Deo verum, & propriè dictum Corporis & Sanguinis Chriſti ſacrificium. 505.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 510.

Corollarium.

Georgij argumentatio cap. 1. *deducta à Vedroſij argutijs nè in minimo quidem labefactata, integra adhuc ſubſiſtit.* 519.

SECTIO III.

An Miſſæ ſacrificium ſit verè propitiatorium. 520.

Caput I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 521.

Caput III.

Oſtenditur, Miſſæ ſacrificium eſſe verè propitiatorium pro vivis ac defunctis. 525.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 527.

Corollarium.

Nullum de Miſſæ ſacrificio propitiatorio Georgij argumentum à Vedroſio eſt ſolutum. 535.

SECTIO IV.

De Ceremonijs intra Miſſæ ſacrificium adhiberi ſolitis. 536.

Caput I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibi.

Caput II.

Referuntur Vedroſij, & Heideggeri argutiæ. ibid.

Caput III.

Oſtenditur, cæremonias ſub Miſſæ ſacrificio ex inſtitutione Eccleſiæ uſurpatas, habere fundamentum in legislativâ Eccleſiæ, ejuſque Paſtoribus conceſſâ poteſtate, tendereque in legitimum Dei cultum, ac virtutis religionis publicum exercitium. 537.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 541.

Corollarium.

Georgiana argumentatio de Cæremonijs Miſſæ omninò inſoluta, per Vedroſij reſponſum firmior jam ſubſiſtit. 543.

DISSERTATIO IX.

De Pœnitentiæ Sacramento, ſive Confeſſione, Satisfactionibus, & Purgatorio. 544.

SECTIO I.

De Pœnitentiæ Sacramento. ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 545.

CAPUT III.

Oſtenditur, in Eccleſiâ dari Pœnitentiæ ſacramentum, in quo neceſſaria ſit diſtincta coram Sacerdote mortalium peccatorum confeſſio. 546.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 551.

Corollarium.

Vedroſius in præſenti etiam puncto non niſi aërem verberat, nihil prorſus agendo in refutandis Georgij argumentis. 554.

SECTIO II.

De Satisfactionibus pro peccatis. ibi.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 555.

CAPUT III.

Oſtenditur, culpâ jam remiſsâ, plerumque remanere reatum pœnæ temporalis, quæ tolli poſsit propriâ pœnitentis ſatisfactione, & ſatispaſſione. 557.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 561.

Corollarium.

Vedroſius nè in apice quidem ſolvit argumenta Georgij de ſatisfactionibus cap. 1. *deducta.* 565.

SECTIO III.

De Purgatorio. 566.

CAPUT I.

Referuntur Georgij fundamenta. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 567.

CAPUT III.

Oſtenditur, Dogma de Purgatorio eſſe fundatum in ſacris Litteris, & vivâ à primævis fidelibus ad nos uſque propagatâ, ſanctorumque Patrum authoritatibus, communique credentium uſu firmatâ fide. 569.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 573.

Corollarium.

Nullum ex Georgij cap. 1. *de Purgatorio deductis argumentis eſt vel in unico apice ſolutum.* 579.

DISSERTATIO X.

De Chriſto quà Redemptore, ejuſque ad inferos deſcenſu, ſive de Lymbo Patrum. ibid.

SECTIO I.

De Chriſto quà Mediatore ac Redemptore humani generis. ibid.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.
Referuntur argumenta Georgij. ibid.
CAPUT II.
Referuntur argutiæ Vedroſij. 580.
CAPUT III.
Oſtenditur, Reformati Miniſterij circa officium Mediatoris errorem in eo ſe tenere, quòd confundat Divinæ & Humanæ Naturæ operationes ac proprietates, ipſaſque adeò in Chriſto diſtinctas naturas. 581.
CAPUT IV.
Refelluntur Vedroſij argutiæ. 583.
Corollarium.
Vedroſius non tantùm non ſolvit argumenta Georgij, ſed nè tangit quidem punctum difficultatis de officio Mediatoris. 584.
SECTIO II.
De Chriſti ad inferos deſcenſu, ac Lymbo Patrum. 585.
CAPUT I.
Referuntur fundamenta Georgij. ibi.
CAPUT II.
Referuntur argutiæ Vedroſij. 586.
CAPUT III.
Oſtenditur, ex illo fidei articulo, quo juxta Symbolum Apoſtolicum ſacris Scripturis conformiter creditur, Chriſtus deſcendiſſe ad inferos, efficaciter probari Lymbum Patrum. 587.
CAPUT IV.
Refelluntur argutiæ Vedroſij. 590.
Corollarium.
Nullum prorſus ex Georgij ſupra cap. 1. *deductis argumentis de Lymbo Patrum eſt à Vedroſio ſolutum.* 593.
DISSERTATIO XI.
De Prædeſtinatione, Iuſtificatione, ac Meritis. 594.
SECTIO I.
De Prædeſtinatione. ibid.
CAPUT I.
Referuntur fundamenta Georgij. ibi.
CAPUT II.
Referuntur argutiæ Vedroſij. 595.
CAPUT III.
Oſtenditur, Calviniſticæ Reformationis errores circa Prædeſtinationem in eo ſe tenere, tum quòd prædeſtinationem ex Meritis in viâ tam Intentionis, quàm Executionis impugnet; tum quòd ex Divinæ Prædeſtinationis efficaciâ impugnet libertatem arbitrij noſtri; tum quòd independenter ab omni peccato ſtatuat efficax Reprobationis Decretum; tum quòd indurationem, & obcæcationem, imò & peccatum reducat in cauſalitatem Prædeſtinationis, non verò in divinam duntaxat Præſcientiam, quà Dei judicio innixam; tum denique quòd non diſtinguat vocationem ſecundùm propoſitum, ſed aſſerat, omnes ad fidem vocatos certò credere debere, ſe prædeſtinatos eſſe. 596.
CAPUT IV.
Refelluntur argutiæ Vedroſij. 600.
Corollarium.
Vedroſius nè in apice quidem ſolvit argu-

Digitized by Google

argumenta Georgij ſupra cap. 1. *deducta; imò nè quidem tangit difficultatis de Prædeſtinatione à SS. Ambroſio & Auguſtino deducta punctum.* 603.

SECTIO II.

De Operib. ad Iuſtificationẽ diſpoſitorijs. (604.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ib.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 606.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſolam Fidem non juſtificare. 609.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 612.

Corollarium.

Fundamenta Georgij ſupra cap. 1. *deducta de operibus ad juſtificationem diſpoſitorijs nè in minimo quidem refutata ſunt à Vedroſio.* 621.

SECTIO III.

De Formali Iuſtificationis Cauſâ. 622.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta intentioni Georgij conformia. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Adverſariorum argutiæ. (623.

CAPUT III.

Oſtenditur, gratiam hominis juſtificatricem eſſe formam homini juſto intrinſecè inhærentem. 624.

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ. 628.

Corollarium.

Reformati toti ſunt alieni à verâ ſanctitate, & juſtitiâ. 630.

SECTIO IV.

De Meritis. ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij, & aliorum Pſeudoreformatorum. 631.

CAPUT III.

Oſtenditur, meritum à Pontificijs aſſertum eſſe fundatum in verbo Dei. 633.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij, ac Pſeudoreformatorum. 638.

Corollarium.

Vedroſius cap. 2. *adductus conatur quidem ſuis argutijs eludere argumenta Georgij* cap. 1. *deducta, ſed fruſtra ſanè, & taliter, ut ſibimet & Patribus Orthodoxis, & ſacræ Scripturæ apertè contradicat.* 644.

DISSERTATIO XII.

De Libero Arbitrio, Poſſibilitate adimplendi legem Divinam, & Concupiſcentiâ. 645.

SECTIO I.

De Libero Arbitrio. ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 646.

CAPUT III.

Oſtenditur, arbitrium voluntatis noſtræ eſſe in agendo liberum à neceſſitate, atque

Digitized by Google

atque adeò importare vim inter oppoſita electivam. 649.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 654.

Corollarium.

Argumenta Georgij de Libero arbitrio nullatenus ſunt ſoluta à Vedroſio, ſed hic ſuo contradictionis ſpiritu miſerè exagitatur. 662.

SECTIO II.

De Poſſibilitate adimplendi legem Divinam. 663.

Caput I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. ibid.

Caput III.

Oſtenditur, impiam eſſe illam propoſitionem, quâ ſimpliciter & abſoluiè pronuntiatur, legem Dei eſſe obſervatu impoſſibilem. 665.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 671.

Corollarium.

Georgij argumenta præced. cap. I. *deducta, nullatenus per Vedroſium ſoluta, ſubſiſtunt integra, eſtq; omninò apertum, quòd Reformatio hodierna in præſenti circa mandatorum Dei ex gratiæ viribus poſſibilitatem omninò diſcrepet ab antiquis Orthodoxis Patrib.* 675.

SECTIO III.

De Concupiſcentiâ. 676.

Caput I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibi.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 677.

Caput III.

Oſtenditur, concupiſcentiam carnis, antequàm accedat liber ſaltem interpretativus voluntatis conſenſus, non eſſe formaliter peccatum. ibid.

Caput IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 680.

Corollarium.

Georgij argumenta de Concupiſcentiâ præced. cap. I. *adducta, nullatenus ſunt ſoluta a Vedroſio, non niſi calumnioſis, & blaſphemis contradictionibus ſe ſe involvente.* 682.

DISSERTATIO XIII.

De Præceptis & Conſilijs, ſpeciatim de Quadrageſimâ, & Cælibatu, nec non de Votis Monaſticis, ac Monaſterijs. 683.

SECTIO I.

De Diſtinctione Præcepti, atque Conſilij. ibid.

Caput I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibid.

Caput II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 684.

Caput III.

Oſtenditur, ſecundùm verã Evangelij Chriſti doctrinam dari ſtatum perfectionis, qui non ſit de præcepto, ſed de conſilio, ad quem adeò poſſint ſe fideles liberè adſtringere ex voto. ibid.

Caput IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ. 687.

Corollarium.

Nulla

Digitized by Google

Nulla prorſus à Vedroſio eſt facta ſolutio argumentorum, quæ Georgius cap. 1. *adverſus hodiernam Pſeudoreformationem, impugnantem præcipuè conſilia Evangelica protulit.* 689.

SECTIO II.

De Præcepto Quadrageſimæ. 690.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, Iejunium ſpeciatim Quadrageſimale ex poteſtate Divinitùs traditâ eſſe legitimè inſtitutum in Eccleſiâ Chriſti, eſſeque ſacræ Scripturæ conforme. 692.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 695.

Corollarium.

Nimis clarum eſt, quòd Georgij argumenta de Quadrageſimali præſertim jejunio ſupra cap. 1. *deducta nè in minimo quidem apice fuerint ſolidâ aliquâ ſolutione à Vedroſio enervata.* 700.

SECTIO III.

De Cælibatu Sacerdotum. 701.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij. ibi.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 702.

CAPUT III.

Oſtenditur, ex legitimo jure Eccleſiaſtico per legitimam Divinitùs acceptam authoritatem, ſacris Litteris conformiter, introductum eſſe Cælibatum Sacerdotum, & Epiſcoporum. 705.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 709.

Corollarium.

Nullum ſanè Georgij argumentum de Sacerdotum Cælibatu ſolvitur à Vedroſio, ſed apertis in Sanctos blaſphemijs, imò & falſitatibus ab iſto Miniſtro apertè commiſſis aggravatur. 720.

SECTIO IV.

De Votis Monaſticis, ac Monaſterijs. ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij, ibid.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ. 722.

CAPUT III.

Oſtenditur, vota Monaſtica, ipſaque adeò Monaſteria ab Orthodoxâ antiquitate probata, in ipſiſmet ſacris Litteris eſſe fundata. 725.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 731.

Corollarium.

Vedroſius, more ſuo ſolito, nullatenus ſolvit argumenta Georgij in gratiam & favorem votorũ Monaſticorum ac Monaſteriorũ adducta, ſed hinc deflectendo, contradictionibus perpetuis, nec non falſis Patrum allegationibus ſe involvit. 738.

DISSERTATIO XIV.

De Cultu Latriæ & Duliæ, eoque tum Reſpectivo, tum Abſoluto, Invocatione

Sancto-

Sanctorum, Veneratione & cultu ſacrarum Reliquiarum, ac Imaginum. 739.

SECTIO I.

De cultu Latriæ & Duliæ tum Abſoluto, tum Reſpectivo. ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri. 740.

CAPUT III.

De diſtinctione inter cultum Latriæ & Duliæ, eumque tum Abſolutum, tum Reſpectivum. 744.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij & Heideggeri argutiæ. 749.

Corollarium.

Georgij argumenta pro cultu Latriæ & Duliæ præc. cap. I. *adducta ſubſiſtunt firma, abſque ullâ per Vedroſium allatâ ſolutione.* 759.

SECTIO II.

De Invocatione, & Veneratione Sanctorum. 760.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. ibid.

CAPUT III.

Oſtenditur, invocationem Sanctorũ in cœlis triumphantium eſſe ex verâ fide, tum in ſacris Litteris fundatâ, tum intra veram Dei Eccleſiam in mentibus fidelium jugiter propagatâ, & ſanctorum Orthodoxorum Patrum authoritatibus expreſſâ. 765.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 776.

Corollarium.

Georgij cap. I. *pro Invocatione & veneratione Sanctorum deducta argumenta manent omninò firma, utpote nullatenus ſoluta à Vedroſio, uti conſtat* ex cap. 2. & 4. 785.

SECTIO III.

De Veneratione ſacrarum Reliquiarum. ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri. 786.

CAPUT III.

Oſtenditur, cultum ſacrarum Reliquiarum in Eccleſiâ Romanâ frequentatum, eſſe pium, in ſacris Litteris fundatum, & vivæ intra fidelium mentes jugiter propagatæ fidei, & antiquæ Orthodoxiæ conformem. 789.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri. 794.

Corollarium.

Argumenta Georgij cap. I. *deducta non ſunt ſoluta.* 800.

SECTIO IV.

De Veneratione SS. Imaginum. 801.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij. ibid.

Re-

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. 802.

CAPUT III.

Oſtenditur, uſum & cultum ſacrarum Imaginum eſſe tum in ſacris Litteris fundatum, tum vivâ in Eccleſiâ Dei jugiter propagatâ, & SS. Patrum authoritatibus expreſſæ Fidei conformē. 803.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij. 807.

Corollarium.

Georgij fundamenta de uſu & cultu ſacrarum Imaginum cap. 1. *deducta, non tantùm non ſunt ſoluta, ſed Vedroſius multis falſis allegationibus gravi reatu ſe obſtringit.* 815.

DISSERTATIO XV.

De ſacris ac religioſis Peregrinationibus.

SECTIO I. (816.

An pro ſacris ac religioſis in Romanâ Eccleſiâ frequentatis Peregrinationibus ſtent aliqua fidei argumenta? ibid.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Baldingeri. ib.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Heideggeri. 817.

CAPUT III.

Oſtenditur, Peregrinationes Pontificias ad loca ſacra eſſe in ſacris Litteris, & vivâ in mentibus fidelium intrà veram Dei Eccleſiam jugiter propagatâ, ac Orthodoxorum Patrum authoritatibus expreſſâ fide fundatas. 821.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Heideggerianæ. 832.

Corollarium.

Baldingeri argumenta de religioſis Peregrinationibus cap. 1. *deducta non tantùm non ſolvuntur ex argutijs Heideggeri, ſed hic falſis commentis, ſacrarumque Litterarum, & Patrum Orthodoxorum falſificationibus ſe fecit graviter obnoxium.* 839.

SECTIO II.

An fideles Romanæ Eccleſiæ nitantur legitimis, prudentialem certitudinem fundantibus rationibus, ad certa loca ſacra fidei principijs conformiter, cultu vel Latriæ, vel Duliæ Reſpectivo colenda. 840.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Baldingeri ac Redingij. ibid.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Heideggerianæ. 846.

CAPUT III.

Oſtenditur, cultum religioſum in peregrinationibus Hieroſolymitanâ, Lauretanâ, & Eremitanâ tali certitudine prudentiali, ut ſic ſufficiente ad honeſtatem Moralem Religionis transfundendam in actum, ex hujus virtutis motivo ſub tali certitudine applicato ſpecificatum. 851.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Heideggerianæ. 855.

Corollarium.

Ab ipſo jam Heideggero cit. Diſſert. 6. §. 10. *agnitum eſt, qualiter peregrinationis Einſidlenſis, & Sacelli Divinitus ibi conſecrati cultus ſub ratione prudentiali reducatur in vera ac Orthodoxa Fidei principium, induatque adeò Moralem virtutis Religionis infallibiliter directivā certitudinem. Quibus nihil ſolidi opponere potuit Heideggerus.* 863.

DISSER-

DISSERTATIO I.

An Fides non habeat aliud fundamentum, quàm ſcripti Verbi Dei.

HEideggerus in ſuis *Theologorum Reformatorum Vindicijs n. 2.* ita decernit: *Fides noſtra aliud, idquè inconcuſſum magis habet fundamentum Verbi DEI, & propriæ conſcientiæ ſenſui, non multorum conſenſui innititur.* In quo plures diſcutiendæ latent Catholicos inter, ac Reformatos, uti ajunt, Miniſtros Controverſiæ hîc, ac ſequenti Diſſertatione diſcutiendæ, ex occaſione exprobrationis, quâ Heideggerus citatus objicit, *à nobis ſtrenuè diſſimulari, qualiter Jacobus Vedroſius Curienſis retuderit, & in ordinem redegerit Georgij Rhæti facem,* velut ipſe loquitur, *futiliſſimam.* I.

SECTIO I.

An in Eccleſiâ extet aliquod Dei Verbum non ſcriptum, ſed traditum, quod ſit veræ fidei fundamentum?

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

INdubitatum eſt, fidem veram unicè niti Verbo Divino tanquàm Motivo formali ac ſpecificativo. At quæſtio eſt, an nullum extet Verbum Divinum, quin ſcripturis ſacris ſit expreſſum? Etenim Catholici probant Verbum Divinum etiam non ſcriptum, perpetuâ traditione in Eccleſiâ receptum, renitentibus è contrà Reformatis, uti ajunt, Doctoribus, adversùs quos præallegatus Georgius Rhætus *in ſuâ Orthodoxâ Veritatis Face, Ratione 3. n. 107.* adducit tum S. Auguſtinum *Epiſt. 118. ad Januar.* Et *contra Donat. lib. 4. cap. 24.* jtem *lib. 5. cap. 23.* tum Calvinum *Inſtit. lib. 4. cap. 10. ſect. 20.* hæc 2.

S. Auguſtini teſtimonia agnoſcentem, at deridentem; tum Szegedinum Tab. de Cerem. in gener. locor. commun.

3. Idem Author *Rat. 6. exemplo 24.* item *Rat. 23. exemplo 26.* inducit contradictionem Reformatorum circa iſtas Traditiones. Et *Rat. 8. exemplo 5.* adducit Maximum Arianum, ac Pelagianos, ex illis ipſis argutiunculis, quibus Reformata Eccleſia contra Catholicos hodie utitur, Verbum Dei non ſcriptum apud S. Auguſtinum *lib. 1. contra Maximum cap. 1. & cap. 30. de Natur. & Grat.* reprobantes, attamen refutatos ab eodem S. Doctore. Denique *Ratione 24. exemplo 1.* refutat Reformati Miniſterij argumenta contra Traditiones non ſcriptas adduci ſolita.

CAPUT II.

Referuntur Argutiæ Vedroſij adversùs rationes Georgij proximè expoſitas.

4. HIc Reformatus Miniſter in *ſuo Manuali Antiquitatis ſect. 4. in exam. document. 16.* arguit *Primò*, obviam eſſe in Theologorum Scholis Traditionum diſtinctionem, *Hiſtoricarum* ſcilicet, ac *Dogmaticarum*. Et *Hiſtoricas* quidem traditiones à fide dignis relatas, cum ſacris litteris non pugnantes libenter à ſe admitti, fide tamen humanâ duntaxat, non Divinâ credendas. Ex *Dogmaticis* verò alias eſſe de fide, alias verò de moribus Chriſtianis. Quas priores extra Scripturam non habere locum, probat tum ex eo, quòd *ſcriptura poſſit hominem ſapientem reddere ad ſalutem.* 2. Timoth. 3. v. 15. tum ex eo, quòd in Scripturâ quid tenendum, quidvè fugiendum ſit, plenè inveniatur. Ex Auguſtino *ad Fratres in Eremo Serm. 38.*

5. Arguit *ſecundò*, Poſteriores Traditiones, ſi cum Scripturâ non pugnent, & ad conſcientias obligandas non urgeantur, nec cumulentur, pro ſtatu cujuſque Eccleſiæ ſecundùm Veterum ritum nonnunquam admitti poſſe. Atque de his poſterioribus agere Auguſtinum in locis à Georgio productis, dum *Epiſt. 118 ad Januarium* ait, quòd Domini Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio in cælum, & adventus de cælo Spiritûs ſancti anniverſariâ ſolennitate celebrentur. De quorum nihilominùs feſtorum inſtitutione operæ-pretium eſſe audire Socratem *lib. 5. cap. 22. Inſt. ſua Eccleſiaſt.* differentem, *Apoſtolos & Evangelia feſtum Paſchatis, aliavè feſta, libero & æquo judicio eorum, qui in illis diebus beneficia acceperunt, reliquiſſe recolenda.*

6. *Tertiò.* Idem Miniſter *Sect. 6. circa rat. 8. in exam. exempli 5.* ita arguit: Si nihil præter Scripturam in rebus fidei admittere ſit Arianorum, prout Georgius

orgius aſſerit, hæreſis; ſequi, quòd huic homini eſſent hæretici Chriſtus, Prophetæ, Apoſto'i, & Doctores primitivi producti; præſertim Auguſtinus Canonem fidei in libris Prophetarum, atque Apoſtolorum libris figendum aſſerens. Foret etiam Arianus Bellarminus ſacram Scripturam regulam certiſſimam, tutiſſimamquè agnoſcens. Forent denique hæretici fortiſſimi Majores Rhæti, qui Anno 1524. pauciſſimis tum in Rhætiâ Reformatis *in ſtatutis ſuæ Regionis art.* 1. decreverunt, nè quis Parochus, Sacellanus, aut Monachus ab Eccleſiâ ſuâ abſens ſit, quò populo Verbum & doctrina Chriſti fideliùs proponatur.

Arguit *quartò.* Quaſi verò aliquid ſit de fide, quod Canone fidei, & ſcripturis Canonicis non exprimatur; aliquid de cæleſtis Patris ſupremâ voluntate, quod ejus Teſtamento certiſſimo non contineatur; aliquid neceſſarium ad ſalutem, quod lege & Evangelio non definiatur. 7.

Arguit *quintò.* Sufficere ſacras litteras vel ipſi *homini Dei, ut informetur ad ſalutem, & perfectus reddatur ad omne opus bonum,* 2. Timoth. *3. v. 15. 16. 17.* ita ut nuſquam aliò amandemur ad fidem, conſolationem, & inſtitutionem conſequendam Eſajæ *8. v. 20.* Lucæ *16. v. 29.* Joan. *5. v. 39.* Joan. *21. v. 31.* Rom. *15. v. 4.* 8.

Arguit *ſextò.* Imò prohibere Apoſtolum, nè ſupra id, quod ſcriptum eſt, ſapiamus, 1. *Corinth. 4. v. 6.* aut aliquid admittamus, *Galat.* 1. *v. 8.* 9.

Arguit *ſeptimò.* Cùm nefas ſit, *ſcripturis quicquam demere, vel addere Deut. 4. v. 2. Apocal. 22. v. 18.* concluſione factâ à parte integrante ad totum, (quicquid ogganniat Georgius *pag. 283.*) non eſſe, quòd quicquam neceſſarium creditu, vel factu ibi non contineri arbitremur. 10.

Arguit *octavò.* Utri hæreticorum ſint conſanguinei; vel Traditionum vani jactatores, fictis ſuis ſermonibus *Verbum Dei cauponantes*; vel ſcripturarum humiles admiratores, lac illud ſincerum concupiſcentes; audiendum eſſe Irenæum *lib. 3. cap. 2.* ita diſſerentem de hæreticis ſui temporis: *Cùm ex ſacris ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſunt dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab ijs, qui neſciunt traditionem. Non enim per litteras traditam, ſed per vivam vocem; ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, ſapientiam loquor inter perfectos.* 11.

Arguit *nonò*, taliter concludendo. Qui autem illi, qui poſt Gnoſticos, quos Irenæus perſtringit, in accuſationem ſcripturarum convertuntur? Papiſtæ. Hi enim dicunt, Scripturas non eſſe neceſſarias, Deo mandante nō eſſe ſcriptas, imperfectas, & mutilas: non poſſe ex ijs inveniri veritatem, eò quòd obſcuræ ſint, & intellectu difficiles: carere nos originalibus codicibus, 12.

dicibus, & eos, quos habemus Hebræos, vel Græcos, eſſe corruptos. Contra, quâ poſſunt, induſtriâ ſacræ Scripturæ ſpolijs traditiones proprias, ab Auguſtino *ſtateras doloſas* appellatas, ornant, dicendo: quòd neceſſariæ ſint, quòd imperatæ, quòd perfectæ & ſufficientes, quòd perſpicuæ, & intellectu faciles, quòd incorruptæ in Eccleſiâ conſervatæ.

CAPUT III.

13. Oſtenditur, in Eccleſiâ ſanctâ & Orthodoxâ ſemper extitiſſe, & adhuc extare Dogmaticas ad fidem ſpectantes Traditiones, ſive Verbum Dei non ſcriptum ſeu traditum, cui vera Theologica & Catholica fides tanquàm Motivo formali innitatur.

Probatio prima:

14. NAm per ipſam fidem oportet diſtinguere inter veros ſeu genuinos ab ipſomet Spiritu S. dictatos; ac inter Apocryphos, ſeu ſuppoſititios ſacræ Scripturæ libros. Quæ diſcretio ſacrorum librorum adeò neceſſaria eſt, ut per modum neceſſarij principij præſupponatur ad hoc, ut textus aliquis tanquàm Verbum Dei inde depromi poſſit. Quomodò enim fidei Divinæ certitudinem habebis de alicujus textûs ſenſu, tanquàm Divinitùs revelato, ſi non conſtet, librum, unde depromptus eſt, eſſe à Deo inſpiratum & dictatum? At verò ex ſacris præcisè Litteris *expreſſè* ac *formaliter* non habetur, hos libros in individuo eſſe ſacros, ac Divinitùs inſpiratos: quamvis enim in Litteris ſacris contineatur, Deum eſſe locutum per Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas &c. huic tamen aſſertioni tanquàm Divinæ aſſentiri nullus poteſt, niſi priùs ſecurus ſit, libros, in quibus tales atteſtationes reperiuntur, eſſe Divinos. Nunquid enim Paulus in Epiſtolâ ad Coloſſenſes *cap. 4. v. 16.* mentionem facit cujuſdam epiſtolæ ad Laodicenſes datæ? Nunquid talis etiam epiſtola ſub nomine Pauli circumfertur, quæ tamen vera non eſt, ſed ſuppoſititia? Quantumvis igitur in hac fieret atteſtatio Divinæ inſpirationis, nullus acquieſceret, eò quòd, cùm fide Divinâ non conſtet, eſſe veram Divinitùs inſpiratam Apoſtoli epiſtolam, non poſſit atteſtationi in ipsâ contentæ tanquàm Divinæ per fidem aſſenſus præberi. Vides igitur, ad ipſos ſacræ Scripturæ libros, ut vel integri, vel ipſorum textus recipiantur tanquàm ſacri ac Divini, per modum principij neceſſarij præſupponi debere fidei certitudinem, quâ conſtet, hos in indi-

Digitized by Google

individuo libros eſſe à Spiritu ſancto inſpiratos ac dictatos. At fidei certi- 15.
tudo *eſſentialiter* nititur Verbo Dei. Illa verò fidei certitudo, quæ per modum principij præſupponitur ad hoc, ut omnibus ac ſingulis ex Scripturâ depromendis ſacris textibus tanquàm Divinis omninò tutò ac ſecurè aſſentiri quis poſſit; illa, inquam, ad omnes ſacros libros, quà Divinos recipiendos prævia fidei certitudo *formaliter* non eſt expreſſa ſacris litteris. Datur igitur Verbum Dei, ſeu fidei aliqua certitudo, quæ *formaliter* non ſit expreſſa ſacris litteris; ſed ad has quà fidei Divinæ ſubjectas per modum principij ſe habeat *præſuppoſitivè*, nec adeò niſi *virtualiter* in ijs contineatur. At hoc Dei Verbum non ſcriptum, ſeu *formaliter* non expreſſum in ſacris litteris à ſui primævâ origine ad nos uſque dimanavit per traditionem non humanam, ſed Divinam, ſub ipſâmet fide ſupernaturali à Spiritu ſancto intra Eccleſiam, ſeu in fidelium, Præpoſitorum quidem, ac ſanctorum Patrum *quaſi gubernativè & in actu ſignato*, in ſubditorum verò mentibus, *quaſi executivè, ac in actu exercito*, conſervatum. Quod nè Calvinum quidem, ipſius licèt ſpiritu *lib. inſtit. cap. 7. §. 2.* conante reluctari, latere potuit, adeò, ut *cap. 8. §. 9.* ſic ſcribat: *Quærunt enim, quis nos faciat certiores, à Moyſe & Prophetis hæc fuiſſe ſcripta, quæ ſub eorum nominibus leguntur, &c.* Et infra: *Verùm ut de omnibus ſimul loquar, certo certius eſt, ipſorum ſcripta non aliter perveniſſe ad poſteros, quàm de manu ad manum, ut ita loquar, perpetuâ annorum ſerie à Patribus tradita, &c.*

Probatio ſecunda.

ANte Moyſen, à quo primi ſacræ Scripturæ libri, Spiritu ſancto dictante, 16.
ſunt conſcripti, extitit vera Eccleſia Dei fundata in Verbo Divino, fidei myſteria circa Divinitatem ac Trinitatem Perſonarum, nec non Chriſti ſeu Verbi incarnandi adventum revelante; nondum litteris conſignato, ſed per traditionem propagato. At hoc ipſum Dei Verbum ſtetiſſe incorruptum eo etiam tempore, quo ſacræ Litteræ exarari cæperunt, nemo in
dubium vocare poteſt. Neque verò hoc proprium erat antiquæ legis, ut in 17.
hac duntaxat unà cum Verbo Dei ſcripto ſimul ſtaret Divinum Verbum oretenùs traditum, ac per traditionem ſub ipſâmet fide ſupernaturali ſubſiſtentem in mentibus fidelium conſervatum: ſed in lege etiam novâ ſeu Evangelicâ Chriſtus abſque ullis litteris Apoſtolos edocuit Divina ſua myſteria, cum mandato ea docendi & prædicandi. In quibus etiam myſterijs per Spiritum ſanctum eatenùs ſunt firmati & inſtructi, ut ea prædicando ad veram Chriſti Eccleſiam vocârint Judæos ac Gentiles, atq; hos in eiſdem myſterijs perfectè inſtruxerint, Evangelio needum conſcripto, ac nullâ adhuc epiſtolâ Apoſtolicâ exaratâ. Tunc igitur ſtetit verum Dei Verbum, non ſcrip-

ſcriptum, ſed traditum. At hæc vivæ vocis oraculo ab Apoſtolorum ore dimanans myſteriorum fidei traditio non evanuit ex eo tempore, quo Evangelium ab Evangeliſtis conſcribi cæpit, ſed illibata ſtetit, tametſi Evangeliorum libri ad plures non pervenerint. Evangelicæ igitur legis ſtatui nullatenus repugnat, quòd unà cum Verbo Dei ſcripto ſubſiſtat Verbum Divinum eatenus traditum, ut à Chriſti ore, ſeu Spiritûs ſancti inſpiratione *originariè* dimanans in Apoſtolos, ab his mediante prædicatione, in fidelium mentibus exaratum, ſub ipsâmet fide ſupernaturali in poſteros propagatum, hodieque perſiſtat; uti clarè conſtat ex Symbolo Apoſtolico, quod Catechiſmus Tigurinus *Anno 1629.* editus *a. 34.* & in *ſummariâ inſtruct. a. 4.* dicit, ſcitu neceſſarium eſſe ad ſalutem. Nam hoc Symbolum ex revelatione
18. Divinâ, ſanctis Jrenæo *lib. 3. cap. 4.* Hieronymo *Epiſt. ad Pammachium*, quæ incipit: *Si juxta Paulum.* Auguſtino *lib. de fide & operibus cap. 4.* teſtibus, ita dimanavit ab Apoſtolorum ore, ut nullo canonico ſacræ Scripturæ libro ſub illâ formali verborum formulâ ſit expreſſum, ſed ſolâ fidelium traditione per ipſam fidei certitudinem ac immobilitatem conſervatâ propagatum. Conſtat igitur, hodiernum etiam Eccleſiæ ſtatum admittere Symbolum fidei, ipſo etiam Tigurino Catechiſmo atteſtante, neceſſarium ad ſalutem: cùm tamen Tigurini Miniſtri nullum ſacrum textum ex ſcripturis Divinis oſtendere poſſint, in quo *formaliter* ac *explicitè* dicatur, articulos illo Symbolo expreſſos omnes ac ſingulos in ſpecie eſſe creditu in tantum neceſſarios ad ſalutem, ut oporteat illos callere, uti habet præcitatus Catechiſmus Tigurinus *ſummar. inſtruct. a. 4.*

Probatio tertia, duarum priorum explicatoria.

19. EX eo tempore, quo fides Evangelica Apoſtolorum mentibus à Chriſto & Spiritu ſancto impreſſa fuit, cum mandato prædicandi non Judæis duntaxat, ſed etiam Gentibus, duo præcipuè munia præſtiterunt iſta ſacra Eccleſiæ lumina. Alterum erat in Chriſti doctrinâ oretenùs tradendâ, ut ſic hominum mentes imbuerentur Divinis myſterijs. Alterum verò erat in hoc, ut iſta Chriſti Domini Sacramenta & doctrinæ litteris conſignarentur. At prius ex munere Apoſtolico ita congruebat Apoſtolis univerſis, nec non cæteris Chriſti diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus, ut nullus in iſto docendi ac inſtruendi officio deficeret, ipſiſque ſimul incumberet cura providendi ad univerſam prædicationis ſuæ muneri commiſſam Chriſti doctrinam, nullo penitùs myſterio neglecto, in poſteros transfundendam. Quo munere ut tam per ſe, quàm per alios à ſe deputandos ſtrenuè fungeretur Timotheus, monuit ipſum Paulus *2. ad Timoth. cap. 2. v. 1. Tu ergo fili mi*, inquiens,

ens, *confortare in gratiâ, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me, per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hinc autem 20.
factum eſt, quævis Chriſti myſteria, & univerſam Evangelij doctrinam eſſe in fidelium mentibus, ceu vivis membranis exaratã, ut non quidem ſinguli *diſtributivè*, omnes tamen *collectivè* ſumpti, Paſtores præſertim, & Doctores (qui ex Chriſti in cœlum aſcendentis dono ſemper erant in Eccleſiâ futuri) haberent in intellectu ſuo exaratam univerſam Chriſti doctrinam, ejuſquè myſteria. Neque Chriſtus cum fidelibus ſuis per gratiam & illuſtrationem ſuam uſque ad conſummationem ſæculi futurus, permittebat talia myſteria ita interire ex mentibus fidelium, ut aliquando in ſolis membranis mortuis per ſcripturas duntaxat extarent. Hæc proinde doctrina Divinitùs tradita, Paſtorum Eccleſiæ prædicatione, ac inſtructione mediante, quovis tempore propagata, in fidelibus illibata & incorrupta ſtetiſſet, etiamſi litteris conſignata non eſſet. In quem adeò ſenſum S. Irenæus *lib. 3. cap. 4.* ait: *Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonnè oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine chartâ & atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus, ſalutem & veterem traditionem diligenter cuſtodientes.* Ejuſmodi proinde traditio (quæ 21.
tum ex parte *cauſæ efficientis principalis ac originariæ* ſcilicet, tum ex *parte objecti, veritatis nimirum* ſub illâ *contentæ*, erat Divina, licèt *ſubjectivè* ac ex *parte cauſæ inſtrumentalis, miniſtri ſcilicet Eccleſiaſtici eam propagantis*, dici poſſet humana) erat *formaliter* ipſummet Dei Verbum fide actuali receptum & propagatum in cordibus fidelium. In cujus etiam Verbi ab ore Divino accepti diſſeminatione ac propagatione, ſeu prædicatione verbali, ſitum erat principalius munus Apoſtolicum. Quare illud alterum in Divinâ doctrinâ litteris 22.
conſignandâ munus in Apoſtolis erat minùs principale, nec adeò ab omnibus, ſed à nonnullis duntaxat Apoſtolis, ac Chriſti Diſcipulis exercitum, partim ex occaſione hæreſum, veluti de S. Joanne Evangeliſtâ teſtatur D. Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quòd ad inſtantiam Epiſcoporum Aſiæ conſcripſerit Evangelium adversùs Cerinthum, alioſquè hæreticos, maximè Ebionitas: partim ex alijs occurrentijs, quibus per Verbum vivum ratione abſentiæ obviari non facilè poſſet, atque adeò opus fuerit Epiſtolas contexere, prout obvium eſt colligere ex Epiſtolis Apoſtolicis: partim ex ſingulari Providentiâ Divinâ ſe accommodante humanæ conditioni, cui innatum eſt, non ex mutuâ duntaxat vivæ vocis converſatione, ſed ex ſcripturis quàm maximè exercitari & inſtrui. Hæc proinde Divinæ doctrinæ per litteras ſeu ſcripturam expreſſio erat valde proficua, tametſi abſque illâ fuiſſet

fuiſſet ſubſtitura Chriſti doctrina in vivis membranis per fidē ſupernaturalem expreſſa, ſuiq; eatenus cōmunicativa, ut uſq; in finem mundi eſſet per ſucceſſionem Doctorum ac Paſtorum propaganda, Spiritu ſancto ad interiorem mentis illuſtrationem ac informationem ſuis gratijs cooperaturo.

23. Eratquè hoc vivum Dei Verbum mediante traditione ſuimet propagativum, muneri Apoſtolico principaliter commiſſum, ad quod ſcriptura ſe habet *ſolùm inſtrumentaliter*, nec in hoc conſiſtebat primarium Apoſtolorum officium, cùm alioquin Apoſtoli, qui nullum ſacrum librum ſcriptis tradiderunt, ſuo muneri defuiſſent; imò cùm nullus ex Evangeliſtis integram Doctrinæ Chriſti ſeriem pertexat, vix poſſent Evangeliſtæ non redargui alicujus negligentiæ. Quinimò integer Apoſtolorum cætus ab hac cenſurâ vix redderetur immunis, dum non ex condicto, in Concilio v. g. Hieroſolymitano ſtatuiſſent, ut Chriſti myſteria & doctrina ex integro redi-

24. gerentur in unum librum Evangelij. Ut quid ergo hodiernum Reformatum Miniſterium contendit, eatenùs ſoli Scripturæ ſacræ inſiſtendum, ut eliminandas velit Traditiones Divinas & Apoſtolicas, quæ tamen nihil aliud continent, niſi vivum Dei Verbum ex ore Chriſti, ac dictamine Spiritûs ſancti acceptum, ac mediante Apoſtolorum, cæterorumquè Chriſti Diſcipulorum, ac Succeſſorum prædicatione per gratiam Spiritûs ſancti expreſſum in cordibus fidelium, ſuiquè eatenus propagativum, ut *ſolùm inſtrumentaliter* ſub ſui quaſi imagine ſeu Symbolo ſit contentum in ſcripturis. Ut quid, inquam, Reformatum illud Miniſterium eatenùs eſt contentū hoc inſtrumentario vivi Verbi Divini Symbolo ſcripto, ut ipſammet hujus Verbi vitam, ſub fide ſupernaturali in mentibus fidelium propagatam, atque ſic ſub vivâ traditione expreſſam, contendat eliminandam?

Probatio quarta, ex varijs particularibus fidei myſterijs deſumpta.

25. NOta eſt Arianorum contra Filij Divinitatem antiqua hæreſis. Ad quam expugnandam Patres Orthodoxi producebant ſacræ Scripturæ textus, quos tamen adductis alijs Divinarum litterarum verbis apparenter explicabant, & in ſenſum ſuum detorquebant, contendentes, non poſſe Conſubſtantialitatem Filij evinci ex ſacris litteris. Hi proinde hæretici in ſe ipſis nunquam convincebantur, quia negabant Verbum Dei traditum, ipſummet ſcilicet vivum Dei Verbum ipſius ſupernaturalis fidei traditione & propagatione in mentibus fidelium expreſſum, ſub quo ſancta Dei Eccleſia in agnitione veri ac genuini de Filij Conſubſtantialitate ſenſûs, per ſucceſſionem Patrum hanc fidem ſuis ſcriptis profitentium probati ſubſiſtebat.

26. Nota eſt antiqua Macedonianorum hæreſis Spiritûs ſancti Divinitatem neganti-

ganti-

ed by Google

gantium. Quos ſi ſacræ Scripturæ verbis formalibus redarguere quis voluit, eorum vim apparenter retundebant alijs ſacris textibus. Si verò per conſequentias ex ſacrâ Scripturâ deductas adversùs ipſos procedebatur, nõ minùs, ac Reformatum Miniſterium hodie facit, reſponſiones ipſâmet Divinarum Litterarum oppoſitione fucatas prætexebant. Quàmdiu igitur vivum Dei Verbum ſub Traditione fidei ſupernaturalis in Eccleſiâ propagatum non admittebant, tamdiu in tenebris ſuis oberrabant. Audi de his S. Baſilium *Hom. 28. contra Sabellium, Arium, & Anomæos* ſic ſcribentem: *At nè Spiritum ſanctum à Patre & Filio ſepares, abſterreat te Dominica Traditio; Dominus ita docuit, Apoſtoli prædicârunt, Patres obſervârunt, Martyres confirmârunt: ſatis tibi ſit, ut dicas, quemadmodum edoctus es.* Nota eſt hæreſis Græcorum, negans Spiritûs 27. ſancti à Filio Proceſſionem. Et quia nullus ſacer textus extat, qui claris & formalibus verbis hoc myſterium aſſerit, non poterant Græci in ſe ipſis convinci, quàmdiu vivum Dei Verbum Traditione per ipſammet ſupernaturalis fidei propagationem ſubſiſtente, Patrumquè ſcriptis manifeſtatâ contentum negabant. Et verò Reformati Miniſterij indubitata, à nobis etiam 28. catholicis recepta contra Anabaptiſtas doctrina eſt, Baptiſmum Parvulorum, accedente uſu rationis, non eſſe reiterandum. Accedat igitur hujus Reformati Miniſterij Doctor aliquis, & clarum ſacræ Scripturæ textũ producat, qui ſub formalibus hiſce verbis hoc aſſerat, evincatquè efficaciter, cur Eucharistia, non autem Baptiſmus reiterari poſſit. Catechiſmus Ti- 29. gurinus *Anno 1629. editus pag. 18. & 76.* diſertè decernit, ad ſalutem ſcitu neceſſaria eſſe præcepta Decalogi. Accedat ergo Doctor aliquis Tigurinus, ac ex ſacrarum Litterarum formalibus verbis demonſtret, cur moralia Decalogi populo Judaico per Moyſen tradita præcepta adhuc vigeant in ſtatu legis Evangelij, non autem præcepta Ceremonialia & Judicialia, per eundem Moyſen, ab eodem uno Deo eidem populo Judaico data. Oſtendat inſuper ſacræ Scripturæ verba, quæ *formaliter* dicant, quo jure in locum Sabbathi juxta formalia Decalogi verba ſanctificandi, ſubrogata ſit dies Dominica?

Equidem nos minimè negamus, hæc omnia ex ſacris Litteris per legi- 30. timas ſaltem conſequentias veritatum ſub iiſdem contentarum illativas, evinci poſſe, ſi tamen admittatur vivum Dei Verbum ſub ipſâ ſupernaturali fide in mentibus fidelium propagatum, taliquè fidei Traditione ad nos uſque derivatum. Hoc enim eſt primum principium ad eruendum verum ſenſum ſacræ Scripturæ. Quo rejecto, nè quidem ſcripto Dei Verbo locus relinquitur, ac vivæ vocis prædicatio ad nudum nomen contrahitur, D. Baſilio *lib. de Spiritu S. cap. 27.* taliter diſſerente: *Dogmata, quæ in Eccleſiâ*

Digitized by Google

prædicantur, quædam habemus è doctrinâ ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum Traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſunt jura Eccleſiaſtica. Et infra: *Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto prodita non ſunt, tanquàm haud multum habentes momenti, conemur reijcere imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.*

Probatio quinta, Adverſariorum objectionis ex ſacris Litteris refutatoria.

31. DIcent adverſarij: Se non negare, illud ipſum Dei Verbum, quod à Chri-
ſto ſeu Spiritu ſancto Apoſtolis eſt traditum, ſub fide Divinâ per Spiri-
tûs ſancti gratiam in mentibus fidelium eatenus eſſe propagatum, ut in Ec-
cleſiâ Dei nunquam ſit periturum. At negare ſe, quòd ulla veritas Divini-
32. tùs revelata extet in Eccleſiâ Dei, quin per Scripturas ſacras ſit exarata. Ve-
rùm quæro iſtos Reformati, ut ajunt, Miniſterij Doctores, an ſuam aſſertio-
nem teneant pro veritate Divinitùs revelatâ? ſi negent, erit ſanè primum fi-
dei ipſorum principium jam deperditum: ſi affirment, oportet, ut ex ſa-
cris Litteris id demonſtrent. At prodeat Doctor aliquis Reformatus, &, ſi
poſſit, textum ſacrum producat, qui aſſerat, nullam in Eccleſiâ Dei extare
revelationem Divinam, ſeu Verbum Dei, niſi Scripturis ſacris ſit conſigna-
33. tum. Producat etiam textum ſacrum, qui aſſerat, hos ipſos libros, quos Ec-
cleſia Reformata approbat, in ſpecie ac in individuo, cum omnibus apicibus
ſuis, abſque ullâ vel corruptione, vel mutatione inter tot ſibi invicem, ut ad
oculum patet, pugnantes verſiones eſſe verè Divinos. Quòd ſi hoc, uti re-
verâ eſt, oſtendere non poſſit, oportebit, Evangelium Reformatæ Eccleſiæ in
ſuo primo principio ac fundamento eſſe ſubverſum.

34. Et verò nè talis Miniſterij Doctor conqueratur, ſe *obliquè* ac *indirectè*
duntaxat impugnari; per apertas ſacras Scripturas primum illud fidei ſuæ
principium falſitatis redarguo. Nunquid Chriſtus ſub tempus ultimæ Cœ-
næ dixit Apoſtolis ſuis *Joan. 16. v. 12. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis por-
tare modò*? Quando igitur hæc Chriſtus Apoſtolis ſuis dixit? Nunquid poſt
Reſurrectionem uſq; ad momentum ſuæ Aſcenſionis Chriſtus ipſis aperuit
plura myſteria de regno, ſive Eccleſiâ Dei, juxta illud *Act. 1. v. 3. Per dies qua-
draginta apparens eis, & loquens de regno Dei*? Quod eſt hoc Chriſti Verbum?
Sanè Scriptura in præadducto libro de iſtis quadraginta dierum Chriſti in-
ſtructionibus ac doctrinis nihil refert in ſpecie. An ergo iſta myſteria nobis
35. panduntur in Evangelijs? Sanè Matthæi Evangelium *cap. ult.* meminit qui-
dem

dem, Chriſtum poſt Reſurrectionẽ cum Undecim conveniſſe in monte conſtituto, fuiſſequè locutum de omni poteſtate in cælis ac terris ſibi traditâ, ac mandâſſe, ut docerent omnes gentes, ſervare omnia ſua mandata, baptizantes eos, &c. At quænam in ſpecie fuerint, quæ ſub ultimâ cœnâ portare non poterant Apoſtoli, quæque poſt Reſurrectionem differebantur, ac per quadraginta dierum ſermones à Chriſto expoſita eſſent, non exponit. Marci 36.
Evangelium *cap. 16.* non meminit aliorum Chriſti verborum, niſi quæ immediatè ante Aſcenſionem Chriſtus dixerat Apoſtolis, penitùs omiſſis ſermonibus præteritorum à die Reſurrectionis dierum. Evangelium Lucæ *cap.* 37.
24. v. 27. recenſet apparitionem Chriſti reſurgentis factam diſcipulis in Emaus euntibus, unà cum interpretatione omnium Scripturarum, quæ de ipſo erant, at iſtas interpretationes non enarrat. Eodem capite *verſu 45.* dicitur aperuiſſe Apoſtolis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, cum mandato prædicandi in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. At quiſnam, & in quibus ſpeciatim Myſterijs fuerit Apoſtolis apertus ſenſus, nec iſte, nec alius Evangeliſta exprimit. Evangelium deni- 38.
que Joannis *cap. 20.* recenſet quidem apparitionem diſcipulis factam ſub his verbis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Nec non ſub iſtis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* At illud ipſum caput ſic concluditur: *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* Et tandem *cap. ult.* ubi recenſitum erat, qualiter Chriſtus Petro præ alijs Apoſtolis *abſolutè ac illimitatè* commiſerit paſtorale in oves ſuas officium, &c. ita concluditur: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror, mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Ubi ergo, quæ Apoſtoli tempore ultimæ Cœnæ portare non pote- 39.
rant, ſed poſt Reſurrectionem differenda erant, quæquè Chriſtus per quadraginta à Reſurrectione dies apparens Apoſtolis de Regno Dei, id eſt Eccleſiâ, loquebatur, inveniuntur ſpeciatim litteris Evangelicis enarrata? At nunquid myſteria hæc potiſſima erant de Sacramentis ceu Eccleſiæ ac Regni Dei fundamentis? An dicere licebit, Apoſtolos in hiſcè Myſterijs non ſcriptis prædicandis, & ſub ipſâ ſupernaturali fide in poſteros transfundendis fuiſſe incurios? An non igitur de Myſterijs ejuſmodi non ſcriptis vigebit adhuc Verbum Dei traditum?

Sed dicet Reformati Miniſterij Doctor aliquis, quæ in Evangelijs ex- 40.
preſſa non ſunt de Chriſto, ejuſque Myſterijs & Sacramentis, ex ſpeciali Dei providentiâ fuiſſe exarata epiſtolis Apoſtolorum. Audiamus ergo de hoc ipſaſmet Apoſtolicas epiſtolas. Nam *1. Corinth. 11. v. 2.* ſcribit Paulus: *Sicut tradidi vobis, præcepta mea teneatis.* Meminit ergo Paulus præceptorum vivâ vo-

ce traditorum, quæ non duxit repetenda in illâ ſuâ epiſtolâ, ſed monendos duntaxat Corinthios, ut ea ſervarent. Unde 2. *ad Theſſalonicenſes* 2. v. 14. ſcribit: *Fratres, ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* An credere igitur fas ſit, Apôſtolum aliquas iſtarum Traditionum non fuiſſe litteris conſignaturum, ſi crediďiſſet fore, ut abſque ſcripturâ non eſſent derivandæ in poſteros? Crede igitur Evangelijs, crede Epiſtolis Apoſtolicis, aliquod Verbum Dei in Eccleſiâ extare non ſcriptum, ſed traditum duntaxat.

Probatio ſexta. ab Authoritate Patrum primis à Chriſto ſæculis degentium petita.

41. Divinus Dionyſius Areopagita ſancti Pauli Diſcipulus *lib. 1. Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 1.* ita ſcripſit: *Quocirca primi illi Hierarchiæ noſtræ duces & principes, cùm & ipſi à Divinâ Bonitate plenè cumulatequè ſanctum hoc munus accepiſſent, & à Divinâ Benignitate ejus apud poſteros propagandi, prorogandiquè causâ miſſi eſſent, &c. humanis Divinas res, quæquè materiâ carent, ijs, quæ ex materiâ conſtant, ac noſtris eas, quæ eſſentiâ ſuperiores ſunt, partim ſcriptis, partim non ſcriptis ſuis inſtitutionibus ex ſacroſanctis legibus nobis tradiderunt.*

42. Ex ſecundo ſæculo Juſtinus Martyr *in Apolog.* ita habet: *Poſtridie ejuſdem* (ſcilicet Saturnini) *qui ſolis dies eſt, Apoſtolis & diſcipulis apparuit* (Chriſtus) *atque ea docuit, quæ etiam apud vos, ut inſpiceretis, retulimus.*

Papias Juſtini contemporaneus *lib. 4.* taliter diſſerit: *Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apoſtolis converſatus fuiſſet, dicta Apoſtolorum diligenter ab eo ſciſcitabar, &c. Neque enim ea, quæ ex libris petebantur, tantùm noſtri ſubſidij allaturà exiſtimavi, quantùm ea, quæ acceperam ex hominum voce & ſermone, qui in vitâ adhuc manebant.*

Clemens Alexandrinus circa annum 200. *lib.5. Stromat. pag. 185. Quocirca alia quidem ſunt myſteria, quæ fuerunt abſconſa uſque ad Apoſtolos, & tradita ſunt ab ipſis, ut à Domino acceperunt.* Et *in libro de Paſchate* apud Euſebium *lib.6. Hiſtoriar. cap. 11.* dicit: *Quòd extorqueantur ſibi à fratribus, ut ea, quæ à Presbyteris Apoſtolorum Succeſſoribus voce ſibi ſolâ tradita eſſent, deſcriberet in libris, ac poſteris traderet, &c.*

43. Origenes circa annum 240. *in Proœm. lib. 1. de Principijs*, ſic habet: *Cùm multi ſint, qui ſe putent ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa à prioribus ſentiant, ſervetur verò Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & uſque ad præſens in Eccleſijs permanens, illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſticâ diſcordat Traditione, &c.*

Euſebius Cæſarienſis circa annum 320. *lib. 1. demonſtrat. Evang. cap. 8.* ita diſſerit: *Chriſtus in mentibus vitâ præditis perfecta novi Teſtamenti documenta deſcripſit.*

ſit. Ejus verò diſcipuli ad Magiſtri ſui nutum, auribus multorum doctrinam ſuam commendantes, quæcunque quidem veluti ultrà habitum progreſſis à perfecto ipſorum Magiſtro præcepta fuerant, ea ijs, qui capere poterant, tradiderunt: quæcunque verò ijs convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationiſquè indigentes, ea ipſi ad imbecillitatem multorum ſe demittentes, partim litteris, partim ſine litteris, quaſi jure quodam non ſcripto ſervanda commendârunt.

Athanaſius *in lib. de Decret.* Synodi Nicenæ contra Euſebium Arianum: *Ecce nos demonſtramus, iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres per manus traditam eſſe.* 44.

Baſilius *lib. de Spiritu ſancto cap. 27. Si conſuetudines, quæ ſcripto prodita non ſunt, tanquàm haud multum habentes momenti conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, &c.*

Epiphanius *hæreſi 61. Oportet autem & Traditione uti, non enim omnia à Divinâ Scripturâ poſſunt accipi.*

Chryſoſtomus *Hom. 4. in 2. Theſſalon.* explicans illa Apoſtoli verba: *Itaque fratres, ſtate, & tenete Traditiones*; ſic ait: *Hinc patet, quòd non omnia per epiſtolam tradiderint* (Apoſtoli) *ſed multa etiam ſine litteris. Eâdem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta.*

Ex quibus manifeſtè patet, Patres primitivæ Eccleſiæ præter Verbum Dei ſcriptum agnoviſſe Verbum Dei non ſcriptum, ſeu Traditum. Quod dum negant moderni Pſeudoreformatores, eatenùs ſe alienos exhibent à Dei Verbo per vivam Fidem in mentibus fidelium ad nos uſque propagato, ut neque ſcriptum Dei Verbum in legitimo ſenſu teneant, ſed ad ſuum privatum ſpiritum torquendo, ſuis proprijs adinventionibus incedant ſemitã, Patribus primitivæ Eccleſiæ planè incognitam, continuiſque inter ſe contradictionibus ſeſe mutuò confodiant, uti *ex ſequentibus Diſſertationibus* manifeſtũ fiet

CAPUT IV.

Refutantur Argutiæ Vedroſij cap. 2. expoſitæ.

AD *primam* reſpondetur: Verum quidem eſſe, quòd Scriptura ſacra poſſit hominem ſapientem reddere ad ſalutem. At oportet accedere cum fide, quâ hæc Scriptura credatur Divinitùs inſpirata. Hoc autẽ *formaliter* non eſt expreſſum Scripturâ, ſed Verbo Dei tradito, uti ſupra *n. 13. &* 14. oſtenſum eſt. Ergo Verbum Dei ſub ipsâ ſupernaturali fide in poſteros derivatum ſeu Traditum, ad inſtar primi principij præſupponi debet, ut ſub Scripturâ ceu inſtrumentariâ vivi Verbi Divini figurâ, credatur Veritas, tanquàm Divinitùs revelata. Adhæc fides circa particularia eti- 46.

am

am fidei myſteria exigitur in eo, qui ex ſacris Litteris eorum veritatem ac probationem inquirit. Nam Eutyches, dum Neſtorium Perſonas in Chriſto dividentem conabatur ex ſacris Litteris refutare, in alteram prolapſus eſt hæreſin, quâ diſtinctionem naturarum in Chriſto negabat. At hujus non alia erat ratio, niſi quia ad illud pro veritate Scripturæ eruendâ omninò neceſſarium, ac primum principium, fidem ſcilicet Divinam, ſub ſacrarum Litterarum explicatione non attendebat. Hæc verò fides ad verum ſacræ Scripturæ ſenſum eruendum neceſſaria non alio Motivo, quàm ipſomet Dei Verbo niti poterat. Quare Verbum Dei tanquàm Motivum fidei debet præſupponi in legente Scripturas, ad hoc, ut verus ſenſus teneatur. Nequit autem Verbum Dei, prout antecedenter ſe habet ad verum ſcripturæ ſenſum, movere quà ſcriptum. Oportet igitur, Dei Verbum movere ad fidem, quà non ſcriptum, ſed Traditum, & ſub ipsâ fide ſupernaturali ex Apoſtolicâ prædicatione ad nos uſque derivatum. Tunc autem ſuppoſito hoc Dei Verbo, ac per fidei aſſenſum recepto, poterit legens ſacras Litteras, omnimodam ſalutis ſapientiam, ac ſcientiam Divinam ex ipſis comparare. Conſtat igitur, Verbum Dei Traditum, ac fidem huic innixam, per modum primi quaſi principij, ita ſe tenere ad ſacras Litteras, ut iſtæ ſine illo ſint quaſi emortuæ, & occaſio falſi ac hæretici ſenſûs inde eruendi. Falſum proinde eſt, quòd nullæ in Eccleſiâ Dei extent Divinæ Dogmaticæ ad fidem ſpectantes Traditiones.

47. Ad *ſecundam* reſpondetur: 1. Inſignem ibi committi contradictionem. Nam Vedroſius, ubi diſtinxerat Dogmaticas Traditiones ab Hiſtoricis, ait, has fide humanâ, non Divinâ credendas eſſe. E contrario igitur, juxta bonæ diviſionis leges, oportet, Traditiones Dogmaticas cadere ſub fidem Divinam, non humanam duntaxat. Quomodò ergo aliquæ poterunt eſſe Traditiones Dogmaticæ, non ſpectantes ad fidem? Adhæc ait, Dogmaticas Traditiones de moribus Chriſtianis recipiendas eſſe, ſi non pugnent cum Scripturâ, & ad conſcientias obligandas non urgeantur. At quomodò pugnare poſſunt cum Scripturâ, ſi per ſuam eſſentiam ac definitionem ſint illæ, quæ fide Divinâ credendæ ſint? Quomodò non afficient & obligabunt conſcientiam, ſi ſub ipſam Dei fidem cadant? Sic ſic Evangelium novum, quod privato cujuſque ſenſui innititur, nec aliam, niſi proprij ſenſûs conſcientiam
48. admittit, ſibi ſemper contradicit. Reſpondetur 2. Falſum eſſe, quòd S. Auguſtinus in locis à Georgio citatis illas duntaxat adſtruat Traditiones, quæ non ad fidem, ſed ſolùm ad mores, abſque ullâ conſcientiæ obligatione pertineant. Nam *cit. lib. 4. cap. 24. contra Donatiſtas* ita habet: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi autboritate Apoſtolicâ*

tradi-

traditum rectiſſimè creditur. In quo loco hic ſanctus Doctor loquitur de Baptiſ-
mo parvulorum. Nunquid verò articulus iſte eſt fidei? ipſomet Catechiſ-
mo Tigurino de Anno 1629. *a. 98. 99. & 100.* profitente, hoc Sacramento etiam
infantes initiandos eſſe, ut recipiantur in Eccleſiam Dei, ac ſigno Divini fæ-
deris inſigniantur. Et *lib. 5. contra Donatiſtas. cap. 23.* taliter concludit: *Sunt*
multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quan-
quàm ſcripta non reperiantur. In quo loco ſanctus Auguſtinus agit de non rebap-
tizandis hæreticis. Nunquid autem hoc eſt fidei dogma ab ipſiſmet etiam
Tigurinis aſſertum? Nunquid ea, quæ præcepta ab Apoſtolis creduntur,
ſunt conſcientiæ obligatoria? At multa eſſe, ait, ſanctus ille Doctor, præcep-
ta ab Apoſtolis, quæ tamen ſcripta non reperiantur. Denique falſum eſt, 49.
quòd Auguſtinus in *Epiſt. 118. ad Januarium* recenſuerit eas de Reſurrectionis,
Aſcenſionis Chriſti, & Spiritûs S. adventûs feſtivitatibus Traditiones dun-
taxat, quæ conſcientiam non obligent. Ibi enim expreſſis verbis loquitur
de Traditionibus authoritate etiam Apoſtolorum ſtatutis, eaſque diſtinguit
ab obſervantijs particularium Eccleſiarum, ita ut has, non illas dicat, eſſe
liberas ijs, qui tali Eccleſiæ particulari non ſunt ſubjecti. Vides igitur,
quàm fraudulenter agat Vedroſius, qui nè capiatur in ſuis dolis, non auſus
fuit reſpondere ad duo priora ſancti Auguſtini loca, ſed callidè ea prætérivit.

Ad *tertiam* reſpondetur: Illâ nihil aliud evinci, niſi quòd ejus author 50.
prodat ſuum impudentiſſimum calumniandi ac blaſphemandi ſpiritum.
Ait enim, Chriſtum fore hæreticum, ſi in rebus fidei non niſi Scriptura ſit
admittenda. At nunquid Chriſtus alicubi mandavit, ut Evangelium ſuum
ſcriptis mandaretur? Nunquid prædicationem, & fidem huic adhibendam,
nullâ extante licèt Scripturâ, impoſuit Apoſtolis? An ergo pleriquè Apoſto-
lorum, quia nequè uſi ſunt Scripturâ, ſed Verbo Chriſti non ſcripto, ne-
què aliquos compoſuerunt ſacros libros, nequè ullum de ſolis Scripturis
circa res fidei admittendis poſt ſe reliquerunt ſcriptum mandatum; imò
ipſi etiam Evangeliſtæ, quorum nullus vniverſa Chriſti myſteria (uti
patet ex dictis ſupra *cap. 3. à n. 33.*) litteris exaravit, arguendi ſunt hæ-
reſeos? Num criminis illius, quo manifeſtè reus es, contendere audes,
damnandos Patres, ſpeciatim Auguſtinum, qui tamen apertis & lucu-
lentis verbis (ut ſupra *cap. præced. à n. 38. & cap. præs. à n. 45.* viſum eſt)
ultra ſacram Scripturam in rebus fidei adſtruunt Traditiones non ſcriptas?
At non blaſphema tantùm, ſed etiam inſulſa eſt tua argumentatio, dum 51.
ex eo, quòd Bellarminus ſacram Scripturam regulam certiſſimam, tutiſ-
ſimamque agnoſcat, arguere vis, ab iſto Doctore cum Arianis reproba-
ri Traditiones, ſive Verbum Dei non ſcriptum. Ridicula tandem, & va-

na.

52. na eſt tua licèt hypothetica illatio, quâ fortiſſimis Rhætiæ Maioribus ex eo, quòd propter ſubditos ſuos doctrinâ Chriſtianâ per prædicationem, atquè adeò per Verbum Dei non ſcriptum Litteris partim ſacris, partim Traditionibus nixum imbuendos, reſidentiam Parochorum caverint, eos de Arianiſmo arguendos concludas.

53. Ad *quartam* reſpondetur. Neminem Catholicorum dicere, aliquid eſſe de fide, quod Canone fidei, & ſcripturis Canonicis non exprimatur. Sed hoc dici, quòd Canon fidei non quoad omnes ac ſingulos articulos ſit Scripturis canonicis *formaliter* expreſſus, licèt partim *formaliter*, partim *virtualiter* in hiſcè contineatur integra fidei ſubſtantia. Atquè hoc nolentes volentes fateri coguntur Doctores Reformati, ſe ipſos contradictionibus ſuis confodientes. Nullus porro Orthodoxorum aſſeruit, aliquid de cæleſtis Patris ſupremâ nobis revelatâ voluntate eſſe, quod ejus Teſtamento certiſſimo non contineatur. At hoc dicimus, Teſtamentum Dei ſubſtitiſſe, & ſubſtiturum fuiſſe, etiamſi ſcriptis non exararetur, de facto autem ita litteris contineri tum *formaliter*, tum *virtualiter*, ut tamen vivum Dei Verbum ab ipſiſmet Apoſtolis *ſine ſcripturâ* prædicatum & traditum, ac mediante ſupernaturali audientium fide receptum, & ſub hac ipſâ Divinâ fide ad nos uſq; propagatum, adhuc vigeat quoad omnes ſuos articulos partim *formaliter*, partim *virtualiter* expreſſum in ſacris Litteris. Nemo denique Catholicorum unquam ſomniavit, aliquid eſſe ad ſalutem neceſſarium, quod lege ac Evangelio non definiatur. At hoc aſſerimus, legem ac Evangelium Chriſti *ſubſtantialiter* in Verbo Dei oretenùs ab Apoſtolis tradito, ac *inſtrumentariè* Litteris Divinis conſignato eatenùs ſubſiſtere, ut ſacrâ tamen Scripturâ ſuccedente, non obinde perierit ſubſtantia Verbi Divini traditi: atquè hoc quoad omnes ſuos articulos, non quidem *formaliter* exprimi, ſed *virtualiter* tamen contineri in Scripturis canonicis.

54. Ad *quintam* reſpondetur. Sacras Litteras quoad veritates tam *virtualiter*, quàm *formaliter* in ſe contentas, eſſe quidem ad ſalutem ſufficientes, illi tamen, qui cum fide Divinâ, non cum proprij judicij ſuperbo ſupercilio eorum verum ſenſum perſcrutatur. Unde cùm fides Divina prærequiratur ad ſalutarem Divinarum Scripturarum intellectum, nequè verò fidei ſupernaturalis eſſentia ſubſiſtat abſquè ſuo formali motivo, Verbo ſcilicet Divino, oportere Dei Verbum non jam quà ſcriptum, eſſe priùs fide Divinâ conceptum in mente, Divinæ Scripturæ veritatem fructuoſè indagante, quàm veritas ex ſacris Litteris pariatur; debereque adeò *antecedenter* ad Verbi Divini quà ſcripti efficaciam in mente legentis exercendam, præſupponi Verbum non ſcriptum, illud præcipuè, quo liber canonicus

nicus

Digitized by Google

nicus ab apocrypho dignoſcatur. Cujuſmodi proinde Verbo etiam non ſcripto, per fidei ſupernaturalis obſequium recepto, non eſſe, cur pro fide actuali in nobis excitandâ & augendâ, conſolationequè, ac inſtitutione proficuâ conſequendâ, aliò amandemur, quàm ad ſacras Litteras.

Ad *ſextam* reſpondetur retorquendo iſtam argutiam. Cùm enim E- 55.
vangelium dicat, non omnia facta ſeu myſteria Chriſti eſſe ſcripta, ſeu *formaliter* ſaltem Litteris expreſſa, cùmque Paulus monuerit, tenendas eſſe Traditiones ſive per ſermonē, ſive per epiſtolam manifeſtatas, nunquid Miniſterium Reformatum Traditiones Divinas non ſcriptas repudiando ſupra, id eſt, contra (ſic enim textum illum exponit Sanctus Chryſoſtomus) quàm ſcriptum eſt, ſapere dignoſcitur? Quia porrò ſuæ conſcientiæ proprio ſenſui duntaxat, non Divinæ ab Apoſtolis traditæ, ac per fidem vivam in fidelibus ſupernaturalis gratiæ auxilio propagatæ doctrinæ in exponendis Scripturis nititur Reformatum Miniſterium, nunquid adversùs ipſam Scripturam Traditiones ejuſmodi Divinas approbantem dignoſcitur inflari, contrà expreſſam Apoſtoli admonitionem? Certè Vedroſi, ſi integrum illum contextum ſincero oculo ponderes, facilè deprehendes, eum non niſi torto naſo à te allegari contra Traditiones Divinas, imò in caput
tuum retorqueri. Quinimò cùm *Epiſt. ad Galat. 1.* anathematizetur ille, qui 56.
aliter, quàm Paulus, evangelizaverit, meritò Vedroſi timeas, hoc anathemate te percuſſum; ſiquidem Paulus non tantùm ſcriptis, ſed vel maximè verbis vivæ vocis, quoad ſubſtantiam ac ſenſum in Eccleſiâ ſanctâ hodiequè adhuc vigentibus evangelizaverit, imò 2. *Theſſalonic. 2. v. 14.* 14. expreſsè dixerit, Traditiones etiam non ſcriptas, per ſermonem ſcilicèt traditas, eſſe recipiendas.

Ad *ſeptimam* reſpondetur. *Deuteron. 4. v.* 2. prohiberi, nè addatur ad 57.
verbum nec auferatur ex eo, quod Moyſes (Deo ſcilicèt mandante ac revelante) locutus fuerat. Ex hoc autem manifeſtum fieri, quòd in veteri Teſtamento fuerit Verbum oretenùs traditum. Etſi verò Moyſes Deuteron. *31. v. 24.* dicatur poſtea verba legis à ſe ſcriptæ compleſſe, minimè tamen ex hoc evincitur, quòd verba oretenùs tradita per ſcripturam ſubſecutam evanuerint, vel quoad omnes omninò articulos fuerint *formaliter*
Litteris conſignata. Imò ſequenti ſtatim *cap. 32. v. 7.* Moyſes ex parte Dei 58.
ita mandavit filijs Iſrael: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi.* Ut quid ergo opus fuit interrogatione ac narratione (per quam ceu Traditionem non ſcriptam magnalia illius Teſtamenti propagarentur) ſi omnia plenè ſcripta erant, ita ut ab omnibus legi poſſent, & ob Scripturæ perſpicuitatem abſquè ullâ narratione omnibus paterent? Audi Vedroſi, Divinum

Hilarium ad *Pſal. 2.* Traditionum Divinarum in veteri etiam Teſtamento apertum aſſertorem. *Erat jam à Moyſe*, inquit, *anteà inſtitutum, in Synagogâ omni ſeptuaginta eſſe Doctores: nam idem Moyſes, quamvis veteris Teſtamenti verba in litteris condidiſſet, tamen ſeparatim quadam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta ſenioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat: cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangelio meminit: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo, quæcunque dixerint, ſervate, & facite, &c. Doctrina ergò horum in poſterum, quæ ab ipſo legis ſcriptore accepta, in hoc ſeniorum & numero, & officio conſervata eſt.*
59. Sed bone Deus quid arguit Vedroſius ex Apocalyp. 22. v. 18. ubi ſic habetur: *Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſanctâ.* O miſeram ſortem illius Miniſtri! Verba enim ad libros Prophetiæ Apocalypticæ reſtrictiva prætermiſit, ut textum illum transferret ad vniverſos ſacros libros; itaquè excluderet Verbum Dei non ſcriptum. Nunquid ergo Vedroſi, & diminuiſti, & addidiſti ad verba Prophetiæ illius? Væ igitur tibi! *Apponet* ſanè *Deus ſuper te*, niſi pœnitentiam agas, *plagas ſcriptas in libro iſto, & auferet partem tuam de libro vitæ, & de civitate ſanctâ.*

60. Ad *octavam* reſpondetur per retorſionem. Provocâſti enim Vedroſi ad Irenæum *lib. 3. cap. 2.* En igitur hunc ſanctum Doctorem contra caput tuum ſtringentem gladium. Cùm enim verbis à te allegatis repudiâſſet Traditiones quaſdam, quas hæretici novas ventilabant, ſubjecit ſequentia: *Cùm autem ad eam iterum Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſijs cuſtoditur, provocamus eos* (hæreticos) *adverſantur Traditioni, dicentes, ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceram inveniſſe veritatem.* Audiſti igitur Vedroſi, Traditiones ab ipſiſmet hæreticis confictas, ex quibus etiam contingeret, ipſos converti in accuſationem Scripturarum. Quid ergo? Nunquid cum aſſeclis ſuis Calvinus in *Antidoto Concilij* convertitur in accuſationem librorum Machabæorum, quaſi non ſint ex Divinâ authoritate? Cùm tamen Tigurina Biblia *1638.* edita non tantùm duos, ſed tertium quoquè Machabæorum librum inter Canonicos ponat? Quamqam in fronte Bibliorum cum alijs *ibi* recenſitis inter Apocryphos recenſeat. Unde hoc? An ex aliquo libro Canonico? At demonſtrari id non poteſt ex apice ſacro. Nunquid Vedroſi, Reformatum tuum Miniſterium gloriatur, ſuam fidem ſolo conſcientiæ ſenſu, ſeu proprio privato ſpiritu niti? An ex Traditione Apoſtolicâ? At iſtam mordicùs negas. Annon igitur ex Traditione ſpiritûs, ut ais, Reformati? In ejuſmodi ſanè Traditione tu, & aſſeclæ tuæ adeò gloriamini, ut jactabundi aſſeratis, non poſſe ex ſacris

ſacris Litteris inveniri veritatem ab ijs, qui Traditionem ejuſmodi proprij ſensûs veſtri non agnoſcunt.

Ad *nonam* reſpondetur: Ex dictis manifeſtum eſſe, non Papiſtas eſſe illos, quos Irenæus perſtringit, ſed vos Reformati Miniſterij Doctores in accuſationem Scripturarũ converti. At Vedroſius ait, Papiſtas dicere, quòd Scripturæ non ſint neceſſariæ. Verùm oportuiſſet diſtinxiſſe in Litteris, quod eſt *materiale*, ipſoſmet ſcilicèt characteres tanquàm inſtrumenta & ſigna veritatis ſub ipſis latentis; & id, quod eſt *formale*, ipſam ſcilicet veritatem ſub cortice ſacrarum Litterarum contentam & ſignificatam. De priori aſſerunt Papiſtæ, eſſe valde utile, fuiſſeque adeòque *ſecundùm quid*, non autem *ſimpliciter* neceſſarium, ut veritates Divinitùs revelatæ ſignarentur litteris, ceu vaſibus ejuſdem *quaſi inſtrumentariè* contentivis ac ſignificativis, quamvis tota illa veritas ſub ipsâ fide ſupernaturali in fidelium mentibus conſervata, & à Doctoribus per Divinam providentiam in Eccleſiâ Dei ſemper extituris, propagata fuiſſet per Traditionem, dum inſtrumentis illis non eſſet contenta, uti apertis verbis tradit ſanctus Irenæus *ſupra cap. 3. n. 19.* adductus. Quòd ſi verò ſacræ Litteræ ſpectentur ſecundùm id, *quod formale eſt*, quoad ipſam ſcilicèt veritatem ſub litterarum cortice contentam & ſignificatam, negant Papiſtæ, non eſſe *ſimpliciter* neceſſarias ad ſalutem, utpotè in quibus omnia fidei myſteria vel *formaliter* & *expreſſè*, vel *ſaltem virtualiter* ac *implicitè* contineantur. 61.

Inſtant adverſarij: Papiſtas dicere, quòd Scripturæ non ſint ſcriptæ mandante Deo. Quid ergo Vedroſi? Habeſnè mandatum in ſacris Litteris *formaliter* expreſſum, quo Deus Apoſtolis mandârit non prædicationem duntaxat, ſed etiam ſcriptionem Evangelij? Oſtende ſi potes: ſin minus, contice, & os tuum claude, nè quia plerique Apoſtolorum non ſcripſerunt, imò & ipſimet Evangeliſtæ non univerſa Chriſti myſteria complexi ſunt, ipſos mandati Divini tranſgreſſores facias. 62.

Excipiunt denuò: A Papiſtis ſacras Scripturas dici mutilas & imperfectas. Verùm imperfectus liber non eſt, qui reſpectu finis ab authore intenti, eſt numeris omnibus abſolutus, licèt non omnia myſteria comprehendat. Etſi verò Papiſtæ aſſerant, non omnia, quæ ſunt de fide, *formaliter* eſſe expreſſa in ſacris Litteris, fatentur tamen, univerſam fidei veritatem contineri in illis *virtualiter*, ſinguloſquè libros in ordine ad finem ab authore Divinitùs edocto intentum, nè in apice quidem deficere, ſed numeris omnibus abſolutum eſſe. Obijciunt porrò, à Papiſtis dici, non poſſe ex ſacris Litteris inveniri veritatem, eò quòd obſcuræ ſint, ac intellectu difficiles. Verùm de hoc tractabitur *ſectione tertiâ*. 63. 64.

65. Urgent denique. Papiſtas cauſari, quòd careamus originalibus codicibus, & ij, quos habemus Hebræos vel Græcos, ſint corrupti. Contrà verò eſt, quòd Catholici per Traditionem omninò certificentur de hoc, quinam libri inter canonicos ſint habendi. De hoc inſuper quænā editio ſit habenda pro authenticâ, habent ſufficientia prudentialis rationis argumenta, ita ut exinde firma fidei argumenta depromi poſſint, nullo facto recurſu ad codices vel Hebræos, vel Græcos, velut iſta patent ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 4. Quòd denique ſanctus Auguſtinus illas ipſas Traditiones, quas locis *ſupra n.* 48. & 49. adductis, ait ab Apoſtolis ad nos uſque promanâſſe, dicat *ſtateras doloſas*, intolerabilis erga hunc ſanctum Doctorem, ipſoſmet etiam Apoſtolos, Vedroſij calumnia eſt.

COROLLARIUM.

66. Ex dictis infertur, Rationes Georgij Rhæti ſupra *cap.* 1. expoſitas nullatenùs eſſe ſolutas à Vedroſio, ſed integras adhuc ſubſiſtere. Nam *Primò* ex dictis ſupra *cap.* 3. *a. n.* 38. & *cap.* 4. *n.* 45. conſtat, non ſolùm Auguſtinum, ſed ſanctos Patres communi conſenſu, ipſomet etiam Calvino *loco per Georgium ſupra citato* contrà ſuum alioquin reluctantem ſpiritum fatente, agnoſcere in Eccleſiâ Dei Traditiones Divinas & Apoſtolicas. Patet inſuper, Szegedinum à Georgio *eod. n.* 2. nec non Calvinum præced. *cap.* 3. *n.* 14. *in fine* adductos, nolentes volentes admittere Traditiones eiuſmodi. Nequè verò circà hoc Vedroſius quidquam reſpondere potuit, ſed ſilentio præterire debuit, ac ſpeciatim reſpondere omiſit ad textum ſancti Auguſtini ex *lib.* 4. *contra Donatiſtas, cap.* 24. & *lib.* 5. *cap.* 23. petitum, uti hæc omnia liquent ex deductis *cap.* 2. & 4. Unde integra adhuc manet illa Georgio valdè amica adverſùs Reformatos Doctores in hunc modum
67. formata argumentatio. In primis quinque vel ſex ſæculis ſtabat in Patribus, eorumquè ſcriptis vera & pura orthodoxa fidei doctrina, velut coguntur fateri Doctores Reformati apud Georgium in *Face Veritatis, Rat.* 4. *n.* 1. *uſque ad n.* 10. At ſancti Patres primorum quinque aut ſex ſæculorum unanimi conſenſu, præter Scripturas ſacras agnoſcebant Verbum Dei non ſcriptum ſub Traditionibus Divinis & Apoſtolicis in Eccleſiâ conſervatum, vti patet ex ſententijs Patrum *cap.* 3. *à n.* 38. adductis, faturquè de ſancto Auguſtino Calvinus à Georgio, *ubi ſupra*, citatus. Ergo ſecundùm veram & orthodoxam fidei doctrinam ipſiſmet Doctoribus Reformatis eluctari non valentibus, præter Scripturas ſacras in Eccleſiâ agnoſci debet Verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum.

68. *Secundò* Georgius in *cit. Rat.* 46. *exemplo* 24. inducit contradictionem Reformati,

Digitized by Google

formati Miniſterij circa iſtas Traditiones. Hoc autem ita prætermittit Vedroſius, ut ex ſuo ſilentio dignoſcatur planè convictus. Unde ſubſiſtit adhuc illa Georgij *cit. Rat. 6. n. 28.* inſinuata argumentatio in ſequentem formam redacta. Veterum & ſanctorum Patrum Orthodoxa & vera doctrina fuit pura & ſancta, uti Doctores Reformati Miniſterij *ubi ſupra* fateri coguntur. At ex contradictionibus Reformati Miniſterij circa Verbum Dei non ſcriptum conſtat, hujus Miniſterij doctrinam circa ipſum Dei Verbum non eſſe puram. Ergo ipſis nolentibus volentibus fateri coactis, eorum doctrina circa ipſum etiam Dei Verbum non eſt orthodoxa & vera fidei doctrina.

Tertiò Georgius *Rat. 8. Exemplo 5.* ex ſanctō Auguſtino oſtendit, Miniſterij Reformati Doctores illis ipſis argutiunculis pugnare adversùs Traditiones, ſeu Verbum Dei non ſcriptum, quibus Ariani ac Pelagiani olim utebantur. Hoc autem Vedroſius diluere non potuit, ſed directè reſpondere omiſit, uti ad oculum patet ex ipſius reſponſionibus *cit. cap. 2.* adductis. Unde ſubſiſtit adhuc illa per Georgium *cit. Rat. 8.* inſinuata argumentatio. Vera enim fidei & orthodoxa doctrina, ipſiſmet Doctoribus Reformatis fatentibus, ita habetur ex Patribus, ut conſequenter ſpuria & falſa ſit antiquorum hæreticorum doctrina, adverſus quam Patres ſcriptis ſuis pugnârunt. Atqui Traditiones Apoſtolicæ à Doctoribus Reformatis repudiantur ex illis ipſis argutiunculis, quas hæretici antiqui Ariani ac Pelagiani producebant, ut Patrum eos impugnantium tela declinarent. Quomodo igitur Reformati Miniſterij doctrina erit vera & Orthodoxa? 69.

Quartò deniquè Georgius *Ratione 24. Exemp. 1.* refutat Reformati Miniſterij argumenta contra Traditiones ex ſacris Litteris depromi ſolita, oſtenditquè, haſcè probationes ex ſiniſtrâ ſacræ Scripturæ interpretatione prodire. At contra hoc Vedroſius nihil poteſt, ſed eoſdem ſacros textus ſub interpretatione ſiniſtrâ, licèt per Georgium clarè refutatâ, reproducit, addendo iſta formalia: *Quidquid ogganniat Georgius.* Quaſi verò iſte Vedroſij gannitus debeat eſſe alicujus authoritatis, ut vel hinc credatur facta ſolutio argumenti oppoſiti. Unde manet adhuc Georgij argumentum ex *cit. Rat. 24. n. 90.* ſic formabile. Invertitur veræ Reformationis ordo, ubi non proceditur ex veræ ſacræ Scripturæ expoſitione. Ex Breitingero *Opuſc. de ſectis, pag. 40. Ital. Edit.* Atqui ex ſiniſtrâ ſacrorum textuum adversùs Verbum Dei non ſcriptum à Reformato Miniſterio adduci ſolitorum expoſitione patet, in hoc Miniſterio Reformato non eſſe veram, ſed abſurdam ſacrarum Litterarum expoſitionem. Ergo iſtud Miniſterium ſecundùm ipſammet Breitingeri definitionem, reipsâ non eſt Reformatum. 70.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SECTIO II.

An, & qualiter verum ſit, fidem Orthodoxam niti ſolo ſcripto Dei Verbo?

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

1. HIc Author in ſuâ Face *cit. Rat. 8. Exemplo 3.* ait: Reformatum Miniſterium continuò contendere, unicam in rebus fidei eſſe audiendam & ſequendam ſacram Scripturam. Hanc verò unicæ ſacræ Scripturæ jactantiam omnibus indifferenter hæreticis communem eſſe, fatentibus ipſiſmet Reformatis Miniſtris Bullingero *Decad. 5. ſerm. 1. §. Porrò.* & Scharpio *Curſ. Theolog. Cont. 10. de ſacr. Script. Reſp. 2. ad object. 23.* Non igitur aliam Doctrinæ ſpeciem penès Reformatã Eccleſiam eſſe, quàm ipſemet Reformatus ſpiritus cogatur concedere, hæreticis omnibus communem eſſe.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij Curienſis argutiæ.

2. HIc Reformatus Miniſter *in ſuo Manuali Antiquitatis ſect. 6. exam. exemp. 3* arguit 1. Promiſiſſet modò, quod G. preſſit, & cum tribulibus ſuis ſacram Scripturam omnium hæreſum cauſam, litium materiam, naſum cereum, ænigma Sphingis, folia Sybillæ, regulam Lesbiam ac plumbeam, quæ cuivis figuræ aptari poſſit, appellâſſet. Hujuſcemodi enim, & alijs emblematibus ſacram Scripturam exornare, ſolemne ijs eſt. Siccinè & adversùs Deum arietare auſit homuncio, & nobis ſummo vertere vitio, quòd à Dei ore & nutu unicè pendemus. Imò verò hæreſin hanc didicimus à Ieſu Chriſto, Prophetis, Apoſtolis, & primitivâ Eccleſiâ.

3. Arguit 2. Ex Prophetis. Nam Iſaiæ *cap. 8. v 19. & 20.* ſic habetur: *Nonnè populus Deum ſuum conſulturus eſt? Ad legem & teſtimonium, ſi non loquantur ſecundùm verbum illud, non erit eis aurora;* aurora beatæ cognitionis Dei in facie Ieſu Chriſti, nec aurora benedictæ proſperitatis, nec aurora Divinæ conſolationis in ærumnis, nec aurora æternæ beatitudinis poſt hanc vitam. Hinc Deus Deuteron. *17. v. 18. 19.* 20. *Quum rex inſidebit ſolio regni ſui, deſcribet ſibi exemplum legis hujus in libro, ex eo, qui erit in conſpectu ſacerdotum Leviticorum, eſtoquè penès eum, & legito in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Jehovam, Deum ſuum, obſervare omnia verba legis hujus, & ſtatuta iſta, faciendo ea.* Arguit

Digitized by Google

Arguit 3. Ex Chriſti Domini verbis, Lucæ *16. v. 29. 31. Habent Moſen, & Prophetas, audiant eos; ſi Moſen & Prophetas non audiunt, nè ſi quidem quiſpiam ex mortuis reſurgat, perſuadebuntur.* Ioan. *5. v. 39. Scrutamini, inveſtigate ſcripturas.* 4.

Arguit 4. Ex Apoſtolis, quos Auguſtinus *Chriſti manus* vocat *lib. 1. cap. ult. de conſenſ. Evangeliſt.* Nam Petrus *1. Epiſt. cap. 14. v. 11.* vult Doctores Eccleſiæ loqui *Eloquia Dei.* Hinc Symbolum ejus fuiſſe, Clemens Alexandrinus aſſerit: *Nil ſine ſcripturâ.* Paulus *Omne Dei conſilium annunciavit* Act. *20. v. 27.* Et tamen *omne ſuum præconium intra circulum Moſis & Prophetarum continuit. Act. 26. v. 22.* Et *2. Timoth. 3. v. 15. 17.* ait: Sacras Litteras *ſapientem reddere poſſe hominem ad ſalutem per fidem*, id eſt, fide receptas, *quæ eſt in Jeſu Chriſto*, & perfectum, & *perfectè inſtructum ad omne opus bonum*, id eſt, ita numeris omnibus abſolutum, ut nil eorum deſit, quibus opus habere poſſit. 5.

Arguit 5. Spiritum ſanctum non obſcurè Evangelica ſcripta conſtituere Canonem fidei. Joann. 20. v. 31. Et expreſſiſſimè Epiſtolas Paulinas *Galat. 6. v. 16. Philipp. 3. v. 16.* 6.

Arguit 6. Eccleſiæ primitivæ Doctorum adorabilem hîc eſſe conſenſum. Hi enim ſacram Scripturam vocant *Menſuram fallere neſciam*, omnis additionis aut diminutionis expertem. Baſilius *lib. 1. contra Eunom.* Irenæus *lib. 1. cap. 1.* eandem appellat *Canonem veritatis immobilem.* Et *lib. 3. cap. 1. Columnam & fundamentum fidei noſtræ.* Athanaſius *Anchoras & ſuſtentacula fidei noſtræ.* In Synopſi Chryſoſtomi *in Epiſt. ad Coloſſ. Homil. 9. Audite, obſecro vos, ô laici, parate vobis Biblia, animæ pharmaca. Malorum namque omnium hæc cauſa eſt, quòd ſcripturæ ignorentur.* Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei, cap. 41.* affirmat: *Canonem fidei in Prophetarum & Apoſtolorum libris figi, atque terminari.* Hiſcè & reliqui Patres accinunt omnes, Macarius, qui ſcripturam *Epiſtolam Regis Dei*; Irenæus, qui *Fontem pietatis univerſæ* nominant. Nec poteſt ab his abire Bellarminus, qui *lib. 1. de Verbo Dei, cap. 2. ſacram Scripturam regulam credendi certiſſimam, tutiſſimamquè eſſe agnoſcit.* 7.

Arguit 7. Tantùm abfuiſſe, ut ſe à Traditionibus Scripturæ, præter quas nullæ Traditiones Apoſtolicæ, ad Traditiones nõ ſcriptas abſtrahi paſſa ſit Eccleſia Dei, ut fatente Turriano Ieſuitâ *in Epiſt. præfixâ lib. Greg. de Valent. contra Ubiquit.* Athanaſius Traditiones humanas obtrudere, ſtatuat hæreſin eſſe, omnes alias hæreſes ſuperantem. Imò Traditiones proprias eſſe hæreticorum patrimonium, & apertam ſcaturiginem hæreſum. Unde Hieronymus *in cap. 1. Hagg. Sed & alia, quæ abſque authoritate & teſtimonio ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolicâ ſpontè reperiuntur, atque contingunt, percutit gladius Dei.* 8.

Arguit 8. Retorquendo fundamentum Georgij *pag. 148.* aſſerentis: *Communem eſſe omnibus hæreticis hanc de ſcripturis gloriationem.* Quid enim mirum, ait 9.

Vedroſius, cùm omnes haberi velint vera Eccleſia, omnes ſibi vendicare Veritatis unicam regulam & normam. Lex ideo non deſinit eſſe norma, quòd litigantium utraque pars ad eam provocet. Aliud eſt, ſcripturam jactare, aliud habere; aliud eam habere ad ſalutem, aliud ad ſpeciem; aliud Verbo Dei abuti, aliud eo rectè uti; aliud fundamento illi ſuperſtructum eſſe, quod Divina gratia nobis dedit; aliud nefariorum errore abductum à propriâ ſtabilitate excidiſſe; quod hæreticis & Papiſtis accidit.

CAPUT III.

Oſtenditur, inſignem latere æquivocationem in illo Reformatorum principio, quo dicitur, Fidem Orthodoxam niti ſolo ſcripto Dei Verbo.

10. EXplicatur. Nam primus ſenſus reddi poteſt, quòd in Eccleſiâ nullum extet Dei Verbum ab Apoſtolis traditum, & in mentibus fidelium per Spiritûs ſancti operationem ita expreſſum, ut ſub ipsâ fide ſupernaturali nō per lectionem Scripturæ, ſed mediante auditione Evangelij per gratiam Divinam conceptâ fuerit propagatum, hodiequè conſervatum, imò conſervandum in Eccleſiâ Dei, etiamſi nullæ Scripturæ ſacræ fuiſſent exaratæ. At iſtum ſenſum eſſe falſum, conſtat ex dictis *praced. ſect. cap. 3. probat. 3. ac ſeq.*

11. Secundus ſenſus reddi poteſt, quòd ubi ſacræ Litteræ ſunt conſcriptæ, nullum jam Dei Verbum extet in Eccleſiâ, niſi *formaliter* ac in *ſpecie* fuerit expreſſum ſacris Scripturis. At hujus falſitas probatur *cit. cap. 3. probat. 5.* confirmaturquè ſequenti argumento. Nam Catechiſmus Tigurinus *art. 56.* rectè profitetur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, ejuſdem cum Patre ac Filio ſubſtantiæ. Hujus autem veritatis fundamentum deſumit ex *Act. 5. v. 3. & 4.* In iſto verò ſacro textu habetur, quòd, ubi Petrus dixiſſet: *Anania, cur tentavit ſathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto*; mox ſubintulerit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* At ſub hiſcè verbis non *formaliter* ac *expreſſè* dicitur, Spiritus ſanctus eſſe Deus ejuſdem cum Patre ac Filio ſubſtantiæ. Quinimò Macedoniani ajebant, ex illo ſacro textu concludi duntaxat, quòd mendacium Spiritui ſancto tanquàm miniſtro Dei factum, per conſequentiam redundâric in ipſum Deum. Undè negabant, ex illis ſacris textibus inferri, quòd Spiritus ſanctus ſit ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, maximè cùm ipſi etiam Prophetæ, ad quos ſermo Dei factus eſt, Joan. 10. v. 34. dicantur Dij. Quam equidem hæreticorum reſponſionem non per formalia Scripturæ verba, per vivam tamen fidem in Eccleſiâ conſervatam, ceu traditum

Dei

Dei Verbum, ita licebat refutare, ut ex hoc ipſo tradito Verbo Divino inferretur præallegati ſacri Textûs verus ac genuinus ſenſus.

Idem porro Catechiſmus Tigurinus *cit. a. 56.* Spiritum ſanctum eſſe Paraclitum, probat ex Joannis *16. v. 26.* Ibi autem ſic habetur: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* At verò ex iſto, ac ſimilibus ſacris Textibus Patres in Eccleſiâ antiquâ, ſpeciatim Athanaſius in *Epiſt. ad Serapionem,* oſtendebant, proceſſionem Spiritûs ſancti non à Patre duntaxat, ſed etiam à Filio. Hæc autem Spiritûs ſancti à Filio proceſſio non *formaliter* eſt expreſſa illis verbis. Ut proinde iſta veritas erueretur ex illo ſacro Textu, præluxit Verbum Dei Traditum ſub ipsâ ſupernaturali fide in Eccleſiâ ſubſiſtens, veritatiſquè illius *formaliter* ac *expreſſè* enunciativum. Adhæc Lutherus *in Sermon. Convivalibus, tit. de Patriarch. & Proph.* ait: *Se non credere, omnia ita eſſe geſta, ut in libro Job referuntur.* Idem *in Prolog. ad Epiſt. Jacobi & Judæ,* Epiſtolas iſtas non agnoſcit pro Canonicis. Reijcit etiam Epiſtolam ad Hebræos *in Prologo hujus Epiſt.* Et *in Præfat. antiquiori novi Teſtamenti,* Apocalypſin judicat ſimilem libro quarto Eſdræ. E contrario verò Biblia Tigurina omnes illos libros pro Sacris & Canonicis proponunt. Prodeat ergo, ſi poſſit aliquis Reformatus Miniſter, & producat ſacras Litteras, in quibus hoc *formaliter* ac *expreſſè* affirmetur. 12. 13.

Tertius porrò ſenſus ita formari poteſt: quòd omne Dei Verbum etiam Traditum, contineatur *virtualiter, ſaltem in genere* ſacris Litteris. Quæ expoſitio tanquàm vera, eſt omninò admittenda. Tum quia Divina Canonicos ſacræ Scripturæ libros ab Apocryphis diſcernens Traditio eſt per modum quaſi principij cum ipſis ſacris Litteris concreta, eſtquè adeò in eis *virtualiter* contenta. Tum quia nulla eſt Traditio Divina, quæ non ſit vel *formaliter* expreſſa per ſacram Scripturam, vel per modum ſive principij, ſive concluſionis reduci poſſit in aliquem ſacrarum Litterarum textum. 14.

Quartus ſenſus eſſe poteſt, quòd ubi genuinus ſacrarum Litterarum ſenſus eſt patens, tanquàm verum Dei Verbum ſe ſolo ſit ſufficiens fidei ſupernaturalis motivum. Quod eatenùs eſt verum, ut tamen difficultas ſit, ex quibus credibilitatis argumentis eruatur genuina Textûs ſacri interpretatio. Nunquid enim Ariani ex eo, quòd Chriſtus dixerit, Patrem ſe majorem, negabant Filij cum Patre Conſubſtantialitatem. Quibus dum opponebantur alij ſacri Textus, hos per alia Divinæ Scripturæ verba eludere conabantur: & quia fidem ſolo ſcripto Dei Verbo niti vociferabantur, in ſe ipſis nunquam reddebantur Divinæ lucis ac fidei Orthodoxæ participes. Unde ergo verus tandem ſacræ Scripturæ ſenſus circa Filij cum Patre Con- 15.

ſubſtantialitatem, fuit in Eccleſiâ Dei agnitus, ut ſacris Litteris non jam fie-
ret illuſio, ſed ipſis tanquàm vero Dei Verbo haberetur fides ſupernatura-
lis? Certè Divus Baſilius *Hom. 28. contra Sabellium, Arium, & Anomæos*, in hoc
ac ſimili pugnandi genere recurrit ad Traditionem Dominicam ab Apoſto-
lis prædicatam, Patribus obſervatam, & à Martyribus confirmatam.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ ſupra *cap. 2.* expoſitæ.

16. AD *primam* Reſpondetur. Nihil in eâ contineri, niſi puras erga Ca-
tholicos calumnias, & graviſſimas in Chriſtum, Prophetas, Apo-
ſtolos, & primitivam Eccleſiam blaſphemias. Quis enim Catholi-
corum ſacram Scripturam aſſerit cauſam hæreſum, litium materiam, na-
ſum cereum? Oportuiſſet te, Vedroſi, noſſe, formam & animam ſacro-
rum textuum eſſe ſenſum à Spiritu ſancto intentum, inſtar theſauri in Ec-
cleſiæ ſanctæ agro latentis eruendum. At quibus medijs? Nunquid ſolo
tuo privato ſpiritu? ſive ut Heideggerus in *ſuis Vindicijs n. 2.* ait, propria cu-
juſque conſcientiæ inſtinctu? Hunc, hunc privatum ſpiritum ac inſtin-
ctum omnibus hæreticis familiarem, ac vero ſacrarum Litterarum ſenſui
prædominantem, nos Orthodoxi dicimus, ſacræ Scripturæ per verum à
Spiritu ſancto intentum ſenſum ceu animam immobiliter ſubſiſtenti affin-
gere naſum cereum, facereque eam regulam Lesbiam, ac plumbeam cui-
vis figuræ adaptabilem, itàque reddere eam cauſam hæreſum & materiam
17. litium. Quare Georgius, dum vos tanquàm Scripturæ ſoliùs inanes jacta-
tores exagitat, vobis non vertit vitio, quòd à Dei ore & nutu unicè pen-
deatis, ſed quòd Verbi Divini ſenſum ſpiritui veſtro privato ſubjciatis.
Quod non tantum ſimplex hæreſis eſt, ſed origo omnium hæreſum. Ne-
que Vedroſius, niſi per ſummam blaſphemiam dicere potuit, hanc ſe tæt e-
ſin didiciſſe à Jeſu Chriſto, Prophetis, Apoſtolis, & primitivâ Eccleſiâ. Sed
audiamus ipſius ſacrilegas de hoc probationes.

18. Ad *ſecundum* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, unde populus Judai-
cus, vel ejus Rex agnoſcere potuerit, libros in ſuo catu aſſervatos eſſe
Divinitùs ſcriptos, ut ex eis depromendo, & obſervando Dei legem ac te-
ſtimonium, pararet ſibi auroram benedictionis? Quòd ſi aſſerat, id ex ali-
quo ſacræ Scripturæ textu oſtendi potuiſſe, redibit quæſtio, unde nove-
rint Iſraelitæ, hunc ipſum textum eſſe ex libro canonico, non autem ſup-
poſititio? Sanè niſi ad Traditionem cum Magiſtro tuo Calvino *præcd. ſect.
n. 14.* adducto deſcendas, inſtar cæcutientis ſemper palpitabis. Vides igitur

ſub

ſub his ipſis quoque textibus quà ſacris recipiendis, per modum principij verorum ſacræ Scripturæ librorum ab Apocryphis diſtinctivi, oportere interveniſſe Traditionem Divinam, ſeu Verbum Dei non ſcriptum. Sed diſſimulare hîc non poſſum, quòd per præſentem tuam argutiam ex aſſertione legis ſcriptæ arguas excluſionem Verbi Divini non ſcripti, à particulari ad particulare diſparatum procedendo, ex propoſitione affirmativâ ad inferendam concluſionem negativam. Quod argumentandi genus nulla hactenùs agnovit Dialectica.

Ad *tertiam* Reſpondetur. Inaniter procedi ex affirmativâ ad negativam, de uno particulari ad aliud diſparatum particulare inferendum. Sed quid, Vedroſi? Chriſtus præcepit ſcrutari Scripturas, & audire Moyſen & Prophetas. At impoſſibile eſt, ſcrutari Scripturas tanquàm Divinas, audireque Moyſen & Prophetas, niſi de horum libris ſit certitudo ex ipſo Dei Verbo reſultans. Hoc autem Dei Verbum verorum ſacræ Scripturæ librorum oſtenſivum ſe habet per modum principij ad Scripturarum Divinarum receptionem, ac fidem eiſdem quà Divinitùs ſcriptis habendam. Unde antecedenter ad Dei Verbum ſcriptum eſt movens; nec adeò *formaliter* contentum ſacris Litteris. Vides igitur, Chriſtum præcipiendo perſcrutationem Scripturarum, *implicitè* mandâſſe fidem Verbo Dei non ſcripto, ſeu Traditioni verorum ſacræ Scripturæ librorum oſtenſivæ eatenùs adhibendam, ut hæc ipſa fides eſſet principium, quo mediante deveniretur ad Divinam circa ſacros textus fidem habendam. Adhæc Chriſtus præcipit ſcrutari Scripturas non in cortice litteræ, ſed in ſenſu per Spiritum ſanctum intento. At iſte ſenſus non ex privato ſpiritu omnibus hæreſiarchis proprio invenitur. Unde ergo eruitur, niſi ex Apoſtolorum Divinitùs inſpiratorum intellectu per Traditionem, ſub ipsâ ſupernaturali fide *principaliter*, ſub Patrum verò ſcriptis *inſtrumentaliter* in Eccleſiâ Dei conſervatam & propagatam? veluti patet ex dictis. Si ergo is, qui vult medium, vult etiam finem, oportet, Chriſtum, dum Scripturas ſub vero Spiritûs ſancti ſenſu ſcrutari præcepit, mandâſſe quoque Traditum Dei Verbum, veri de fidei fundamentalibus articulis ſensûs oſtenſivum.

19.

20.

Ad *quartam* Reſp. Retorquendo argumentum. Nam 1 Petrus *1. cap. 4. v. 11.* vult, Doctores Eccleſiæ loqui eloquia Dei. At Petro fuerant credita eloquia Dei *primariò* non per Scripturam, ſed per vivam Chriſti vocem, ipſeque Evangelium non ſcripſit, ſed duas duntaxat Epiſtolas, nec in eo, quod Marcus Petri Diſcipulus Divo Hieronymo *De Script. Eccleſiaſt.* teſte, breve ſcripſit Evangelium, omnia Chriſti verba & facta ſunt expreſſa. Si ergo eloquia Dei eloqui non licet abſque Scripturâ, quomodò Petrus mu- 21.

neri ſuo Apoſtolico ſatisfecit? Unde ergo, Vedroſi, deprompſiſti illud Petri Symbolum: *Nil ſine ſcripturâ*? An ex Clemente Alexandrino? Sed ſi ita eſt, oſtende librum, & allega locum, in quo iſtud Symbolum extet, nè tenebras videaris amâſſe, dum citationem loci prætermittis. Verùm dato, Clementem Alexandrinum iſtius Symboli (omnia fidei Myſteria ſacris Litteris vel *formaliter*, vel *virtualiter* contineri aſſerentis) mentionem alicubi feciſſe; quæro ex te, an alicubi in ſacris Litteris extet tale Petri Symbolum? At quia id oſtendere non potes, nunquid allegas pro ſancti Petri Divinitùs utiquè accepto ſymbolo, quod tamen nullibi ſcriptum reperiatur? Quo igitur jure licebit tibi hoc ſymbolo Litteris ſacris non exarato uti? Vides, quàm cæcutias, dum fugiendo Traditionem in eam incidis.

22. 2. Paulus *Act. 20. v. 27.* dixit, ſe omne conſilium Dei annuntiaſſe. At hanc ipſam annuntiationem oretenùs expreſſit, non litteris. *Ex loco proximè citato.* Inſuper *2. Theſſal. 2. v. 14.* ait, tenendas Traditiones ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem edoctas. Non ergo Paulus omne conſilium Dei

23. annuntiavit ſcriptis, ſed vivæ præſertim vocis oraculis. Sed advertenda hîc venit Vedroſij fraus, dum ex *Act. 26. v. 22.* probat, Paulum *Omne præconium ſuum intra circuitum Moyſis & Prophetarum* continuiſſe. Nunquid enim ex contextu patet, Paulum *ibi* locutum fuiſſe non de omnibus (uti Vedroſius, omittendo contextum, perſuadere conatur) ſed de aliquibus duntaxat fidei articulis, nempè de Chriſti Paſſione, ejuſque Reſurrectione, & Lumine populis ac Gentilibus annuntiato? Nunquid etiam Paulus *ibidem* uſus argumento ad hominem, allegavit Moyſen & Prophetas unicè receptos à Judæis? At verò horum interpretationem ad Chriſti myſteria non jam ut futura, ſed ut peracta reſtrictam non ex ipſiſſimet libris Propheticis & Moſaicis, utpote Myſteria ejuſmodi ut futura duntaxat innuentibus, prædicavit, annunciando illud ipſum Lumen, quod ex Chriſti ore, ut populis ac Gentibus prædicaretur, non per ſcriptum Evangelium, quod tunc in manibus Pauli tunc minimè verſatum, ſed vivæ fidei Traditionibus erat propagatum. Vides igitur Vedroſi, te allegando illum ſacrum Textum, non eſſe fraudis expertem.

24. 3. Optimè ex *2. Timoth. 3. v. 15. & 17.* aſſeris, ſacras Litteras ſapientem poſſe reddere hominem ad ſalutem per fidem, id eſt fide receptas. Id ſemel igitur fateris, ad hoc, ut ſacræ Litteræ poſſint reddere ſapientem ad ſalutem, & perfectum ad omne opus bonum &c. prærequiri fidem, per quam receptæ ſunt ſacræ Litteræ. At iſta fide, qua receptæ ſunt ſacræ Litteræ, utpote prævia ad verum ſenſum ex Scripturis eruendum, non poteſt eſſe ex formali atteſtatione textus ſcripti. Eo ipſo tamen, quòd fides

ſine

ſine ſuo Motivo formali ac ſpecificativo ſubſiſtere non poſſit, oportet eſſe ex Verbo Dei. Cùm igitur iſtud Dei Verbum, nec non fides ſacrarum Litterarum receptiva, ſint prævia ad Scripturæ receptionem, evidenter ſequitur, dari Verbum Dei non ſcriptum.

Ad *quintam* Reſp. Inſignem *ibi* contineri ineptiam ac deceptionem. Quis enim Catholicorum negat, ſacras Litteras eſſe fidei canonem? Hoc enim ſolummodò dicunt, hunc fidei canonem non contineri Verbo ſcripto duntaxat, ſed etiam Tradito, & per vivam fidem Divinitùs propagato in Eccleſiâ. At hoc ipſum probant ſacræ Litteræ *præced. ſect. cap. 3. probat.* 5. adductæ. En igitur Vedroſi, noſtram aſſertionem ex Scripturis Divinis probatam, cùm tamen ex nullo ſacro Textu poſſis demonſtrare, quòd tibi & aſſeclis tuis licuerit, Spiritûs ſancti verbis Scripturam ſacram fidei canonem appellantibus addere particulam *ſolùm*. Oſtende enim ſi potes, ullibi in Scripturis Canonicis extare iſtud tuum principium, quòd *ſola Scriptura ſit canon fidei.* 25.

Ad *ſextam* Reſp. Concedendo omnia. Sed quid poſtea? Nunquid opus eſt applicatione hujus regulæ, canonis, menſuræ, & anchoræ fidei, ut veritatem Divinam exinde teneas? Nunquid tu ipſemet exigis Scripturas priùs eſſe fide receptas, quàm ut ſapientem ad ſalutem reddere valeant? Nunquid ex dictis *ſuprà* conſtat, iſtam fidem niti debere Verbo Dei non jam ſcripto, ſed tradito? Nunquid ſecutâ iſtâ ſacrarum Litterarum per fidem receptione, opus eſt legitimo per Spiritum ſanctum intento ſenſu, ut huic tutò quis inniti poſſit? At inter tot ſacrorum Textuum in ſubſtantialibus etiam fidei articulis ab ipſiſmet olim jam damnatis hæreticis ventilatas expoſitiones, unde dignoſcetur verus à Spiritu ſancto intentus ſenſus? Scio equidem Heideggerum in *ſuis Theolog. Reformat. Vindicijs n. 2. circa initium* una tecum contendere, fidem veſtram non aliud habere fundamentum, quàm Verbi Dei, propriæquè conſcientiæ ſenſui inniti. At nunquid hoc eſt aliam fidei regulam, canonem, & fidei anchoram præter ſacras Litteras agnoſcere? De hac igitur regulâ nobis eſt vobiſcum diſputatio, an non ſit fallax, diſſenſionum, ac hæreſum genitrix ac nutrix, & ab hæreſiarchis pridem proſcriptis jactata? Nihil ergo Pontificij decernunt adversùs Verbum Dei etiam ſcriptum, ſed fallacem illam Verbi Dei applicationem ſolo cuiuſquè conſcientiæ ſenſui & arbitrio innixam cupiunt eliminatam. 26.

Ad *ſeptimam* reſpondetur. Sophiſticè ibi procedere Vedroſium, dum loco Apoſtolicarum ex ipſo Dei ore acceptarum, & in Eccleſiâ propagatarum Traditionum ſupponit Traditiones humanas ac hæreticis proprias. 27.

Has

Has enim utpote & ab ipſiſmet hæreſiarchis ſpontè repertas & confictas, ait Hieronymus *citatus*, percutere gladium Dei. At nunquid repudiatâ ſacræ Scripturæ per Eccleſiam Romanam uſurpatâ editione, Reformata Eccleſia varias jam edidit verſiones tanquàm legitimas & canonicas? Ubi autem iſta circa huius in ſpecie editionis approbationem Traditio fundatur teſtimonio ſacræ Scripturæ? An non igitur iſta Traditio ſpontè reperta eſt? Nunquid Reformati Doctores pro fidei regulâ iactitant propriæ conſcientiæ ſenſum, eliminato multorum conſenſu? Ubi autem in ſacris Litteris expreſſa eſt iſta traditio? Nunquid Reformati Doctores cum Calvino *lib. 2. Inſtit. cap. 8. §. 5. 8.* docent, nullum eſſe peccatum veniale, ſed quando vel in minimo cupiditas animum pungit, vel titillat, maledictionem Dei mereri? Ubi autem aliquo ſacro textu aſſerta eſt iſta in Pelagianis olim iam damnata traditio? Nunquid Reformati Doctores cum Calvino *lib. 2. Inſtit. cap. 7. §. 5.* tradunt, impoſſibile eſſe, ſervare Dei præcepta? Ubi autem in ſacrâ Scripturâ habetur iſta traditio? Vides igitur, in Reformatâ, non autem in Pontificiâ Eccleſiâ jactari Traditiones ſpontè repertas ſeu confictas, quas adeò percutiat gladius Dei.

28. Ad *octavam* Reſp. Per retorſionem. Nam fatetur Vedroſius, hæreticis omnibus comunem eſſe illam de Scripturis gloriationem, eò quòd omnes haberi velint vera Eccleſia, omneſq; ſibi vendicent unicam Veritatis regulam & normam. At ex hoc ipſo, quòd verbo Dei non ſcripto, Eccleſiæq; circa legitimũ ſacræ Scripturæ ſenſum eruendum auctoritate reiectis, ſoloq; propriæ conſcientiæ ſenſu admiſſo, ſacram Scripturam pro unicâ Veritatis regulâ ſibi vendicârint, accidit, ut hæretici antiqui iactarent, non autem haberent ad ſalutem, ſed ad ſpeciem duntaxat ſacras Litteras, neque Verbo Dei rectè uterentur, ſed abuterentur; nec adeò fundamento Verbi Dei ſuperſtructi eſſent, ſed errore nefariorum abducti, à propriâ ſtabilitate exciderent. Caveant ergo Reformatæ Eccleſiæ Miniſtri, nè ipſis ſoli propriæ conſcientiæ ſenſui circa ſacræ Scripturæ expoſitionem innitentibus accidat,
29. quod omnibus antiquioribus hæreſiarchis evenit. Nunquid enim vana de ſacrâ Scripturâ jactatio & gloriatio eſt, ſi eius expoſitio nitatur regulâ in ſacris Litteris non fundatâ. At ubi in ſacrâ Scripturâ habetur, Reformatorum Doctorum expoſitionem proprio cuiuſq; ſenſui innitentem, eſſe verã? Quinimò, vbi in ſacris Litteris traditur, fidem veram & Orthodoxam ſeu Catholicam inniti proprio cuiuſq; ſenſui? Nunquid igitur Reformatæ Eccleſiæ fides innititur regulæ, per quam vana de ſacris Litteris eſt gloriatio & jactatio? Et verò ex hoc ipſo proprij ſenſûs judicio ac regulâ evenit, ut Calvinus *lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 8. & alibi* ex libris Canonicis expunxerit libros Sapientiæ, To-

biæ,

tized by Google

biæ, Iudith, Baruch, Eccleſiaſtici & duos Machabæorum: quos tamen in ſuis Biblijs, addito etiam tertio Machabæorum libro, poſuit Eccleſia Tigurina, licèt hos, & alios in fronte Bibliorum de Anno 1638. inter Apocryphos numeret, nullo ad hujus probationem allegato ſacro Textu; ſed proprij duntaxat judicij ſenſum præſeferendo. Inſuper Lutherus in ſuis Biblijs *Edit. Wittenberg. Anno* 1546. *& Francofurt.* 1583. epiſtolam ad Hebræos à Calvino tamen agnitam, nec Pauli, nec alterius Apoſtoli eſſe contendit, eliminatis etiam, ſed à Tigurino Miniſterio receptis Jacobi, & Judæ, nec non Apocalypſi, imò & tertiâ epiſtolâ Joannis. Si proinde ex eo, quòd Reformatæ Eccleſiæ fides pro fundamento habeat Verbum Dei, quà propriæ conſcientiæ ſenſui innixum, accidit, ut in integris Canonicis libris dignoſcendis involverentur tantis contradictionibus, quomodò circa particulares cuiuſque libri textus, eorumquè ſenſus convenient, quò minùs infinitis contrarietatum periculis ſint obnoxij? Unde ergo tuti erunt, quòd ſacrâ Scripturâ rectè utantur, non verò abutantur? Unde ſe antiquis hæreticis æquè de gratiâ Divinâ ſibi illucente ſe iactantibus, ſe meliores probabunt? 30.

COROLLARIUM.

INfertur ex dictis. Georgij Rhæti *præſ. ſect. cap.* 1. expoſitam argumentationem nullatenùs eſſe ſolutam à Vedroſio, ſed integram adhuc perſiſtere. Nam unicæ ſacræ Scripturæ iactantiam eſſe communem omnibus indifferenter hæreticis, fatentur ipſimet Reformati Miniſtri. At non eſt tuta illa regula, quæ non tantùm *materialiter*, ſed etiam *formaliter* ut ſic omnibus hæreticis eſt communis. Illa verò unicæ Scripturæ iactantia agnoſcebat ſacram Scripturam pro fidei fundamento, quatenus unico proprio cuiuſquè conſcientiæ ſenſui innitebatur. Hinc autem fiebat, ut in ſubſtantialibus etiam fidei articulis mira eſſet hæreticorum contradictio. Nequè verò minorem in Reformatâ Eccleſiâ eſſe circa ipſoſmet fidei articulos contradictionem ex iſto proprio cuiuſquè ſenſu, ceu ſacræ Scripturæ ac fidei regulâ exortum, patebit ex dicendis *infra*. Quomodò igitur alia doctrinæ ſpecies erit in Reformatâ Eccleſiâ, niſi quam ipſemet Reformatus ſpiritus cogatur concedere, omnibus hæreticis communem eſſe? Maximè cùm nullum ferè dogma nunc extet in Reformatâ Eccleſiâ, quod non ab aliquo antiquitùs jam damnato hæreſiarchâ ſit traditum, *velut infra conſtabit.*

SECTIO

SECTIO III.

An, & qualiter verum ſit, quòd ſacra Scriptura ex ſe ſit adeò clara & perſpicua, ut ad ejus legitimum ſenſum eruendum non ſit opus ulteriori fidei regulâ?

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

1. HIc Author *cit. Rat. 8. Exemp. 4.* ait: Reformatum Miniſterium paſſim oſtendere, quòd ſacra Scriptura adeò clara & perſpicua ſit in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſarijs, ut unuſquiſque Idiota tales materias ex ijs facilè dijudicare poſſit. At hoc ipſum in ſuorum errorum defenſionem, teſte Petro Martyre Vermilio *Tract. de Sacram. Eucharist. pag. 124. 125. & 126.* jactare ſolere hæreticos.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij Curienſis.

2. HIc Reformatus Miniſter *cit. ſect. 6. in exam. Rat. 8. exempl. 4.* ſic arguit 1. Quòd ad ſacræ Scripturæ perſpicuitatem attinet; ultrò cum Hieronymo in *cap. 1. epiſt. ad Galatas* fatemur, *Evangelium non in verbis Scripturarum, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medullâ: non in ſermonum folijs, ſed in rationis radice eſſe.* Quæ & Petri Martyris noſtri à Georgio *cit. pag.* 149. adducti ſententia eſt.

3. Arguit 2. Nec ita perſpicuam ſe dicere Scripturam, ut unuſquiſque idiota eam in ijs, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſalutariter intelligat; ſed hoc ſe contendere, quamvis in ſacrâ Scripturâ non pauci difficiles intellectu ſibi occurrant loci, ipſam tamen à cunctis fidelibus & regenitis, ut ut cæterà rudibus, adhibitis precibus & debitâ attentione, legi poſſe, & intelligi in abſolutè neceſſarijs, ijſquè pro modulo fidei ſuæ claram eſſe & perſpicuam.

4. Arguit 3. Hinc ſacram Scripturam Luci comparari *Pſalm. 118. v. 105.* & *2. Petri 1. v. 19.* non tantùm *ſubjectivè, & in ſe,* ſed potiſſimùm *effectivè, & in nobis,* noſtros illuminantem oculos. Quod Scripturæ elogium non ſolùm placuiſſe Chryſoſtomo, qui doctrinam Evangelij Joannis tot myſterijs refertam ſolis radijs clariorem, atque illuſtriorem pronunciârit *Hom. 1. in Evang. Joann. 5.*

Verùm

Verùm etiam Ariæ Montano homini Pontificio *in Præfat. oper. Regij. Hæc* (Scriptura) inquienti, *lux eſt, quæ humanam illuſtrans mentem omnium neceſſariarum rerum veritatem docet.* Uno verbo hîc acquieſcendum eſſe pronuntiato Gregorij dicentis: *Scripturam habere in publico, unde parvulos nutriat, ſicut ſervet in ſecreto, unde mentes ſublimium in admirationem ſuſpendat: quaſi quendam quippe eſſe fluvium planum & altum, in quo & Agnus ambulet, & Elephas natet.*

Arguit 4. Neque aliò ſpectare ea, quæ de perſpicuitate Scripturæ diſputantur, quàm nè inſuperabilis obſcuritatis prætextu ab ejus lectione & meditatione fideles deterreantur, aut ad aliud tribunal in rebus fidei & ſalutis abducantur. *Quòd ſi verò opertum eſt Evangelium noſtrum, iis, qui pereunt, opertum eſt, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes,* nempè in infidelibus, *2. Corinth. 4. v. 3. & 4.* 5.

CAPUT III.

Oſtenditur, vanam & inanem eſſe Doctorum Reformatorum de ſacræ Scripturæ claritate ac perſpicuitate jactantiam.

EXplicatur. Nam ſacra Scriptura inprimis cõſiderari poteſt *abſolutè* in ſe ipsâ. Ut ſic autem nihil aliud eſt, quàm voces ex placito hominũ inſtitutæ, Divinitùs tamen aſſumptæ, ac juſſu Dei ab hominibus Sanctis, ceu Spiritûs ſancti inſtrumentis conſcriptæ ac expreſſæ, ſub quibus contineãtur revelationes Divinæ, Myſteriorũ in ſapientiâ ac ſcientiâ Dei reconditorũ, hominibus manifeſtativæ. Sub hac autẽ manifeſtatione illucet lux Divinæ Veritatis, tum ratione rei ſignificatæ, tum ratione ipſius quoq; ſignificationis. Nam ſi res ſignificata ſit myſterium increatum, tunc eſt ipſa lux Divinitatis, ſeu Eſſentiæ, atq; adeò Veritatis Divinæ. Si verò res ſignificata ſit myſterium creatum, tunc mediante revelatione Divinâ non aliter manifeſtatur credendum, niſi in ipſâmet æternâ Dei Veritate revelante, ceu formali fidei ſupernaturalis Motivo; atque adeò ſub tali revelatione illucet ipſa Divinæ Sapientiæ claritas ac ſplendor infinitus. Inſuper vocum ſacris Litteris exaratarum ſignificatio, eo ipſo, quòd ab ipſomet Spiritu ſancto ſit inſpirata, habet ſibi conjunctam Divinæ lucis claritatem ac certitudinem, limpiciſſimo Veritatis immobilis ſplendore relucentem. Si proinde ſacra Scriptura in ſe ipsâ ſpectetur *abſolutè*, negari non poteſt, eſſe lucidiorem ac evidentiorem omni creatâ ſcientiâ, utpotè quæ *proximè* ac *immediatè* reſolvatur in Divini luminis increatam evidentiã, tanquàm formale fidei Scripturarum ſacrarum receptivæ Motivum ſpecificativum. Deinde ſacra Scriptura

6.

7.

8.

 conſide-

conſiderari poteſt *comparatè* ac *reſpectivè* in *ordine ad noſtrum intellectum.* At quemadmodum ſplendor Solis in ſe vel maximè lucidus ſui fulgoris exceſſu oculorum noſtrorum acies obtundit & obfuſcat, niſi mediantibus ſpeculis viſus confortetur, vel ſolaris ſplendoris radij attemperentur: ſic ad Divinæ per Scripturas ſacras expreſſæ Veritatis lucem, oportet, intellectûs noſtri vires, utpote de ſe improportionatas, attemperari ac proportionari, ut veritatis ejuſmodi capax fiat, uti probationes ſequentes elucidabunt.

Probatio prima. Ex ipſamet ſacrarum Litterarum naturâ petita.

9. NAm ſub ſacris Litteris continentur Myſteria v. g. Trinitatis Perſonarum in unâ Eſſentiâ, nec non duarum Divinæ & Humanæ Naturæ in unâ Verbi Hypoſtaſi unionis perſonalis, quæ intellectûs noſtri proportionem infinitè excedunt. Oportet igitur, intellectum noſtrum elevari lumine ſupernaturali, ut illorum myſteriorum certitudinem capere poſſit. Etſi verò aliquæ veritates Scripturis ſacris expreſſæ ſint de rebus creatis, harum tamen ratio formalis ſub quâ per Scripturas Divinas manifeſtantur noſtro intellectui, non eſt alia, quàm ipſa Dei ſapientia revelans. Ad hanc verò quà in ſe ſubſiſtentem increatam Sapientiam nequit aſcendere intellectus creatus, niſi mediante lumine Divinitùs infuſo. Hoc verò lumen eſt ipſa fides ſupernaturalis. Unde ipſe quoque Vedroſius *ſupra citatus* ait, Scripturas ſacras non niſi fide receptas poſſe hominem reddere ſapientem. Hæc autem fides, utpote ſacrarum Litterarum receptione anterior, non jam poteſt eſſe genita ex Divinis Scripturis: eo ipſo tamen, quòd fides Divina *eſſentialiter* innitatur Verbo Dei, oportet, extare Verbum Divinum ſacris Litteris anterius, atque ideò non ſcriptum. Nequeunt proinde ſacræ Litteræ ad noſtrum intellectum, ut ab iſto recipiantur, proportionari, niſi ſub
10. quodam prævio non ſcripto Dei Verbo. Adhæc quodcunque Divinum Verbum, dum peregrinamur à Domino, non habet evidentiam Dei atteſtantis, ſed, teſte Apoſtolo *1. Corinth. 13. v. 12.* eſt ad inſtar ænigmatici ſpeculi. At eo ipſo, quòd tale Dei Verbum ſe ſolo nec in ſe ipſo, nec in Deo atteſtante habeat evidentiam, non poteſt ſe ſolo eſſe Motivum intellectûs ad ſui aſſenſum. Oportet proinde, noſtro per fidem ſupernaturalem inſtructo intellectui applicari per imperium voluntatis captivantis *intellectum in Chriſti* ſeu fidei *obſequium, &c. 2. Corinth. 10. v. 5* At hæc ipſum voluntatis imperium debet eſſe prudens, nè abſque ratione & prudentiali credibilitatis evidentiâ, atque adeò *Citò* credens levis ſit corde. *Eccleſiaſt. 19. v. 4.* Hæc autem credibilitatis evidentia non ex proprio cujuſque ſenſu, ſed ex alijs *ſequenti*

Diſſer-

Diſſertatione exponendis rationibus prudentialibus deſumenda eſt. Vides igitur, ad hoc, ut Verbum Dei ſcriptum ſuo Claritatis ac lucis Divinæ fulgore aciem creatam intellectualem infinitè ſuperans, intellectui noſtro proportionetur, opus eſſe non uno, ſed pluribus adminiculis Divinis. Falſum proinde eſt, quòd ſacra Scriptura ex ſe ita ſit perſpicua noſtro intellectui, ut cuique eam ſcrutanti abſque ulteriori adminiculo ſit patens, in ſubſtantialibus etiam fidei, ſcilicèt de Trinitate ac Incarnatione Divinâ, myſterijs.

Probatio ſecunda, ex modis, ſub quibus ſacræ Litteræ Divinarum rerum ſunt expreſſivæ, deſumpta.

ETenim Spiritus ſanctus in ſacris Litteris ſæpè uſus eſt figuris ac modis loquendi, tanquàm inſtrumentarijs Divinarum manifeſtationum ſignis, quæ non niſi per artes liberales rudibus ac indoctis incognitas agnoſci queunt. In eruendis proinde ſacrorum Textuum ſenſibus eatenùs opus eſt artibus liberalibus, ut hæ ipſæ tamen, utpote æquivocationibus, varijſquè fallacijs expoſitæ, debeant dirigi à ſublimiori quâdam ac infallibili regulâ. Hæc verò non eſt proprius cujuſque conſcientiæ ſenſus, utpote deceptioni vel maximè obnoxius, ſed eſt illa ipſa regula, ſuper quâ *ſequenti Diſſertatione* dicemus, poſſe fundari prudentialem credibilitatis evidentiam fidei ſupernaturâli præviam. Patet igitur, ſacram Scripturam ex hoc etiam capite non adeò perſpicuam eſſe, ut abſque omnibus alijs extrinſecis adminiculis à quovis etiam rudi ac indocto intelligi poſſit. 11.

Probatio tertia, petita ab Authoritate.

NAm Divus Petrus 2. *ſuæ Epiſt. cap. ult. v. 16.* aſſerit, in Epiſtolis Pauli *eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravent.* At inter hæc ſanctus Auguſtinus licèt doctiſſimus *lib. de fide & operibus cap. 15. & 16.* faſſus eſt, eſſe duodecimum 1. *Corinth. 3.* verſum ſibi quoquè difficillimum. Adhæc *Lucæ ult.* Dominus ſuis Diſcipulis eſt interpretatus Scripturas. At quid opus erat interpretatione, ſi quibuſvis fidelibus ſint ſe ipſis patentes? Unde etiam Eunuchus reginæ Æthiopum verſatus in Scripturis ſacris, fuit à Philippo *Act. 8.* interrogatus: *Putas, intelligis, quæ legis?* At hic reſpondit: *Et quomodò poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Hinc Patres obſcuritatem ac difficultatem ſacrarum Litterarum diſertis verbis adſtruunt; ſpeciatim Irenæus *lib. 2. cap. 24.* Origenes *lib. 7. contra Celſum.* Baſilius & Gregorius Nanzianzenus apud Ruffinum *lib. 11. Hiſtor. cap. 9.* Chryſoſtomus *Hom. 40. in Ioann.* Ambroſius *in epiſt. 44. ad Conſtantium.* Auguſtinus *lib. 2. doct. Chriſtian.* Item *lib. 12. Confeſſ. cap. 14.* Gregorius *Homil. 6. in Ezech.* 12.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij *ſupra cap. 2.* expoſitæ.

13. AD *primam* Reſpondetur per retorſionem. Nam Petri Martyris citati eandem cum Hieronymo, *Evangelium non in verbis, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medullâ & rationis radice exiſtere*, profitente, ſententiam eſſe, reſpondit Vedroſius. At eo ipſo, quòd Ariani, Sabelliani, ac Ebionitæ clarum ſacræ Scripturæ ſenſum ex proprio judicio jactando ac ſequendo, teſte Petro Martyre *citato* in perniciosiſſimas partim Conſubſtantialitatem Filij, partim Divinarum perſonarum Diſtinctionem, partim Divinitatem abnegantes, hæreſes inciderint; nequit proprij cujuſque judicij ſeu conſcientiæ ſenſus eſſe rationis radix, ac medulla legitimum ſacrarum Litterarum ſenſum continens. Cùm igitur Reformatum Miniſterium claritatem ſacræ Scripturæ jactitando, contendat hujus intellectum ac fidem proprio cujuſquè conſcientiæ ſenſui inniti, evidenter ſequitur, hoc Miniſterium non aſſequi rationis radicem ac medullam legitimi à Spiritu ſancto intenti ſenſûs.

14. Ad *ſecundam* Reſp. reaſſumendo argumentum. Nam Vedroſius *ibi* fatetur, ſacram Scripturam non ita perſpicuam eſſe, ut unuſquiſque idiota eam in ijs, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, poſſit ſalubriter intelligere. At ſacra Littera ſecundùm Doctores Reformatos ita eſt unica fidei regula, ut non niſi proprio cuiuſquè conſcientiæ ſenſui innitatur. Nequit ergo hic proprius cuiuſquè conſcientiæ ſenſus eſſe medium infallibile ad ſacram Scripturam ceu unicam fidei regulam in ijs, quæ neceſſaria
15. ſunt ad ſalutem, ſalubriter intelligendam. Nec obeſt, quòd Vedroſius ſubijciat, ſacram Scripturam, quamvis non pauci difficiles in eâ occurrant loci, poſſe à cunctis fidelibus & regenitis, ut ut cæterà rudibus, adhibitis precibus, & debitâ attentione, legi ac intelligi, in abſolutè neceſſarijs, ijſquè pro modulo fidei ſuæ claram eſſe ac perſpicuam.

Nam eo ipſo, quòd pro modulo fidei duntaxat clara ſit & perſpicua, oportet, ipſam ſupponere fidem, ut clara & perſpicua reddatur. At fides ſupponit Verbum Dei, utpote Motivum ſui ſpecificativum. Hoc verò Dei Verbum ad claritatem & intelligentiam Scripturæ prævium, non jam poteſt eſſe Scriptura, cùm nihil poſſit ſe ipſo prius eſſe ac poſterius. Ergo Verbum Dei ad Scripturæ intelligentiam prævium, eſt non ſcriptum. Vedroſius igitur nolens volens admittere cogitur, Verbum Dei non ſcriptum, ſuper quo fundetur fides prærequiſita ad Scripturæ claritatem ac intelligen-

Digitized by Google

tellîgentiam. Deinde verum quidem eſt, quòd preces non parùm juvent 16.
ad gratiam à Deo impetrandam, mediante quâ obtineatur vera ſacri alicujus Textûs intelligentia. Hinc enim Propheta David (ſacrarum Litterarum, difficultati ac obſcuritati teſtimonium ex hoc planè perhibens) oravit Pſalm. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Item *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ.* At hæc ipſa prophetica oratio juxta alios Pſalmos quotidiè per univerſum orbem Pontificium frequentatur & pſallitur in Eccleſiâ Romanâ: neque verò tanta fit orationis frequentia in Eccleſiâ Reformatâ, utpote cujus Miniſtris diu noctuquè ob alia ſtudia intentis non vacet, Pſalmis ac orationibus vacare. Nunquid ergo, cùm frequentiores pro intelligentiâ ſacrarum Litterarum ſint preces in Eccleſiâ Romanâ, huic ex allegato etiam Vedroſij fundamento, præ Reformatâ Eccleſiâ patebit legitimus circa fidei myſteria ſacræ Scripturæ ſenſus?

Ad *tertiam* Reſp. Concedendo omnia: nullatenùs enim dubitamus, 17.
quin ſacra Scriptura lux ſit *ſubjectivè* ac *effectivè*. Verùm & Sol eſt lux non tantùm *ſubiectivè*, ſed *effectivè*: ſuos tamen radios non diffundit, niſi mediante motu, per quem aſcendit ſupra noſtrum Horizontem. Sic ſanè ſacræ Scripturæ lux, ipſammet primam Veritatem involvens, cùm ſub ænigmatico revelationis obſcuræ involucro lateat, nequit intellectûs fide licèt illuſtrati eſſe motiva, niſi applicetur per ſupernaturalem motionem voluntatis, captivantis intellectum in Veritatis Divinæ obſequium. Hanc verò voluntatis motionem, nè levitatis arguatur, oportet, prudentiali credibilitatis ratione dirigi. In hanc proinde prudentialis credibilitatis rationem incidit tota noſtra diſputatio, an *ſcilicet tutò nitatur proprio cujuſquè conſcientiæ judicio?* De quo ſequenti Diſſertatione.

Ad *quartam* Reſpond. Quærendo ex Vedroſio: an prudentem ac 18.
pium agat Patrem, vel medicum, ſi ſuis filijs adhuc infantibus juxta cibos ipſorum ætati congruos, apponat alios valde nocivos, ut ipſi pro arbitrio ſuo eligant, qui palato ipſorum ſint placituri? Vel ſi ægrotanti apponat quælibet ciborum genera, ut ipſe neſcius tamen qualitatis ipſorum, eligat pro ſuo judicio? Atqui Vedroſius *arg. 2* allegatus ipſemet fatetur, ſacram Scripturam non adeò perſpicuam eſſe, ut in ijs etiam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, quilibet idiota eam ſalubriter intelligat, eſſequè in eâ non paucos difficiles intellectu locos, nec adhibitis licèt precibus & attentione debitâ poſſe fidelibus ac regenitis in abſolutè quoquè neceſſarijs, niſi pro modulo fidei ſuæ perſpicuam eſſe. An non igitur prudentis Patris, ac medici ſpiritualis eſt, ut diſcernat inter Scripturæ locos

ac

ac libros, ac pro cuiuſq; modulo ipſis permittat vel legendos, vel audiendos, ac in difficilioribus congruam apponat explicationem. Quod ita facit Romana Eccleſia, ut fideles non ideo deterreat à lectione ac meditatione ſacrarum Scripturarum, ſed ſervatâ debitâ diſcretione, curet, ut cum fructu ſalubriter inſtruantur fideles in fidei myſterijs, ad ſalutem præſertim
19. neceſſarijs. Ex eo porrò, quòd Vedroſius *in fine quartæ arguitiæ* ex Apoſtolo dicat, *ſi opertum ſit Evangelium, in excæcatis opertum eſſe*, ſumo quærendi occaſionem, an eos potiùs credat pravis affectibus excæcatos, quibus non niſi ad proprij iudicij dictamen eſt commiſſa Evangelij interpretatio, quàm illos, qui in veris ſacræ Scripturæ ſenſibus eruendis utuntur antiquorum Patrum conſenſu, Conciliorum definitionibus, Traditionibus Apoſtolicis, miraculis, ceu vivis quibuſdam Dei atteſtationibus? Certè compertum eſt in Eccleſiâ Dei, Hæreſiarchas antiquos, dum Litteras Divinas non niſi ſuo iudicio interpretari nitebantur, pernicioſæ pertinaciæ velamine obductos fuiſſe, ut vel hinc eſſet ipſis opertum Dei Evangelium, ſeu legitimus ſacræ Scripturæ ſenſus. Cave igitur Vedroſi, ne & tibi, & aſſeclis tuis fidem veſtram non niſi proprio conſcientiæ cujuſquè ſenſui nixam contendentibus, opertum ſit verum Dei Evangelium.

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur. Rationem Georgianam *ſupra cap.* 1. expoſitam, & ex conſuetâ circa ſacrarum Litterarum perſpicuitatem Hæreticorum jactantiâ petitam, à Vedroſio nullatenus ſolutam, ſtare omninò firmam. Unde ſic licere argumentari. Ille ſpiritus non eſt Divinus, qui more antiquorum Hæreticorum jactando ſacræ Scripturæ perſpicuitatem, ad hoc collimat, ut ſublatis Dei Verbo non ſcripto, alijsque prudentialem credibilitatis evidentiam fundantibus argumentis nitatur è medio tollere claves, quibus genuini ſacrarum Litterarum ſenſus reſerentur. Tali enim ſpiritui applicari poteſt illud Chriſti Domini *Luc.* 11. *v.* 52. ad Phariſæos dictum. *Væ vobis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & qui introjerunt, prohibuiſtis.*

At verò ſpiritus Reformationis hodiernæ ſacrarum Scripturarum perſpicuitatem jactando, eamq; ad cujusq; proprium duntaxat arbitrium reducendo ad hoc collimat, ut è medio tollat prudentialia credibilitatis evidentiam fundantia, atque à Patribus Antiquis probata argumenta, quibus ceu clavibus legitimus ſacræ Scripturæ ſenſus reſeretur & ad prudenter credendum applicetur. Veluti *ſeq. Diſſertat.* clarè *oſtendetur*. Manifeſtum igitur eſt, ſpiritum hodiernæ Reformationis non eſſe Divinum.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

An fides non multorum conſenſui tanquàm prudentiali credibilitatis Regulæ, ſed propriæ duntaxat conſcientiæ ſenſui innitatur?

EX proximè dictis conſtat, oportere diſtinguere inter Motivum fidei aſſenſûs ſpecificativum, & inter prudentialem credibilitatis rationem. Unicum enim fidei motivum eſt Verbum Dei. At quia fideles *ordinariè* non habent evidentiam Dei atteſtantis, nequit ejus Verbum, nonniſi ſub ænigmatico revelationis obſcuræ ſpeculo latens, movere intellectum, infuſo licèt ſupernaturalis fidei habitu inſtructum, niſi mediante voluntatis à Spiritu ſancto motæ imperio captivante intellectum in Verbi Divini, ſeu primæ Veritatis obſequium. Eſt autem manifeſtum, voluntatem temeritatis ac levitatis arguendam fore, ſi abſque prudentiali credibilitatis ratione conaretur in Verbi Divini ſub obſcuræ revelationis ænigmatico ſpeculo latentis obſequium captivare intellectum. De hac igitur prudentiali credibilitatis ratione contra Heideggerum *in ſuis Vindicijs n.* 2. procedit præſens Diſſertatio, *An ſcilicèt fides tutò innitatur proprio cujuſque conſcientiæ ſenſui?*

SECTIO I.

An ex hoc, quòd Reformata Eccleſia Verbi Divini interpretationem propriæ cujuſque conſcientiæ ſenſui committat, in pleroſque antiquorum hæreticorum errores olim jam damnatos reinciderit?

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

HIc Author *ſuæ Facis Rat.* 8. fusè proſequitur, qualiter Eccleſia Reformata hæreticorum antiquorum jam pridem damnatos errores reproducat. E quibus brevitatis causâ duodecim duntaxat in Redingij Refutatorijs expoſita, ab Heideggero autem *in ſuis Vindicijs* ſilentio præ-

præterita exempla compendioſè hîc placuit inducere. *Primò* igitur Re-
formata Eccleſia reijcit Romanam Cathedram tanquàm peſtilentem & An-
tichriſtiànam. At idem olim fecerunt Donatiſtæ, uti videre eſt apud San-
3. ctum Auguſtinum *lib. 2 contra litteras Petiliani.* *Secundò.* Reformati Doctores
ſuam Eccleſiam ultra mille ac ducentos annos dicunt fuiſſe inviſibilem. Sed
idem docuiſſe olim Donatiſtas hæreticos, teſtatur Divus Auguſtinus *cap. 12.*
4 *De Unit. Eccleſ.* *Tertiò.* Reformata Eccleſia refutat Verbum Dei non ſcrip-
tum. At idem fecerunt olim Ariani & Pelagiani, teſte Divo Auguſtino
5. *lib. 1. cap. 1. contra Maximum, & cap. 39. de Nat. & grat.* *Quartò.* Reformata Ec-
cleſia reprobat diſtinctionem Presbyterij & Epiſcopatûs. Sed idem teſte
6. Divo Auguſtino *hæreſ. 53.* olim fecit Aerius Epiſcopus. *Quintò.* Reforma-
ta Eccleſia repudiavit jejunium Quadrageſimale, nec non preces & oblatio-
nes pro Defunctis. Quod ipſum feciſſe Aerium, teſtatur Sanctus Auguſti-
7. nus *cit. hæreſ. 53.* *Sextò.* Reformata Eccleſia negat, Baptiſmum ad ſalutem
eſſe neceſſarium. Hoc ipſum verò erat olim Dogma hæreticorum Pelagia-
norum, teſte Sancto Auguſtino *hæreſi 88.* Item *epiſt. 28. & ſerm. 14. de verb.*
8. *Apoſt.* *Septimò.* Reformata Eccleſia negat, Baptiſmo expiari aliquod par-
vulorum peccatum. At hanc ipſam fuiſſe Pelagianorum hæreſin, teſtatur D.
9. Auguſtinus *cit. hæreſ. 88. & lib. 1. de nupt. & concupiſcent. cap. 20.* *Octavò.* Refor-
mata Eccleſia totis viribus invehitur contra Miſſæ Sacrificium. At hoc ip-
ſum à Manichæis hæreticis præſtitum refutat Sanctus Auguſtinus *lib. 20. con-*
10. *tra Fauſtum cap. 18.* *Nonò.* Reformata Eccleſia profitetur hominem ſolâ fide
juſtificari. Hæc ipſa verò, teſte Sancto Auguſtino *hæreſ. 54.* fuit opinio Eu-
11. nomij hæretici. *Decimò.* Reformata Eccleſia negat hominis liberum arbi-
trium. At iſtam Manichæorum hæreſin refutatam invenies apud Sanctum
12. Auguſtinum *lib. 2. cap. 5. de Act. cum Felice Manich.* *Undecimò.* Reformata Ec-
cleſia eliminavit vitam Monaſticam. Quem Manichæiſmum adversùs Jo-
vinianum reprobat Sanctus Auguſtinus *lib. 1. cap. 31. de morib. Cath. Eccleſ.*
13. *Duodecimò.* Reformata Eccleſia abolevit Sacrarum Imaginum uſum; item
Sanctorum Reliquias, eorumquè cultum, nec non Sanctorum invocatio-
nem. Quas adversùs Vigilantium hæreſiarcham defendunt Sanctus Hie-
ronymus *epiſt. ad Ripar. adversùs Vigilantium*, & Sanctus Auguſtinus *cap. 83. de*
Eccleſ. Dogmat.

CAPUT II.

Referuntur Argutiæ Vedroſij.

14. HIc Reformatus, ut aiunt, Miniſter in *exam. Rat 8. Georg. circa pri-*
mum Exemplum arguit 1. Donatiſtas ſeceſſionem feciſſe ab Eccle-
ſiâ

Digitized by Google

ſiâ Dei nullâ de causâ. Tempore autem Reformationis innumeris expetitæ votis, pios ſuos Majores non ſeceſſiſſe ab Eccleſiâ, ſed Eccleſiam ſeceſſiſſe à Papatu ſibi admixto, innumeris tyrannicis, idololatricis, magicis erroribus ingurgitato, reſipiſcere nolente, Celeuſmate excitatam cæleſti Apocalyp. 18. v. 4. *Exite ab eâ, popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & de plagis ejus accipiatis.*

Arguit 2. *Circa ſecundum Exemplum*: Se Reformatos aggregari Donatiſtis à Georgio, quòd aſſeverare non vereantur, *Eccleſiam his in terris viſibilem funditùs interire poſſe.* Teſtem ſiſti venerabilem non ita pridem Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtitem, non abſque falſi crimine, cùm hic non dicat, Eccleſiam interire poſſe, ſed amitti è conſpectu hominum, ſive abſcondi. Cæteroquin Reformatos Doctores cum Apoſtolo Petro *1. epiſt.* 1. *v.* 5. ſtrenuè propugnare perpetuitatem ac indefectibilitatem Eccleſiæ Chriſti in terris. Interim monere ſe, per myſterium iniquitatis, quod jam cæpit palam prorumpere à temporibus Gregorij Magni, Eccleſiæ ſtatum valdè fuiſſe in Occidente obſcuratum, tum propter doctrinam mille modis corruptam; tum quòd, qui fundamentum & puritatem retinere ſatagebant ſucceſſione negativâ, vel etiam poſitivâ, oppidò pauci fuerint, apud reliquos ludibrio habiti vel contemptui: in quibus tamen paucis ſemper manſerit *Civitas, quam Deus fundârit in æternum. Pſal. 48. v. 9.* 15.

Arguit 3. *Circa Exemplum mihi tertium, Georgio autem quintum.* Ex eo, quòd Georgius contendat, Arianorum eſſe hæreſin, nil præter Scripturam in rebus fidei admittere, ſequi, quòd illi homini Chriſtus, Prophetæ, Apoſtoli & Doctores primitivi, ſpeciatim Auguſtinus ſint hæretici Ariani. Quaſi verò ſit aliquid de fide, quod Canone fidei & Scripturis Canonicis non exprimitur. 16.

Arguit 4. *Contra Exemplum mihi quartum, Georgio autem ſextum.* Verum eſſe, quòd Aerius reprobârit diſtinctionem Presbyterij & Epiſcopatûs. At non ideò hæreticum fuiſſe, ſed quoniam Arianis faverit contra Deitatem Filij. Nec obſtare, quòd eo nomine vapulet ab Epiphanio & Auguſtino, utpote nullo Scripturæ teſtimonio armatis in ipſum inſurgentibus. 17.

Arguit 5. *Circa Exemplum mihi quintum, Georgio verò ſeptimum.* Non ab Aerio, ſed à Spiritu Sancto ſe edoceri, eos non eſſe audiendos, qui poſt Eccleſiam Dei per mortem Ieſu Chriſti, in libertatem vindicatam reſpectu Feſti, aut Novilunij, aut Sabbathi, id eſt ſub opinione meriti & neceſſitatis, conantur fideles certis temporibus adſtringere, & jejunia certorum temporum ac ciborum imponere. Etenim talia jejunia eſſe veteris Teſtamenti Ceremonialia *Levit.* 17. *v.* 31. Nullum eſſe diſcrimen ci- 18.

F borum

Digitized by Google

borum in novo Teſtamento. *Act. 10. v. 14. 15. Tit. 1. v. 15. Heb. 13. v. 9. &c.* Leges jejuniorum humanitùs excogitatas partim ab hæreticis, & nominatim à Montano, teſte Euſebio *lib. 5. c. 18.* partim à Pontificibus Teleſphoro, Calixto, alijſque invectas. Præcepto Domini & Apoſtolorum nil definitum, teſte Auguſtino.

19. Arguit 6. *Circa Exemplum mihi ſextum, Georgio verò nonum.* Malitiosè aſſeri, quòd Baptiſmi neceſſitatem cum Pelagianis Reformati negent, agnoſcere enim ſe præcepti neceſſitatem, non medij. Baptiſmi enim ſine fide & operatione Spiritûs Sancti nullam eſſe efficaciam. Hinc abſurdum eſſe, quòd infantes abſque Baptiſmo decedentes ſalute excidant. Quod ad dictum Chriſti Domini *Ioann. 3. v. 5. Niſi quis regenitus fuerit ex aquâ & ſpiritu, non poteſt ingredi in regnum cælorum*; hoc à ſententiâ Eccleſiæ Romanæ alieniſſimum eſſe. Non enim ibi agi de Baptiſmo externo, ſed de regeneratione, quæ fit per Spiritum Sanctum &c. Quòd ſi de Baptiſmo aquæ hìc ageretur, dicendum fore, neceſſitatem abſolutam eſſe in poſteriori, non in priori; ſi enim ſit conditio abſque ullâ exceptione neceſſaria, exturbandum fore è regno cælorum latronem in cruce, ac omnes Martyres, qui Cathecumeni mortui fuerint. Quinimò Papiſtas, non ſe Reformatos, eſſe germanos Pelagianorum. Nam iſtos apud Sanctum Auguſtinum *de hæreſibus cap. 88.* docuiſſe, infantes abſque Baptiſmo morientes beatâ quâdam vitâ extra regnum Dei frui. At hoc ipſum doceri à Papiſtis Ambroſio Catharino *lib. 6. de ſtatu puerorum*, & Alberto Pighio *in 1. Cont.* aſſerentibus. *Ejuſmodi infantes naturali beatitudine acquieſcere, jucundè & feliciter in paradyſo quodam terreſtri victuros eſſe, de ſuâ ſorte contentos.*

20. Arguit 7. *Circa Exemplum mihi ſeptimum, Georgio autem decimum.* Quoad effectus Baptiſmi nil ſibi cum Pelagianis commercij, nullum peccatum originale agnoſcentibus, adeòque infantes peccatorum remiſſione, aut Baptiſmo opus habere, negantibus. Dicere enim, infantes in peccato conceptos & natos, Dei Miſericordiâ, & lavacro regenerationis indigere, interno quidem ſimpliciter, externo, ſi haberi poſſit, & in Baptiſmo peccatum tolli *ſacramentaliter* & *obſignativè*, & in ſanctificatione *realiter* & *effectivè*.

21. Arguit 8. *Contra Exemplum mihi octavum, Georgio autem duodecimum ac decimum tertium.* Miſſam ſe reijcere non à Manichæis, quorum ætate res erat inaudita, ſed à Ieſu Chriſto Magiſtro ſuo unico edoctos.

22. Arguit 9. *Contra Exemplum mihi nonum, Georgio autem decimum ſextum.* Eunomium hæreticum aſſeruiſſe, Filium Deo Patri per omnia diſſimilem, & Filio Spiritum Sanctum. Quem hæreticum uſque adeò bonis mori-

Digitized by Google

moribus inimicum fuiſſe, ut aſſeveraverit, quòd nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet. Ex Auguſtino *hæreſ.* 54. At nihil horum doceri à Miniſtris Reformatis.

Arguit 9 *Contra Exemplum mihi decimum, Georgio autem decimum octa-* 23.
vum; De Manichæis Veteres teſtari, quòd naturam damnârint, & liberum arbitrium abſtulerint, nec peccatorum originem ei tribuerint, ſed ab æterno malo principio malum neceſſariò provenire dixerint. Econtra ſe naturam, qualis primò à Deo eſt creata, nec dicere damnandam, nec libero arbitrio privatam, quin potiùs fuiſſe liberrimam, & ſanctitate & juſtitiâ præditam (quas dotes à naturâ excludere Pontificios in ſtatu innocentiæ, ſtatuentes cum Pelagianis, pura naturalia ad malum inclinantia) ſed hominem poſtea arbitrio ſuo malè utentem *& ſe perdidiſſe, & ipſum.* Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 30.

Arguit 11. *Contra Exemplum mihi undecimum, Georgio autem decimum no-* 24.
num; Ridiculum eſſe, quòd vitæ Monaſticæ contemptus, & ideò Manichæorum communio ſibi objiciatur. Certè enim ſi Georgius vidiſſet ignaviæ domicilia, ſcelerum & turpitudinum ſentinas, optimo jure cum Brigittâ & Catharinâ Senenſi, & alijs apud Epiſcopum Chemenſem in *Onere Eccleſ. cap.* 22. *ſect.* 3. 6. 12. exclamaturum fuiſſe, quòd *in modernis Religioſis ſui amore affectis ſub ovinâ cucullâ lupum agentibus, Dei charitas frigeat, Monaſteria loca conſecrata, quaſi fora publica & diverſoria communia pateant omnibus.* Hos ſe contemnere, nec unquàm primitivam Eccleſiam talia in pretio habuiſſe carcinomata. Auguſtinum admirari & prædicare eos, qui contemptis, atque deſertis mundi illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt viventes, in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nullâ ſuperbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ turbulenti, nullâ invidentiâ lividi &c.

Arguit 12. *Contra Exemplum mihi duodecimum, Georgio autem vigeſimum ſex-* 25.
tum, vigeſimum octavum, vigeſimum nonum, & trigeſimum. Vigilantium, alioſque hæreticos haud erráſſe, ſed pro Eccleſiâ Dei vigilâſſe, dum contra uſum Sacrarum Imaginum, Reliquias ſacras, earumque cultum, & Sanctorum invocationem ſcripſerunt.

CAPUT III.

Ex eo, quòd Reformati Miniſterij fides innitatur privato cujuſque ſpiritui, ſeu propriæ conſcientiæ ſenſui, facilè accidit, ut in quoſvis olim etiam damnatos errores hæreticorum antiquorum reinciderit.

Probatio prima, ex ratione.

26. NAm ex principio fallaci non poſſunt non generari errores. Duplex autem eſt conſcientiæ ac judicij noſtri principium, nempè *Effectivum* ac *Directivum*. Etſi verò ubi Spiritus Sanctus gratiæ ſuæ radijs illucet intellectui noſtro, ſecuri ſimus de veritate: niſi tamen innitamur principio aliquo directivo per ipſummet Spiritum Sanctum inſtituto, ipsâq; adeò Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ firmato, nulla erit nobis certitudo, ac ſecuritas, quòd Spiritus Veritatis ſuæ gratiæ radijs illuceat, non verò mendacij ſpiritus obrepat noſtro intellectui. Nunquid enim Ariani, Sabelliani, Ebionitæ, Neſtoriani, Eutychiani gloriabantur, ſe Spiritu Sancto edoctos, turpiſſimas in primis fidei veræ fundamentis hæreſes jactitando pro Dogmatibus ſacris? Nunquid Sedecias Pſeudo-Propheta contra Michæam Prophetam cùm diceret, ſe loqui in nomine Domini, ita ſe jactitabat 2. *Paral.* 18. *Et per quam viam pertranſivit Spiritus Domini à me, ut loqueretur tibi*? Non eſt ergò tutum, ſe jactitare de Spiritu Veritatis, niſi quis innitatur principio directivo per ipſumet Spiritum S. inſtituto, atq; adeò Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ firmato. At verò licèt Scriptura ſacra ſit inſtituta à Spiritu Sancto; ubi tamen habetur in ſacris Litteris, quòd privatus cujuſq; Spiritus ſit aſſecuratus de vero ejus ſenſu? At neq; cujuſvis
27. conſcientiæ proprius ſenſus eſt certum à Spiritu Sancto inſtitutum directivum principium, mediante quo infallibiliter eruatur veritas ex Divinis Scripturis. Nunquid enim Ariani, Sabelliani & Ebionitæ ex proprij ſui judicij conſcientiâ Scripturæ clarum ſenſum adſtruendo, ex occaſione hujus ſui principij, advertente ipſomet etiam Petro Martyre *tract. de Sacram. Euch. pag.* 124. *ac ſeqq.* adeò turpiter aberrârunt, ut Filij Dei cum Patre Conſubſtantialitatem, Divinarum Perſonarum diſtinctionem, ac Chriſti Deitatem pertinaciter abnegarent? Illud igitur ex proprio cujuſque conſcientiæ ſenſu, ſeu privato ſpiritu petitum principium non poteſt non eſſe cauſa errorum, ac hæreſum in Eccleſiâ.

Digitized by Google

Probatio ſecunda, petita ab exemplis.

NAm Calvinus in *Inſtruct. adversùs Anabaptiſtas* ſcribit: *Si adversùs omnes* 28.
*errores & falſas opiniones ſcribere vellet, ingreſſurum ſe abyſſum, vnde ſibi exi-
tus non pateret, cùm illa ſecta ſit immenſum quoddam ſtupendorum deliriorum mare.*
Nunquid autem iſta deliria ac errores ortum habuerunt ex privato Ana-
baptiſtarum ſpiritu, & conſcientiæ ipſorum propriæ ſenſu? Lutherus *lib.
contra art. Lovan. Theſi 27.* ſic ait: *Hæreticos seriò cenſemus, & alienos ab Eccleſiâ
Dei Zvvinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant, Chriſti Corpus & Sangui-
nem ore carnali ſumi in vniversâ Eccleſiâ &c.* Nunquid iſta cenſura tam ſeria
erat ex propriâ Lutheri conſcientiâ? Sed quæro ex te, Heideggere, an
iſta cenſura vera ſit, vel falſa? Si primum aſſeras, erit verum, Zvving-
lianos eſſe hæreticos. Si ſecundum dices, erit falſum, fidem veram niti pro-
priæ cujuſque conſcientiæ ſenſu.

Econtrà Tigurini Theologi in *confeſſione Germanicâ editâ* Tiguri *Anno* 29.
1544. par. 3. fol. 123. ſic habent: *Quia Lutherus monſtroſum dogma inducere cona-
tur &c.* Et *fol. 131. Lutherus Dei & Divini honoris oblitus, nos damnatam ſectam vo-
cat; ſed videat, nè hujuſmodi narrandis & impijs dicterijs ſe ipſum hæreſiarcham decla-
ret, &c.* Nunquid hæc ex Theologorum Tigurinorum conſcientiâ pro-
priâ ſcripta ſunt? Si ergo vera ſunt, quomodò Heideggerus in *ſuis Vindi-
cijs de Anno 1669.* aſſerit, *Totum cum Luthero Tigurinorum de Euchariſtiâ diſſenſum,
eſſe in eo, an Corpus Chriſti præſens ſecundùm indiſtantiam loci organo oris comedatur
à dignis & indignis? Hoc autem ita negari à Tigurinis, ut ultrò tamen fateantur, er-
rorem eum in ſe, non in conſectarijs, nec agnitis ab adversâ parte, nec confeſſis ſpecta-
tum, non trabis, ſed feſtucæ rationem habere, & ſtipulæ.* An igitur conſcientia
Tigurinorum Theologorum illud dogma, quod olim monſtroſum, ac
hæreſiarchæ proprium judicabant, hodiè inſtar feſtucæ ac ſtipulæ habet?
Siccine igitur conſcientiæ veſtræ judicium inſtar ſtipulæ à quolibet ven-
to hinc & inde agitatur?

Franciſcus Stanckarus *de Trinit. adversùs Bullingerum, Petrum Martyrem,* 30.
Calvinum &c. ſic loquitur: *Quis diabolus, ò Calvine, te ſeduxit contra Filium
Dei cum Ario obloqui, ut oſtenderes, eum privatum fuiſſe gloriâ ſuâ, nunc autem pe-
tere, eam ſibi dari, quaſi non ſemper eam habuerit?* Et infra: *Cave Chriſtia-
ne, & vos Miniſtri, à libris Calvini cavete, & præſertim in articulo de Trinita-
te, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento Baptiſmi, & Prædeſtinatione, continet
enim doctrinam impiam & blaſphemias Arianorum.* Audis igitur Calvinum, dum
ex ſuo propriæ conſcientiæ ſenſu, ſeu privato ſpiritu ſcripſit, argui erro-
rum circa prima fidei principia. Quinimò Theologi Heidelbergenſes in

Digitized by Google

Ordinat. Eccleſiaſticâ ſic ſtatuunt: *Lutheri & Brentij Catechiſmi extra Eccleſiam eijciantur, & eorum ſcripta nullam habeant authoritatem.* At Lutherus & Brentius ex propriæ conſcientiæ ſenſu ſcripſerunt. Quomodò igitur ipſorum, non quilibet libri, ſed Catechiſmi eijciendi ſunt ex Eccleſiâ, ſi fides vera innitatur propriæ conſcientiæ ſenſui? Sed ſi ipſe etiam Lutheri Catechiſmus eſt eijciendus ex Eccleſiâ, quâ conſcientiâ licuit Calviniſtis *Anno 1631. in Synodo ſuâ nationali* Charentorij in Galliâ habitâ decernere, quòd *fideles Lutheranæ confeſſionis poſſint, nullâ præmiſsâ abjuratione opinionum, quas tenent, contrariarum fidei Eccleſiarum ſuarum admitti ad cœnam &c.* Quò igitur non proceſſit iſte privatus ſpiritus, ut omnium jam abſurditatum ac errorum in Eccleſiâ videatur eſſe inventor.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij ſupra *cap. 2.* deductæ.

32 AD *primam* reſp. Vedroſium non poſſe negare, ſed haberi pro confeſſo, quòd Eccleſia ſua Reformata, quatenùs Eccleſiam Romanam vocat peſtilentem & Antichriſtianam, conveniat cum Donatiſtis. At in hoc Auguſtinus *lib. 2. contra litt. Petiliani, cap. 51.* expreſſis verbis arguit hunc Donatiſtam convitij ac erroris, eumque refutat ex ſacris Litteris. An non igitur Eccleſia Reformata quoad hoc punctum communicat in dogmate Donatiſtarum, quod ex ſacris Scripturis redarguitur de convitio ac errore?
33. Neque relevant, quæ extra rhombum, & abſque ullo fundamento aſſerit Vedroſius, reſpondendo; Donatiſtas ſine causâ ſeceſſionem feciſſe ab Eccleſiâ: ècontrà ſe Reformatos non ſeceſſiſſe ab Eccleſiâ, ſed Eccleſiam ſeceſſiſſe à Papatu innumeris tyrannicis, idololatricis, magicis erroribus ingurgitato. Nam 1. adversùs iſtam Donatiſtarum objectionem jam pridem antiquatam Sanctus Auguſtinus *loco citato* ſic reſpondit: *Non vides, hæc non aliqua eſſe documenta, ſed vana convitia? Veruntamen ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Romana Eccleſiæ, in quâ Petrus ſedit, & in quâ hodiè Anaſtaſius ſedet, cui nos in Catholicâ unitate connectimur, & à quo vos nefario furore ſeparâſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt, Cathedræ, in quâ ſedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam Cathedram Moyſi commendavit, & illos ſervato Cathedræ honore redarguit? Ait enim: ſuper Cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: Dicunt enim, & non faciunt. Hæc ſi*

cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. Contra eſt 2. Ille enim ab Eccleſiâ ſeceſſionem fecit, qui ſe ſegregavit ab illo, cui in Catholicâ unitate connectimur. Atqui vos Reformati ſeceſſionem feciſtis à Papatu, ſeu Cathedræ Romanæ Eccleſiæ, cui ſecundùm Auguſtinum *proximè* adductum in Catholicâ unitate connectimur. Ergo non poteſt eſſe verum, quòd Eccleſia ſeceſſerit à Papatu; ſed potiùs ſecedendo à Papatu, feciſtis eo ipſo ſeceſſionem ab Eccleſiâ, quæ in Catholicâ vnitate connectitur Papatui. Contra eſt 3. Ille enim non poteſt non eſſe ſegregatus ab Eccleſiâ, qui communicat cum illo, cujus Catechiſmus eſt eijciendus ab Eccleſiâ, qui monſtroſum Dogma inducendo, ſe ipſum declarat hæreſiarcham, qui impiam de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, &c. tradit doctrinam & blaſphemias Arianorum. At Theologi Heidelbergenſes ac Tigurini cenſuerunt, Lutheri Catechiſmum eijciendum ab Eccleſiâ, damnâruntquè Lutherum monſtroſi Dogmatis, ac notârunt nomine hæreſiarchæ, & tamen cum Lutheranis ejuſmodi doctrinam pertinaciter defendentibus, cenſent communicandum, eoſque ad cœnam ſuam admittendos: imò Beza, eumque ſecutus Hottingerus inficiantur, in fundamentum fidei arietare illos, qui doctrinam Lutheri ſimpliciter tenent, uti ait Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 5.* Quomodò igitur verum erit, Theologos Reformatos non ſeceſſiſſe ab Eccleſiâ, approbando Lutheri doctrinam, imò & Calvini, qui tamen teſte Stankarò *ſupra citato*, tradidit blaſphemias Arianorum circa Trinitatem & Incarnationem. 34. 35.

Ad *ſecundam* reſpondetur. Crimen falſi, quod in Georgium exploſit, meritò retorqueri in caput Vedroſij. Nam Breitingerus *citatus* expreſsè dicit, Propheticos dies mille ducentos & ſexaginta, ſignificare mille ducentos & ſexaginta annos naturales, qui ſint expreſsè id tempus, quo dilecta Eccleſia debebat perire, & nihilominùs permanere conſervata. Hoc autem accidiſſe, quatenùs Eccleſiæ Reformatæ fuerint tunc abſconſæ in Papatu. Ex quibus adeò concludit Georgius, ex Reformatæ facultatis mente Eccleſiam, non quidem abſolutè loquendo (quemadmodùm ut calumnia di ſpiritum ſuum exerere poſſit, Georgio imponit Vedroſius) ſed *cum addito, Viſibilem,* in mundo penitus perire poſſe, imò perijſſe. Verùm hâc impoſturâ ſuâ Vedroſius non excutit Georgij telum, quo Reformati tanquam ſectatores Donatiſtarum impetuntur. Etenim Donatiſtarum teſte D. Auguſtino *de hæreſ. 69.* hæreſis erat, quòd Eccleſia Chriſti propter crimina Cæciliani ſeu vera, ſeu magis falſa, de toto terrarum orbe, ubi futura promiſſa erat, perierit, atque in Africâ duntaxat Donati parte 36. 37.

remanſ-

remanſerit, in alijs terrarum partibus quaſi contagione communionis extincta. Atqui Vedroſius *in cit. exempli 2. exam.* apertis verbis monet, per myſterium iniquitatis, quod jam cœperit palam prorumpere à temporibus Gregorij Magni, Eccleſiæ ſtatum valdè fuiſſe in Occidente obſcuratum, propter doctrinam publicam mille modis corruptam: tum quòd, qui fundamentum & puritatem retinere ſatagebant, ſucceſſione negativâ, vel etiam poſitivâ, oppidò pauci fuerint, apud reliquos ludibrio habiti & contempti, in quibus tamen paucis ſemper manſerit Civitas ſeu Eccleſia Dei. Perpende igitur, an non iſta doctrina per omnia conveniat cum Donatiſtis. Verùm de hoc plura videre licebit *Diſſert. ſeq. ſect. 1.*

38. Ad *tertiam* Reſp. Ex *citato* Sancti Auguſtini *libro 1. contra Maxim. Arian. cap. 1. circa init. & cap. 39. de Natur. & grat.* Manifeſtum eſſe, quòd Ariani & Pelagiani Verbum Dei non ſcriptum negando, ſuas hæreſes defendere conati ſint. At Sanctus Auguſtinus *in Epiſt. 115.* Item *lib. 2. de Baptiſ. contra Donat. lib. 1. contra Creſcon. cap. 33. & alibi*, ultra Scripturas ſacras adſtruit Traditiones Apoſtolicas ſeu Divinas, non ſcriptas. Quo igitur jure Vedroſius notam Arianæ, vel Pelagianæ hæreſeos Auguſtino, & Patribus primitivis, imò Prophetis & Apoſtolis, ac ipſimet Chriſto, ex Georgij argumento nullatenùs ſoluto, ſed firmo adhuc ſubſiſtente, inurere nititur?

39. Ad *quartam* Reſp. Aerianos à Sancto Auguſtino non ex eo duntaxat capite notari, quòd in hæreſin Arianorum inciderint, ſed inter eius dogmata de hæreſi damnata cenſeri etiam iſtud, quòd dixerit, Presbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni: uti clarè patet ex *cit. lib. de hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ. 53.* fateturquè Vedroſius *citatus*, aſſerens, non eſſe curandum, quòd Epiphanius & Auguſtinus propter iſtud Dogma ipſum nomine hæretici notent, utpote qui nullo Scripturæ teſtimonio in ipſum inſurgant. Verùm quâ fronte iſte Miniſter hoc protulerit, alibi *oſtendetur*.

40. Ad *quintam* Reſp. Atrocem in Spiritum ſanctum ibi committi blaſphemiam. Nam Sanctus Auguſtinus *cit. hæreſ. 53.* expreſſis verbis Aerium arguit de hæreſi, quòd dixerit, non oportere pro Mortuis orare, vel oblationem facere, nec ſtatuta ſolenniter jejunia eſſe celebranda, ſed cùm quiſque voluerit, jejunandum, nè videatur eſſe ſub lege. An igitur Vedroſius abſque blasphemiâ dixerit, ſe à Spiritu ſancto edoctum eſſe iſtam hæreſin? Verùm videamus, quibus argumentis contendat palliare blaſphemiam.

41. Ait enim: ſe à Spiritu ſancto edoctum, eos non eſſe audiendos, qui poſt Eccleſiam Dei per mortem Chriſti in libertatem vindicatam conantur fideles ad feſta, vel jejunia certis temporibus adſtringere. At ſi res ita ſe habeat, cur Eccleſia Reformata adſtringit etiam ſub neceſſitate, ad celebrationem

tionem diei Dominicæ, ac feſtivitatis Paſchalis? Nunquid Sanctus Auguſtinus *epiſt.118.* ait, vel ab Apoſtolis, vel à plenarijs Concilijs commendatum, atq; ſtatutum retineri, quòd Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, & Adventus de cælo Spiritûs ſancti anniverſaria celebrentur? Nunquid Sanctus Hieronymus *epiſt. 54. ad Marcellam*, aſſerit: Quadrageſimale jejunium ex Apoſtolorum Traditione annuatim cuſtodiri? An ergo Apoſtoli ac plenaria Concilia fecerunt contra libertatem fidelium, mediante Chriſti morte vindicatam? Vides igitur, Vedroſi, in quas blaſphemias, rejecto Verbo Dei Tradito, Scripturam ſacram non niſi ex privato tuo ſpiritu explicando & torquendo, te conijcias.

Ad *ſextam* Reſp. Ex hac Vedroſij argutiunculâ neque elidi telum Georgij, neque Papiſtarum caput peti. Nam 1. Pelagianiſmus apud Sanctum Auguſtinum *cit. hæreſ. 88.* eſt, ſi infantibus non baptizatis promittatur æterna & beata vita. At Vedroſius cum ſuo Reformato Miniſterio ait, abſurdum eſſe, quòd infantes abſque Baptiſmo decedentes ſalute excidant. 2. Divus Auguſtinus *in cit. epiſt. 28. poſt medium contra Pelagianos*, ex ſacris Litteris decernit, quiſquis dixerit, quòd in Chriſto vivificentur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus (ſcilicèt Baptiſmatis, uti clarè conſtat ex contextu) participatione de vitâ exeunt, hunc profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venire, & totam condemnare Eccleſiam. At parvulos ſine Baptiſmate decedentes eſſe in Chriſto vivificatos, docet Reformatum Miniſterium. 3. Auguſtinus *loco proximè citato* pergit, aſſerendo: propterea cum baptizandis parvulis feſtinari & curri, cùm ſine dubio credatur, aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe: de eo autem, qui non vivificatur in Chriſto, reſtare, ut in eâdem damnatione maneat, de quâ dicit Apoſtolus: *Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Atqui illud medium, ſine quo parvuli in Chriſto vivificari non poſſunt, ſed in damnatione manent, eſt neceſſarium neceſſitate non tantùm præcepti, ſed medij. 4. Si tamen Baptiſmus neceſſitate præcepti ſit parvulis neceſſarius, tunc iſta neceſſitas vel aſtringit ſaltem ipſorum parentes & Paſtores. Hinc autem fit, quòd iſti, dum parvulos ſuos ſine Baptiſmo decedere permittunt, ſint tranſgreſſores Divini præcepti. Cur igitur Reformati Miniſtri non niſi certis hebdomadæ diebus baptizant, ad inſtar Pelagianorum non curando, ſi infantum aliquis non baptizatus decedat? Cur in hoc condemnant totam Eccleſiam, in quâ aſſerit Auguſtinus *citatus*, propterea cum baptizandis parvulis feſtinari & curri, cùm ſine dubio credatur; aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe? 5. Illa Chriſti Domini verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, de Sacra-

42. 43. 44. 45. 46.

mento Baptiſmatis intelligenda eſſe, efficaciter oſtendit Sanctus Auguſtinus *de peccat. Merit. & Remiſſ. lib. 1. cap. 30.* & alibi ſæpè. Et verò Vedroſius aſſerendo, *quòd ſi de Baptiſmo aquæ in illis verbis ageretur, neceſſitatem abſolutam eſſe in poſteriori, non in priori*, apertæ contradictionis arguitur. Fatetur enim ad regni cœleſtis introitum eſſe *abſolutè* neceſſariam regenerationem ſpiritualem. At illa Chriſti Domini verba dicunt, iſtam regenerationem eſſe faciendam ex aquâ, ita ut niſi ex aquæ Sacramento quis regenitus ſit, non poſſit introire in regnum Dei. Quare extra caſum Martyrij Baptiſmus ita neceſſarius eſt, ut niſi in re, vel voto, mediante Charitatis in Deum actu, vel contritione perfectâ ab adultis, ab infantibus autem realiter ſuſcipiatur, nemo poſſit introire in regnum Dei.

47. Neque 6. urget, quòd Papiſtas Pelagianorum germanos calumnioſè aſſerat. Illi enim parvulos abſq; Baptiſmate decedentes docent ſubire æternam pœnam damni, in privatione viſionis beatificæ conſiſtentem. Etſi verò, cùm parvuli ejuſmodi non ſint pœnæ ſenſûs obnoxij, aliqui Catholicorum Doctorum arbitrentur, ipſos fruituros fælicitate naturali, hæc tamen non *abſolutè* vocatur beatitudo, ſed cum *addito valdè diminuente*, Beatitudo naturalis. At Pelagianorum dogma erat, quòd parvuli abſque Baptiſmate in Chriſto vivificati, beatitudine *ſimpliciter* dictâ ſint fruituri. Hoc verò totum aſſeritur à Miniſtris Reformatis. Hi ergo nullatenùs poſſunt ſe extricare à notâ Pelagianiſmi.

48. Ad *ſeptimam* reſpondetur. Divum Auguſtinum *cit. Epiſt. 28. & lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 20.* ex eo etiam capite procedere contra Pelagianos, quòd fidei doctrina ſit, parvulorum in Chriſto vivificationem, ſeu regenerationem ſpiritualem non poſſe ſubſiſtere abſquè ſacramento Baptiſmatis, ita ut ſine iſto maneant in condemnatione peccati Originalis, ac poteſtate diaboli. At Vedroſius in ſuâ præſenti argutiunculâ ait: ſine ſacramento Baptiſmatis poſſe parvulos obtinere internum regenerationis lavacrum, vi cujus liberentur à peccato Originali, atquè damnatione inde contractâ. An non igitur in hoc cum Pelagianis apertè committitur contra veram fidei doctrinam? Quòd autem dicat, in Baptiſmo peccatum Originale tolli ſolùm *obſignativè*, *infra* de hoc agemus, ubi Sacramentorum efficaciam diſcutiemus.

49. Ad *octavam* Reſp. Vedroſium ludendo circa Miſſæ nomen, non effugere vim argumenti ſibi objecti. Hoc enim in eo ſe tenebat: quòd Manichæi à ſancto Auguſtino *lib. 20. adverſùs Fauſtum cap. 18.* convicti ſint erroris ac hæreſis, dum negabant, in ſacroſanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Chriſti offerri verum ſacrificium, Chriſtianorum proprium. Atqui adverſùs hoc ipſum ſacrificium totis viribus conantur

Refor-

Reformati Miniſtri. Quomodò igitur ſe expedient ab iſtâ Manichæorum hæreſi, quam Vedroſius à ſuo Miniſterio non aliter propellere nititur, niſi ludendo duntaxat in nomine Miſſæ?

Ad *nonam* Reſp: concedendo, quòd Eunomiani bonis operibus inimici apud Divum Auguſtinum *cit. hæreſi 54.* aſſeverârint, nihil cuiquè obeſſe quorumlibet perpetrationem, ac perſeverantiam peccatorum, ſi hujus, quæ ab illis docebatur, fidei particeps eſſet. At dum Reformati Miniſtri aſſerunt, hominem fide ſolâ iuſtificari, nunquid affirmant, quorumlibet peccatorum perpetrationem ac perſeverantiam non obeſſe, ſi fidei (ejus utique, quæ apud ipſos docetur) particeps ſit? Verum quidem eſt, Eunomianòs inſuper aſſeruiſſe, Filium Patri, & Spiritum ſanctum Filio per omnia diſſimilem. At nunquid vos Reformati Miniſtri in fide veſtrâ nullo eſtis contaminati falſo dogmate? Sanè quæ hactenùs deducta ſunt, & adhuc deducenda ſunt, aliud demonſtrant. Et certè ex hoc ſolo, quòd bonis operibus ſitis adeò inimici, ut ſolam fidem abſquè operibus dicatis ad ſalutem neceſſariam, redarguimini erroris à ſancto Auguſtino *tum alibi, tum lib. de fide & operib. cap. 14.* 50.

51.

Ad *decimam* Reſp: Auguſtinum in *cit. lib. 2. cap. 3. de actis cum Felice Manichæo* propugnâſſe liberum arbitrium non in primis duntaxat parentibus, ſed etiam in nobis à tempore perditi ſtatûs innocentiæ. At Reformati Miniſtri apertè negant liberum arbitrium in homine à tempore deperditi ſtatûs innocentiæ. Nec in hoc ipſis ſuffragatur Sanctus Auguſtinus *in Enchir. cap. 30.* aſſerens, *hominem malè utentem & ſe perdidiſſe, & ipſum arbitrium.* Nam ſanctus Doctor ſolummodò dicit, hominem peccando perdidiſſe libertatem ad ſalubriter, ac in ordine ad vitam æternam benè ſeu iuſtè operandum, & inde egere gratiâ reparatrice. At iſtâ ſtante eatenùs ſubſiſtere libertatem ad bonum, ut in eius etiam poteſtate ſit, Divinæ motioni vel obtemperare, vel refragari, nec adeò ſit neceſſitatus vel ad bonum, vel ad peccatum. Manifeſtum verò eſt ex Neotericæ Reformationis Miniſtris, ipſomet etiam Vedroſio, ipſos docere, quòd omnia ex neceſſitate eveniant, nec ullum adeò jam ſit liberum arbitrium. Nequit ergo hoc Miniſterium effugere tela Sancti Auguſtini adverſùs Manichæos exploſa. Quòd autem Vedroſius dicat, Pontificios à naturâ in ſtatu innocentiæ excludere dotes ſanctitatis & iuſtitiæ, manifeſta calumnia eſt, niſi fortè per hoc intendat, iſtas dotes pro ſtatu innocentiæ fuiſſe homini connaturales, quod errore nullatenùs vacaret. 52.

53.

Ad *undecimam* Reſp: Aliter conſiderari debere Monaſticæ vitæ inſtitutum in ſui quaſi naturâ ſpectatum, aliter verò eius fortè abuſum. 54.

Digitized by Google

At Reformationem Neotericam Monaſticæ vitæ inſtitūtum in ipſâ ſuâ eſſentiâ damnare, conſtat ex Ioannis Wicleffij articulis in *Concil. Conſtant.* damnatis *art. 21.* & Lutheri *lib. de votis monaſtic.* Item *Comm. 1 Corinth. cap. 7.* & *turpiſſimo eius Epithalamio.* Ioannis Scarpij *Curs. Theolog. advers. Bellarm. art. de Monach. q. 5. a. 4.* oſtenditquè ipſorum in abrogandis Monaſterijs ac votis Monaſticis aperta praxis. Hoc ipſum verò tanquàm Manichæorum dogma hæreticum reprobavit Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Morib. Cath. Eccleſ. cap. 31.* Imò tanquàm Donatiſtarum hæreſin rejecit idem Sanctus Doctor *lib. 3. contra Petilian. cap. 40.* & tanquàm Arianorum errorem refutavit Sanctus Athanaſius *in libro*, qui inſcribitur *Apologia ſua fuga.* Non igitur evadit Reformatum Miniſterium iſtam Antiquorum hæreticorum notam, quantumvis calumnioſè invehatur in modernorum Religioſorum, imò & antiquorum ſanctitate conſpicuorum mores. De quibus tamen alibi.

55. Ad *duodecimam* Reſp: Nobis hac vice ſatis eſſe, quòd ita manus det Vedroſius, ut Vigilantio, alijſq; hæreticis præ ſanctis Eccleſiæ Doctoribus Auguſtino ac Hieronymo conſentiat, eoſquè in erroribus per Patres prænominatos damnatis tanquàm Hæreticis, defendat. Ex hoc enim Georgius totam ſuam intentionem, uti mox declarabitur, obtinuit; quâ & ego pro nunc contentus ſum, de his Articulis fuſiùs ac ex inſtituto *inferiùs* tractaturus.

COROLLARIUM.

56. EX dictis infertur. Georgij Rhæti Rationem octavam *in præcitatâ Face* deductam omnino firmam & inſolutam adhuc ſubſiſtere. Illius enim Reformationis ſpiritus non eſt Divinus, qui contaminatus eſt vario genere dogmatum, ab antiquis Patribus (in quibus, ipſo Reformato Miniſterio teſte, vigebat pia, Orthodoxa, & vera fidei Doctrina) hæreſis notâ affectorum & damnatorum. At eiuſmodi ſpiritus eſt modernæ, ut vocant, Reformationis. Nam in rejectione ſacræ Petri ſeu Apoſtolicæ Cathedræ, nec non in opinione, quòd Eccleſia viſibilis in mundo penitùs perire, vel amitti poſſit, cum *Donatiſtis*; in admiſſione ſolius Scripturæ, excluſâ omni non ſcriptâ Doctrinâ, cum *Arianis & Pelagianis*; in omnimodâ æquatione Epiſcopalis & Preſbyteralis dignitatum, in rejectione ſtatorum, atque adeò Quadrageſimalium jejuniorum, nec non in damnatione precum & oblationum pro Defunctis cum *Arianis*; in contentione, Baptiſmum in parvulis non eſſe neceſſarium ad ſalutem & expiationem peccati Originalis, cum *Pelagianis*; in damnatione ſancti Altaris ſeu Corporis & Sanguinis Chri-

Chriſti Sacrificij, ac in abrogatione doctrinæ de libero hominis arbitrio, nec non in damnatione Monaſticæ vitæ, votique Cælibatûs, cum *Manichæis*; in Juſtificatione ex ſolâ fide cum *Eunomianis*; in deteſtatione uſûs ſacrarum Imaginum, ac venerationis Sanctarum Reliquiarum, Sanctorumq; invocationis, cum *Vigilantianis*, convenit modernum Reformatum Miniſterium: uti hæc omnia patent ex dictis *præced. cap.* Nequit ergo hujus Miniſterij ſpiritus eſſe Divinus.

SECTIO II.

An ex eo, quòd Reformata Eccleſia aſſerat, fidem niti proprio cuiuſquè conſcientiæ ſenſu, varijs contradictionibus & contrarietatibus circa Dogmata fidei etiam ſubſtantialia involvatur?

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

HIc author ſuæ *Facis Rat. 23.* ſic progreditur. *Primò.* Reformata Rhætiæ Eccleſia per Danzium in ſuis manuſcriptis *pag. 4. & 16.* primorum quinque ſæculorum Eccleſiæ tribuit omnimodam in fide veræ doctrinæ puritatem. Econtra iſtam negat Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 13. ſect. 17.* 1.

Secundò. Urſinus *Proleg. Gener. §. Hac, & ſeqq. in Catech.* vult, veram Eccleſiam in mundo eſſe conſpicuam. Econtra Breitingerus *Opuſc. de ſect. pag. 39.* tradit, Eccleſiam veram per mille ducentos & ſexaginta annos latitâſſe ſub Papatu. 2.

Tertiò. Vrſinus in *Proleg. Gen. 1. in Catech.* inter Eccleſiæ notas ponit puritatem doctrinæ, &c. Econtra Wollebius *lib. 1. Comp. Theolog. cap. 25. can. 25.* negat, Eccleſiam eſſe ab omni errore immunem. 3.

Quartò. Reformati Doctores paſſim tradunt, Bonifacium III. demum ſibi arrogâſſe prioritatem in cæteras Eccleſias. E contra Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 7. ſect. 5.* nullum, ait, fuiſſe tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Eccleſias appetiverit. 4.

Quintò. Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 19. ſect. 1.* ait: Opinionem de ſeptem Sacramentis vetuſtate ipsâ radices egiſſe. E contra idem Calvinus *eod. cap. ſect. 12.* inquit: Veteres, dum propriè loqui volunt, nuſquàm plura duobus Sacramentis recenſuiſſe. 5.

Sextò.

Digitized by Google

6. *Sextò.* Urſinus *q. 66. par. 8. & q. 75. in princ. Catech*, & Wollebius *lib. 1. Comp. Theol. cap. 22. in Can.* 17. inquiunt, Sacramenta eſſe teſſeras, ſigna, ſigilla, pignora, & arrhas noſtræ per Chriſti Crucem conſecutæ Redemptionis. E contrà Caroloſtadius apud Scult. *Annal. Decad. 1. ad annum 1524. pag.* 232. negat, Sacramentum Cœnæ eſſe arrham & pignus Redemptionis noſtræ.

7. *Septimò.* Scharpius *Curſ. Theol. art. de Sacram. in princ.* ait: Sacramenta conferre, & in nobis obſignare beneficia Chriſti. E contrà Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 14. ſect.* 17. negat, Sacramenta conferre Chriſti gratiam.

8. *Octavò.* Doctores Reformati paſſim dicunt, infantes ante Baptiſmum credi liberatos ab irâ Dei, ac hæredes æternæ ſalutis. E contrà Philippus Mornæus *Trattato della Chieſa cap. 2. ſect. 2.* ait: nunc per Baptiſmum nos inſertos eſſe in filios Dei, cùm eſſemus priùs filij iræ.

9. *Nonò.* Idem Mornæus *cit. Trattato. cap.* 10. ait: confugientes ad fidem Paulianiſtas, rebaptizandos eſſe. E contra Scultetus *in Medullâ Patrum Concil. Nican.* aſſerit, Doctrinam de rebaptizandis Pauliniſtis erroneam eſſe.

10. *Decimò.* Bullingerus *Decad 5. ſerm. 9. §. Certè.* ait, ſæculis aliquot ab obitu Apoſtolorum, ſimplicem illam rationem celebrandi Cœnam Domini eſſe ab Eccleſiâ obſervatam. E contra Calvinus *lib. 4. cap. 17. ſect. 43.* aſſerit, non longè ab ætate Apoſtolorum Cœnam Domini eſſe tactam rubigine.

11. *Undecimo.* Calvinus *cit. lib. 4. cap. 18. ſect.* 11. affirmat: Patres de toto Cœnæ myſterio pium & Orthodoxum retinuiſſe ſenſum, nec voluiſſe unico Domini ſacrificio vel minimùm derogare. E contra idem Calvinus *ibidem* ait, Veteres quoque illos aliò hanc memoriam detorſiſſe, quàm inſtitutioni Domini conveniebat.

12. *Duodecimò.* Zwinglius apud Sculterum *Annal. Decad. 1. ad annum 1524. pag.* 234. *& Decad. 2. ad annum* 1526. *pag.* 48. ait: Edere Corpus Chriſti nihil aliud eſſe, quàm credere Corpus Chriſti pro nobis mortuum eſſe. E contra Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 17. ſect. 5.* aſſerit: Manducare Chriſti carnem, & bibere ejus ſanguinem expreſſius quiddam ac ſublimius videri voluiſſe Chriſtum, quàm in Chriſtum credere.

13. *Decimotertiò.* Beza *quæſt. lib. par. 2. q. 241.* ait: non eſſe dubitandum, Eucharistiam ægrotis magnam afferre conſolationem, quem morem magnoperè velle reſtitutum Eccleſiæ. E contra Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 17. ſect. 39.* ait: repoſitionem Sacramenti, quam nonnulli urgent, ut ægrotis extra ordinē diſtribuatur, inutilem eſſe, & in re tantâ non ſine magno periculo errari.

14. *Decimoquartò.* Calvinus *cit. cap 17. ſect.* 10. *&* 11, affirmat: iſthanc pijs eſſe retinendam Regulam, ut quoties ſymbola vident à Domino inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe cogitent, &c. Et accepto Corporis ſymbolo, non minùs

minùs etiam Corpus ipſum nobis dari confidamus, &c. E contrà Helvetica Confeſſio *cap.* 21. *§. Ergo*, ait, Corpus & Sanguinem Chriſti non ita cum pane & vino (ceu ſignis) conjungi, ut quicunq; ſignum percipit, idem & rem percipiat ipſam &c. id eſt, Corpus & Sanguinem Chriſti. 15.

Decimoquintò. Zwinglius *Epiche. de Canone Miſſæ, §. Quòd Miſſa*, ait: Miſſæ nomen recens eſſe, ac citrà juſtam rationem impoſitum, nec Chriſtum, nec Apoſtolos, nec Veteres Miſſam ſic appellâſſe. E contrà Lutherus *in lib. contra cæleſt. Prophet.* affirmat: Miſſæ nomen ab Apoſtolis ipſis Sacramento tributum. 16.

Decimoſextò. Zwinglius *Epich. de Can. Miſſa, §. Quòd Miſſæ nomen*: Si, ait, Cœna Domini eſſet oblatio, Veteres certò eam nuncupaturos fuiſſe Miſſam. E contrà idem Zwinglius *ibi. §. Chriſtus igitur*, aſſerit, ſolâ Patrum, vel Veterum vociferatione niti, quòd Cœna Domini ſit oblatio. Errori autem Patrum occaſionem dediſſe Verbi Dei neglectionem. 17.

Decimoſeptimò. Beza *Confeſſ. Chriſti fidei. cap. 7. a.* 3. ait: Patres uti ſacrificij & oblationis nomine, ſed quæ reficiendis vivis, non autem redimendis mortuorum animabus offerebantur, &c. E contrà Bullingerus *Decad. 5. ſerm. 9. §. Pro mortuis*, inquit. Quòd verò nonnulli objiciunt, Veteres meminiſſe oblationis pro mortuis: nihil ad nos pertinere putamus: Patribus enim non credimus, niſi quatenùs ſua nobis approbant Scripturis Canonicis. 18.

Decimòoctavò. Calvinus *Inſtit. 4. cap. 19. ſect. 28.* ait: Presbyterij munus ore Chriſti commendatum, libenter eo (Sacramenti ſcilicet) loco ſe habere. Quòd autem tertium in numero non poſuerit, eò factum eſſe, quòd non ordinarium & commune ſit apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritûs pertineat, &c. Idem *ſect. 31.* expreſsè concedit, manuum impoſitionem in veris legitimiſquè ordinationibus, eſſe ſacramentum. E contrà Urſinus *explic. in q. 68. Catech.* ait: in novo Teſtamento duo tantùm, & non plura eſſe Sacramenta. Et Confeſſio Helvetica *cap. 19. §. Et ſunt.* negat, Ordinationem Miniſtrorum eſſe Sacramentum. 19.

Decimo nonò. Wollebius *lib.* 1. *Comp. Theol. cap. 18. can. 17.* ait: Deſcenſum Chriſti ad inferos eſſe quartum in Symbolo Apoſtolico articulum. E contrà Oecolampadius apud Scultet. *Annal. Decad.* 2. *ad annum* 1528. *in fine*, aſſerit: Deſcenſum Chriſti ad inferos non eſſe ſpecialem articulum fidei, &c. 20.

Vigeſimò. Matthæus Sutlivius *lib. de Purgat. adverſ. Bellarm. cap. 9. §. Decimò*, ait: Per Chriſti ſanguinem ſe habere remiſſionem omnium peccatorum. E contrà Urſinus *q. 126. par. 3. reſp. ad object. 1.* aſſerit: Pios habere quidem remiſſionem peccatorum; verùm non omninò, neque etiam quoad continuationem, ſed tantùm quoad initium, &c. Plura videre licet apud Georgium *cit.*

Idem Author *Rat. 36. cap. 2. ac ſeq.* ex Doctoribus Reformatis recen- 21.

ſet,

ſet, qualiter Zvvingliani ſtatuerint, ut in pacem & concordiam redirent cum Lutheranis, ſed fruſtra. Unde non modica erat Zvvinglianorum adversùs Lutheranos querela, uti patet ex *Præfatione Conſenſûs Orthod. de Cœn. Sacr.* ubi ſic habetur: *Nunc id tantùm contendimus, controverſiam hanc* (de Cœnâ ſcilicèt Domini) *non tanti cenſeri debere, ut propter eam tanquàm impij &*
22. *ſacrilegi proſcribendi, & ab Eccleſiæ ſocietate excludendi ſimus.* Verùm Lutherus longè aliter ſenſit ad Senatum Francofurtenſem, teſte Sculteto *Annal. Decad. 2. pag. 408.* ſcribens: *Zvvinglianos Archidiabolos è ſuggeſtu repellendos, ditione ejiciendos.* Idem porro Conſenſus Orthodoxus *in præfat. §. At dum,* conqueritur, *quòd licèt idem cum adverſarijs ſuis ſentiant, ab his tamen proclamentur, ſe*
23. *duos Chriſtos errore Neſtoriano fingere.* Tandem excitati Reformati in Lutheranos quoque inſurrexerunt: inter quos Urſinus *Catech. q. 78. de Conſubſtant. §. Nam,* ait, *Lutheranos longiùs, quàm Papiſtas à Verbo Dei receſſiſſe, utpote fingentes commentum de corporali præſentiâ Chriſti in Pane, quòd idololatricæ adorationis fundamentum ſit.* Zvvinglius etiam ad *Ioannem Bugenhagium* ſcripſit, *non poſſe Antichriſtum ex integro profligari, niſi &* (Lutheranorum) *errore Conſubſtantiationis profligato corruat, &c.* Et apud Sultet. *Annal. Decad. 1. ad Annum* 1525. non dubitavit affirmare, Lutherum tot ſententias abſurdas & imbecilles in medium adducere, quibus ædificium illud (nempe de Ubiquitate Humanæ Chriſti naturæ, alijſque pluribus capitibus) ſuum ſuperſtruit, ut, ſi veræ illæ eſſent & infallibiles, omnis Dei cognitio obſcurior redderetur, omnis Scripturarum authoritas in dubium vocaretur, &c. Et Bullingerus *adverſ. Brent. cap. de Decret. Concil. Chalced.* Non abs re, ait, inclytæ Heidelbergenſis Eccleſiæ Theologi ſcripſerunt: Novâ hac doctrinâ Ubiquiariâ Chriſti, fingi hominem planè Euthychianum. Plura vide apud Georgium *citatum.*

24. Porrò citatus Conſenſus Orthodoxus §. *Ut verè,* inquit: *Neminem facilè dicturum, quàm multùm Conſubſtantiationis error Tranſubſtantiatione præſtet.*

CAPUT II.

Referuntur Argutiæ Vedroſij.

25. VEdroſius igitur in *ſuo Manual. Antiquitatis ſect. 7. in exam. Rat. 23.* arguit 1. Piè & ſanctè Urſinum ſuum *in Prolegom. Catechet.* affirmare, celſitudinem doctrinæ ſalvificæ inter alia nobis conſtare poſſe ex conſenſu partium ejus. Doctrinam enim ſibi contrariam non eſſe veram, nec Divinam, cùm verum vero conſonet, & Deus ſibi non contradicat. At præter ſolam Propheticam & Apoſtolicam doctrinam

ctrinam religiones alias omnes à ſe ipſis, & inter ſe variè diſſidere etiam in fundamento, & præcipuis capitibus.

Arguit 2. Eccleſiam Romanam membrorum inter ſe, & cum Capite Romano Pontifice unionem arctiſſimam pro Eccleſiæ notâ venditare, & contra in Eccleſijs Reformatis omnia hiulca eſſe, elumbia, bellis & pugnis plena clamitare: quemadmodùm Georgius quoquè ex infinitis, uti ait, in ſcenam producat contradictiones numero quadraginta, quibus bellum hoc abſolvat. 26.

Arguit 3. Georgium ceu hominem imbellem undequaque apoſtaſiæ ſuæ incruſtandæ calcem & lutum conquirentem, quòd talia in aciem protrahat, non eſſe mirandum, ſed miſerandum. At quòd Patroni ac operis promotores viri apud ſuos tanti, inanitatem harum nugarum non perſpexerint, portenti inſtar eſſe. Certè popellum Scholaſticum vel obiter requiſita legitimæ contradictionis edoctum, hominem adeò pueriliter delirantem, fore exſibilaturum, cùm omnia contradictionis ab ipſo producta ſpecimina ad juſtæ oppoſitionis leges ritè exigenti, primo ſtatim intuitu appareant vel non habere idem ſubjectum, vel non fieri ſecundùm idem ad idem, ſeu eodem reſpectu, nec, quod imprimis factum oportuiſſet, diverſa diſtingui tempora. 27.

Arguit 4. Nulla, quæ vel in ſpeciem inter ſe committeret, producere ſcripta ſymbolica, utpote confeſſiones, vel Catechiſmos, quorum apud Reformatos varij ſint. Scripta inter ſe collidere privatorum, etiam interdum eorum, qui ſui nunquam fuerint. De nullâ quæſtione, quæ alicujus capitis principalis, de Scripturâ, Chriſto, vel gratiâ fundamentum tangere. Indigna omnia eſſe, quibus immoretur, ne quod in *examine Rationum 1. 2. 3. & 8.* actum eſt, denuò agatur. 28.

Arguit 5. Quoad doctrinam ad ſalutem Eccleſijs ſuis, quæ Dei Opt. Max. ſingularis ſit gratia, inde à Reformationis tempore ſanctè convenire. De rituum, ſi quæ ſit, diverſitate, reſpondere Confeſſionem Helveticam *cap. 27.* ſequentibus verbis: *Quòd in Eccleſijs diſpares inveniantur ritus, nemo Eccleſias exiſtimet ex eo diſſidentes. Socrates, impoſſibile fuerit, inquit, omnes Eccleſiarum, quæ per civitates & regiones ſunt, ritus conſcribere. Nulla religio eoſdem ritus cuſtodit, etiamſi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui ejuſdem ſunt fidei, de ritibus inter ſe diſſentiunt. Hæc ille. Et nos hodiè ritus diverſos in celebratione Cœnæ Domini, & in alijs nonnullis rebus habentes in noſtris Eccleſijs, in doctrinâ tamen & fide non diſſidemus, neque unitas, ſocietaſque Eccleſiarum eâ re ſcinditur. Semper verò Eccleſiæ in hujuſmodi ritibus ſicut medijs, uſæ ſunt libertate. Id quod nos hodie quoquè facimus.* 29.

H Arguit

30. Arguit 6. Quod ad Doctores privatos, quibus ſingulis Pater luminum gratiam Spiritûs non eâdem impertitus ſit menſurâ, ſi hi ſalvâ unitate fidei, in nonnullis cumprimis circumſtantialibus, & ſcholaſticis quæſtionibus ex diversâ Phraſiologiâ ſæpius, quam ſenſu adverſo oriri ſolitis, diſſidere non poſſent: Heterodoxos fore non Patres duntaxat, quibus valde familiare fuerit, ſententiarum agitari divortijs; verùm etiam ipſos Apoſtolos, quos inter lites nonnunquam motæ fuerint præacerbæ. Maximè verò Georgium de mutuis ſuorum ſolicitum eſſe debuiſſe pugnis & lanienis; Romaniſtas enim nec cum Capite ſuo, nec inter ſe conſpirare.

31. Arguit 7. Vedroſius in *Exam. Rat.* 36. Reformatis curæ ſemper fuiſſe, ut oſtenderent, Eccleſijs Evangelicis cum Lutheranis ab Anno 1524. quo lis Sacramentaria orta, ad annum 1557. contentionem nullam, nullum diſſenſum fuiſſe, niſi in unico articulo, de ſacrâ Cœnâ, veluti præter alia probent articuli Marpurgenſes, & Confeſſio quatuor civitatum ſuperioris Germaniæ ſeparatim Cæſari exhibita, quòd in articulo decimo, qui de ſacrâ Cœnâ eſt, Proteſtantes inter ſe convenire non poſſent. Neque verò iſtum diſſenſum fuiſſe de re totali, ſed duo tantùm manſiſſe incerta & controverſa, præſentiam ſcilicet Chriſti corporalem, in, cum, & ſub pane ac vino; & quæſtionem de manducatione infidelium. Nec iſtam contentionem fuiſſe de re præcipuâ, quæ eſt res ſignata Chriſtus, ejuſque participatio ſpiritualis ac ſalutaris per fidem, utpote quæ utrimque piè credatur. Contrà Tranſubſtantiationis monſtroſum figmentum, Sacrificij Miſſatici propitiatorij abſurdam opinionem, hoſtiæ idololatricam adorationem, Calicis ſacrilegam oblationem, pariter ab utriſque condemnari.

32. Arguit 8. Controverſiam de Ubiquitate carnis Chriſti demum Anno 1557. & 1558. à Ioanne Brentio & Iacobo Andreæ excitatam, vel ſaltem, quia Luthero diſplicere cæperat, renovatam fuiſſe, quòd præſentiam Chriſti corporalem citrà eam ſuſtineri ac defendi poſſe non putarent. Ideò de geminâ hac controverſiâ diſputatum fuiſſe Mulbrunnæ Anno 1564. Porro Anno 1561 & 1562. ſemina jacta eſſe controverſiæ de Prædeſtinatione, perſeverantiâ Sanctorum, & certitudine ſalutis, Argentinæ inter Zanchium & Marpachium ſeniorem, quam Anno 1586. in colloquio Mumpelgardenſi Jacobum Andreæ avidè arripuiſſe atque in plenam ejus diſceptationem Bezam aliquoties recuſantem, in itum pertranſiſſe, quò inde plauſibilioris, magiſque popularis contentionis materies eſſet.

33. Arguit 9. Reformatis curæ quoquè fuiſſe, ut ſcapham ſcapham appellan-

pellando, Lutheranis vivis ob oculos depingerent coloribus, errorum, quos alerent, abſurditatem, & ſi per conſequentias res eſſet agenda, quàm periculoſis conſtringi poſſent nexibus. Cùm autem illas conſecutiones ipſi non agnoſcerent, & Confeſſione Auguſtanâ, ejuſdemque Apologiâ & declarationibus alijs immotè contenderent ſtare, idcircò Reformatos operam dediſſe, ut ex Harmoniâ Confeſſionum cunctis pateret, ſalvum utrinque eſſe fundamentum Theologiæ de principio *Eſſendi*, Deo: *Cognoſcendi*, ſacrâ Scripturâ; & *ſalutem conſequendi*, juſtificatione: nec tanti eſſe diſſenſum, quin concordia & pax Eccleſiaſtica iniri, & nè porrò hoſtibus Evangelij viſum deberent, mutuâ tolerantiâ ſtatuminari poſſet: ita tamen, ut Reformati à receptâ in Eccleſijs ſuis Orthodoxiâ nè latum quidem unguem ſint receſſuri, ſed ut ſua cuique relinqueretur confeſſio. Medio itinere Lutheranis amplexum Reformatos obtuliſſe, tranſitum nunquam ſpopondiſſe, ægro aſtituros, & ſi fieri poſſit, eum curaturos, at eodem cum ipſo ſtrato neutiquàm concubituros.

Arguit 10. Nec temerè ſuſceptum hoc conſilium, ſed imprimis Ex- 34.
emplo Eccleſiæ Apoſtolicæ *Act. 15.* ubi inter Iudæos & Gentes ita convenerit, ut in omnibus tamen conſenſum à Gentilibus Iudæi non exigerent. Neq; enim eos eſſe turbandos ex Gentibus, qui ad Deum convertebantur, modò à pollutionibus ſimulacrorum, & ſcortatione, ſuffocato, & ſanguine abſtinerent. Eandem Epikeiam, ut locum haberet, voluiſſe Paulum in Philippenſium Eccleſiâ, cùm *cap. 3. v. 15. 16.* de primarijs quibuſdam Chriſtianæ Religionis capitibus, juſtificatione & ſanctificatione diſputans, non diſſimulet; dari in capitibus iſtis cognitionis gradus, alijs ſecum, alijs aliter ſentientibus in eo tamen, in quo *primariò* conſentiant, incedendum eſſe, cætera Deum retexturum. Sic enim dici. *Quotquot itaque perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Quòd ſi quid aliter ſentitis, hoc quoquè Deus vobis revelabit. Attamen in eo, ad quod pervenimus, eâdem incedamus regulâ, ut itidem ſimus affecti.*

Arguit 11. Illud conſilium ſuſceptum eſſe exemplo primitivæ quo- 35.
què Eccleſiæ, in quâ, teſte Socrate, *lib. 5. cap. 10. & 11.* Catholicos Novatianis ſuam quoquè conſimili in causâ probâſſe facilitatem. Auguſtinum cumprimis Donatiſtis, quos ut ut invitos fratres appellâſſe. Verba ejus hæc eſſe: *Dicunt Donatiſtæ: quid nos quæritis? Reſpondemus, Fratres noſtri eſtis. Dicunt: Ite è nobis, non vobiſcum habemus rationem: unum Chriſtum confitemur, in uno corpore, ſub uno capite eſſe debemus. In Pſal. 32.* Et paulò ante: *Doleamus illos fratres, tanquàm fratres noſtros, velint nolint, fratres noſtri ſunt.*

Arguit 12. Illud ipſum conſilium ſuſceptum etiam fuiſſe Exemplo 36.
quarundam recentiorum Eccleſiarum, quæ hujuſmodi concordiam fæli-

Digitized by Google

citer inchoârint, & prudenter ſanxerint Sandomiriæ Anno 1570. Uratiſlaviæ 1583. Turonij 1595. & nuper Caſſellis 1661.

37. Arguit 13. Quòd verò Lutherani omnes dexteras fraternitatis nec nunc, nec olim inijcere voluerint, ſed in ſuam Reformationem hoſtiliter arietare pergant, & æquanimitatem Reformatorum ſugillent, nec à convitijs quandoque ſibi temperent, cauſam ſuam non reddi deteriorem. Nec magis juſtitiæ ſuæ ſe pudere, quàm Iacobum Patriarcham, efferatum fratrem muneribus demulcere, & fraternitatis affectum invito extorquere ſtudentem. Si nihil efficiant ſui Reformati, nec pace domus Lutherana digna fuerit, fore ad ſe reverſuram pacem ſuam. Math. 10. v. 15.

38. Arguit 14. Heideggerus in *ſuis Vindicijs n.* 5. Redingium Poetam agere, dum de Zvvinglio quaſi Lutheri dogma de Corporis Chriſti præſentiâ graviter redarguiſſet, allegat Sculteti *Annales ad Annum Chriſti* 1625. ibi enim nè hilum quidem in eam rem extare. Conſtare ſatis, Zvvinglium nihil unquàm in Lutherum dixiſſe inclementius. Dexteram fraternitatis Marpurgi Cattorum ipſi obtuliſſe. Et quomodò erga ipſum animatus fuerit, epiſtolâ ad ipſum Anno 1527. exaratâ, & publici juris factâ oſtendiſſe. Errare Lutheranos imprimis Ubiquitarios graviter, nunquam negâſſe ſe Reformatos. At in fundamentum fidei arietare illos, qui Lutheri doctrinam ſimpliciter tenent, rectè inficiari Bezam, & eum ſecutum Hottingerum, quibus vetuſtiores Theologi minimè adverſentur.

39. Arguit 15. Heideggerus *citatus.* Ad eandem fingendi licentiam pertinere, quòd Redingius Hottingero tribuat, quaſi *in ultimâ ſynodali diſputatione*, quæſtionem de Corporis Chriſti intra Euchariſtiam præſentiâ reali venditatam cenſuerit pro *adjaphorâ cujuſque ad credendum licentiæ expoſitâ.* Hanc impoſturam ex illâ ipsâ diſputatione, verè cygneâ viri ſummi cantione validè refutari, Theſi enim 16. hæc verba legi: *Lutherani talem in Cœnâ Domini præſentiam Corporis urgent, quæ & toti Scripturæ & fidei analogiæ, & puriori antiquitati, & ſobriæ, cujus ſe minimè pudeat, rationi repugnet.* Hoccinè (tandem concludit Heideggerus) eſt, quæſtionem eam habere pro adjaphorâ cujuſque ad credendum licentiæ expoſitâ? Adjaphorum enim eſt, cujus materia nec Verbo Dei, nec fidei analogiâ, nec puriori antiquitate, nec ſobriâ ratione omninò definita eſt.

CA-

CAPUT III.

Oſtenditur ex eo, quòd Reformata Eccleſia contendat, fidem proprio cujuſque conſcientiæ principio inniti, pronum eſſe, ut varijs circa dogmata fidei etiam ſubſtantialia, contradictionibus involvatur. 40.

Probatio prima. Petita ex ratione.

EX illo principio, ex quo natæ ſunt omnes hæreſes, non poteſt non
oriri continua dogmatum contradictio. *Eſt enim neceſſe, ut minuta-* 41.
tim ſecti, conſciſſique diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ (ceu princi-
pium hæreſeos vniverſæ) *vinculo Catholicæ pacis prætulerunt*, uti tradit San-
ctus Auguſtinus *lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani Donatiſtæ cap. 4.* At conſcien-
tiæ jactatæ ſpiritum proprium, ceu animoſitatis propriæ tumorem eſſe prin-
cipium hæreſeos, moderna tempora ex ipſorum etiam adverſariorum con-
feſſione, probant. Audiamus enim Nicolaum Amorſdorfium *in publicâ con-*
futatione puræ doctrinæ ſic diſſerentem: *Nos Zvvinglianam & Oſiandrianam hære-*
ſin, & errores tranquillâ conſcientiâ amplecti non poſſumus. Nunquid Vedroſi, iſte
Neotericus ex propriæ conſcientiæ ſpiritu Zvvinglianos erroris ac hære-
ſis damnavit, & tamen in hac cenſurâ ipſum redarguis erroris? Audia- 42.
mus Matthæum Flaccum Illyricum in *Declamat. quorundam Articul. Chriſtia-*
næ doctrinæ ita concludentem de Lutheranis. *Sic inter ſe ipſos diſſident, quem-*
admodùm Sacramentarij & Babylonij, non ſecùs ac idololorum effectores apud Iſaiam.
Nunquid Vedroſi, iſte Illyricus ex jactatæ ſuæ conſcientiæ ſpiritu & Lu-
theranos & Sacramentarios redarguit tam turpis inter ſe diſſenſionis, quan-
ta vigeat inter idolorum effectores? Audiamus Nicolaum Gallum *in The-* 43.
ſibus & Hypotheſ. fol. ult. ſic decernentem. *Sunt inter nos non de levibus rebus diſ-*
ſenſiones, ſcilicet de lege & Evangelio, & juſtificatione, quæ quidem coire, ſimulque ſta-
re haud poſſunt. Nunquid Vedroſi Gallus iſte ex iactato conſcientiæ ſuæ ſpi-
ritu diſſenſionem de lege & Evangelio, ac juſtificatione inter Neotericos Re-
formatores aſſeruit? Audiamus Iacobum Andreæ *de majeſtate hominis Chri-* 44
ſti in præfatione ſic concludentem: *Non ampliùs, aut certè parùm de verbis Cœnæ*
litigatur, ſed de his ipſis fidei articulis, qui ſunt de Incarnatione Verbi & Seſſione Chri-
ſti hominis ad dexteram Dei. Nunquid Vedroſi Andreas hic ex ſuo ſpiritu de-
crevit, inter Neotericos ſectatores eſſe litem de fidei articulis quaſi prima-
rijs? Quid ergò Vedroſi? An putas, iſtorum Novatorum fidem innixam 45.
fuiſſe propriæ conſcientiæ privato ſpiritui? Si neges, certè convictus es,
quòd

Digitized by Google

citer inchoârint, & prudenter ſanxerint Sandomiriæ Anno 1570. Uratiſlaviæ 1583. Turonij 1595. & nuper Caſſellis 1661.

37. Arguit 13. Quòd verò Lutherani omnes dexteras fraternitatis nec nunc, nec olim inijcere voluerint, ſed in ſuam Reformationem hoſtiliter arietare pergant, & æquanimitatem Reformatorum ſugillent, nec à convitijs quandoque ſibi temperent, cauſam ſuam non reddi deteriorem. Nec magis juſtitiæ ſuæ ſe pudere, quàm Iacobum Patriarcham, efferatum fratrem muneribus demulcere, & fraternitatis affectum invito extorquere ſtudentem. Si nihil efficiant ſui Reformati, nec pace domus Lutherana digna fuerit, fore ad ſe reverſuram pacem ſuam. Math. 10. v. 15.

38. Arguit 14. Heideggerus in *ſuis Vindicijs n.* 5. Redingium Poetam agere, dum de Zvvinglio quaſi Lutheri dogma de Corporis Chriſti præſentiâ graviter redarguiſſet, allegat Sculteti *Annales ad Annum Chriſti* 1625. ibi enim nè hilum quidem in eam rem extare. Conſtare ſatis, Zvvinglium nihil unquàm in Lutherum dixiſſe inclementius. Dexteram fraternitatis Marpurgi Cattorum ipſi obtuliſſe. Et quomodò erga ipſum animatus fuerit, epiſtolâ ad ipſum Anno 1527. exaratâ, & publici juris factâ oſtendiſſe. Errare Lutheranos imprimis Ubiquitarios graviter, nunquam negâſſe ſe Reformatos. At in fundamentum fidei arietare illos, qui Lutheri doctrinam ſimpliciter tenent, rectè inficiari Bezam, & eum ſecutum Hottingerum, quibus vetuſtiores Theologi minimè adverſentur.

39. Arguit 15. Heideggerus *citatus.* Ad eandem fingendi licentiam pertinere, quòd Redingius Hottingero tribuat, quaſi *in ultimâ ſynodali diſputatione*, quæſtionem de Corporis Chriſti intra Euchariſtiam præſentiâ reali venditatam cenſuerit pro *adjaphorâ cujuſque ad credendum licentiæ expoſitâ.* Hanc impoſturam ex illâ ipſâ diſputatione, verè cygneâ viri ſummi cantione validè refutari, Theſi enim 16. hæc verba legi: *Lutherani talem in Cœnâ Domini præſentiam Corporis urgent, quæ & toti Scripturæ & fidei analogiæ, & puriori antiquitati, & ſobriæ, cujus ſe minimè pudeat, rationi repugnet.* Hoccinè (tandem concludit Heideggerus) eſt, quæſtionem eam habere pro adjaphorâ cujuſque ad credendum licentiæ expoſitâ? Adjaphorum enim eſt, cujus materia nec Verbo Dei, nec fidei analogiâ, nec puriori antiquitate, nec ſobriâ ratione omninò definita eſt.

CA-

CAPUT III.

Oſtenditur ex eo, quòd Reformata Eccleſia contendat, fidem proprio cujuſque conſcientiæ principio inniti, pronum eſſe, ut varijs circa dogmata fidei etiam ſubſtantialia, contradictionibus involvatur. 40.

Probatio prima. Petita ex ratione.

EX illo principio, ex quo natæ ſunt omnes hæreſes, non poteſt non oriri continua dogmatum contradictio. *Eſt enim neceſſe, ut minutatim ſecti, conſciſſique diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ* (ceu principium hæreſeos univerſæ) *vinculo Catholicæ pacis prætulerunt*, uti tradit Sanctus Auguſtinus *lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani Donatiſtæ cap. 4.* At conſcientiæ jactatæ ſpiritum proprium, ceu animoſitatis propriæ tumorem eſſe principium hæreſeos, moderna tempora ex ipſorum etiam adverſariorum confeſſione, probant. Audiamus enim Nicolaum Amorſdorfium *in publicâ confutatione puræ doctrinæ* ſic diſſerentem: *Nos Zvvinglianam & Oſiandrianam hæreſin, & errores tranquillâ conſcientiâ amplecti non poſſumus.* Nunquid Vedroſi, iſte Neotericus ex propriæ conſcientiæ ſpiritu Zvvinglianos erroris ac hæreſis damnavit, & tamen in hac cenſurâ ipſum redarguis erroris? Audiamus Matthæum Flaccum Illyricum in *Declamat. quorundam Articul. Chriſtianæ doctrinæ* ita concludentem de Lutheranis. *Sic inter ſe ipſos diſſident, quemadmodum Sacramentarij & Babylonij, non ſecùs ac idololorum effectores apud Iſaiam.* Nunquid Vedroſi, iſte Illyricus ex jactatæ ſuæ conſcientiæ ſpiritu & Lutheranos & Sacramentarios redarguit tam turpis inter ſe diſſenſionis, quanta vigeat inter idolorum effectores? Audiamus Nicolaum Gallum *in Theſibus & Hypotheſ. fol. ult.* ſic decernentem. *Sunt inter nos non de levibus rebus diſſenſiones, ſcilicet de lege & Evangelio, & juſtificatione, quæ quidem coire, ſimulque ſtare haud poſſunt.* Nunquid Vedroſi Gallus iſte ex iactato conſcientiæ ſuæ ſpiritu diſſenſionem de lege & Evangelio, ac juſtificatione inter Neotericos Reformatores aſſeruit? Audiamus Iacobum Andreæ *de majeſtate hominis Chriſti in præfatione* ſic concludentem: *Non ampliùs, aut certè parùm de verbis Cœnæ litigatur; ſed de his ipſis fidei articulis, qui ſunt de Incarnatione Verbi & Seſſione Chriſti hominis ad dexteram Dei.* Nunquid Vedroſi Andreas hic ex ſuo ſpiritu decrevit, inter Neotericos ſectatores eſſe litem de fidei articulis quaſi primarijs? Quid ergò Vedroſi? An putas, iſtorum Novatorum fidem innixam fuiſſe propriæ conſcientiæ privato ſpiritui? Si neges, certè convictus es, quòd

Margin numbers: 41. (beside "oriri continua"), 42. (beside "ſis damnavit"), 43. (beside "ta vigeat"), 44 (beside "formatores aſſeruit"), 45. (beside "rijs? Quid ergò")

quòd propriæ conſcientiæ ſenſus ac ſpiritus privatus non ſit tuta fidei regula. Si affirmes, ſanè fatendum tibi erit, hunc ſpiritum eſſe deceptionis & fallaciæ, ac hæreſeos indubitatam originem. Et verò notum eſt, quòd ex uno Lutheraniſmo prodierint Sectæ *Mollium*, promotore Melanchtone; *Rigidorum* authore Wigando & Illyrico; *Antinoniorum*, *Oſiandrorum*, *Majoriſtarum*, *Amſdorffianorum*, *Flaccianorum*, *Subſtantiariorum*, *Accidentariorum*, *Pfeffingerorum*,
46. *Muſculanorum*, *Ubiquiſtarum*. Nunquid autem omnes iſtæ, uti & Anabaptiſtarum, ac Svvenkfeldiorum ſectæ jactitabant propriæ conſcientiæ ſpiritum? Et tamen Reformatum Miniſterium plurima iſtarum Sectarum in Anabaptiſtis præſertim dogmata hæreſeos condemnat; ut adeò planum ſit, propriæ conſcientiæ jactatum ſpiritum ac ſenſum privatum, à Sancto Auguſtino *ſupracitato* animoſitatis tumorem pacis Catholicæ vinculo ſe præferentem, intitulatum, eſſe quaſi primum hæreſeos principium. Cùm igitur Reformatum Miniſterium jactitet, fidem ſuam, & ſacræ Scripturæ intelligentiam non niſi propriæ cujuſque conſcientiæ ſenſui, ac ſpiritui privato inniti, non eſt mirum, non tantùm reproductas in ipſo fuiſſe quàmplures jam olim antiquatas hæreſes, ſed varijs inter ſe ac circa dogmata fidei etiam ſubſtantialia contradictionibus, & contentionibus involvi, uti mox oſtendetur.

Probatio ſecunda. Petita ab Exemplis, & proprijs Doctorum Reformatorum Confeſſionibus.

47. ETenim Calvinus ipſe in *præfat. ad Regem Galliæ lib. Inſtit. circa finem* ita ſcribit: *Poſtremò non ſatis candidè faciunt, quùm invidioſè commemorant, quantas turbas, tumultus, contentiones ſecum traxerit noſtræ doctrinæ prædicatio, & quos nunc in multis fructus ferat. Nam horum culpa indignè in ipſum derivatur, qui in ſathanæ malitiam torqueri debuerat.* Et verò notæ ſunt diſſenſiones Calvini Clientum, Presbyteranorum & Puritanorum in Angliâ; Gomoriſtarum verò ſeu Proteſtantium, ac Remonſtrantium ſeu Armenianorum in Hollandiâ; quorum poſteriores licèt proteſtarentur, ſe invocato Spiritu Sancto juxta puram Scripturam ſuos articulos veros quidem credere, non tamen habere pro fundamentalibus, nec Proteſtantium articulos tanquàm fundamentalibus contrarios condemnare: nihilominùs in Concilio Dordraceno contrà ipſos tanquàm Schiſmaticos ac errantes ſunt lata decreta, prout habentur in actis illius Synodi. Cur ergo conſcientiæ propriæ ſenſus in vo-
48. bis Reformatis, non autem in Armenianis ſit tuta fidei regula? Nota inſuper eſt Reformatorum ſæpiùs attentata concordia ex hoc, quòd diſtinguerent duplicis generis fidei articulos, alios fundamentales & neceſſarios, alios

Digitized by Google

alios non neceſſarios & fundamentales. Ex quâ proinde diſtinctione evincere conabantur vnitatem, quam ſubſtituram jactitabant, dum articuli fundamentales crederentur ac docerentur, licèt diverſæ circà non fundamentales etiam retinerentur ſententiæ. Hinc in ordine ad iſtum concordiæ finem obtinendum Paræus in *ſuo Irenico cap. 4.* arbitratur: *In colloquio Evangelicorum, quod inſtituendum ſuaderet, primò omnium hanc quæſtionem diſcutiendam, ac decidendam eſſe, quinam articuli ſint fundamentales, ſeu in quibus fidei capitibus verè conſiſtat fundamentum ſalutis?* At reverâ iſta fundamentalium & non fundamentalium Articulornm deciſio hactenùs facta non eſt. Et verò quomodò fieri poſſet inter Reformatos, qui nihil credendum aſſerunt, 49.
quod in ſacris Litteris non contineatur? Oſtendat quiſquis poteſt, in ſacrâ Scripturâ reperiri iſtam fundamentalium & non fundamentalium Articulorum, præſertim quoad ſingula inter ipſos controverſa dogmata deſignationem.

Noviſſimè Hottingerus in *ſuâ Synodali Diſp. de Anno 1667. Menſe Maio* 50.
n. 25. conabatur, hanc diſtinctionis viam pro unitate inter ſuos ac Lutheranos conciliandâ inire, ubi ſequentia habentur: *Nec quia vel craſſiùs de præſentiâ Corporis Chriſti, vel intricatiùs & de gratuito electionis & redemptionis beneficio, vel obſcuriùs & periculoſiùs de Ubiqueitate creatæ carnis* (Lutherani ſcilicet) *loquuntur, adeòque quòd tot navos corpus illud habeat, Eccleſiæ Lutheranæ placent; ſed quia illud, quod ad fundamentum veræ pertinet Eccleſiæ (Orthodoxa nimirum de principio Eſſendi, Deo: Cognoſcendi, Scripturâ: & ſalutem conſequendi, juſtificatione doctrina) ſalvum eſt & incolume, ad cætera fraternitatis Chriſtianæ memores connivemus.* At iſtam conniventiam Hottingerus in *ſuâ cygneâ* (uti Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 5.* eam deprædicat) *cantione theſi 19.* ſanè recantavit, ſic poſtea ſcribendo: *Lutherani talem in Cœnâ Domini præſentiam Corporis urgent, quæ & tot ſacræ Scripturæ, & fidei analogiæ, & puriori antiquitati, ſobriæ, cujus nos minimè pudet, rationi repugnat.* Sic adeò impoſſibile eſt, convenire illos, qui in decernendis fidei articulis non niſi ſuo privato ſpiritu ducuntur.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

AD *primam* reſp. Concedendo totum. Hinc tamen ita licebit argumentari. Adeò verum eſt, doctrinam ſibi contrariam non eſſe 51.
Divinam, ut inde ſequatur, Religiones omnes præter ſolam Apoſtolicam & Propheticam à ſe ipſis & inter ſe variè diſſidere etiam in fundamento & præcipuis capitibus. At verò Religionem Reformatam à ſe & inter

inter ſe diſſidere in præcipuis etiam capitibus, imò & in fundamento, patet tum ex dictis *cap. 1.* tum ex eo, quòd Reformatis nullatenùs conveniat, quinam ſint fundamentales fidei articuli, & an circa Corporis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam, ceu articulum non neceſſarium connivere liceat; uti hæc omnia liquent ex proprijs Reformatorum Confeſſionibus. Quomodò igitur iſta religio erit Apoſtolica ſeu Prophetica?

52. Ad *ſecundam* Reſp. Unitatem doctrinæ in Eccleſiâ Romanâ ex hoc ſubſiſtere, quòd non ex proprio cujuſque privati ſpiritûs ſenſu, ſed ex ipſo Dei Verbo ſit definita per Oecumenica Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ firmata Concilia, ac noviſſimè per ſacrum Tridentinum Concilium. Econtrà verò in Eccleſijs Reformatis, dum quiſque Doctor ſuo jactatæ propriæ conſcientiæ ſenſu ac ſpiritu privato nititur, tantam eſſe confuſionem, ut Theologi Reformati *cap. 9. Antilog. 13. in admonitione de libro Concordiæ ratione Ubiquitatis & Præſentiæ Chriſti in Euchariſtiâ* aſſerant de Lutheranis, ſuperare hac in parte Eutychen & Svvenkfeldium, imò Marcionis figmentum. Quo tamen non obſtante, in iſto circa carnis Ubiquitatem articulo eſſe connivendum, cenſuit Hottingerus *ſupra citatus*, in hoc longè diverſus à Tigurinis Theologis in *Confeſſione Germanicâ Tiguri Anno 1544. editâ par. 3. fol.* 125. monentibus Lutherum, nè impijs his dicterijs (dum ſcilicet *lib. contra articulos Lovanienſes theſi* 27. Zvvinglianos ob negatam Chriſti Corporis in Euchariſtiâ præſentiam hæreticos cenſuit) ſe hæreſiarcham declaret. Unde ſanè conſtat, hunc privatum ſpiritum non niſi contradictionem ubique ſpirare.

53. Ad *tertiam* Reſp. Non niſi calumnioſè abſque ullâ probationis etiam apparentis ſpecie ibi decerni. Nam 1. circa Doctrinæ in primorum quinque ſæculorum Eccleſiâ puritatem affirmatio & negatio eſt contradictio omnibus oppoſitionis legibus ſtipata. 2. Eo ipſo, quòd nulla Eccleſiæ Veræ proprietas poſſit deficere, oportebit, conſpicuitatem ceu proprietatem Eccleſiæ ab Urſino aſſertam, eſſe perpetuam. At cum hoc, penſatis contradictionis legibus, apertè pugnat, quòd vera Eccleſia ultra mille & ducentos annos latitaverit ſub Papatu. 3. Eccleſiæ doctrinam eſſe puram, & non puram ab omni errore, manifeſta eſt contradictio. 4. Papatum ſemper & non ſemper, ſed primùm Bonifacij III. tempore appe-
54. tiviſſe ſuperioritatem in cæteras Eccleſias, aperta eſt contradictio. 5. Et quis dubitet de contradictione in hoc, quòd doctrina de ſeptem Sacramentis ſit vetuſta, & non vetuſta? Item quòd Euchariſtia ſit pignus, & non pignus Redemptionis noſtræ? Item quòd Sacramenta conferant, & non conferant beneficia ſeu gratiam Chriſti? Item infantes ante Baptiſ-

Digitized by Google

mum eſſe liberatos, & non liberatos ab irâ Dei? Item Paulianiſtas ad fidem confugientes eſſe rebaptizandos, & non rebaptizandos? Item ſimplicem rationem celebrandi Cœnam ſæculis aliquot eſſe obſervatam, & non eſſe aliquot ſæculis obſervatam, ſed non longè ab ætate Apoſtolorum rubigine tactam? Item Patres de toto Cœnæ myſterio piè ſenſiſſe, ac non piè ſenſiſſe, ſed retorſiſſe hanc memoriam ſecus, ac erat à Chriſto inſtituta? Item manducare carnem Chriſti nihil aliud eſſe, & aliud eſſe, quàm in Chriſtum, eiuſquè mortem credere? Item deportationem Euchariſtiæ ad ægrotos eſſe ſalutarem, & non eſſe ſalutarem? Item cum ſymbolo Sacramentali dari, & non dari rem ſignatam? Item Miſſæ nomen eſſe recens & non recens, ſed ab Apoſtolis Sacramento tributum? Item oblationem in Cœnâ Domini non eſſe agnitam à Patribus Veteribus, eam alioquin Miſſam nuncupaturis, & eſſe, ipſorum vociferatione, erroneè tamen, dictam oblationem? Item Veteres meminiſſe & non meminiſſe oblationis pro mortuis? Item Preſbyterium eſſe Sacramentum tertium, licèt non ordinarium, ultra Baptiſma & Euchariſtiam, & non eſſe tertium in Eccleſiâ Sacramentum, ſed duo tantum? Item Deſcenſum Chriſti ad inferos eſſe articulum Symboli Apoſtolici, & non eſſe fidei articulum? Item mediante Chriſti ſanguine haberi remiſſionem omnium peccatorum, & non haberi omninò neque quoad continuationem, ſed quoad initium duntaxat? Hæc, inquam, omnia, ſi ad oppoſitionis contradictoriæ leges ponderentur, invenientur plerumq; immediatam, quandoque verò mediatam contradictionẽ apertè præſeferre, ut adeò Vedroſij argutia ac reſponſio nullius certè momenti ſit.

Ad *quartam* Reſp. Nihil ex eâ relevari contradictiones à Georgio *ſuperiùs* deductas. Nam 1. aſſerere, quòd Deſcenſus Chriſti ad inferos ſit ſymboli Apoſtolici articulus, nec tamen ſit fidei articulus, nonne hoc eſt arietare contra ſymbolum Apoſtolicum? Inſuper non duo tantùm eſſe Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam, ſed etiam tertium dari, licèt extraordinarium Sacramentum, nempè Presbyterium, ſeu manuum impoſitionem, nonne hoc pugnat cum Catechiſmo Tigurino? Anne igitur Calvinus contrarius ſit Tigurino Catechiſmo? Adhæc cum ſigno ſacramentali ſive Euchariſtico dari rem quoquè ſignatam, & manducationem Euchariſtiæ non eſſe tantùm fidem in Chriſtum, ſed quid ſublimius, nonne iſtud certat cum Confeſſione Helveticâ, & Catechiſmo Tigurino? An non igitur productarum contradictionum ſpecies pugnant cum ſcriptis etiam ſymbolicis. Et verò Vedroſius ipſe *in exam. Rat. 39.* fatetur, articulos Marpurgenſes, & Confeſſionem quatuor Civitatum Superioris Germaniæ ſeparatim Cæſari exhibitos non conveniſſe in articulo de Cœnâ. 55.

na. Nunquid ergo iſta Confeſſio unà cum illis articulis Cæſari tradita
56. erat ſcriptum ſymbolicum? 2. Si non eſt curandum, ſcripta privatorum Doctorum, è quibus tamen Reformata Eccleſia inſtructa eſt, inter ſe collidi in articulis ad fidem ſpectantibus, quomodò ſubſiſtit Reformatorum principium, quòd fides tutò innitatur propriæ cuiuſquè conſcientiæ ſenſui ac ſpiritui privato? Annè igitur hic privatus ſpiritus, quem pro fidei regulâ iactitat Reformatum Miniſterium, tot contradictionibus inter ſe
57. collidi, curandum non eſt? 3. Tandem, quid intendis Vedroſi per hoc, quòd illas quæſtiones, cùm tamen ſint de numero, efficaciâ, ſignificatione ac eſſentiâ Sacramentorum, alijſque fidei articulis per ſcripta ſymbolica definitis, dicas non eſſe alicujus capitis principalis? Profer igitur ex ſacris Litteris talem in principalium & non principalium fidei articulorum diſtinctionem eatenus eſſe admittendam, ut ijs, quos aſſeris non principales, pertinaciter licèt negatis, fidei fundamentum adhuc ſubſiſtat. At caput tuum priùs frangetur, quàm ut probare poſſis hoc ex ſacrâ Scripturâ.
58. Recenſe etiam veſtræ Reformationis ſcripta, ac edic, ſi potes, quænam in veſtrâ Reformatâ Eccleſiâ ſint principalia ſeu fundamentalia fidei capita. Hactenus enim, teſte Philippo *Eilbracht in terrâ Iuliacenſi Superintendente in ſuâ viâ compendiariâ cap. 11.* inter vos cõveniri non potuit, alijs fundamentales fidei articulos nõ niſi ad Chriſtũ, ſive ſalutẽ per Chriſtum reſtringentibus; alijs èconträ ad omnia in ſacris Litteris contenta extendentibus; alijs ad præcepta Decalogi, & articulos Symboli, alijs non ad omnes, ſed certos duntaxat Symboli Apoſtolici articulos, alijs ad ſolũ de juſtificatione articulũ coarctantibus, alijs plures, alijs pauciores etiã contrarios pro fundamentalibus articulis iactantibus. Unde & Paræus *ſuprà citatus* vel maximè exoptavit, ut iſta de fundamentalibus fidei articulis contentio inter Reformatos aliquando decideretur.

59. Ad *quintam* Reſp. Ex proximè dictis abundè conſtare, quòd nè quidem in fundamentalibus fidei, atquè adeò ſalutis articulis conveniant Reformati: nec adeò eſſe, cur ſuorum contentiones ad ſolam Rituum diverſitatem referat Confeſſio Helvetica. At iſtam nonnihil diſcutiamus; ait enim: *Rituum in Eccleſijs ſuis diverſitatem non obeſſe fidei unitati.* Annè igitur hiſcè Eccleſijs fas fuit, inſtituere ritus in ſacrâ Scripturâ non contentos? Ut quid ergo ſuccenſent Romanis ob ſuarum Eccleſiarum ceremonias in Verbo Dei, ut ajunt, non præceptas?

60. Ad *ſextam* Reſp. Contentionem Doctorum Reformatorum in articulis per Georgium *ſupra* expreſſis, non eſſe de quæſtionibus duntaxat circumſtantialibus & Scholaſticis, ſed de Veritatibus fide Divinâ credendis. At licet fideles non teneantur ad omnes, ſed certos duntaxat fidei articulos

memo-

memoriâ retinendos ac *ſpecificè* per aſſenſum poſitivum amplectendos, Veritatis tamen Divinæ eos revelantis reverentia non permittit, ut liceat vel unum *poſitivè* excludere, ipſiquè *poſitivè* contrariari: niſi enim fidem Catholicam integram quis ſervaverit, ſalvus eſſe non poterit, uti *ait Symbolum Sancti Athanaſij.* Et verò nullus unquam hæreſiarcharum, utpote plures fidei veritates amplecti ſolitorum, fide excidiſſet, ſi ad iſtam aliquos duntaxat, qui ſpiritui ſuo privato, ſeu propriæ conſcientiæ ſenſui videbantur, articulos credere, ſufeciſſet. Quamvis proinde inter Sanctos Patres, vel etiam Apoſtolos pro veritate excutiendâ & indagandâ, aliquæ olim fuerint concertationes, nunquam tamen erant de articulis fidei in Eccleſiâ receptis ac definitis; nec adeò horum diſputationes comparare licet cum diſſidijs Reformatorum à Georgio *ſuperius* diſcuſſis. Quod autem Vedroſius tangit de pugnis Romaniſtarum, vana eſt exprobratio *alibi* excutienda. 61.

Ad *ſeptimam* Reſp. Vedroſi, an credis, Reformatores tuos cum veritate demonſtrâſſe, quòd Eccleſijs Evangelicis ab Anno 1524. quo lis Sacramentaria orta eſt, uſque ad annum 1557. nulla cum Lutheranis extra unicum de ſacrâ Cœnâ articulum fuerit diſſenſio? Nunquid Lutherus *in lib. de captivit. Babylonicâ in initio* unicum Sacramentum profeſſus, deinde verò, & unà cum ipſo Confeſſio Auguſtana Anno 1530. in Comitijs exhibita *art. 13.* tria, Baptiſmum ſcilicet, Eucharistiam, ac Pœnitentiam admittentes, à veſtrâ Eccleſiâ jam tunc diſſidebant? Nunquid Lutherani *Molles* dicti, referente Schleidano *lib. 20. Hiſt. circà annum* 1548. in Concilio ſuo Lipſinenſi decernendo ſeptenarium Sacramentorum numerum, cum veſtris Eccleſijs Reformatis conveniebant? Sed cur contentionem de ſacrâ Cœnâ vos inter ac Lutheranos dicis fuiſſe de re non præcipuâ, & non totali? Annon præcipua fidei res, in quâ una partium, ſcilicèt Zwingliani à Lutheranis hæretici, archidiaboli, Neſtoriani, altera verò pars, ſcilicèt Lutherani à Reformatis Anti-Chriſtiani, Eutychiani, idololatrici adoratores notantur? Nunquid Chriſtus quà in Eucharistiâ præſens, non eſt res præcipua, ac ipſamet quidditas hujus Sacramenti? An igitur dum eſt contentio de hujus Sacramenti ſubſtantiâ & quidditate, non ſit controverſia de re totali? At dicis, ideo de re præcipuâ & totali non eſſe vobis & Lutheranis diſcordiam, cùm utrimque condemnetis Tranſubſtantiationis monſtroſum figmentum, ſacrificij Miſſatici propitiatorij opinionem, Hoſtiæ idololatricam adorationem, Calicis ſacrilegam oblationem. At nunquid Conſenſus veſter Orthodoxus *in Præf. §. Ut verò.* Conſubſtantiationis Lutheranæ utpote longè abſurdioris errorem ait præſtare Tranſubſtantiatione? Nunquid in Confeſſione Auguſtanâ apud Sculter. *Annal. Decad. 2. ad Annum* 1530. Melanchton profeſſus 62. 63.

Digitized by Google

feſſus eſt, ſe retinere Miſſam? Nunquid è contrario Theologi Tigurini *in ſuâ Confeſſ. Germanicâ Anno* 1544. illud Lutheri Dogma monſtroſum proclamant? Nunquid Urſinus impoſuit Lutheranis, quòd ſuâ corporalis Chriſti intrà Eucharistiam præſentiæ aſſertione jecerint fundamentum idololatricæ adorationis? Quomodò igitur ſubſiſtit in re, ut Vedroſius definivit, jam præcipua Reformatos inter ac Lutheranos concordia? Et verò ſi tanta vobis eſt unitas & pax, cur Calvinus *in Admonitione tertiâ ad Joachimum Weſtphalum* ſcripſit in hæc verba: *Lutherani homines ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba facta Gygantum, phrenetici, beſtiæ, nihil aliud, quàm falſarij.*

64. Ad *octavam* Reſp. Si verum eſt, quod controverſia de Ubiquitate demum Anno 1557. & 1558. fuerit à Joanne Brentio, & Jacobo Andreæ excitata, cur Zwinglius apud Scultetum ad Annum 1525. ſcribitur non dubitâſſe, quin Lutherum ratione illius (de Ubiquitate præſertim) ædificij ſuperſtructi graviter incuſaret? Cur Theologi etiam Tigurini in præcitatâ Confeſſione Anno 1544. eum arguebant quaſi hæreſiarcham ex monſtroſo ſuo (circa Ubiquitatem præcipuè) dogmate? Benè igitur feciſti Vedroſi, quòd te correxeris, aſſerendo, illam de Ubiquitate carnis Chriſti controverſiam, quia Luthero diſplicere jam cœperat, à Brentio & Andreâ renovatam fuiſſe. At verò ex ſpiritu & conſcientiâ Lutheri iſtud Ubiquitatis dogma ita jam erat definitum, ut propterea Zwinglianos, aliosquè ſibi contrarios, hæreticos decreverit. An ergo ſpiritus & conſcientiæ veſtræ, in quibus tamen fidei regulam collocatis, ſunt adeò mobiles, ut eandem rem modò pro indubitato fidei articulo definire, modò iterum abnegare valeant. Ex hoc ſanè ſpiritu ſibimet nunquàm benè cohærente, prodijt, quòd Reformatos inter ac Lutheranos, Vedroſio ipſo fatente, creverint contentiones & controverſiæ jam priùs fatales.

65. Ad *nonam* Reſp. Quærendo, an conſequentiæ, quibus Reformati Doctores Lutheranis errorum ſuorum abſurditatem oſtendebant, ex ſacris Litteris mediantibus ipſorum conſcientijs prodierint? Si reſpondeant affirmativè, rurſus quæro, quomodò ergo tales conſcientias ſuas in ſacris Litteris fundatas, quibus ipſarum fides niteretur, pacem cum Lutheranis in ſuo licèt Dogmate pertinaciter perſiſtentibus affectando deſerere potuerint, maximè cùm per illas conſequentias nõ niſi ex conſcientiâ ſuâ reproductas omnis Scripturarum authoritas in dubium vocaretur, veluti Zwinglius *ſupra cit.* loquitur. Sed, inquit Vedroſius, Reformatos à receptâ in ſuis Eccle-

66. ſijs Orthodoxiâ nè latum quidem unguem recedere, ſed ſuam cuique relinquere Confeſſionem, ut concordia & pax Eccleſiaſtica ipſos inter, ac Lutheranos iniri poſſit. At nunquid hoc eſt, illam de præſentiâ, imò & de Ubi-

Digitized by Google

Ubiquitate carnis Chriſti articulum facere adiaphorum, cujuſque ad cre-
dendum licentiæ expoſitum? cùm tamen Heideggerus *in ſuis Vindiciis n. 5.*
unà cum Hottingero decernat, *Illam à Lutheranis aſſertam præſentiam Corporis in*
Cœnâ Domini toti ſacræ Scripturæ, & fidei analogiæ repugnare. An igitur Reforma-
torum conſcientia admittere poteſt pacem Religionis cum illis, qui toti ſa- 67.
cræ Scripturæ & fidei analogiæ repugnant? Verùm inſtat Vedroſius:
Harmoniam Confeſſionum inter ſe ac Lutheranos ex hoc ſtare, quòd ſal-
vum utrimque ſit fundamentum Theologiæ de principio *Eſſendi* Deo, *Cog-*
noſcendi ſacrâ Scripturâ, & *ſalutem conſequendi*, juſtificatione. At nunquid
etiam Ariani, Eutychiani Neſtoriani, &c. credebant Deum *Eſſendi* principiū?
Nunquid etiam jactitabant Scripturam ſacram, ceu *Cognoſcendi* principium?
Nunquid mediante juſtificatione per Chriſtum confidebant ſe conſecuturos
ſalutem? An igitur Confeſſioni Reformatorum pax eſt cum Arianis, Neſto-
rianis, & Eutychianis? Sed quomodò hæc ipſa Reformata Confeſſio conve-
nit in juſtificatione, ceu ſalutis principio, cùm unus dicat, ſe habere omnium
per ſanguinem Chriſti peccatorum remiſſionem; alter verò dicat, pios ha-
bere quidem peccatorum remiſſionem, non tamen omninò, neque etiam
quoad continuationem, ſed quoad initium, ut patet ex dictis *præced. cap. 5. n. 20.*

Ad *decimam* reſp. Actorum 15. fuiſſe quæſtionem, utrùm illi, qui 68.
ex Gentiliſmo erant converſi ad fidem Chriſti eſſent circumcidendi?
Quam equidem quæſtionem ita fuiſſe *negativè* deciſam, ut *ibidem* ta-
men imperatum ſit, ut abſtinerent à ſuffocatis. Ejuſmodi verò abſtinen-
tia olim erat ceremonia Legis Moſaicæ. Eo ipſo autem, quòd Gentiles
ad Chriſti jam mortui ac reſurgentis fidem fuerint converſi, non erat peri-
culum ceremoniali abſtinentiâ utendi ſub illâ ſignificatione, ſub quâ *forma-*
liter ſ. ſpectabat ad legem Moſaicam, ut ſic venturi Chriſti proteſtativam.
Unde ad Chriſtianos ex Iudaiſmo converſos legi Moſaicæ non jam *for-*
maliter, ſed *materialiter* ſpectatæ adhuc affectos, majori cum ſuavitate coa-
dunandos cum Chriſtianis ex Gentiliſmo converſis, erat ex reſpectu eti-
am Synagogæ ceu veræ olim Eccleſiæ cum honore ſepeliendæ, ab Apo-
ſtolis præceptum, ut aliquæ, non tamen Circumciſionis ceremoniæ ob-
ſervarentur à Gentibus. Sicuti autem in iſtâ ceremoniarum legalium, non
jam ſub formalitate legis Moſaicæ propriâ, ſed ſub aliâ ratione ſpectata-
rum obſervatione, nulla ſuberat vel falſitas, vel moralis inhoneſtas, ſic
in illo præcepto nihil erat inconvenientiæ. Deinde Paulus ad *Philippen-* 69.
ſes 3. agit contra Iudaizantes, illos nimirum, qui contendebant, juſtitiam
obtingere ex obſervatione legis Moyſi. At ubi contra hos monſtrâſſet
Apoſtolus, *juſtitiam non eſſe ex lege, ſed ex fide Chriſti*, ſic decidit: *Quicumque*

perfe-

perfecti ſumus, hoc ſentiamus; & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque Deus revelabit, vos nimirum errare in ſenſu veſtro, uti exponunt Theodoretus & Anſelmus. Tandem idem Apoſtolus rede..ndo ad ea, quæ in præcedentibus de cavendis Iudaizantibus, ac tenendo perfectionis curſu dixerat, ita concludit: *Veruntamen ad quod pervenimus, idem ſapiamus, & in eâdem permaneamus regulâ.*

70. Quibus proin..e conſtitutis, ſic licebit argumentari contra Adverſarios. 1. Apoſtolus *ad Philipp. 3.* errorem Iudaizantium ita redarguit per incuſſionem timoris Dei talem errorem aliquando revelaturi, ut non aliter ſtatuerint unitatem in eâdem fidei regulâ tenendam, niſi quatenùs cavendi eſſent Iudaizantes. Atqui contra Lutheranos ceu deteriores Iudaizantibus ita ſtatuit Orthodoxus Conſenſus *de Cont. Sacram. in Præfat. §. Rogamus. Obteſtamur omnes, quos gloria Dei, & publicæ pacis & concordiæ Eccleſiarum cura tangit, ut cauſam hanc totam diligentiùs expendant, & mox patebit, Adverſarios noſtros* (Lutheranos) *Neſtoriano errori viciniores eſſe, & eoſdem cum Mahometis Alkorano familiariùs, quàm nos colludere &c.* Quomodò igitur ex allegato *ad Philipp. cap. 3.* licebit Reformatis ſervare concordiam cum Lutheranis, & non po-

71. tiùs ab ipſis ſibi cavere. 2. *Act. 15.* non aliud ſtatuitur, niſi ut Ceremonia legalis non jam ſub proteſtatione Chriſti venturi, ſed ſub aliâ fidei in Chriſtum haud repugnante formalitate obſervaretur à Chriſtianis ex Gentiliſmo converſis. At verò longè alia ratio eſt cauſæ inter Lutheranos & Zvvinglianos ag..tatæ, *uti patet ex cit. Præfat. Conſenſûs Orthodoxi de Cont. Sacram. §. At nos non.* Ubi ſic habetur: *At nos non latet, quid hîc nobis reſpondeant* (Lutherani) *& quibus criminibus gravent. Nos nimirum Sacramentarios, id eſt impios Sacramentorum profanatores eſſe, qui ſacra myſteria irreligiosè tractemus, & ex Cœnâ Domini myſticâ ſympoſium vulgare faciamus. Sacramenta item nudas Profeſſionis Chriſtianæ teſſeras eſſe putemus, & Chriſtum ipſum à Cœnâ excludendo, ejus Omnipotentiam negemus, ſimulque eundem mendacij arguamus, eâdemque operâ præcipuos fidei Chriſtianæ articulos adulteremus, & (quod ſupra quoquè diximus) incautis viam ſternamus, quâ ad Neſtorianam & Arianam hæreſin, & Mahumetiſmum ipſum perveniatur.* Deſine igitur Vedroſi, mirari, quòd una fidei regula & concordia vos Reformatos inter ac Lutheranos hactenùs ſtatui non potuerit.

72. Ad *undecimam* reſp. Socratem *cit. cap. 10.* nihil aliud edicere, niſi quòd Imperator de ſectis hæreticorum eliminandis ſolicitus, fuerit uſus operâ Nectarij, Agelium Novatianorum Epiſcopum in fide ſibi conſentientem, & hoc mediante, Siſinnium in Eccleſiâ Agelij Lectorem in ſocietatem vocantis. Qui ubi cum reliquis Novatianis compertus eſſet Conſubſtantialitatem Filij aſſerere, cæteris ècontrà hæreticis Trinitatis unitatem dirimentibus, obtinuit ab Imperatore, ut Novatiani ſuis Eccleſijs ſecurè potiren-

Digitized by Google

tirentur; eademque haberent privilegia, quibus Eccleſiæ ſuæ ipſius fidei adhæreſcentes, fruebantur. Quid ergò Vedroſi? Annè ita probas iſtud Imperatoris exemplum, ut & ipſe Novatianos in Eccleſijs tuæ Reformationis admitteres? Cur igitur nos Catholicos, cùm & ipſi probemus Filij Conſubſtantialitatem, non permittis reſtitui Eccleſijs tuis, quibus jure potiebantur? Deinde Sanctus Auguſtinus *in Pſal.32.* hoc ſolummodò probat, 73.
quòd etiam hæretici, cùm Chriſtiani ſint, ſint fratres noſtri, utpote unum caput nobiſcum confitentes, à corpore tamen ſeparati. Hinc autem infert, quòd, cùm ſint ſub uno nobiſcum Capite, debere in uno quoquè corpore nobiſcum eſſe. Unde ipſos, ut qui perierint, adjurat per viſcera charitatis, & per Chriſtum, ut tanquàm mortui redeant ad vitam, monetque Orthodoxos, ut pro illis deprecentur Deum, ut aliquando det ipſis ſenſum ſobrium, itaquè reſipiſcant, & videant ſe, utpote quibus non remanſerit niſi infirmitas animoſitatis, quæ tantò languidior ſit, quantò ſe majores vires habere exiſtiment. Quid ergo Vedroſi? Anne hoc eſt ita diſſimulare hæretica dogmata, ut illis etiam ſalvis, unitas Religionis iniri queat? Sanè Auguſtinus Chriſtianæ cum hæreticis fraternitatis leges non in eo poſuit, quòd ipſorum falſa dogmata tolerentur, ſed pro ipſorum converſione Deus oretur, ipſique unum nobiſcum Caput confitentes, debeant ad unitatem corporis per ſenſum ſobrium reſipiſcendo, abjuratis adeò hæreſibus, redire.

Ad *duodecimam* reſp. Me non capere, quo jure exempla ibi recenſita approbentur. Scio equidem, Zvvinglianos à primâ ſuâ origine affectâſſe concordiam cum Lutheranis, ipſomet Luthero *in epiſt. ad Bremenſ. Præpoſitum* de Colloquio Marpurgenſi apud Sculterum *ad Annum Chriſti 1529. pag. 205.* ita ſcribente: *Summo ſtudio & contentione* (Zvvingliani egerunt) *ut videremur nobiſcum concordes, ita ut hanc vocem nunquam ex me ferre poſſent: Vos habetis alium ſpiritum, quàm nos.* At idem Lutherus paucis interjectis aſſerit, per hoc Zvvinglianos egiſſe, *ut ſe facerent patronos ac participes ſui erroris.* Quomodò igitur Lutherani Sandomirienſes & Uratislavienſes contra Anteſignani ſui exemplum inire potuerunt cum Reformatis concordiam, quin ſe participes facerent ipſorum erroris? Certè Lutherus *loco cit.* ait: Zvvinglianos indigniſſimè affectos eſſe, quòd fratris nomen ab ipſo impetrare non potuerint. At nos Catholici econtrà vos Reformatos ceu Chriſtianos ſponte dignamur nomine fratris. Cur ergo in nos adeò concitamini, ut non niſi ex fatali erga nos odio ſocietatem ambiatis cum Lutheranis? An quia Tranſubſtantiationem defendimus? At Scultetus *Annal. dec. 2. ad Annum 1530. pag. 289.* ſuam de Confeſſione Auguſtanâ diſſertationem 75.

conclu-

concludendo, ait: in Tranſubſtantiationis luto hæſiſſe adhuc Confeſſionis authores & Confeſſionem ipſam, & apologiam, & Luheri ſcripta quædam docere. An quia ſpes vobis eſt, Lutheranos tandem vobis condeſcenſuros? At deſperatam hanc ſuam cauſam ipſe Vedroſius *in argut.* 13. prodit, Lutheranos, inquiens, dexteras fraternitatis nec nunc, nec olim inijcere voluiſſe, ſed in ſuam Eccleſiam hoſtiliter arietare pergere, & æquanimitatem Reformatorum ſugillare, nec à convitijs quandoque ſibi temperare.

76. Ad *decimamtertiam* Reſp. Me capere non poſſe, quando pax Lutheranis oblata, ſed refutata, ad vos revertatur, dum exinde cenſuris invehimini in Lutherum, ejuſque aſſeclas. Sic Muſculus apud Scultetum *ad Annum* 1533. *pag.* 411. *Bone Deus*, inquiebat, *quàm pernicioſè Lutherus de Chriſto ſenſit, ſi quod illic ſcripſit, reverà ſentit! An hoc non eſt, duas in Chriſto naturas ita confundere, ut fidei noſtræ fundamenta de Incarnatione, de Morte, deque verâ juxta hominem in cælos exaltatione prorsùs aut ſubruat, aut reddat incerta?* Et noviſſimè Hottingerus *in ſuâ cygneâ*, uti Heideggerus ait, *cantione: Lutherani*, ait, *talem in Cœnâ Domini præſentiam Corporis urgent, quæ & toti ſacræ Scripturæ, & fidei analogiæ, & puriori antiquitati, & ſobriæ, cujus nos minimè pudet, rationi repugnat.* Quomodò igitur aliqua in vobis erga Lutheranos pax ad vos ab illis repulſos reverſa videri poteſt? Sed neque vobis ipſis intrinſeca poteſt eſſe pax, qui, ut Heideggerus in *ſuis Vindicijs n.* 5. aſſerit, negatis Lutheranos in fidei fundamentum arietare, & tamen ipſos toti ſacræ Scripturæ, ac fidei analogiæ repugnare proclamatis. Quomodò ergo fidei veſtræ fundamentum cum repugnantiâ totius ſacræ Scripturæ & contrarietate analogiæ fidei firmiter ac pacificè ſtare poterit?

77. Ad *decimamquartam* Reſp. Scultetum habere iſta formalia: *Zvvinglius reſponſionem ſuam Ioanni Electori Saxoniæ, & Philippo Langravio Haſſiæ conſecrat, & in proœmio illo non dubitat affirmare, Lutherum tot ſententias abſurdas & imbecilles in medium adducere, quibus ædificium illud ſuum ſuperſtruit, ut ſi veræ eſſent & infallibiles, omnis Dei cognitio obſcurior redderetur, omnis Scripturarum authoritas in dubium vocaretur, ipſa denique Lutheri doctrina ab ipſomet expugnaretur ſimul & proſterneretur, &c.* Verumnè igitur eſt, Zvvinglium nihil unquàm inclementiùs dixiſſe contrà Lutherum, ac nè hilum quidem de hoc extare apud Scultetum? Vide Heideggere, an tu potiùs, vel Redingius poetam agat. Verumnè etiam eſt, illos, qui Lutheri doctrinam ſimpliciter ſequuntur, in fidei fundamentum non arietare, ſed tamen, uti Hottingerus ait, pugnare cum totâ ſacra Scripturâ, & fidei analogiâ? Sed paululùm conniveamus Heideggero Lutheri doctrinam adeò deprædicanti, ut ex ipſo intelligamus,

Digitized by Google

ligamus, quo animo recipiat Theologorum Tigurinorum Confeſſionem Germanicam Anno 1544. Tiguri impreſſam, in quâ dicitur, *Lutherum fuiſſe conatum inducere monſtroſum dogma.*

Ad *decimamquintam* Reſp. Illum articulum fidei eſſe adjaphorum cujuſque ad credendum licentiæ expoſitum, qui non pertinet ad fundamentum fidei ac veræ Eccleſiæ, ita ut circa ipſum connivere, ac ſuam cuique Confeſſionem relinquendo permittere liceat, ut contradictoriæ de tali dogmate ſententiæ utrinque teneantur. At Hottingerus *in ſuâ Diſputatione apologeticâ* (inter Synodales, quæ ad manus meas devenerunt, ultimâ) *poſtridie Synodi menſe Maio Anno* 1667. *Tiguri impreſſâ* ita habet: Nec quia vel craſſiùs de præſentiâ Corporis Chriſti, vel intricatiùs de gratuito electionis & redemptionis beneficio, vel de Ubiqueitate creatæ carnis loquuntur, Eccleſiæ Lutheranæ placent; ſed quia illud, quod ad fundamentum veræ pertinet Eccleſiæ, ſalvum & incolume eſt, ad cætera fraternitatis Chriſtianæ memores connivemus. Unde & Vedroſius, *ubi ſupra*, ait, ſe, non attento de præſentiâ Corporis Chriſti diſſidio, ſuam cuique relinquere Confeſſionem, ut pax Eccleſiaſtica iniri poſſit. Quid ergo hoc aliud eſt, quàm illud dogma de præſentiâ Corporis Chriſti, imò & Ubiqueitate, quod tamen Zvvingliani olim monſtroſum dogma & Eutychianam hæreſin aſſerebant, facere adjaphorum? Quomodò ergo Hottingerus in ſuâ mihi nunquam viſâ, minùs auditâ cygneâ (uti Heideggerus ait) cantione recantavit, aſſerendo, Lutheranos talem in Cœnâ Domini præſentiam Corporis urgere, quæ & toti ſacræ Scripturæ, & fidei analogiæ repugnet? Quid agis Heideggere, an quia Hottingerus ſibimet contradixit, Redingio fingendi licentiam juſtè affingis? Certè tu ipſemet *præced. n. 4.* ajebas, totum inter vos & Lutheranos diſſenſum in eo eſſe, *An Corpus Chriſti præſens ſecundùm indiſtantiam loci, organo oris comedatur à dignis & indignis*? Quem errorem aſſeris in ſe, non in conſectarijs, nec agnitis ab adversâ parte, nec confeſſis ſpectatum, non trabis, ſed feſtucæ ac ſtipulæ rationem habere. Et tamen poſteà *n. 5.* conſentis Hottingero affirmanti, Lutheranos vrgere talem in Cœnâ Domini præſentiam Corporis, quæ toti ſacræ Scripturæ, ac fidei analogiæ repugnet. An ergo ſtipula & feſtuca eſt, dogma repugnans toti ſacræ Scripturæ, ac fidei analogiæ? Vides, qualiter ſcrutando ſcrutationes proprij tui ſpiritûs, deficias.

78. (beside line 1 of the paragraph beginning "Ad decimamquintam")
79. (beside "ſtianæ memores connivemus")
80. (beside "ſerebant, facere adjaphorum")

COROLLARIUM.

INfertur. Georgij Rationem vigeſimam ſecundam & trigeſimam ſextam 81.
cum omnibus ſuis conſequentijs à Vedroſio nè in minimo quidem ſo-

K lutam

lutam; in priſtino ſuo robore firmam ſubſiſtere. Unde ſic licere argumentari. 1. Ille ſpiritus non eſt Divinus, qui in doctrinâ etiam fidei continuis contradictionibus & contrarietatibus agitatur. Atqui Reformationis ſpiritus ex proprio cujuſque ſuorum Doctorum judicio, format dogmata circa doctrinam fidei continuis contradictionibus inter ſe pugnan-
82. tia, veluti patet ex præcedentibus. 2. Ille ſpiritus non eſt Divinus, qui dogmati quantumvis hæretico, & Antichriſtiano eatenùs cenſet connivendum, ut hoc non obſtante, licèt toti ſacræ Scripturæ & analogiæ fidei repugnet, conetur inire Religionis pacem cum talis monſtroſi dogmatis Doctoribus hæreticis & Antichriſtianis. Atqui Reformatum Miniſterium, licèt Lutheranos circa Cœnam Domini incuſet de enormi hæreſi, ac impietate Antichriſtianâ, eoſque ceu toti ſacræ Scripturæ, ac fidei analogiæ repugnantes incuſet, totis tamen viribus conatur cum ipſis inire Religionis pacem & concordiam, ita ut iſtius dogmatis fidem ab utrâq; parte hæreſeos damnatam cenſeat utrinq; liberam eſſe debere. Quomodò igitur Reformati Miniſterij ſpiritùs poterit eſſe Divinus; eò vel maximè, quòd repugnet Apoſtolo ad Titum *cap. 3. v. 10. & 11.* hortanti: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correctionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit: cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Plures conſequentias vide apud Georgium *citatum*, utpote quæ omnes inſolutæ ſtent in ſuo vigore.

SECTIO III.

An propriæ conſcientiæ ſenſus ac ſpiritus privatus tantæ ſit animoſitatis, ut Oecumenicis etiam Concilijs ſe præferat?

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

1. Hic author *ſuæ Facis Rat. 22.* multis documentis probat, Eccleſiæ Reformatæ Doctores pugnare cum Oecumenicorum Conciliorum decretis; è quibus aliqua duntaxat ex Nicænâ præſertim Synodo hic producuntur.

Primò itaquè Concilium Nicænum per Macharium Epiſcopum Hieroſolymitanum *reſp. 2. lib. 2.* Baptiſmi Ioannis à Chriſti Baptiſmate diſcrimen aſſignando, profitetur, prædicâſſe Ioannem populo Baptiſmum Pœnitentiæ, non autem remiſſionis peccatorum, aut adoptionis filiorum donum.

Digitized by Google

num largitum fuiſſe. Econtrà Calvinus *inſtit. lib. 4. cap. 15. ſect. 7. & 8.* ſic decernit: Neminem perturbet, quòd alterum ab altero (Baptiſmo) diſcernere Veteres, utpote in hoc hallucinati, contendant.

2. Idem Concilium *cit. Reſponſ. Macharij ait: Chriſtum ſolum deſcendiſſe ad inferos, & cum multis rediiſſe.* Econtrà Calvinus *lib. 2. cap. 16. ſect. 9.* dicit, eſſe fabulam, quòd Chriſtus deſcenderit ad animas Patrum, eaſque ex carcere, ubi incluſæ tenebantur, eruerit. 2.

3. Illud ipſum Concilium *Diatyp. de ſancto Baptiſmate* tribuit huic Sacramento virtutem in aquis abſconditam, aitquè, aquas eſſe plenas ſanctificatione Spiritûs ſancti, & ignis Divini. Econtra Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 14. ſect.* 17. negat, aliquam virtutem Sacramenti annexam, affixamque eſſe. 3.

4. Concilium Nicænum *eâdem Diatyp. de Sancto Baptiſmate* decernit, eum, qui baptizatur, reum peccatorum, & obnoxium ſervituti corruptionis deſcendere, & aſcendere liberatum ab hac ſervitute & peccato, factum filium Dei, & hæredem ejus gratiæ. Econtra Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 15. ſect. 19.* falſitatis damnat Veteres docentes, per baptiſmum ſolvi nos & eximi ab originali peccato, & à corruptione, quæ ab Adam in univerſam poſteritatem propagata ſit. 4.

5. Præfatum Concilium *Diatyp. de Divinâ menſâ*, monet, ut fide intelligamus, in ſacrâ Menſâ ſitum eſſe Agnum Dei. Econtra Calvinus *inſtit. lib. 4. cap. 17. ſect. 18. & alibi*, cæterique Reformati negant. 5.

6. Idem Concilium *cit. Diatyp.* ait: Agnum illum in ſacrâ illâ Menſâ incruentè à ſacerdotibus immolari. Econtra Reformati, ſpeciatim Calvinus *cit. lib. 4. cap. 18. ſect. 2. & 3* negant tam ſacrificium, quàm ſacerdotium novæ legis. Plura videri poſſunt apud *cit.* Georgium; omnia enim integra adhuc ſubſiſtunt, nec ullo modo ſunt refutata per Vedroſium, utpote qui refutationem Rationis vigeſimæ ſæcundæ Georgianæ omiſerit, nec niſi obiter *ſect. 2. ſui Manualis* eius meminerit. 6.

Idem Georgius *Rat. 32. n. 5. & 6.* oſtendit, quàm leviter tractentur ſacra Concilia à Reformatis Doctoribus, ſpeciatim à Calvino lib. 4. *Inſtit. cap. 9. ſect* 10, ſic decernente: *Quanquam in illis quoquè antiquis & purioribus* (Concilijs) *eſt, quod jure deſideres, vel quòd eruditi alioqui & prudentes viri, qui tunc aderant, præſentibus negotijs diſtricti, multa alia non proſpiciebant, vel quòd gravioribus & magis ſerijs occupati, nonnulla levioris momenti ſubterfugerent: vel quòd ſimpliciter ut homines, imperitiâ falli poterant; vel quòd nimio affectu nonnunquam præcipites ferebantur.* 7.

CAPUT II.

Referuntur Argutiæ Vedroſij Curienſis.

8. HIc Reformatus Miniſter in *ſuo Manuali Antiquit. ſect.. 2.* arguit 1. Quarto demum ſæculo coacta fuiſſe Concilia generalia, à quibus tamen nullam habeamus fidei Confeſſionem, ſed tantùm quæſtionum particularium deciſionem de Perſonâ Chriſti, & Spiritu ſancto, adverſùs quæ tamen protinus alia inſurrexerint, itidem generalia, eodem ſæculo.

9. Arguit 2. Concilium Ariminenſe inſurrexiſſe adversùs Nicænum primum; & Epheſinum ſecundum ſtabiliviſſe hæreſin Eutychis, confundentis naturas in Chriſto. Huic & jure quidem contradixiſſe Concilium Chalcedonenſe. Illud habitum fuiſſe Anno Chriſti 449. hoc 454. utrumque ante finem ſæculi quinti.

10. Arguit 3. Idem uſuveniſſe in ſæculis ſequentibus. Anno 730. & 755. celebrata fuiſſe Concilia univerſalia Conſtantinopoli, quæ damnârint cultum Imaginum. Horum decreta non jugulâſſe Concilium Nicænum ſecundum ſub annum 781. & Iconolatriam magno conatu aſſertum iviſſe. Hujus placita reſcidiſſe Concilium Francofortenſe, auſpicijs Caroli Magni habitum, prout videre liceat apud Bellarminum *lib. 1. de Concil. cap. 5. 6. & 7.*

11. Arguit 4. Hinc jure cum Auguſtino *lib. 3. adversùs Maximin.* dici: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquàm præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprijs, ſed utriusque communibus teſtibus res cum re, cauſa cum cauſâ, ratio cum ratione concertat.* Uerba hæc omnem elidere Georgij conatum, quo *ratione 22.* ſibi Reformatis nonnullos opponat Canones Concilij Nicæni, cujus authoritatem magni faciat Auguſtinus; at longè maioris ſacras Scripturas. Hujus, non illius pedibus Maxentium conſtringere. Sic decernere Hieronymum *in Epiſt. ad Galat. Spiritûs Sancti doctrina eſt, quæ canonicis litteris prodita eſt, contra quam ſi quid ſtatuant Concilia, nefas duco.*

12. Arguit 5. Saluberrimam Conciliorum in Eccleſiâ eſſe authoritatem, ſe cum Auguſtino agnoſcere. Virtutem enim unitam fortiorem eſſe ſolere. Quemadmodùm faces in unum collectæ flammam excitant, ita viros pios conjunctis animis & ſtudijs multum poſſe, præſente nimirum ipſis Domino, juxta promiſſionem ejus: *Ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 18. v. 28.

Arguit

Digitized by Google

Arguit 6. Quatuor inprimis Oecumenica Concilia ſe magnifacere, ſed quatuor Evangelia longè ipſis præferre. Nam ad ſacræ Scripturæ normam Concilia exigi debere, non viciſſim. 13.

Arguit 7. Diſtinguere ſe inter Symbola à Concilijs Oecumenicis edita, & Canones, ſeu conſtitutiones, quæ illorum nomine venditentur. Symbola, fidei teſſeras ſe toto amplecti animo, non in ijs duntaxat, quæ adverſùs hæreſiarchas definiverint, ſed & in reliquis fidei capitibus ibi expreſſis. Georgium contrarium à *pag. 256. ad 268.* demonſtraturum, ſano lectori non niſi riſum debere. 14.

Arguit 8. Quantùm ad conſtitutiones & Canones, ijs, Bullingero rectè monente, tantum tribuere, quantum Scriptura Canonica permittat, cùm impura manus non diu ab illis fuerit. Documento eſſe canonem de appellationibus tranſmarinis ad Sedem Romanam, ab hujus Legatis in Concilio Chartaginenſi, Nicæni Concilij nomine fucatum, de quo in *examine rationis 5.* 15.

Arguit 9. Quin & Georgium, præeunte Ieſuitâ Forero, de veritate actorum Concilij Nicæni dubitari poſſe, fateri *pag. 249.* Quî itaque ea lapidem Lydium fidei illorum temporum conſtituant? 16.

Arguit 10. Heideggerus *in ſuis Vindicijs*, excipiendo contra Redingum, quòd Calvinum iniquè inſimulet, quaſi immodicam cenſurandi licentiam ſtrinxerit adverſùs Concilia. Nam Calvinum aſſerere quidem, Conciliorum Nicæni & Chalcedonenſis Patres ſuis laboràſſe infirmitatibus; in hoc tamen ſecutum eſſe authoritatem ipſius Leonis Romani Pontificis, qui Concilij Chalcedonenſis Patribus ambitionem, & inconſultam temeritatem objicere non erubuerit. Ad animum ſibi revocare debuiſſe adverſarium illa Calvini verba: *Non aliud*, aientis, *intendo, quàm inde colligi poſſe, Spiritum Sanctum ſic pias alioquin & ſanctas ſynodos gubernàſſe, ut interim aliquid humanitùs eis accidere ſineret, nè nimiùm hominibus confideremus.* 17.

CAPUT III.

Oſtenditur, Reformatum Miniſterium ſuum privatum ſpiritum Concilijs etiam Oecumenicis præferendo, eo ipſo recedere à tutâ fidei regulâ.

CAlvinus *lib. 4. inſtit. cap. 9. §. 8.* ſic decernit. *Quoties Concilij alicujus decretum profertur &c. illud ad Scripturæ amuſſim examinari debet, idquè in eum modum, ut Concilij definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar præjudicij, ne-* 18.

cij, neque tamen examen, quod dixi, impediat, &c. Unde patet, Concilij authoritatem ſpiritui Pſeudo reformato non tanti ponderis eſſe, ut prævalere debeat proprij judicij examini ac deciſioni. Ex quo proinde Reformatorum principio fieri conſequens, quòd certæ ac ſecuræ fidei regulæ nuſquàm locus eſſe poſſit, oſtendetur ſequentibus argumentis.

Probatio prima. Ex ipsâ fidei naturâ deſumpta.

19. NAm fides ejus eſt naturæ, ut non habeat evidentiam Primæ Veritatis revelantis ſua Divina myſteria, ſed lateat ſub obſcuræ revelationis ſpeculo ænigmatico, veluti Apoſtolus *1. Corinth.13.* monet. Hinc ut ſupra dictum, oportet, mediante voluntatis per Spiritum Sanctum motæ imperio intellectum captivari in obſequium Chriſti, ſeu Primæ Veritatis revelantis. Quia verò iſtud voluntatis imperium, utpote à Spiritu Sancto motum, debet eſſe prudens, oportet, ipſum niti regulâ prudentiali, quam Theologi in hac materiâ vocant evidentiam credibilitatis. At inter hæc prudentialis credibilitatis argumenta vel maximè cenſenda ſunt illa, quibus ipſemet Chriſtus ſuam Divinam aſſiſtentiam promiſit. Ejuſmodi verò eſſe Concilia Oecumenica legitimè congregata, ipſimet etiam adverſarij coguntur fateri, dum ajunt, Dominum eſſe illis præſentem; juxta illud Matth. 18. *Ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Si proinde Deus aſſiſtit ſacroſanctis Concilijs, cur illorum cenſuram proprio cujuſque de Divinâ aſſiſtentiâ nuſquàm aſſecurati judicij examini ſubijciunt, & non potius ſuum ſpiritum ac ſenſum proprium cenſent ſubijciendum deciſioni Concilij?

Probatio ſecunda. Deſumpta ex ipsâ Concilij naturâ.

20. NAm Concilium Oecumenicum legitimè congregatum ex Divinâ per ipſummet Chriſtum promiſsâ, atque adeò infallibili aſſiſtentiâ in definiendis fidei dogmatibus taliter procedit, ut ex Verbo Dei non per proprij inſtinctûs, ſed gratiæ Divinæ juxta Chriſti promiſſionem aſſiſtentis ponderationem examinato ac diſcuſſo decernat. Unde Decretum ac definitio Concilij in rebus fidei nihil eſt aliud, quàm examen ac judicium de legitimo Verbi Divini ſenſu, non per proprium inſtinctum, ſed per gratiæ Divinæ aſſiſtentiam ponderato ac deciſo. Ad ejuſmodi autem ſacrorum Conciliorum examen ac judicium devolvuntur fidei quæſtiones, dum hæreſibus exurgentibus, alieni à Veritate Divinâ ſacrarum Scripturarum ſenſus, ex proprijs conſcientiæ ab hæreſiarchis jactatæ inſtinctibus enaſcentes, venditantur in Eccleſiâ. At quia ipſis etiam adverſarijs faventi-

Digitized by Google

tentibus, Concilia legitima ſunt à Chriſto aſſecurata de Veritatis Divinæ aſſiſtentiâ, evidenter ſequitur, tali verum ſacræ Scripturæ ſenſum ab alienis hæreticorum inſtinctibus diſcernenti definitioni omnimodam ineſſe ſecuritatem circa dogmatis definiti veritatem. Eo ipſo autem, quòd in 21.
tali definitione non jactetur aliqua nova Divinitùs inſpirata veritas, ſed hæc per Spiritûs Divini aſſiſtentis gratiam eruatur ex Dei Verbo toti Eccleſiæ concredito, oportet, hanc veritatem eſſe illam ipſam, quæ in ſacris Litteris, vel etiam non Scripto Dei Verbo continetur, nec quidquàm huic ſuperaddi, niſi prudentialem credibilitatis evidentiam. Si proinde per Concilij generalis legitimè congregati & approbati definitionem, mediante Divinâ per ipſummet Chriſtum promiſsâ aſſiſtentiâ latam, habeatur pura Verbo Dei Eccleſiæ concredito contenta veritas, ut quid Reformatum Miniſterium contendit, hanc Divinam veritatem ſuo proprio inſtinctui denuò ſubmittere? Si per ejuſmodi adeò definitionem hæreſes ex propriæ conſcientiæ jactantiâ, & inſtinctu privato exortæ, mediante Spiritûs Sancti ab ipſomet Chriſto promiſsâ aſſiſtentiâ, ſunt jam diſcuſſæ, Veritatiſque adeò Divinæ lux jam apparuit, ut quid Miniſterium Reformatum conatur eam propriorum inſtinctuum tenebris iterum involvere, ac hæreſeon diſcrimini denuò objicere? Si ipſa igitur Divina Veritas jam patefacta per prudentiale credibilitatis judicium, ſuper Concilij definitione rationabiliter fundatum, debitè jam applicata ſit, cur Reformatum Miniſterium contra monitionem Apoſtoli, non captivat ſuum intellectum in obſequium Chriſti ſeu Primæ Veritatis revelantis, ſed effrenatâ propriorum inſtinctuum libidine in circulum ſe agit? Sancto Athanaſio *Epiſt. ad Epictetum de ſynodi authoritate* ſic ſcribente: *Cum hæreſcos refutandæ gratiâ hæc ſynodus coacta fuerit, quâ igitur audaciâ ſit, ut poſt tanti Concilij authoritatem diſceptationes, aut quæſtiones inſtituant?*

Probatio tertia. Petita ab abſurdis.

ETenim nulla unquam oborta fuit hæreſis, quin ex propriæ conſcientiæ ſenſu jactârit verum ſacræ Scripturæ pro ſe ſtantis ſenſum. Hæc 22.
autem jactantia in Eccleſiâ Dei reprimi conſuevit per Concilia, juxta Chriſti Domini ſuam aſſiſtentiam promittentis doctrinam legitimè congregata. At verò ſi Concilij ejuſmodi definitione jam factâ, hæc rursùs ſubjici deberet privatorum inſtinctuum judicio ac examini, non tantùm fieret circulus vitioſus, ſed abiretur in infinitum, eſſetque fruſtranea Concilij definitio, ipſaque adeò per Chriſtum promiſſa aſſiſtentia. Quam equidem abſurditatem facilè deprehenderunt etiam Reformati Hollandi,

Calvi-

Digitized by Google

Calvini *cit. lib. cap. 9. §. 13.* in hoc ſibi contrarij, inſtinctionem ſecuti in Concilio Dordraceno, qui Armenianos tanquàm hæreticos, & ſchiſmaticos ſuis officijs privandos declarârunt, dum nollent acquieſcere illius Concilij decretis, aſſerentes, ſe invocato Spiritu Sancto, examinâſſe omnia juxta ſacram Scripturam, inveniſſequè in conſcientiâ, ſententiam ſuam ſacræ Scripturæ conformem. Et certè Conſul & Senatus Reipublicæ
23. Tigurinæ per publicum mandatum Catechiſmo Anno 1629. Tiguri edito appreſſum, mandat, ut abrogatis omnibus alijs Catechiſmis, in ſuis territorijs ac Civitate Miniſtri unicè illo uterentur. Quid ergo, ſi contra centeſimum quartum illius Catechiſmi, realem Corporis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam negantis articulum, aliquis Miniſter ex conſcientiæ ſuæ inſtinctu ſacræ Scripturæ conformem prætenderet talem præſentiam? Nunquid impunè ferret hanc ſuæ conſcientiæ libertatem? At quo jure Tigurinæ Reipublicæ mandatum in cauſâ fidei cenſeri poſſit majoris authoritatis, quàm Concilij Oecumenici decretum?

Probatio Quarta.

24. Nam Chriſtus *Matthæi 28.* ubi Apoſtolis feciſſet præceptum docendi omnes gentes ea, quæ ipſis mandâſſet, ſubintulit: *& ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Eo ipſo autem, quòd iſta promiſſio ſit Eccleſiæ Paſtoribus uſquè ad ſæculi conſummationem facta, oportet, afficere non Apoſtolos duntaxàt, ſed factam eſſe eorum quoque Succeſſoribus ad finem uſque hujus mundi futuris. Ad quos proinde etiam ſpectat illud Chriſti Domini *Lucæ 10. v. 6. Qui vos audit, me audit.* At verò myſterio non vacat, quòd non ſingulis in particulari, ſed omnibus in ſimul ſumptis Chriſtus fecerit illam promiſſionem conformiter promiſſioni ab eodem Domino noſtro *Matth. 18. v. 20.* expreſſæ hiſcè verbis: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Ex quibus conſtat, uſque ad conſummationem ſæculi Paſtoribus Eccleſiæ congregatis eſſe à Chriſto promiſſam Divinam aſſiſtentiam. At iſta eſt inevitabiliter coniuncta cum Veritatis Divinæ infallibilitate. Ergo Concilijs Eccleſiæ Paſtorum univerſalibus legitimè congregatis, ex Chriſti promiſſione eſt infallibilitas Divinæ Veritatis.

Probatio Quinta. Deſumpta ab exemplo Apoſtolorum.

25. Quamvis enim Apoſtoli ſinguli etiam in particulari habuerint aſſiſtentiam Spiritûs ſancti, tamen ad dandam formam & exemplum Eccleſiæ, leguntur *Act. 15.* celebrâſſe Concilium. Nam ortâ quæſtione, an Gen-

Digitized by Google

an Gentiles ad fidem converſi eſſent circumcidendi, & ad obſervationem legalium Moſaicorum compellendi, congregatis Apoſtolis & Senioribus, magna eſt facta conquiſitio. In quâ tandem *definitivè* pronunciat Petrus dicens: *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodùm & illi.* Quæ proinde Apoſtolica definitio ab ipſiſmet Apoſtolis ad fratres ex Gentibus converſos, hiſcè verbis perſcripta fuit: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, &c.* Ex quibus adeò patet, definitionem hujus Concilij attribui ipſimet Spiritui Sancto. Hoc autem factum eſt in vi promiſſionis à Chriſto factæ, duraturæ uſque ad conſummationem ſæculi, atque adeò in Apoſtolorum quoquè Succeſſoribus locum habituræ. Ergo definitiones Conciliorum ab Eccleſiæ Paſtoribus, ceu Apoſtolorum Succeſſoribus celebratorum, attribui poſſunt Spiritui ſancto, qui Apoſtolos, eorumquè adeò Succeſſores erat docturus omnem veritatem *Ioan. 16. v. 13.*

Probatio ſexta. Petita à ratione ex præcedentibus deductâ, & Patrum authoritatibus firmatâ.

26. UBi enim de dogmate aliquo tanquàm Divinitùs revelato habetur prudentiale credibilitatis Divinæ judicium, cui Veritatis Divinæ aſſiſtentia ex vi promiſſionis Chriſti infallibiliter ſit añexa, tunc diſſentiendo tali dogmati, non illi duntaxat credibilitatis judicio & authoritati, ſed ipſimet Divinæ Veritati dogma ejuſmodi revelanti, infertur graviſſima irreverentia. At per definitionē Concilij eatenùs fundatur prudentiale de dogmate tanquàm Divinitùs revelato judicium, ut definitionis ejuſmodi authoritas ſubſiſtat ex ipſius Divinæ Veritatis aſſiſtentiâ, per ipſummet Chriſtum promiſsâ. Ergo diſſentiendo dogmati, quod ex ipſiſmet ſacris Litteris, ac Verbo Dei, tanquàm Divinitùs revelatum, eſt à Concilio definitum, graviſſima irreverentia irrogatur non ſoli Concilij authoritati, ſed ipſimet Verbo Dei, ſeu Veritati Divinæ revelanti ac teſtificanti. Unde Divus Athanaſius *in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos* ſcribit: *Verbum Domini per Oecumenicam Nicææ Synodum manere in æternum.* Et Cyrillus Alexandrinus *dialog. 1. cum Hermiâ* non dubitavit de Nicænâ Synodo diſſerere, *Quòd Patribus ibi congregatis Chriſtus aſſederit, qui dixerit: ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quis ergo dubitet, quin contradicens Concilijs Oecumenicis adverſetur Verbo Dei, & Chriſto Concilijs aſſidenti?

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij Argutiæ.

27. AD *primam* Reſp. Vedroſium falli & fallere. Nam 1. ex *Act.* 15. capite conſtat, ipſoſmet Apoſtolos exemplo ſuo tradidiſſe formam Concilij generalis, in quo unà cum Capite reliqui Eccleſiæ Paſtores ac Seniores ſtatuendo, decretum ſuum haberi voluerint tanquàm dictatū à Spiritu ſancto. At cùm iſta de fidei dogmatibus ſtatuendis ratio fuerit tradita ab Apoſtolis ex Chriſti Domini informatione, ejuſque per gratiam ſuam aſſiſtentiæ promiſſione, uſque ad ſæculi finem duraturâ: evidenter ſequitur, eandem Divinæ Veritatis authoritatem obtentura generalia Concilia, ſive quarto primùm, ſive etiam poſterioribus ſæculis celebrata fuerint. Quid ergo Vedroſi per hoc intendis, quòd prætendas, Concilia Generalia quarto primum ſæculo, in quo nimirum perſecutione Chriſtianorum ceſſante, Paſtoribus Eccleſiæ convenire licuit, coacta fuiſſe? An ut elidas argumentum Georgij oſtendentis, ipſoſmet Reformatos Miniſtros fateri, in primis ſæculis à Doctoribus & Eccleſiæ Romanæ addictis Patribus fuiſſe veram & Orthodoxam fidei doctrinam, (à modernis tamen Reformatori-
28. bus rejectam) purè ac illibatè cultam? At non evadis vim illius Georgianæ argumentationis, utpote quâ oſtendat, quarto, imò & quinto ſæculo ſub ipſiſmet Nicæni quoquè Concilij definitionibus, juxta propriam Reformati Miniſterij Confeſſionem, viguiſſe illibatam fidei doctrinam,
29. cui tamen hodierna Reformatio veſtra repugnet. 2. Fallit Vedroſius, aſſerendo ex illis Generalibus Concilijs nullam haberi fidei confeſſionem. Ut quid ergo Cyrillus Alexandrinus *in Epiſt. ad Athanaſium Alexand.* ait, Patres in Concilio Nicæno congregatos decreviſſe vniverſale fidei Symbolum, in eoque factam eſſe ſynceram & irreprehenſibilem fidei Confeſſionem? Sanè falſitatem tuam redarguit illud toti Chriſtiano orbi ſolemne
30. ac notum Symbolum Nicænum. Sed ais 3. in dictis Generalibus Concilijs fuiſſe particularium duntaxat quæſtionum deciſionem factam de Perſonâ Chriſti ac Spiritûs Sancti. At poſito iſthoc tuo, quantumvis falſo effato, quid exinde infers? Nunquid & Apoſtoli *cit. Act. 15. cap.* particularem de legalium obſervatione quæſtionē in ſuo Concilio definierunt? Nunquid autem iſtam ſuam definitionem ab ipſomet Spiritu Sancto ſibi dictatam Gentibus converſis ſcripſerunt? Vides igitur, etiam particularium de fidei dogmatibus quæſtionum à Generalibus, Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ ſecundùm Chriſti promiſſionem munitis Concilijs factas deciſiones, habe-

re pon-

Digitized by Google

re pondus authoritatis Divinæ. Quòd autem 4. dicas, adversùs illa le- 31.
gitima generalia Concilia eodem ſæculo inſurrexiſſe alia item generalia, mox audiemus, quàm fraudulenter in hac tuâ aſſertione proceſſeris.

Ad *ſecundam* Reſp. Fraudem tuam, niſi pateret, fore nimis pernicioſam. 32.
Intolerabile namque eſt, quòd legitima & approbata Concilia Generalia confundas, & in æquali gradu conſtituas unà cum reprobatis ac illegitimis Concilijs. Eſt autem ab ipſiſmet per Georgium *cit. Rat. 22. n. 1. ac ſeqq.* citatis, Reformatæ tuæ Eccleſiæ Miniſtris ac Doctoribus receptum, Concilium præſertim Nicænum fuiſſe legitimum & ſacroſanctum, & quoad fidei Dogmata ibidem definita in Verbo Dei fundatum, præeunte Calvino *lib. 4. Inſtit. cap. 9. ſect. 8.* ubi ait: *Fidei dogmata per Nicænam Synodum definita, nil niſi puram & nativam Scripturæ interpretationem continere.* Quâ igitur fronte dicis, Concilium aliquod Generale (tacitè ſupponendo, ac ſi eſſet ejuſdem authoritatis) inſurrexiſſe adversùs Nicænam Synodum? Certè Concilium *abſolutè* ac 33.
ſimpliciter generale non eſt, in quo non intervenit Caput, juxta vulgatam illam à Socrate *lib. 2. cap. 13.* inſinuatam Nicænæ Synodi regulam, quòd Oecumenica Concilia celebrari non poſſint abſque Romano Pontifice, utpote Capite Eccleſiæ, *velut alibi demonſtrabitur.* At nemini ſanæ fidei aſſerere licet, Concilium Ariminenſe vocem Homouſios, atque adeò Filij Conſubſtantialitatem exturbare volens, eſſe legitimum, utpote à Conſtantio Imperatore (uti videre eſt apud Socratem *lib. 2. cap. 29.*) Pontificis authoritate nullatenùs interveniente, coactum, atque adeò Divinæ gratiæ aſſiſtentiâ taliter deſtitutum, ut non niſi cum diſcordiâ finiretur. Quâ igitur impudentiâ Vedroſi niteris ex iſtius Generalis Synodi oppoſitione infringere authoritatem Concilij Nicæni? De ſecundâ porrò Epheſinâ Synodo per Dioſcori 34.
factionem, fugatis etiam Romani Pontificis Legatis, & occiſo Flaviano Patriarchâ Conſtantinopolitano, celebratâ, conſtat eſſe reprobatam à Leone Pontifice in *Epiſt. ad Clerum & populum Conſtantinopol.* item *ad Theodoſium & ad Pulcheriam.* Jure igitur merito à Concilio Chalcedonenſi legitimè congregato & approbato dicis, eam reprobatam, licèt non abſque fraude tuâ, qui ut Conciliorum generalium authoritatem univerſim extenues, Concilia legitima & illegitima in unum chaos commiſces, quaſi ejuſdem eſſent farinæ.

Ad *tertiam* Reſp. Notorium eſſe, quòd illa duo Conſtantinopolitana, 35.
alterum ſub Leone Iſauro, alterum ſub Conſtantino Copronymo; neque Papâ, neq; ullo Patriarchâ (niſi quòd in priori Sanctus Germanus diſſentiendo, expulſionem à Sede Conſtantinopolitanâ in ſe concitârit, in poſteriori autem pſeudoepiſcopus Conſtantinopolitanus interfuerit) interve-

Digitized by Google

niente, celebrata Concilia fuerint illegitima. Falsò proinde aſſeris, Vedroſi, iſtorum Conciliorum Decreta, quatenus Imaginum ſacrarum cultum abrogabant, non eſſe jugulata à Synodo Nicænâ II. Contrarium enim clarè
36. habetur *ex 2. act.* Hujus ſacri Concilij. Sed quâ iterum fronte tibi ipſi contradicens aſſeris, iſtud Concilium iconolatriam magno conatu aſſertum iviſſe, cùm conſtet, iſtud Concilium *act. 7.* ſtatuiſſe, quòd imago *Chriſti non ſit adoranda Latriâ*? Ne tamen ex hoc glorieris, advertas oportet, Synodum hanc aſſeruiſſe, imagines non aliter adorandas, quàm adoretur liber Evangeliorum, & ſacra vaſa. Ex quo manifeſtè evincitur, in priori loco ſermonem fuiſſe de cultu *abſoluto* & *intranſitivo*, non autem de *reſpecti-*
37. *vo & tranſitivo.* Quòd deniq; aſſeras, Concilij Nicæni placita reſciſſa fuiſſe à Francofordenſi Concilio auſpicijs Caroli Magni habito, res ita ſe habet. Nempe author librorum Carolinorum, (uti patet ex præfat.) Patribus Francofurti congregatis impoſuit, Synodum Nicænam definiviſſe, ut imagines adorentur cultu Latriæ, eſſequè hoc decretum ſine conſenſu Papæ à Græcis factum. Hinc moti Patres reſciſſerunt illam de cultu Latriæ (nimirum abſoluto & intranſitivo) imaginibus faciendo, ſententiam, utpote illegitimam, & abſq; authoritate Papæ factam. Vides igitur Vedroſi, ex tuis argutijs nullatenùs labefactari authoritatem Conciliorum, ſi tamen, Papæ præſertim approbatione & authoritate interveniente, ſint Oecumenica & legitima.

38. Ad *quartam* Reſp. Eam eſſe valdè ineptam. Nam quia Maximinus Concilium Nicænum, Sanctus verò Auguſtinus Ariminenſe non admiſit, ideò ex argumentis utrinque receptis adversùs illum Arianum argumentari volens iſte Sanctus Eccleſiæ Doctor, authoritatibus ſacræ Scripturæ ſe concertaturum aſſeruit. At cujvis facilè patet, quàm ineptè hinc concludas, omnem Georgij, Concilium Nicænum à tuo Miniſterio (uti priùs oſtendebat) laudatum, & pro purâ ac nativâ ſacrarum Litterarum interpretatione receptum, tuæ Reformationi opponentis, conatum elidi.
39. Neque verò nobis ullatenùs improbatur Sancti Hieronymi allegata ſententia: ſed eo ipſo, quòd Concilijs generalibus ad normam à Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis traditam legitimè congregatis Chriſtus promiſerit, ſe adſtiturum, negamus, talia Concilia poſſe quidquàm à vero ſacræ Scripturæ ſenſu alienum ſtatuere.

40. Ad *quintam* Reſp. Eam poſſe in hanc formam reduci. Conciliorum in Eccleſiâ authoritas ſaluberrima, ipſomet etiam Vedroſio fatente, eſt ex præſentiâ Chriſti promiſsâ hiſce verbis: *Ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Atqui authoritas in fidei dogmatibus deci-

Digitized by Google

decidendis, per ipſammet Chriſti, ejuſque gratiæ præſentiam Divinitùs promiſſam roborata, eſt Divina. Ergo Conciliorum in Eccleſiâ authoritas ſaluberrima eſt Divina. Quo igitur jure Vedroſius in ſuis præcedentibus argutijs Conciliorum generalium authoritatem adeò leviter tractare auſus fuit?

Ad *ſextam* Reſp. Definitiones ſacrorum Conciliorum poſſe ſpectari tum *formaliter*, tum *objectivè*. Nam *objectivè* dicunt ipſamet fidei dogmata, ſacris Literis ac Verbo Dei contenta: ſed *Formaliter* important ſacri Concilij Divinâ Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ authorizatam, veræque ac genuinæ ſacrarum Literarum interpretationis deciſoriam ſententiam. At ejuſmodi ſententia eſt ſolùm *participativè* Divina, eſtque adeò inferioris gradùs, quàm ſacrarum Scripturarum authoritas, cùm iſta ipſi Primæ Veritati *immediatè* innitatur, & per hanc ceu fidei Theologicæ motivum ſpecificativum, *formaliter* authorizetur. Unde illa Concilij deciſoria ſententia *ſecundùm ſe formaliter* ſpectata, eſt motivum actûs duntaxat prudentialis, licèt ſupernaturalis; verum ſacræ Scripturæ ſenſum, primamquè adeò Veritatem revelantem applicantis ad voluntatem, ut in fidei ac Divinæ revelationis obſcuræ obſequium captivet ac moveat intellectum. Quantum igitur fides Theologica à prudentiâ infuſâ, utpote morali duntaxat virtute, imò quantum authoritas primæ Veritatis in ſe *abſolutè* ac *formaliter intrinſecè* Divina, ab authoritate ſolùm *participativè* ac *effectivè* Divinâ differt, tantùm authoritas ſacrarum Scripturarum præſtat authoritati Concilij *formaliter* ſpectatæ, licèt *objectivè* non aliam, quàm ſacræ Scripturæ authoritatem importet. 41.

Ad *ſeptimam* Reſp. Conveniendo Vedroſium, ubi in ſacris Litteris expreſſam & fundatam habeat illam diſtinctionem Symbolorum & Canonum ab Oecumenicis Concilijs factorum, ita ut illis, non verò iſtis velit fidem toto animo adhibendam? Certè Chriſtus in *cit. Matth. 18. capite*, ubi Conciliorum authoritatem ſuâ præſentiâ firmandam inſtituit, nullatenùs fecit talem diſtinctionem. Quo igitur jure hoc præſumit Vedroſius, eò vel maximè, quòd ſoli Scripturæ inſiſtendum clamitet? Verùm his pauliſper relictis, non parùm admiror tuam, Vedroſi, levitatem, qui vel ſolo riſu excutienda putas, quæ ex Symbolis fidei Georgius *à pag. 256. ad 266.* tuæ Reformationi opponit. Quibus dum ſolo riſu occurrendum cenſes, tuum ſanè Miniſterium ridiculum, Reformationem verò inde ortam temerariam, ac ſanguineis lachrymis deplorandam exhibes. Annè riſu excipies, ſi, uti Georgius fecit, proberis fidei Symbolis non inſiſtere juxta verum à piâ & Orthodoxâ antiquitate, & Concilio ſpeciatim Nicæno approbatum ſenſum? 42. 43.

Ad

44. Ad *octavam* Reſp. Verum quidem eſſe, tantum eſſe tribuendum conſtitutionibus & canonibus Conciliorum, quantum Scriptura Canonica permittit. At quæſtio eſt, utrùm potiùs tui ſit ingenij, canones eiuſmodi examinare & approbare ad ſacræ Scripturæ normam, vel potiùs Concilij ſit, ſuas definitiones ita conformare ſacris Litteris ac Verbo Dei, ut ijs omninò ſit acquieſcendum, uti cenſent ſancti Patres ſupracitati, ac præter eos Ambroſius *lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 9.* & *lib. 5. epiſt. 32.* Auguſtinus *lib. 1. contra Donatiſtas cap. 7. & lib. 2. cont. eoſd. cap. 1. & alibi.* Cùm
45. autem dicas, impuras manus non diu abfuiſſe à canonibus & conſtitutionibus Conciliorum, quæro ex te, an Eccleſiæ potiùs illos à ſui primævâ origine in hodiernum uſquè diem conſervanti, vel tuæ Reformationi adeò periculosè cum fidei Symbolis (uti Georgius *à cit. pag. 256.* probat) procedenti, tutò concredantur, ut ab impuris manibus præſerventur? Quòd enim calumnioſè aſſeras, *Canonem de appellationibus tranſmarinis ad ſedem Romanam, ab hujus Legatis in Concilio Chartaginenſi eſſe fucatam Concilij Nicæni nomine*; res ita ſe habet, quòd, cùm in Concilio Sardicenſi nihil novi quoad fidem fuerit definitum, ſolùmque Nicæna fides roborata fuerit, iſta Synodus fuerit eadem cum Nicæno Concilio habita, ſicuti & Symbolum Conſtantinopolitanum, cùm ſit explicatio Nicænæ, paſſim vocatur Nicænum. Ex hac proinde ratione Canon ille in Nicæno *implicitè*, in Sardicenſi verò Concilio *expreſsè* definitus à ſanctæ Sedis Legatis coram Synodo Chartaginenſi benè allegari potuit ſub nomine Nicæni Concilij. Nequè verò Patres Africani in Chartaginenſi Concilio refutabant ius appellationis ad ſanctam Sedem, ſed deprecabantur, ne tam facilè ob varia incommoda reciperentur appellationes ex partibus adeò remotis, ut *patet ex epiſtolâ ad Cæleſtinum.*

46. Ad *nonam* Reſp. Ex eâ non niſi malitioſum te probari, dum ex eo, quòd Socrates & Sozomenus Paphnutio (quaſi Concilio Nicæno quoad Cælibatum Sacerdotum ſe oppoſuiſſet) falsò imputâſſe oſtenduntur, infers, quòd Georgius, præeunte Forero Ieſuitâ, fateatur, de veritate actorum Concilij Nicæni dubitari. Sed quàm ineptâ, imò & malitioſa ſit hæc tua argumentatio, nemo, ſi rationis expers non ſit, non deprehendet.

47. Ad *decimam* Reſp. Heideggerum nihil aliud probare, quàm ſe conſortem convitiorum, imò & blaſphemiarum, quæ Calvinus adverſus Concilia Oecumenica, & conſequenter hiſcè aſſidentem Spiritum Chriſti effutijt. Nam ipſe etiam Reformationis modernæ ſpiritus apud Vedroſium in *ſuo Manuali pag. 7.* nolens volens fateri cogitur, quòd ſaluberrima Conciliorum in Eccleſiâ authoritas ſit fundata ſuper aſſiſtentiâ Chriſti Domini

Digitized by Google

ni *Matth. 18.* promittentis: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine ſuo, ibi ſe eſſe in medio eorum.* Atqui falſitatem committi, vel Spiritum Sanctum permittere, ut humanitùs aliquid falſi accidat in illâ definitione, cui Chriſtus ipſemet ſuam aſſiſtentiam promiſit, dici non poteſt, niſi in ipſum Chriſti Domini Spiritum blaſphemè reducatur talis defectus ſeu falſitas. Cùm igitur Heideggerus ex Calviniſtico ſpiritu intendat, Conciliorum Oecumenicorum definitionibus legitimè factis & approbatis impingere defectum Veritatis, non poteſt non in hoc redargui de gravi & blaſphemâ calumniâ. Nec eſt, cur Heideggerus ſe defendat ex eo, quòd Leo 1. Chalcedonenſis Concilij Patres arguerit temeritatis & ambitionis. Nam de Concilio approbato eſt illa Chriſti Domini promiſſio, non de Concilij Patribus abſque Capitis authoritate pro ſpeciali aliquâ intentione conſpirantibus, Leo autem primus improbabat attentatum aliquorum, non verò omnium Patrum Chalcedonenſis Concilij, qui formâ legitimi Concilij non ſervatâ, in ſpecialem aliquam intentionem conſpirabant, uti ex actis præfatæ Synodi demonſtrari poteſt. Nihil ergo probat Heideggerus contra authoritatem Concilij juxta Chriſti inſtitutionem legitimè celebrati & approbati. Cujuſmodi tamen Concilia Oecumenica legitimè etiam approbata reprobat ſpiritus Calviniſticus. 48.

COROLLARIUM.

49. Ex dictis infertur. Georgij rationem vigeſimam ſecundam, nullo ſanè eius documento & argumento per Vedroſium ſoluto, integram adhuc & ſalvam ſubſiſtere. Unde licere hunc in modum argumentari. Ille ſpiritus non eſt Divinus, qui non tantùm contradicit definitionibus generalium legitimè congregatorum & approbatorum Conciliorum, ſed horum authoritatem, ipſâ licèt Chriſti Domini aſſiſtentiâ promiſſâ munitam, etiam contradictoriè impugnant. At ex dictis omninò patet, ſpiritum Reformati Miniſterij non tantùm contradicere pluribus Concilij Nicæni, ſuâ quoquè cenſurâ legitimi, definitionibus, ſed authoritatem approbatorum etiam Conciliorum ſuâ propriâ confeſſione ſubinde aſſertam, ceu munitam Chriſti aſſiſtentiâ, ſibi ipſi adeò contradicendo, impugnare ac labefactare. Nequit ergo ſpiritus Reformati Miniſterij eſſe Divinus.

SECTIO

SECTIO IV.

An propriæ conſcientiæ iactatæ ſenſus ac ſpiritus privatus in Miniſtris Reformatis adeò ſit turbatus, ut non niſi illuſoriè & contradictoriè utatur ſanctorum Patrum authoritatibus?

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij Rhæti.

1. HIc author in *ſuâ Face varijs locis* oſtendit, qualiter Reformati Miniſterij ſpiritus doctrinam ab antiquis primorum præcipuè ſæculorum Patribus traditam, quandoquè deprædicet ceu piam & Orthodoxam, quandoquè verò, ubi proprio illius ſpiritûs ſenſui non congruit, erroris contradictoriè redarguat. Nam *Rat. 4.* à Georgio inducitur Calvinus *Inſtit. lib. 1. cap. 11. ſect. 13.* Breitingerus *Opuſc. de ſect. pag. 27.* Danzius *pag. 5. epiſt. reſpons.* Item Chron. Car. *lib. 3. in vitâ Theodoſij.* Bullingerus *cap. 7. 1. par. advers. Brent. & par. 2. advers. eund. C. de ipſa caus. Cont. Decad. 5. ſerm. 4. §. Docendi.* Peucerus *lib. 4. Chron. Car. de rebus Eccles.* Kechermannus *lib. 3. cap. 14. Syſtem. Logic.* qui docuerint, per quinque & ſex priora ſæcula à temporibus Apoſtolorum (in quibus ſcilicèt floruerunt diſcipuli Apoſtolorum, eorumque auditores Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Iuſtinus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius Cæſarienſis, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Proſper Aquitanicus, & Maximus) magis in Eccleſiâ religionem & ſynceram doctrinam floruiſſe. Quam doctrinam, ac religionem, ſi adhuc foret in Eccleſiâ Romanâ, fore ſe illam ultrò ac illicò amplexuros, eò quòd tunc ex Verbo Dei verus de Deo ſenſus, ac pius in Deum cultus traditus fuerit. Imò Chriſtianam religionem tunc tempeſtatis nihil aliud fuiſſe, quàm verum ex Verbo Dei de Deo ſenſum, & pium in Deum cultum, ac doctrinam legis & Evangelij de Deo, & ſuo cultu à Deo ipſo patefactam; libris verò Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſam voluntatem. Unde Veteris Eccleſiæ doctrinam, utpote in Verbo Dei & Apoſtolicâ fide fundatam, omninò attendendam eſſe ad tollendas fidei controverſias.

2. Exinde multis exemplis, nempè de Primatu Cathedræ Romanæ, de ſeptem Sacramentorum efficaciâ ad conferendam gratiam, de Baptiſmi neceſſitate, de Baptiſmi Chriſti & Joannis differentiâ, de ceremonijs Baptiſmi, de Miſſâ, de aſſervatione, & ad ægrotos tranſmiſſione Euchariſtiæ, de Chriſti deſcenſu ad lymbum Patrum, de juſtificatione non per ſolam fidem,

fidem, de meritis, de prædeſtinatione ac induratione, de libero hominis arbitrio, de poſſibilitate obſervationis legis, de Chriſto Mediatore, de vitâ Monaſticâ, de Sacerdotum cælibatu, de Quadrageſimali jejunio, de Sanctorum invocatione, de diſtinctione cultûs Latriæ ac Duliæ, de purgatorio, de ſatisfactionibus hominum, de ſigno Crucis, de Traditionibus, Georgius *Rat. 5.* demonſtrat, Reformatos Miniſtros, ſpeciatim Calvinum, agnoviſſe, ac luculentis verbis teſtatos fuiſſe, quæ antiquorum primis quinque, vel ſex ſæculis viventium Patrum, de hiſcè articulis mens ac ſententia fuerit, ſed tamen illam reijcere, gravibuſque cenſuris & calumnijs impetere, atque adeò declinare à doctrinâ veteri intra Eccleſiam Romanam hodieque illibatâ, quam ipſimet puram & Orthodoxam deprædicent.

Idem Georgius *Rat. 9.* oſtendit viginti quinque exemplis, eiuſdem Reformati Miniſterij Doctores agnoviſſe, quòd primis quinque ſæculis fuerit in Eccleſiâ puritas doctrinæ, & cultûs Divini pietas: quos ipſos tamen Reformatores Doctrinam iſtam Veterum agnitam reprobare, de errore redarguere, alijſque convitijs notare. 3.

Author *cit. Rat. 19. & 21.* magis adhuc inculcat, qualiter Reformati Miniſtri deprædicent veterum Scriptorum doctrinam ceu Orthodoxam ſacræ Scripturæ & menti Spiritûs ſancti conſonam, à quâ tamen ipſi diſſentiant. 4.

Tandem *Rat. 32.* adducit Reformatorum teſtimonia, quibus probat, à Reformatis Doctoribus graviter traduci Patres, & Orthodoxam veritatem, imò & Evangeliſtas, Apoſtolos, Prophetas, ipſummet etiam Spiritum ſanctum, & Chriſtum Dominum. Nam de illâ primorum quinque ſæculorum quantumvis piâ, eruditâ, & ſanctâ Antiquitate ſic ſcribere Calvinum *lib. 4. cap. 13. ſect. 17. Sed eam ætatem ſic ab omni vitio liberam fuiſſe non concedo, ut pro regulâ habendum, quidquid tunc factum &c.* De Sancto Auguſtino aſſerere Caprezium ad *ſect. 28. 29. & 30.* Quòd probè conſtet, Auguſtinum inter fidei principia numeràſſe dogmata quædam, quæ non ſolùm Reformati deteſtentur, ſed ipſi quoque Papiſtæ abominentur. Quale fuiſſe inter alia illud circa Baptiſmum, quo tenellos infantulos, qui ſacri Baptiſmi participes fieri non poterunt, ad infernales & æternas pœnas damnârit. Item quoad ſacram Cœnam, præcipuum fidei articulum graviter lapſum fuiſſe Auguſtinum. De Matthæo Evangeliſtâ Gloſſam Genevenſem habere, quòd iſta verba: *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*, per Evangeliſtam allegata non reperiantur in Ieremiâ & Zachariâ; quod accidere potuiſſe ex defectu memoriæ. De Apoſtolis in genere, ita ſcripſiſſe Zwinglium in *Epiche. de* 5. 6. 7. 8.

Can. Miſſæ : Orandi pro Defunctis morem, Chryſoſtomus & Auguſtinus tradiderunt, ab Apoſtolis uſquè ad ſe manâſſe, quod ego vehementer admiror. Et ſi verum eſt, non puto Apoſtolos aliâ de cauſâ, quàm indulgentiâ infirmis quibuſdam permiſiſſe pro mortuis orare. De Ioanne Evangeliſtâ Molinæum *cap. 24. de Invocat. Sanct.* ita habere : *Clarè hinc liquet, Ioannem, cùm ſecundâ vice adorare voluerit, probè ſciviſſe, non fuiſſe Deum.* At ipſo etiam Molinæo docente, idololatria eſt, velle adorare
9. illum, qui ſcitur non eſſe Deus. De Prophetis Calvinum *lib. 1. Inſtit. cap. 8. ſect. 2. Si legas Amos Prophetam, hominem pecuarium, Jeremiam, Zachariam, quorum aſperior ſermo ruſticitatem ſapit, &c.* Et *lib. 3. cap. 20. ſect. 15. Difficilior videtur eſſe quæſtio de Abrahamo & Samuele, quorum alter nullo Dei Verbo inſtructus pro Sodomitis; alter etiam contrà manifeſtam prohibitionem pro Saule oravit. Eadem ratio Jeremiæ, qui urbis excidium deprecatus eſt. Quamvis enim repulſam paſſi fuerint, durum tamen vide-*
10. *tur, eos fide privare.* De Spiritu ſancto Calvinum *lib. 1. Inſtit. cap. 8. ſect. 2.* ita diſſerere : *Spiritus Dei rudi & craſſo ſtylo uſus fuit.* Et *lib. 3. cap. 6. ſect. 1. Spiritus Dei non ita exactè, nec perpetuò methodicam rationem* (in ſacrâ ſcilicet Scripturâ) *obſervavit.*

11. De Chriſto Domino Wollebium *lib. 1. cap. 24, can. 6.* ſic habere : *Azymus panis* (à Chriſto tamen uſurpatus) *non ſine Iudaicâ ſuperſtitione uſurpatur, in Cœna nimirum celebratione.* Szegedinum denique *locorum commun. tab. de Profanat. Cœnæ Domini* aſſerere : *Opinionem, quòd planè azymo utendum ſit, eſſe profanationem Cœnæ Domini.*

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

12. HIc author *Antiquitatis ſuæ ſect. 2.* arguit 1. Agnoſcere ſe, vetus eſſe delirium eorum, quos Scriptura & ratio deſerit, magno boatu ingeminare Patres. Mulierem Samaritanam in ſubſidium ſchiſmatis Samaritici Chriſto decantâſſe : *Patres noſtri in hoc monte adoraverunt; & vos dicitis, Hieroſolymis eſſe locum illum, ubi oporteat adorare, Ioan. 14.* Scribas & Phariſæos Chriſto inſultantes dixiſſe : *Quare diſcipuli tui Traditionem Veterum tranſgrediuntur? Matth. 15. v. 22.*

13. Arguit 2. E contra Eccleſiam Dei populo ſuo inculcare illud Ieſu Chriſti unius Magiſtri noſtri : *Habetis Moſen & Prophetas* (Apoſtolos) *audite illos. Luca 16. v. 19. Scrutamini Scripturas. Ioan. 5. v. 39.* Eccleſiam inſuper noviſſe, fidem eſſe ex auditu Verbi Dei. *Rom. 10. v. 17. Quapropter ædificare ſuos ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, exiſtente imo angulari lapide Ieſu Chriſto. Epheſ. 2. v. 20.* Ut verè dicere queat; *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. 2. Corinth. 11. v. 23.*

Arguit.

Arguit 3. Quin & ipſis Patribus nihil prius, nihil antiquius fuiſſe, quàm ut animos ſuorum Divino ſanctarum Scripturarum imbuerent ſucco; veluti pateat ex Juſtino Martyre *in Dialogo cum Tryph.* Tertulliano *de carne Chriſti. cap. 7. pag. 556.* & *cap. 2. pag. 553.* & *cap. 3. pag. 567.* Et *in præſcript. adverſ. hæretic. cap. 6. pag. 336.* Cypriano *epiſt. ad Pompejum q. 74.* Baſilio *hom. de fide. pag. 394.* Auguſtino *contra Donatiſtas lib. 2. cap. 6.* Thomâ *1. p. q. 1. a. 8. ad 2.* Claudiano Mammerto Epiſc. Vienn. *lib. 11. de ſtatu animæ ad Sidonem Apoll. &c.* 14.

Arguit 4. Non Patrum, ſed Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta à ſe commendari populo ſuo, quod non difficile ſit duntaxat, verùm etiam impoſſibile homini plebeio, omnium ſæculorum Patres evolvere, & quæ cujuſque doctrina fuerit, perdiſcere. Plebeio autem? imò nec litteratiſſimo. Sacras verò Litteras à puero noviſſe poſſe, quæ nos poſſint ſapientes reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Ieſu Chriſto. *2. Timoth. 3. v. 15.* 15.

Arguit 5. Quòd ſi vnus ex Patribus poſteritati aliquid deſtinârit, centenos alios ſcriptione ſuperſediſſe, ut de fide omnium conſtare non poſſit, Gregorio de Valentiâ Ieſuitâ *Analyſ. fid. l. 8. cap. 7.* atteſtante: *Rarò accidere poſſe, ut, quæ ſit Doctorum omnium uno tempore viventium de religione ſententia, ſatis cognoſcatur.* Hoc imprimis verum eſſe de Doctoribus ſæculorum primorum, quorum pauciſſima monumenta viderit ætas poſterior, teſtante Euſebio *lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 1.* ubi conqueratur, ſe ingredi viam deſertam, nemini ante ſe calcatam, ubi nil reperiat niſi narrationes quaſdam particulares, ceu igniculos eminùs ipſis alluceſcentes, & viam aliquatenùs præmonſtrantes. 16.

Arguit 6. Vedroſius in *cit. Man. ſect. 5.* Tribuere ſe, quòd Georgius *Rat. 4. pag. 108.* urgeat, Eccleſiæ priorum ſæculorum axioma *Vera, Catholica, Apoſtolica, & Orthodoxa.* 17.

Arguit 7. Tribuere ſe, quòd Georgius urgeat *Rat. 21. pag. 230.* Eccleſiæ illorum ſæculorum axioma *Pia, & Orthodoxa vetuſtatis*, cujus conſenſum ſe magni facere, ſi conſentiat cum Verbo Dei. Neque enim, uti Bullingerus *in quæſt. de verâ & finitâ carne Chriſti adversùs Brentium* aſſerat, fidem veteris Eccleſiæ tanti reputandam fore, niſi fundata eſſet in fide Apoſtolicâ, vel Verbo Dei, juxta illud Apoſtoli: *Fides eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Rom. 10. v. 17.* 18.

Arguit 8. Ipſoſmet ſe contendere, quòd vera Chriſti Eccleſia à Spiritu ſancto, qui eſt Spiritus Veritatis, regatur. Quod velle rationem Georgij VII. *pag. 137.* XI. *pag. 192.* XVII. *pag. 213.* Extra veram autem Chriſti Eccleſiam meras eſſe tenebras, in eâ autem lucem Divinam, uti premat Georgij Ratio X. *pag. 189.* 19

Arguit 9. Docere ſe, quòd *Veterum Doctorum ſenſus in explicatione Scripturæ* 20.

Digitized by Google

ſit ſequendus, juxta rationem Georgij *decimam tertiam*. Sed hoc cum grano ſalis; *ſi conſentiat cum Verbo Dei*, juxta Bullingerum: *Si nimirum per authores Canonicos, vel probabiles rationes, quod non à veritate abhorreat, quod docent, perſuadere poſſint*, veluti Auguſtinus loquitur ad Hieronymum *epiſt. 29*

21. Arguit 10. Non diffiteri ſe, *quòd citrà ſalutis diſpendium & crimen impietatis à Doctoribus primitivæ Eccleſiæ recedi non poſſit*, juxta Bullingerum & Georgium *pag. 119.* nempè, *quando referunt non tantùm, quod ipſi duntaxat ſenſerint, ſed quæ fuerit ætate ipſorum ex Scripturâ ſanctâ, vera & Apoſtolica doctrina, Catholicaquè fidei confeſſio in Orthodoxâ & Catholicâ Chriſti Eccleſiâ.*

22. Arguit 11. *Puram Verbi Dei prædicationem veræ Eccleſiæ eſſe notam* primam, præcipuam, imò & eſſentialem, propriam & inſeparabilem. Si hoc ſecum faterentur adverſarij, lites mutuas pridem confectas daturos fuiſſe. Rationem Georgij de hoc eſſe decimamquintam. Sui verò Miniſterij Reformati eſſe illud Auguſtini *Tract. in Ioan. 13. Ego*, ajuntis, *Eccleſia, ſi ſponſa ſum, ſi arrhas accepi, ſi pretio ſanguinis illius redempta ſum, audio vocem ſponſi.*

23. Arguit 12. Hæc omnia largâ manu ſe dare: at pernegare, quòd vera illa Catholica, Apoſtolica & Orthodoxa Eccleſia, ſancta illa, pia & docta vetuſtas de ijs in ratione tertiâ propoſitis, ceu potioribus, uti putet Georgius *pag. 106.* inter Reformatam & Romanam Eccleſiam controverſis materijs, idem cum hodiernâ Romanâ ſtatuerit. Rationes negationis in cujuſvis documenti examine ex ipſâ antiquitate, Patrum ſenſu, & Doctorum Pontificiorum conſenſu ſe tales dediſſe, ut porrò dubitare, ſit manifeſtè inſanire.

24. Arguit 13. Polliceri Georgium, ad vivum demonſtrare Rom. Eccleſiæ hodiernæ cum primitivâ univerſalem conſenſum, quem non niſi in particularibus quarundam quæſtionum inter ſe ac Papiſtas non controverſarum, deciſione à Concilijs Oecumenicis factâ, haberi.

25. Arguit 14. Præter Auguſtinum paucos produci teſtes. Certè Auguſtinum Doctorem verè auguſtum, Patrum eminentiſſimum & copioſiſſimum, attamen hominem lapſibus obnoxium. Ipſummet fateri, in operibus ſuis eſſe multa, quæ juſto judicio & nullâ temeritate damnari poſſint. Vapulare à Doctoribus Pontificijs, nec ubiquè ſui ſatis fuiſſe memorem. Aſpidum ova hujus aquilæ alis fuiſſe ſuppoſita, & degeneres fœtus nomine ejus venditatos. Harpyarum ungues, hoc eſt Monachorum, per aliquot ſæcula, vel ignorantium, vel malignantium impuras manus ex antiquitate nihil puri ac integri relinquentes, ſuperveniſſe hoc plauſibili prætextu: Scripta Veterum Doctorum ab hæreticis corrupta fuiſſe, ex Syxto Senenſi *in Dedicat. Bibliothecæ ſanctæ.* Addit Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 19.* quærendo, cuius delicti ſe alligârit Calvinus, ſi Patres, quos cæterà maximo in

pretio

Digitized by Google

pretiò habuit, Verbo Dei non adæquavit, ſi eos errantes redarguit? Etenim hanc ipſi libertatem indulſiſſe Sanctum Hieronymum Apologiâ contrà Jovinianum: *De me,* (ajuntem) *ubicunquè Scripturas non interpretor, ſed liberè de meo ſenſu loquor, arguat me quilibet.*

Arguit 15. Sanctorum Virorum labores ad Curiæ Romanæ li- 26.
mam revocatos, alios à ſeipſis & miſerè mulctatos, Papiſmi ſucco perfuſos, orbi obtrudi. Aleam hanc ſubijſſe Auguſtinum. Hunc enim *tract. 30. in Ioan. cap. 7.* dicere: *Corpus Chriſti uno loco eſſe oportet*, at dixiſſe fingi, *Corpus Chriſti uno loco eſſe poteſt.* Quam lectionem falſi convinci ex contextu & Gratiani Decreto. Libro III. *de doctrinâ Chriſtianâ* ſic habere Auguſtinum: *Niſi manducaveritis carnem filij hominis &c. facinus, vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, ſuaviter atque utiliter recondendum in memoriâ, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Aureum hoc monitum adulteratum legi in quodam Fuldberti Epiſcopi Carnotenſis ſermone. Etenim hæc infarta ibi legi: *Dicet hæreticus,* impoſturâ manifeſtiſſimâ, quam detegi, quòd Auguſtinus hiſcè verbis proximè præmiſerit: *Si præceptiva locutio eſt, qua flagitium, aut facinus videtur jubere, figurata eſt.*

Arguit 16. Sanctitatis Epitheton *ſecundùm quid* Auguſtino tributum, 27.
aberrandi periculo eum nequaquàm excipere, ex Cano *in locis Theolog. lib. 7. c. 3.* & ipſomet Auguſtino *Epiſt. ad Hieronymum.* Eodem modo titulos Catholicæ, Orthodoxæ, ſanctæ, & veræ Eccleſiæ, denominatione factâ à meliore, ei ab erroribus immunitatem omnimodam nec promittere, nec conferre. Haud dubiè adverſarios Eccleſiæ Romanæ hos omnes vendicare titulos, quam non ideò ab errore immunem eſſe, &c.

Idem Vedroſius *ſect. 8. in exam. rat. 32.* arguit 17. Non eſſe vitio ver- 28.
tendum, quòd Gloſſa Genevenſis Matthæum memoriâ lapſum aſſerat, &c. Quid enim? Si Gloſſa Genevenſis idem diceret cum Auguſtino *lib. 3. de conſens. Evangel. c. 7.* & cum Bedâ *in Comment.* & cum multis alijs etiam Catholicis authoribus, fatente Maldonato *in locum Math. 27. v. 9.* ubi Ieremiæ nomen loco Zachariæ adſcriptum legatur.

Arguit 18. Zvvinglium irrationabiliter redargui, quòd *in Epich. de* 29.
Can. Miſſa Apoſtolos in genere damnabilis circa morem orandi pro Defunctis permiſſionis inſimulârit. Niſi enim calumniandi libido Georgij oculos perſtrinxiſſet, rectè in hunc modum fuiſſe concluſurum. Zvvinglius vehementer miratur Chryſoſtomum & Auguſtinum tradentes, morem orandi pro Defunctis manâſſe ab Apoſtolis, ſiquidem in epiſtolis eorum altum ſit de hoc more ſilentium. Poſito tamen, ſi mos ille ab Apo-

ſtolis

Digitized by Google

ſtolis manârit, quod non eſt credibile, non juvatur cauſa Romanæ Eccleſiæ, ſiquidem illum Apoſtoli permiſiſſent indulgentiâ quâdam & conniventiâ erga Neophytos recèns converſos, quorum infirmitati Apoſtolos
30. in aliquibus ceſſiſſe, ſacer Codex teſtatur. Addit Heideggerus *in cit. ſuis Vindicijs n. 20.* Zvvinglium eatenùs ponere, non tamen concedere, morem eum ab Apoſtolis proceſſiſſe, putareque adeò, hoc tribui poſſe Apoſtolorum erga infirmos indulgentiæ, ut arbitretur, hodièque ſic faciendum, ſi qui adeò tenui fide eſſent, ut fideles parentes cœleſti Domino anxijs precibus commendare cuperent, eos importunè abijciendos non eſſe, verùm in infirmitate permanere, & quod quidam lucriones faciant, ſta-
31. bilire, nullis permitti debere. Tandem ſic concludit Heideggerus citatus: Quid hîc in Zvvinglio deſiderare potes Redingi? An hoc eſt Apoſtolos gravibus errorum cenſuris perſtringere? An ergo qui aſſerit, Deum toleràſſe pravos Iudæorum mores Polygamiam & divortia; Moſen perfidis maritis divortij quendam ordinem præſcripſiſſe; Chriſtum diſcipulos de regno Dei errantes non abieciſſe; Apoſtolum permiſiſſe, ut circumcideretur Timotheus; idcirco Deum, Chriſtum, Moſen, Apoſtolum gravibus eorum cenſuris calumniosè notat? Tam ſtolidæ argumentationes indicium præbent, vos à bonâ & mente & causâ deſertos, & ad incitas jam pridem redactos eſſe.

32. Arguit 19. cum Vedroſio Heideggerus *n. 20.* ſic excipiendo. Quâ verò fronte Ioannem Evangeliſtam idololatriæ inſimulatum à Calvino & Molinæo ſcribere audes Redingi? Calvinus equidem narrat, accidiſſe Ioanni, ut proſterneretur coràm Angelo, in quo Divini Numinis refulgebat fulgor, cui tamen reſponſum ſit ſtatim: *Vide, ne feceris, conſervus tuus ſum, Deum adora.* Nunquid falsò hoc narravit? An ex narratione eâ ſequitur, idololatriæ accuſatum eſſe à Calvino Ioannem? Id ſi verum eſt, in ipſam Scripturam, quæ authenticè hoc narravit, accuſationis hujus culpa redundabit. Molinæus non idololatriæ accuſat Ioannem, ſed ex reſponſo Angeli tralatitiam Duliæ & Latriæ diſtinctionem oppugnat. Si enim ea diſtinctio Angelo innotuiſſet, non opus fuiſſet, ut in vniverſum adorationem abnueret, ſed Duleuticam quidem admiſiſſet, & Latreuticam ſolam reſpuiſſet,

33. Arguit 20. Georgium ad incitas redactum prodere, dum pugnat clamitando, Calvinum cenſuram ſuam ſtrinxiſſe in Prophetas, eò quòd in alijs carpat ſtyli aſperitatem, turbulentos in precando affectus in alijs, & affirmet, fidem Sanctorum ſæpe mixtam fuiſſe dubitationibus, & agitatam, ut credendo, & ſperando aliquid tamen infidelitatis proderent. Ecquis enim,

ſit Vedroſius, unquàm inter Commentatores Biblicos, inter quos Calvino primæ debentur, repertus, quin de ſtylo Scriptorum ſacrorum tulerit ſententiam, & in ejus vel ſublimitate doctrinæ ſimplicitatem, vel in ejuſdem ſimplicitate dogmatum oſtenderit ſublimitatem, ubique Spiritûs Sancti majeſtatem, quâ pro diverſorum ſuorum organorum conditione & donis diverſimodè operatus eſt, de quo Iſidorum & Michaelem Zanardum ab eodem Vedroſio allegatos eſſe audiendos; non aliam Calvini mentem fuiſſe, quàm iſtorum. Quòd porrò fides Sanctorum ex tentatione & judiciorum Dei gravi & acuto dolore ſæpiùs ita quaſſata, & eorum affectus nonnunquam ita abrepti fuerint, ut eorum preces aliquam reſipuerint intemperiem, ſive impatientiam, ex innumeris ita perſpectum eſſe exemplis, ut id vel in dubium vocare, vel hoc ajenti crimini dare, manifeſtam arguat cavillandi libidinem.

Arguit 21. Heideggerus *n. 22.* contra Redingium excipiendo ſequentibus verbis: *Inſtas hunc in modum, Calvini ſpiritum contra Spiritum Sanctum ſe attollere, aſſerendo, Spiritum Dei non exactè, nec perpetuò methodicam rationem in S. Literis obſervâſſe, interdum verò rudi, craſſo & barbaro ſtylo uſum eſſe.* O hominis inſignem impudentiam cognoſcite! Calvinus utrobique Scripturarum Divinitatem probat ex ſimplicitate ſtyli ſine ullâ affectatione & oſtentatione docentis. Oſtendit non ſinè eximiâ Dei providentiâ factum, ut ſublimia regni cœleſtis myſteria ſub contemptibili verborum humilitate bonâ ex parte traderentur, *nè ſi ſplendidiore eloquentiâ illuſtrata forent, cavillarentur impij, ſolam ejus vim hic regnare. Nunc verò cùm inculta illa, & tantùm non rudis ſimplicitas majorem ſui reverentiam excitet, quàm ulla Rhetorum facundia, quid judicare licet, niſi potentiorem ſacræ Scripturæ vim veritatis conſtare, quàm ut verborum arte indigeat?* Simplicitatem vocat incultam, & tantùm non rudem: barbaram & craſſam non vocat, ſed id barbarè & craſsè mentitur adverſarius, majorem ut invidiam conflaret Calvino. Quòd verò *incultam & tantùm non rudem ſimplicitatem* vocat, in eo nec à Scripturâ ipsâ, nec à Veteris Eccleſiæ ſenſu receſſit, prout videre licet ex 2. *Corinth. 1. v. 6.* Et 1. *Corinth. 1. v. 17.* Item 1. *Corinth. 2. v. 1. 4. 13.* Salmaſio, Iſidoro Peluſiotâ, &c. 34

Arguit 22. cum Vedroſio Heideggerus *n. 23.* Quæ de Wollebio, Szegedino garriuntur, ex eodem ineptiendi genio proficiſci. Ex eo enim, quòd uſum Azymi in Cœnâ Domini vocent *profanationem & Judaicam ſuperſtitionem*, concludi, quòd etiam Chriſtum in Cœnæ inſtitutione azymo uſum *profanationis & judaicæ ſuperſtitionis inſimulent.* At illos loqui de uſu Azymi inter Chriſtianos cum neceſſitatis opinione conjuncto. Quomodò meritò Romanos Pontificios profanationis & ſuperſtitionis Judaicæ reos peragi, qui eandem ne- 35

ceſſi-

ceſſitatem uſûs azymi fingant. At Chriſtum in primâ Cœnâ, etſi ex accidente temporis non aliò, quàm azymo uti potuerit, legem tamen neceſſitatis in poſterum non induxiſſe.

CAPUT III.

Oſtenditur, Reformationis modernæ Miniſtros ſuum Spiritum privatum ac ſenſum proprium præferendo Patrum Orthodoxorum conſenſui, non abſque periculo errandi in fidei dogmatibus procedere.

Probatio prima.

36. NAm perpetuitatem ac indefectibilitatem Eccleſiæ Chriſti in his terris, ipſimet etiam adverſarij apud Vedroſium *ſect. 6. pag. 126.* ſateri coguntur, cum Apoſtolo Petro affirmante: *Fideles potentiâ Dei cuſtodiri ceu firmiſſimo præſidio per fidem ad ſalutem. 1. epiſt. 1. v. 5.* Hinc autem clarè evincitur, fidem ad ſalutem in fidelibus, unam Eccleſiam Dei conſtituentibus, ſemper ſteriſſe illibatam, utpote Eccleſiæ formam eſſentialem. Neque verò ullos fidelium ſecuriùs aſſignamus, in quibus fides illibata & incorrupta ſteterit, quàm ſanctos Patres, quos ipſimet etiam adverſarij Orthodoxos & Catholicos agnoſcunt; reverâ enim hi erant ſal Eccleſiæ, quo evanaſcente, fideles reliquos doctrinam eorum amplectentes oportuiſſet omninò periclitari. Atqui ſenſum ſuum privatum præferre illis Doctoribus, in quibus de conſenſu fidelium per tot jam ſæcula ſtetit fides Chriſti illibata & incorrupta, eſt evidenti ſe periculo erroris exponere. Dum igitur adverſarij contendunt, ſe reſpicere quidem Patres, quantùm tamen ex privato ſuo ſpiritu, ac ſenſu proprio ſibi videantur conformes eſſe ſacræ Scripturæ, nihil aliud eſt, quàm regulam veritatis tot jam ſæculis in Eccleſiâ probatam ſuo privato Spiritui eatenùs ſubijcere, ut huic ceu fallaci, ac in omnibus hactenùs hæreticis ruinoſo arbitrio, non abſque deceptionis certo periculo committatur tota fidei Divinæ ratio, neglecto arbitrio illorum Doctorum, quos in fide illibatè ac incorruptè ſteti ſſe, nè ipſi quidem adverſarij audent negare.

Probatio ſecunda.

37. NAm Eccleſiæ veræ à falſis diſtinctivæ (ipſiſmet adverſarijs apud Vedroſium *ſect. 3. pag. 25.* fatentibus) Notæ, ſunt puritas doctrinæ, legitimus Sacramentorum uſus, & obedientia erga Deum ſecundùm omnes doctri-

Digitized by Google

doctrinæ partes in fide & moribus. At puritas doctrinæ non prout Scripturis Canonicis, ceu inſtrumentis inanimatis, duntaxat continetur, ſed prout per fidem vivam expreſsa eſt in mentibus fidelium, eſt Eccleſiæ Chriſti Nota. Iſta autem expreſſio fit per obedientiam erga Deum ſecundùm omnes doctrinæ partes in fide & moribus. Hæc ipſa verò obedientia erga Deum importat quoquè legitimum Sacramentorum uſum. Cùm igitur Eccleſia vera ipſis etiam adverſarijs admittentibus, ſit perpetua & indefectibilis, oportet, puritatem doctrinæ & legitimum Sacramentorum uſum mediante perfectâ ſecundùm omnes doctrinæ partes in fide & moribus erga Deum obedientiâ, ſemper illibatam ſtetiſſe in Eccleſiâ ac fidelibus. At iſtam puritatis doctrinam adverſarij negare non audent Patribus primorum quinque ſæculorum, uti patet ex dictis præſenti *ſect. cap. 1.* In his ergo fuit obedientia erga Deum ſecundùm omnes doctrinæ partes in fide & moribus, atque adeò legitimo uſu Sacramentorum. Neque verò fas eſt dicere, hoſce Patres aliter ſcripſiſſe, quàm ſenſerint; cùm ex hoc ipſo rei alioquin fuiſſent violatæ erga Deum obedientiæ in aliquâ ſalem parte fidei ac morum. Quis autem neget? periculoſum eſſe, pro ſuo privato ſenſu reijcere Doctores, quos agnoſcimus in perfectâ ergâ Deum obedientia ſecundùm omnes partes in fide ac moribus eatenùs ſtetiſſe, ut hanc ipſam obedientiam ac doctrinæ puritatem ſcriptis traderent.

Probatio tertia.

ETenim adverſarijs apud Vedroſium *ſect. 5. pag. 117.* fatentibus, Eccleſiæ Chriſti Nota prima, præcipua, eſſentialis, propria & inſeparabilis eſt pura Verbi Dei prædicatio. At reverâ Sanctorum Patrum ſcripta, quatenùs dogmata fidei explicant, aliud nō ſunt, quàm prædicatio Verbi Dei, quam partim vivâ voce, partim litteris inſtrumentarijs in hoc ipſo Apoſtolos quoquè ſecuti, faciebant. Quæro igitur ex Vedroſio, an credat, iſtam Sanctorum Patrum prædicationem fuiſſe puram? Si cum Doctoribus ſuis Reformatis *ſupra cap. 1.* allegatis affirmet, erit ſanè manifeſtum periculum amittendæ hujus puritatis, cùm privatum ſuum ſpiritum ac ſenſum proprium velit ita relaxari, ut huic liceat prædominari tali puræ Verbi Dei prædicationi. Si neget, nemo jam erit in Eccleſiâ, ex quo unquàm proceſſerit pura Verbi Dei prædicatio. Quomodò igitur ſtabit illa Eccleſiæ Nota eſſentialis, ac inſeparabilis? 38.

Probatio quarta.

NAm licèt in Eccleſiâ illibatè cuſtodiantur ſacra Biblia, oportet tamen in dogmatibus fidei hinc eruendis aperiri legitimum ſacrorum verbo- 39.

Digitized by Google

rum ſenſum. At hoc ipſum ita præſtiterunt Sancti Patres, ut ipſis Doctoribus Reformatis concedentibus, docerent puram, Orthodoxam, & veram fidei doctrinam. Quomodò igitur fieri poſſet, ut non periclitaretur Reformationis ſpiritus, qui ſacræ Scripturæ expoſitionem de puritate fidei ab ipſiſmet etiam Reformatoribus laudatam, contendit proprio cujuſque ſenſui & arbitrio ſubijciendam?

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

40. AD *primam* Reſp. Illam Mulierem Samaritanam allegâſſe in exemplum Patres, à quibus tamen religionis cultu diſſidebat. At vos Reformatores Religionis ac fidei cultu diſſidere à Patribus, quos ipſimet Orthodoxos dicitis, probat Georgius *Rat. 5. & 6.* quarum neutram Georgianam rationem tu Vedroſi refutare potuiſti, ſed utramquè ſilentio præterijſti. Tua ergo Reformatio omninò foret comparanda cum illâ muliere Samaritanâ, ſi pro tuæ Reformationis cultu ingeminares Patres; quorum tamen authoritatem adeò abhorres, ut, ſi eorum Traditiones allegares, te Scribis & Phariſæis coæquandum putares. Sed vanè; nam Patres ipſammet Chriſti doctrinam illibatè tradidiſſe nolentes volentes fatentur Reformationis tuæ Doctores *ſup. cap. 1.* allegati. At Scriba & Phariſæus eſt, qui veram Chriſti doctrinam perſequitur. Cùm igitur Patrum authoritatem, ſub quâ tamen vera Chriſti doctrina eluceſcit, ad delirium uſquè abhorreas, ipſemet judica, an tua Reformatio potiùs, quàm Romana Eccleſia incedat ſpiritu phariſaico.

41. Ad *ſecundam* Reſp. Retorquendo argumentum. Nam Eccleſia Dei ſuum Magiſtrum ſecuta, populo inculcat ſcrutationem Moyſis & Prophetarum. At Patres huic Eccleſiæ, eiuſquè ſponſi Chriſti voci ita parebant, ut ſcriptis traderent ſcrutationes verorum ſacræ Scripturæ ſenſuum. Qui ergo revolvunt Patres, ita potiuntur ſcrutatione verorũ ſacræ Scripturæ ſenſuum, ut erudiantur in fide ex ſcrutatione Verbi Divini conceptâ à Patribus, ac ſcriptis ipſorum mediantibus expoſitâ, & ad nos vſque transfuſâ. Cui adeò Verbi Divini expoſitioni inſiſtendo, ipſiſmet Reformatis Doctoribus fatentibus, fundantur fideles ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, exiſtente imo angulari lapide Chriſto Ieſu. Vide ergo Vedroſi, nè extra hoc Apoſtolicum in Chriſto Ieſu jactum fundamentum ædifices, dum à Patribus Orthodoxis tantopere abhorres.

42. Ad *tertiam* Reſp. ſequenti argumentatione. Nam uti rectè probat

Vedroſ-

Digitized by Google

Vedroſius, Patribus nihil prius, nihil antiquius fuit, quàm ut animos ſuorum Divino Sanctarum Scripturarum ſucco imbuerent. Atqui Patres illam ſuam præcipuam intentionem executi ſunt per ſua ſcripta, quibus ſacræ Scripturæ ſenſus eruebant, ac fidei dogmata exponebant. Ergo mediantibus hiſcè ſcriptis, animos fidelium imbuerunt ſucco Divino Sanctarum Scripturarum. At non niſi deſipientis eſt, evomere Divinum Sanctarum Scripturarum ſuccum, guſtui ſuo iam applicatum. Vide ergo Vedroſi, nè delirium, quod in Patrum geminatores (uti vocitas) torques, in te retorqueatur.

Ad *quartam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an conſultius ſit, infanti dare nucem adhuc integram, vel nucleum potiùs ex putaminibus iam excuſſum? At certè ſacra Scriptura nux eſt, nucleum ſuorum myſteriorum quaſi in ventre clauſum continens, ex quâ proinde nucleos verorum ſenſuum excuſſerunt ſancti Patres. Quid ergo putas conſultius, ſacras Scripturas abſquè, vel cum expoſitione Orthodoxorum Patrum rudi populo proponere? Et verò ad quid Cathedram tuæ prædicationis conſcendere ſoles? Nonnè ut Scripturæ ſacræ ſenſus exponas? An verò putas, expoſitionem tuo ſenſui innitentem ſecuriorem antiquitate à tuæ Reformationis Doctoribus circà fidei puritatem toties prædicatâ? Vides igitur, oportere, ut vel tuo in exponendis ſacris Scripturis officio cathedratico ſuperſedeas, populumquè tuum ad Biblia ſola remittas, vel fatearis, ſacrarum Litterarum expoſitionem à Patribus factam tuæ ſanè prædicationi eſſe præferendam. 43. 44.

Ad *quintam* Reſp. In eâ non niſi captioſè procedi. Nam authoritate Patrum non aliter utimur, quàm ut ex eâ deſumamus prudentiale credibilitatis de vero ſacri alicujus textûs ſenſu iudicium. Ad hoc autem minimè opus eſt, ut omnes in univerſum Patres & Paſtores, qui per omnes Eccleſiæ ætates extiterunt, habeamus præ oculis; ſed vel ex hoc, quòd ſucceſſio Eccleſiæ tot ſæculorum illos, qui ſcripſerunt, vel adhuc extant Patres, eorumquè ſcripta in dogmatibus fidei approbârit, ſufficiens habetur credibilitatis de genuinâ ſacrarum Litterarum expoſitione iudicium prudentiale; eò vel maximè, quòd perpetuitas ac indefectibilitas Eccleſiæ ab ipſiſmet etiam Reformatoribus aſſerta, ſubſiſtere alioquin haud potuiſſet. 45.

Ad *ſextam* Reſp. ſic argumentando. Vedroſius concedit, Eccleſiæ priorum quinque ſæculorum axioma proprium eſſe, quòd fuerit vera, Catholica, Apoſtolica & Orthodoxa. Atqui Georgius *ratione quintâ* per Vedroſium prætermiſsâ, probat ex ipſiſmet Reformatorum Doctorum, præ- 46.

Digitized by Google

cipuè Calvini verbis, modernam Reformationem in articulis ultra viginti circà fidei dogmata diſcrepare ab illâ priorum ſæculorum Eccleſiâ. Ergo moderna Reformatio diſcrepat ab Eccleſiâ verâ, catholicâ, Apoſtolicâ & Orthodoxâ.

47. Ad *ſeptimam* Reſp. ſic argumentando. Vedroſius fatetur, Eccleſiæ illorum ſæculorum deberi axioma *Piæ, & Orthodoxæ Vetuſtatis.* Atqui Georgius *Rat. 9.* per Vedroſium prætermiſsâ probat, in pleriſquè fidei articulis hodiè controverſis, Reformationis modernæ Doctores ita agnoſcere mentem Eccleſiæ ſeu Patrum illorum ſæculorum, ut ab hac tamen, ſibi ipſis etiam contradicendo, apertè diſſentiant. Ergo Reformationis modernæ Doctores etiam contradictoriè diſſentiunt à ſanctâ, piâ, & Orthodoxâ

48. Vetuſtate. Nec mirum, cùm Vedroſius eam licet conſentientem, ſuo adhuc judicio ſubiectam velit, an cum verbo Dei conſentiat. Quid ergo Vedroſi? Vel reperis Vetuſtatem illam in aliquo fidei dogmate diſſentientem à Verbo Dei, vel non? Si prius, quomodò iam erit ſancta, pia, & Orthodoxa? Si poſterius, ut quid ergo eam tuæ cenſuræ ſubiectam contendis, vel non potiùs ipſi Veritati Divinæ ſuper illo conſenſu tanquam candelabro expoſitæ, ac per tale prudentiale credibilitatis judicium applicatæ, te ſubijcis, capivando intellectum in obſequium fidei? Cùm ipſemet etiam Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 8. ſect. 15.* ſcribat, *Veræ Eccleſiæ conſenſum non eſſe ſpernendum, cùm nonniſi in veritate Verbi Dei conſentiat, & nihil niſi ex Verbo Dei pronuntiare poſſit.*

49. Ad *octavam* Reſp. ſic procedendo. Vedroſius approbat Georgij Rationem ſeptimam, undecimam, & decimam ſeptimam, quatenùs ibi probatur, veram Chriſti Eccleſiam non niſi à Spiritu ſancto, qui eſt Spiritus Veritatis, gubernari. Undè concedit etiam Georgij decimam Rationem, quâ oſtenditur, extra veram Chriſti Eccleſiam meras eſſe tenebras, in eâ autem eſſe lucem. At eo ipſo, quòd Eccleſia priorum quinque ſæculorum fuerit vera, Orthodoxa, ſancta, & pia, oportet, eatenùs ipſam fuiſſe gubernatam à Spiritu ſancto, fuiſſequè in eâ lucem, ut conſequenter in Eccleſiâ, quæ ab eius fidei dogmatibus notoriè diſſentit, & non tantùm cum illius piæ & Orthodoxæ Vetuſtatis Patribus, ſed etiam inter ſe contradictoriè pugnat, non poſſit eſſe lux, ſed meræ tenebræ, nec poſſit adeò regi à Spiritu ſancto. Eiuſmodi verò ſpiritum contradictoriè ſecum pugnantem, & à Vetuſtate piâ, Orthodoxâ & ſanctâ diſſentientem in hodiernâ Reformatâ Eccleſiâ probat Georgius *citatis rationibus 5. & 23.* à Vedroſio minimè refutatis. Viderit ergo Vedroſius, quomodò Reformatio ſuæ Eccleſiæ poſſit à Spiritu ſancto regi, & non in meris tenebris conſtituta eſſe?

Ad

Digitized by Google

Ad *nonam* Reſp. ſic argumentando. Vedroſius rationem Georgij de- 50.
cimam tertiam approbat, quòd nimirum Veterum Doctorum ſenſus in
explicatione Scripturæ ſit ſequendus. Atqui Georgius *Rat. 24.* per Vedro-
ſium ne in minimo quidem refutatâ probat, Reformationem modernam
in explicatione Scripturæ ita ſequi proprium ſenſum, ut longè diſſideat
à genuino per Veteres approbato ſenſu. Inſuper *Rat. 22. à n. 46.* probat,
in ipſorum etiam fidei ſymbolorum expoſitione diſcrepare modernos Re-
formatores ab antiquo Eccleſiæ & Patrum ſenſu, Quam tamen rationem
Vedroſius nullatenus refellit, ſed riſu ſolo excutere conatur. Sed Ve- 51.
droſius *citatus* cum Bullingero ſuo, ait, illud de Veterum Doctorum ſenſu
circa Scripturæ explicationem ſequendo, axioma eſſe accipiendum cum
grano ſalis, *ſi nimirum conſentiat cum Verbo Dei.* In quo verum quidem dicit,
ſed abſquè ſalis grano. Quæſtio enim eſt, an, ſi Reformatæ Eccleſiæ Do-
ctores aliter ſentiant de Scripturæ ſenſu, quàm veteris Eccleſiæ Patres,
an pro his potius, vel pro illis ſtet præſumptio de Verbi Divini conſenſu?
Si affirmet Vedroſius, Patribus antiquis maius eſſe authoritatis pondus, tunc
oportet, depreſſam eſſe ejus Reformationem, uti probant præallegatæ
Georgij rationes. Si neget, videtur ab ipſo ſale, Eccleſiæ ſcilicèt vete-
rum & Orthodoxæ Doctoribus non niſi veram & Catholicam fidei do-
ctrinam ex ipſorum quoquè Reformatorum iudicio tradentibus receſſiſ-
ſe. Quomodò ergo cum grano ſalis iudicare tunc poterit Vetuſtatis ſan- 52.
ctæ & Orthodoxæ conſenſum? Quid ſi Catechiſmum ab inclyto Reipubli-
cæ Tigurinæ Magiſtratu editum, & pro legitimâ fidei doctrinâ expoſitum
ſuæ iam cenſuræ, *an Verbo Dei conſentiat*, denuò vellet ſubijcere, nunquid
gravis erga Magiſtratum injuriæ incuſaretur? An verò maior in rebus fi-
dei ſit Magiſtratûs Tigurini, quàm conſensûs Vetuſtatis ipſo Reforma-
torum judicio Catholicæ Apoſtolicæ & Orthodoxæ? Quòd autem Vedro-
ſius Sancti Auguſtini *Epiſtolam* 29. in ſuum patrocinium allegârit, con-
vincitur ſanè extra veritatis ſemitas declinâſſe, nihil enim pro ſuâ præſen-
ti intentione reperire poterit in illâ epiſtolâ à me diligenter perlectâ.

Ad *decimam* Reſp. ſic procedendo. Fatetur Vedroſius cum ſuæ Re- 53.
formationis Doctoribus, quòd citra ſalutis diſpendium, & crimen impie-
tatis a Doctoribus primitivæ Eccleſiæ recedi non poſſit, quando referunt, quæ
fuerit ætate ipſorum ex Scripturâ vera & Apoſtolica doctrina, catholica-
que fidei confeſſio in Orthodoxâ & Catholicâ Chriſti Eccleſiâ. At ipſe-
met Calvinus, Bullingerus, Helvetica confeſſio, Beza, Petrus Martyr,
Vermilius, & alij apud Georgium *rat. 5. 9. & 22.* teſtati ſunt, quòd Ve-
teres, ſeu priorum quinque ſæculorum ab ipſis Reformatis Doctoribus de

Doctrinæ puritate collaudatorum, adeòquè primitivæ Eccleſiæ Patres de fidei articulis ad veram & Apoſtolicam doctrinam, catholicamquè adeò fidei confeſſionem ſpectantibus ſenſerint. Quam tamen ipſam doctrinam ſibimet contradicentes, refutant præfati Doctores, uti patet ex allegatis Georgianis rationibus, à Vedroſio nè in minimo quidem puncto refutatis. Reſpondeant ergo illi Reformati Doctores, quomodò ſibimet etiam contradicendo, citrà ſalutis diſpendium & crimen impietatis receſſerint ab illis dogmatibus, per ſanctos primitivæ quinque priorum ſæculorum Eccleſiæ Patres, imò & per Concilia Oecumenica in Eccleſiâ receptis tanquàm fidei articulis?

54. Ad *undecimam* Reſp. ſic argumentando. Pura Verbi Dei prædicatio eſt veræ Eccleſiæ Nota, eaquè prima, præcipua, eſſentialis, propria, & inſeparabilis. At ex ratione Georgij vigeſimâ tertiâ, & per Vedroſium (uti patet *ex præſent. diſſert. ſect. 2. cap. 1. & 4.*) quoad nullum prorſus punctum refutatâ conſtat, in ipſis etiam eſſentialibus fidei dogmatibus tantam eſſe Doctorum Reformatorum contrarietatem & contradictionem, quæ omninò evertat puram Verbi Dei prædicationem, utpote ex ipſius etiam Vedroſij confeſſione, haud ſubſiſtentem cum aliquâ contradictione puræ veritati prorſus contrariâ. Reſponde igitur, Vedroſi, quomodò prima, præcipua, pia, eſſentialis, inſeparabilis & propria Eccleſiæ Nota cohæreat cum tuâ Reformatione?

55. Ad *duodecimam* Reſp. Georgium *Ratione 22.* demonſtrare, quòd omnia ferè dogmata per *rationem tertiam* demonſtrata, & à Romanâ Eccleſiâ hodiequè obſervata, per Reformationem verò modernam abolita, ſint fundata in Nicæni, ipſis etiam Reformatis Doctoribus fatentibus, Oecumenici, adeòquè puram & nativam ſacræ Scripturæ interpretationem continentis Concilij definitionibus. Nequè verò Vedroſius illam vigeſimam ſecundam Rationẽ in minimo etiam puncto ſolidè & cum fundamento refutat, uti videre eſt ex *præſent. diſſert ſect. 3. cap. 1. & 4.* &c. Cùm igitur illud Oecumenicum Concilium in prætactis fidei dogmatibus nullatenus aliter ſenſerit, quàm vera catholica, Apoſtolica, & Orthodoxa Eccleſia, evidenter ſequitur (abſtrahendo adhuc à rationis tertiæ fundamentis infrà diſcutiendis) ſufficienter eſſe probatum, quòd Romana Eccleſia non diſſentiat ab antiquâ Apoſtolicâ, & Orthodoxâ Eccleſiâ.

56. Ad *decimamtertiam* Reſp. Quid ais, Vedroſi, non poſſe univerſalem in primitivâ Eccleſiâ conſenſum haberi, niſi in particularibus quarundam quæſtionum inter tuum Reformatum Miniſterium ac Papiſtas non controverſarum, deciſione à Concilijs Oecumenicis factâ? At Concilia Oecumeni-

Digitized by Google

ea (te ipſo *ſect. 2.* fatente) nulla ſunt habita ante quartum ſæculum. Si ergo conſenſus in quæſtionibus fidei non habetur, niſi per deciſionem à Concilijs Oecumenicis factam, quomodò ſtetit Eccleſiæ conſenſus ante quartum ſæculum? Imò verò ſi Eccleſiæ conſenſus in quæſtionibus fidei pendet ex deciſione Oecumenicorum Conciliorum, unde auſus fuiſti *cit. ſect. 2.* authoritatem iſtorum adeò labefactare? Sed ſi verum eſt, quòd univerſalis Eccleſiæ conſenſus non niſi in particularibus quæſtionum inter tuam Reformationem ac Papiſtas non controverſarum deciſione à Concilijs factâ, haberi poſſit, cur nos Papiſtas ob Miſſæ ſacrificium, Invocationem Sanctorum, Reliquiarum cultum, oblationem pro Defunctis, ſeptenarium Sacramentorum numerum, Corporis Chriſti in Eucharistiâ præſentiam, Tranſubſtantiationem, Communionem Laicorum ſub unâ tantùm ſpecie, & in pluribus alijs arguis de idololatriâ, ſuperſtitione, & intolerabili errore? An de his inter vos & nos controverſis quæſtionibus in primitivâ Eccleſiâ dicis nullum fuiſſe conſenſum? An ergo primitiva Eccleſia cuique ſalvâ fide Orthodoxâ permiſit de his liberam credendi licentiam? At ſi ita eſt, cur in veſtro Miniſterio Reformato iiſdem Eccleſiæ primitivæ veſtigijs inſiſtendo, non liberum permittitis Papiſtarum Religionis exercitium? Vides, te effutire, quæ neſcias, & tibi ubiquè contradicendo, prout ſenſus ac ſpiritus proprius pro opportunitate ſenſerit, extra Veritatis Divinæ ſibi ſemper conſtantis ſemitas ire ſpatiatum. 57.

Ad *decimamquartam* Reſp. Georgium adversùs tuam Reformationem producere integra Oecumenica Concilia, præſertim Nicænum. An ergo paucos teſtes in his numerare licet? Inſuper probare ex ipſiſmet Reformatis Doctoribus, hos fateri, quòd ſua Reformatio non conveniat cum Veteribus etiam indefinitè poſitis. An igitur pauci numerantur Eccleſiæ Doctores veteres? Sed quid tibi cum Sancto Auguſtino, quòd eum lapſibus obnoxium, non ubiquè ſui memorem, ejuſque libros multis erroribus conſperſos, impuris Monachorum manibus depravatos, falſis ac ſuppoſititijs libris permixtos, atque adeò dubios factos proclames. Sic ſic impura tua manus, & calamus calumnioſus nulli quantumvis ſancto parcit. Vel enim loqueris de erroribus circa fidei dogmata intra veram Eccleſiâ pro tunc jam elucidata ac definita, vel de erroribus dogmata fidei pro tunc ſufficienter elucidata ac recepta minimè pertingentibus? Si prius, certè gravi adversùs Sanctum Auguſtinum crimine te obſtrinxiſti. Si poſterius, convinceris ſanè extra rhombum fuiſſe locutus. Neque verò ex eo, quòd aliqui libri ſub nomine Auguſtini emendicato venditentur, genuini ejus fœtus ita obfuſcati ſunt, quin adhuc dignoſcantur, ex quibus proinde, non

58.

59.

Digitized by Google

60. verò ex ſuppoſititijs illius ſancti Doctoris libris adversùs tuam Reformationem procedit Georgius. Quòd autem Sixtum Senenſem ita ambiguè alleges, ut videri poſſet *in Dedicat. Bibliotheca ſancta*, impuras Monachorum manus ſeu Harpyarum ungues arguere de temeratis ſeu corruptis antiquorum Patrum libris, in hoc calumnioſum & fallacem te ad oculum exhibes: Sixtus enim Senenſis tam in *Dedicatione*, quàm in *Præfatione Bibliotheca ſancta* non redarguit Monachos, utpote in quorum cænobijs ac Bibliothecis tanquàm aſylis repoſita fuerint ſacrarum rerum volumina, ut ab Harpyarum unguibus, ac hæreticorum impuris manibus præſervarentur. De vobis igitur modernæ Reformationis Miniſtris ac Doctoribus conqueritur Sixtus Senenſis, 1. à vobis ſub falſis etiam Sanctorum Patrum nominibus ſuppoſitos eſſe ſpurios libros. 2. A vobis temeratos eſſe ipſoſmet etiam Canonicos ſacræ Scripturæ, nè dicam aliquorum Patrum libros. Imò 3. à Luthero & Zwinglio eliminatos ex utroque Teſtamento integros ſacros libros. 4. Denique, à vobis (ut reliqua taceam) apochrypha ſcripta pro veris venditata. Ex quibus proinde Vedroſi ipſemet inſpice tuæ Reformationis Miniſtrorum manus impuras, & quia tibi ſic loqui placuit, Harpy-
61. arum ungues. Quòd verò Heideggerus Calvinum excuſando, aſſerat, non aliud intendiſſe, quàm Patres Verbo Dei non adæquare, eorumquè errores redarguere; certè in hoc poſteriori, ſi Patres in fidei Dogmatibus tunc ab Eccleſiâ elucidatis ac definitis, erroris incuſet, meritò à nobis redarguitur temeritatis. In priori verò ita condeſcendimus, ut nè ipſi quidem eorum authoritatem coæquemus Verbo Divino; ſed aſſerimus, ipſum etiam conſenſum Patrum in ſe *formaliter* ſpectatû fundare authoritatem non *abſolutè*, ſed *participativè* duntaxat Divinam, ex quâ prudentiale credibilitatis judicium eatenùs formari poſſit, ut ſolùm *miniſterialiter* inſerviat fidei Theologicæ, *immediatè* reſpicienti ipſummet Dei Verbum, ſeu primam Veritatem. Eo ipſo autem, quòd ſuper tali prudentiali credibilitatis candelabro exponatur ac elucidetur Verbum Dei, temerarium eſſe dicimus, in dogmatibus fidei ſuum proprium ſenſum ambitioſo quodam faſtu præferre Patrum præcipuè conſentientium authoritati. Et hinc Sanctus Hieronymus ab Heideggero imprudenter pro ſe citatus paſſus non eſt, ut argueretur, dum ſacras Scripturas interpretabatur, benè tamen in materijs fidem non concernentibus, ac ex ſuo duntaxat ſenſu deprom̃ptis.

62. Ad *decimamquintam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *cit. tract. 30. in Ioan. cap. 7.* aliud non dicere, niſi quòd illi, qui Chriſtum, ſive ejus Corpus corporeo viſu cernebant, non ſint fæliciores nobis: nam, licèt Corpus Chriſti, quod uno tantùm loco (viſibiliter) eſſe poteſt, non videamus, hîc tamen & ubique

ubique diffuſam eſſe Veritatem, quæ ſit ipſe Dominus. At ſub his ipſis verbis dicit Auguſtinus, oportere, Chriſti Domini Corpus eatenùs viſibiliter eſſe ſursùm, ſeu in cœlo, ut tamen Veritatem Chriſti (ſub quâ ipſemet Dominus in Eucharistiâ ſe nobis præſentem conſtituit) in toto orbe ubiquè diffuſam retineamus. Quid ergo Vedroſi habes, quòd arguas, cùm noſtrarum editionum ſenſus in nullo diſcrepet à Gratiani Decreto (cujus locum te citare, & non ita confuſè procedere oportuiſſet) *Cap. 44. diſt. 2. de Conſecrat.* Deinde Auguſtinus *lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ* (decuiſſet etiam caput à te citari) *cap. 15.* aliud non dicit, quàm ſi illa locutio, quâ Chriſtus carnem edendam, & ſanguinem ſuum bibendum ſe oblaturum edixit, in litterali Capharnaitarum ſenſu accipienda foret, tunc Chriſtum fuiſſe præcepturum flagitium, aut crimen. Unde accipi debere in ſenſu figurato & myſtico, per quem eatenùs eſſet communicandum paſſioni Chriſti, ut hæc tamen communicatio non excluderet realem Corporis & Sanguinis Chriſti participationem, ſed talem carnis Chriſti ſumptionem, qualem carnaliter ſibi imaginabantur Capharnaitæ, uti ſe explicat ipſemet Auguſtinus *Tract. 27. in Ioan. cap. 6.* At in hoc toto nihil eſt à Romanæ Eccleſiæ ſenſu alienum. Nec eſt, cur Fulbertum Carnotenſem arguas de impoſturâ. Nam præterquàm quòd in Sermonibus Bibliothecæ ſanctæ *tom. 3.* inſertis, nihil horum de iſto Doctore invenerim, non niſi impoſtorem ageres, etiamſi omnia ita ſe haberent, uti aſſeris, quia Fulbertus non in ipſum Auguſtini contextum, ſed in ſuum proprium ſermonem verborum Sancti Auguſtini expoſitorium illa verba: *Dicet hæreticus*, intuliſſet. Quarè non niſi calumnioſum impoſtorem te probas, dum non tantùm Sanctos Doctores impoſturæ falsò inſimulas, ſed Romanæ etiam Eccleſiæ imponis, aſſerendo, ſanctorum virorum labores ad Curiæ Romanæ limam revocatos, alios à ſe ipſis & miserè mulctatos, Papiſmi ſucco perfuſos orbi intrudi. At quo meliore jure hæc in tuam Reformationem retorqueantur, partim conſtat ex dictis *præced. n. 60.* Partim ex *Dedicatione* Bibliothecæ ſanctæ, atteſtantis, ideo fuiſſe neceſſariam Sanctorum Patrum novam & puram, ſeu genuinam editionem, quòd iſtorum libri corrupti ac temerati à tuæ Reformationis Miniſtris venditentur: partim, quòd in aperto ſit, nè ipſos quidem libros Canonicos impuras veſtras manus evaſiſſe, dum ipſimet veſtras Bibliorum evulgationes noſtris temporibus factas, miſerabiliter à ſe invicem diſcordantes cernere debemus.

63. 64.

Ad *decimamſextam* Reſp. ſic argumentando. Si, uti Sancto Auguſtino imponis, ſanctitatis epitheton in tanto viro eum ab errandi periculo in ipſis etiam fidei dogmatibus per Eccleſiam tempore ipſius definitis (quod ta- 65.

men Canus à te citatus minimè dicit) nequaquam excipiebat, quomodò tuus, tuæquè Reformationis Miniſtrorum propriæ conſcientiæ ſenſus ac ſpiritus privatus immunis erit à periculo errandi in ipſiſmet etiam fidei dogmatibus? At contendis, fidem tuæ Reformationis inniti propriæ cujuſque conſcientiæ ſenſui ac ſpiritui privato. Non poteſt igitur fieri, quòd veſtra Reformatio ſit aſſecurata, ſed periculum certum ſubeat de veritate in ipſis etiam fidei dogmatibus. At qui amat periculum, peribit in illo. Quis ergo prudenter ſubire poterit veræ fidei periculum, ſe aſſociando tuæ Reformationi, vel manendo in illa? Quæ porrò de errabilitate Catholicæ Eccleſiæ hîc effutiiſti, *ſeq. Diſſert.* diſcutientur.

66. Ad *decimamſeptimam* Reſp. Sanctum Auguſtinum à te citatum aſſerere, quòd, licèt *materialiter* quoad nomen Prophetæ interveniſſet aliqua varietas, ſubſiſteret nihilominùs tota Veritas, quam Evangeliſta per Spiritum ſanctum inſtructus intendiſſet. Nec ſi errorem ejuſmodi materialem in nomine deprehendiſſet Matthæus, mutaturum fuiſſe ex ſingulari myſterio ad Spiritûs Divini in Evangelio loquentis puritatem exprimendam, quæ una ſit in omnibus Prophetis, ita ut quod unus Prophetarum edixit, ab omnibus non *materialiter*, ſed *myſticè* quoad Spiritum in ſe loquentem ſpectatis,
67. dicta cenſeri poſſint. Venerabilem Bedam à te allegatum idem prorſus cum Auguſtino proximè adducto ſentire, quòd nempe quæcunque per Prophetas Spiritus ſanctus dixit, ſingula ſint omnium, & omnia ſingulo-
68. rum. Deniquè Maldonatum à te citatum affirmare id, quod à Hieremiâ dictum aſſeruit Matthæus, hoc ab iſto explicitè, ab illo verò implicitè pronuntiatum, atquè adeò ab Evangeliſtâ explicatum fuiſſe. Quid ergo Vedroſi? An iſti Orthodoxi Doctores idem dicunt cum Gloſſ. Genevenſi ita craſsè redarguente in Evangeliſtâ memoriæ lapſum, ut neque de myſterio ibi latente cogitet, neque Spiritum in Evangeliſta loquentem excipiendo, videatur ipſius Evangelij authoritatem infringere?

69. Ad *decimamoctavam* Reſp. Zwinglium non lavari tuâ exceptione, ſed hinc te contaminari ejus impuritate. Nam 1. id, quod ab ipſiſmet Apoſtolis manavit; nequit eorum duntaxat indulgentiâ permiſſum fuiſſe. Atqui Auguſtinus & Chryſoſtomus ipſomet Zwinglio fatente, teſtati ſunt, quòd mos orandi pro Defunctis manârit ab Apoſtolis: de qui tamen illorum Patrum atteſtatione Zwinglius admirabundus dubitare videtur; atque adeò horum Patrum fidem revocare in dubium. Ex quo jam certè alicujus erga
70. ipſos injuriæ reus eſt. 2. Conniventia & indulgentia circa falſum fidei dogma cum diſcrimine per omnia futura ſæcula, & ad univerſos ferè ſubjectos ſe diffundendi non eſt excuſabilis in ijs, quorum officium eſt de puri-

tate fidei, ejuſquè purâ prædicatione procurandâ. Atqui Apoſtolis incumbebat, ut fidei puritatem, ac Verbi Dei puram prædicationem procurarent, eò vel maximè, quòd iſta ipſiſmet Reformatoribus fatentibus, ſit veræ Eccleſiæ Nota prima, eſſentialis, ac inſeparabilis. Quomodò ergo Apoſtoli excuſandi forent, ſi indulſiſſent, in Eccleſiâ adeò prædominari dogma, fidei ac Verbo Divino repugnans? Vel certè ſi illud dogma Verbo Dei non adverſetur, cur vos Reformati totis viribus contra illud nitimini? Sed audiamus Heideggerum aſſerentem, nulli permitti debere, ut in infirmitate permaneat, vel in eâ, uti lucriones faciant, fideles ſtabiliantur. At nonne erat permiſſum, ut fideles ſtabilirent illud dogma, quod ab Apoſtolis ad Auguſtini & Chryſoſtomi tempora manârat? An ergo tot ſæculis Eccleſia laboravit infirmitate, tenuem fidem, uti Heideggerus ait, arguente, non tantùm ab Apoſtolis, ſed eorum ſucceſſoribus toleratâ, imò approbatâ? Vides Heideggere, dum excuſas excuſationes in peccatis, falsò licèt prætenſi, te immergi in abyſſum. Ais enim, Apoſtolos ex illâ indulgentiâ ab errorum cenſuris liberari, eò quòd etiam Deus Polygamiam & divortia, Moyſes libellum repudij, Chriſtus diſcipulos de regno Dei aberrantes, Apoſtoli circumciſionem permiſerint, vel præſcripſerint. At quid putas Heideggere, cum Deus univerſorum ſit Dominus, an non ex abſoluto ſuo dominio poterat jus Polygamiæ ac divortij ſtatuere? An quia iſtud jus à Deo decretum erat, putaſnè aliquid iniquitatis fuiſſe in libello repudij? An credis, omnes & Patriarchas, & Iſraelitas, qui vel jure polygamiæ à Deo conceſſo, vel divortij lege utebantur, adulterij, aliorumquè criminum ipſiſmet juri naturali adverſantium reos fuiſſe? Sed cautè agas hîc oportet, nè abrogato per Chriſtum jam repudij libello, divortia intra tuam Reformationem conceſſa, te, & tuam Reformationem capitis condemnent. Pergamus igitur. An neſcis, Chriſtum diſcipulos aberrantes redarguiſſe, & ad emendationem induxiſſe? An neſcis, circumciſionis ac legalium obſervantiam non quidem ſub illâ formalitate, ſub quâ erant Moſaicæ legis Ceremoniæ, ſed *materialiter* ſpectatæ, ex alio honeſto motivo ob bonum Eccleſiæ per Apoſtolicam authoritatem decerni potuiſſe? Vides igitur, te reum agi adversùs ipſum Deum, Chriſtum, Moſen, & Apoſtolos. Ne igitur mirère, quòd Redingius in te ac Zwinglio tuo majorem erga Sanctos modeſtiam deſideret.

71.

72.

Ad *decimamnonam* Reſp. Non ex eo præcisè, quòd Calvinus ex ſacrâ Scripturâ narret, quid Ioanni Evangeliſtæ cum Angelo acciderit, ipſum inſimulari, ſed quòd ſcribat, Ioannem Angelo tribuiſſe ea, quæ non niſi Deo debentur. At ipſemet cum Reformatione tuâ fateris, Heideggere, Idololatriam eſſe, Angelo tribuere, quæ non niſi Deo debentur, 73.

maximè cùm probè ſciens non eſſe Deum, id facit. Molinæus autem
expreſsè dicit, Ioannem voluiſſe adorationem ſoli Deo, uti Calvinus aſſe-
ruit, debitam tribuere Angelo, cùm probè ſciviſſet, non eſſe Deum. Tu
ergo, ſi velis agere ex ratione, judica, quomodò Molinæus & Calvinus
non impegerint in Sanctum Ioannem. Quæ porrò extra rhombum hic in-
terſeris de Latriæ & Duliæ diſtinctione, alibi excutientur.

74. Ad *vigeſimam* Reſp. Sanæ mentis capacem, ac Spiritûs Sancti donorum,
virtutumquè Divinarum, ac myſteriorum Dei peritum negare non poſſe,
quin turgeat calumniandi ſpiritu, quiſquis in ſanctis Prophetis aſperita-
tem ac ruſticitatem ſtyli verbis adeò craſſis & ruſticis carpit, eorumquè
in precando turbulentos affectus, ac in fide fluctuationem exagitat. At hæc
omnia præſtita fuiſſe à Calvino, fatetur Vedroſius in præſenti vigeſimâ
argutiâ. Nequè relevat, quòd ſacræ Scripturæ Commentatores paſſim ad-
vertant vel in verborum ſublimitate doctrinæ ſimplicitatem; vel in ver-
75. borum ſimplicitate myſteriorum ſublimitatem. Neque enim ſimplicitas
ruſticitatem & aſperitatem ſtyli, ſed puritatem præcipuam ac myſterio-
76. ſam denotat. Minùs relevat, ſed reproductam calumniam ſapit, quòd Ve-
droſius fidem Sanctorum adeò quaſſatam, eorumquè affectus ita abreptos
clamitet, ut ipſorum preces reſipuerint intemperiem ſeu impatientiam.
Certè Vedroſi in hoc imperitum te oſtendis viarum Spiritûs Sancti, quas
ſi ingreſſus eſſes, myſteria donorum Spiritûs Sancti requireres ſub illis pre-
cibus, non autem in cortice ad ſenſum tuum judicato inhærendo in ipsâ
Sanctorum fide defectum probares.

77. Ad *vigeſimam primam* Reſp. Aliud eſſe, ſtyli ſimplicitatem nullis figu-
rarum blanditijs ornatam, ſed myſterijs fœcundam commendare, al u. ve-
rò eſſe, de methodicâ & exactâ ratione in ſacris Litteris non obſervatâ,
atque adeò defectum aliquem redolente, Spiritum Sanctum notare. Hoc
autem poſterius fuiſſe aſſertum à Calvino, patet ex *Inſtit. lib. 3. cap. 6. ſect. 6.*
Quem porrò *lib. 1. inſtit. cap. 8. ſect. 2.* aſſeruiſſe, quòd *Spiritus Dei rudi & craſ-
ſo ſtylo uſus ſit*, non eſt (uti calumniaris) Redingij barbarum & craſſum
mendacium, ſed eſt ipſa veritas ob oculos poſita per ipſiuſmet Calvini ver-
ba ſupra *cap. 1. n. 10.* relata. Quinimò iſte Reformator *cit. lib. cap. 8. ſect. 2.*
auſus fuit, diabolum in hoc Dei æmulum dicere, quòd impios ſuos erro-
res aſtutè ſpargeret ſermone inculto & ferè barbaro. Quod equidem cùm
Georgius in *ſuâ Face rat. 33. n. 17. & 18.* expreſſiſſet, à Vedroſio refutari non
potuit. En igitur Heideggere craſſum, & barbarum mendacium Redingio
78. falsò imputatum in te retorqueri.

Ad *vigeſimam ſecundam* Reſp. Ea, quæ de Szegedino & Wollebio alla-
ta ſunt,

ta ſunt, in hanc reduci formam ſyllogiſticam. Imitari id, quòd Chriſtus in ultimâ cœnâ etiam ex accidenti duntaxat, circà Euchariſtiam utendo pane Azymo geſſit, ſecundùm Szegedinum & Wollebium ac Heideggerum eſt ſuperſtitio Iudaica, & profanatio Cœnæ Domini. At iſtud 79
dici non poteſt, quin iſta ſuperſtitio, & profanatio Cœnæ reducatur in Chriſtum, utpote primum ejus exemplar & authorem. Sed dicit Heideggerus, in hoc eſſe ſuperſtitionem, quòd neceſſitatis opinio ſit ei adjuncta. Verùm habito reſpectu ad valorem Sacramenti falſum eſt, quòd in Eccleſiâ Romanâ ſit iſta opinio: habito verò reſpectu ad licitum uſum, permittitur Græcis, ut non tantùm intra fines ſuos, ſed etiam in Eccleſiâ Latinâ licitè utantur fermentato. Etſi verò ſacerdotibus ad Eccleſiam Græcam non ſpectantibus intra fines Latinæ Eccleſiæ id non ſit permiſſum, iſta tamen prohibitio nullatenùs dicitur eſſe ex vi inſtitutionis Chriſti Domini, ſed ex vi alicujus præcepti ceremonialis ex myſticis quibuſdam rationibus à Divo Thomâ *3. p. q. a.* expoſitis inducti, cujuſmodi ceremonialium inſtitutionem, ſalvâ Sacramentorum ſubſtantiâ, eſſe in Eccleſiæ poteſtate, neque derogare Religionis puritati, fatetur etiam Confeſſio Helvetica *cap. 27.* En igitur Romanam Eccleſiam nullius ſuperſtitionis, te verò, Heideggere, graviſſimæ calumniæ reum eſſe.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Rationes Georgij quartam, quintam, ſextam, ſeptimam, decimam, undecimam, decimamtertiam, decimamſeptimam, decimamnonam, vigeſimamprimam & trigeſimamſecundam in 80
ſuo robore, nè in minimo quidem puncto à Vedroſio refutatas, omninò integras ſubſiſtere. Unde ſic licet argumentari. Ille ſpiritus non eſt Divinus, qui ſenſum ſuum privatum ita præfert authoritati Patrum, licèt conſentientium, & in primis Eccleſiæ quinque, vel ſex ſæculis ſcribentium, ut eam quidem Orthodoxam, piam, in fide illibatam, mox tamen ex prætextu propriæ conſcientiæ, ac redeundo ad ſenſum ſeu inſtinctum ſuum in fidei quoque dogmatibus ab illâ decliner, imò gravibus etiam cenſuris oneret, errorumquè redarguat. At hæc omnia præſtari à ſpiritu modernæ Reformationis, clarè conſtat ex hac totâ ſectione.

Ergo hujus Reformationis ſpiritus non eſt Divinus.

DIS-

DISSERTATIO III.

De Verâ Eccleſiâ.

1. NOn eſt opus ex ſacris Litteris & authoritatibus demonſtrare, neminem poſſe extra veram Eccleſiam ſalvari, cùm ipſimet Reformati Doctores, ſpeciatim Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 1. §. 4.* Confeſſio Helvetica *a. 17.* & alij paſſim hoc fateantur. Imò Calvinus *Inſtit. lib. 2. cap. 3. ſect. 1.* ait: *Non niſi in verâ Eccleſiâ exoriri Dei lucem, illique Deum in ſempiternum fore lucem: extra verò Eccleſiam, Deum non niſi tenebras & cæcitates relinquere.* Et Germanica Confeſſio Bernenſis Eccleſiæ *propoſ. 3.* aſſerit: *Eccleſiam dici veram, quòd extra eam doctrinæ ſint falſæ.* Quæ cùm extra controverſiam ſint, inde fit conſequens, cuique ad ſalutem ac fidei veritatem aſpiranti incumbere, ut veram ingrediatur Eccleſiam. In quem proinde finem præſens de verâ Eccleſiâ inſtituitur Diſſertatio.

SECTIO I.

An, & qualiter oporteat veram Eccleſiam eſſe viſibilem?

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij.

2. HIc author *ſuæ Facis rat. 1.* inter potiores ſuæ converſionis rationes ponit, quòd ipſimet Reformati Doctores concedant, veram Eccleſiam in mundo ſemper viſibilem, imò conſpicuam eſſe oportere. Wollebius enim *Compend. Theolog. lib. 1. cap. 25. can. 21.* ſic habet. *Temporis reſpectu Catholica eſt Eccleſia, quia inde à mundi principio nunquam penitus defecit, quin eſſet aliqua viſibilis Eccleſia in hac terrâ.* Urſinus *prolog. Gener. 1. ſect. 2. & 3. in Catech. Deus vult*, inquit, *Eccleſiam in mundo conſpicuam.* Et mox: *Neceſſe eſt, veram Eccleſiam in mundo conſpici, ut ſciant electi in toto genere humano diſperſi, cui cœtui ſe adjungere debeant in hac vitâ.*

3. Econtra Breitingerus exponens illud *Apocal. 11. v. 2. & cap. 12. v. 1. 6. & 14.* de ſanctâ civitate per quadraginta duos menſes à Gentibus conculcandâ, & de quâdam muliere in ſolitudinem, vel deſertum migraturâ, ſed à Spiritu ſancto ibidem alendâ per tempus, tempora, & dimidium temporis, ſeu per dies mille ducentos & ſexaginta, tandem ait: *Tempus, quo hæc mulier debebat in deſerto*

commorari, eſſe ipſiſſimum tempus, quo dilecta Eccleſia debebat perire de medio hominum, eſſe incognita & abſconſa, & nihilominùs permanere in ſuo eſſe. Similia habet in *Opuſc. de ſect. pag. 38. & 39. Italica verſ.* Et *pag. 43.* ait: *Suas præſentes Eccleſias Reformatas fuiſſe abſconſas in Papatu, &c.* Inviſibilitatem porrò Eccleſiæ indefinitè 4.
& abſolutè adſtruunt Muſculus apud Sculteţum *Annal. decad. 2. ad Annum 1522.* & Calvinus *inſtit. lib. 4. cap. 1. ſect. 2.* Quibus conſonat Helvetica Confeſſio *cap. 17. Eccleſia inviſibilis*, inquiens, *appellari poteſt, non quòd homines ſint inviſibiles, ex quibus Eccleſia colligitur, ſed quòd oculis noſtris abſcondita, Deo autem ſoli nota, judicium humanum ſæpè ſubterfugiat.*

Ex quibus tandem Georgius citatus ſic argumentatur. Quicunq; am- 5.
plectitur Eccleſiam ſemper & ubique viſibilem, & deſerit Eccleſiam hac Notâ carentem, is ſanctè facit. Atqui amplectens Eccleſiam Romanam, amplectitur Eccleſiam ſemper & ubique viſibilem; ac deſerens Reformatam, deſerit Eccleſiam hac Notâ carentem. Ergo ſanctè facit.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

Hic Reformatus Miniſter *ſua Antiq. ſect. 3.* arguit. 1. Diſtinguendum 6.
eſſe inter Eccleſiam. Nam aliam eſſe Catholicam, eamque vel *ſimpliciter* conſtantem ex Militante ac Triumphante; vel *ſecundùm quid*, quæ Militantem duntaxat complectatur. Aliam verò Eccleſiam eſſe particularem, veluti Corinthiacam, Philippenſem, &c. At verò de Eccleſia Catholica *indefinitè* & *quà tali*, ſivè *abſolutè*, ſivè *ſecundùm quid* ſpectatâ, dici debere eſſe inviſibilem, ſiquidem hanc credamus, non videamus. Quo ſenſu Eccleſiæ vocem ſumi à Calvino & Muſculo locis à Georgio citatis. Eccleſiam porro particularem (uti & Catholicam) conſiderari poſſe vel ſecundùm materiale, quod ſunt homines, vel ſecundùm formam eam tum internam, quæ ſit unio cum capite & inter ſe, tum externam, quâ Paſtores & auditores coëant in cœtum, & externa pietatis ac Religionis munia obeant. Ideoque particularem Eccleſiam eſſe viſibilem quoad ſuum materiale, & etiam quoad ſuam formale, ratione quidem formæ externæ, non verò internæ, ipſo Bellarmino adſtipulante *lib. 3. de Eccleſ. cap 15. Videmus*, ajunte, *cœtum hominum, qui eſt Eccleſia, ſed quod ille cœtus ſit ipſa vera Eccleſia Chriſti, non videmus, ſed credimus.*

Arguit 2. Ut ut autem Eccleſia his in terris viſibilis interire nunquàm 7.
poſſit, ita ut penitùs nulli ſint in mundo ſancti & pij, qui Deum colant, juxta præſcriptum ſui Verbi in ſpiritu & veritate, ſiquidem finis ſit futurus,

rus, ubi horum numerus completus fuerit; attamen ſe Reformatos Doctores ſtatuere, quòd viſibilis ille ſplendor Profeſſionis & fælicitatis externæ, cultûſquè publici, per quem Eccleſia incurrit in oculos hominum, ſæpè ita deficiat, ut fiat inviſibilis, id eſt (ut omnis æquivocatio tollatur) obſcurata, occultata, vel (uti Breitingerus, & Wollebius diſertè loquuntur) non peſſundata (veluti Georgius ſuæ Reformationis Doctoribus falsò affricet) ſed ſubducta vel oculis perſecutorum, quæ ſit mens Calvini in poſteriore loco per Georgium *pag. 5.* citato; vel oculis etiam nonnullorum fidelium, velut intendat Confeſſio Helvetica *ibidem.*

8. Arguit 3. Eccleſiam poſſe oculis fidelium ſubduci, patere exemplo Eliæ conquerentis, ſe ſolum relictum. Nec relaxare oppoſitionem Georgij dicentis, Hyperbolicam fuiſſe hanc Eliæ locutionem, & affectûs exceſſum quo, putaverit, ſe ſolum Prophetam relictum eſſe in Iſraele. Etenim reſponſum Dei de ſeptem millibus (an in Iſraele unquàm tot Prophetæ?) relictis, & exempli hujus accommodationem à Paulo *Rom. 11. v. 3. &c.* profligare omnem illam Georgij Phliariam.

9. Arguit 4. Athanaſij quoque tempore Eccleſiam Chriſti ſubductam fuiſſe oculis. Sic enim diſſerere hunc Eccleſiæ Doctorem *in epiſt. ad ſolit. vitam agentes tom. 1. Eccleſia Chriſtum liberè adorat: ſiquidem ea, ſi pia eſt, ſubjacet periculo.* Et paulò poſt: *Nam ſi alicubi pij ſunt, & Chriſti ſtudioſi (ſunt autem ubique tales permulti) illi itidem ut magnus Propheta abſconduntur, ut & ipſi Abdiam aliquem fidelem inveniant: & in ſpeluncas & cavernas terræ ſe abſtrudunt, aut in ſolitudine oberrantes commorantur.* Sic Auguſtinum *epiſt. 80. ad Heſich.* affirmare: *Eccleſiam non apparituram impijs tunc perſecutoribus, ultra modum ſævientibus.*

10. Arguit 5. Hoc eſſe, quòd Ioanni in Apocalypſi depictum fuit in muliere fugiente in ſolitudinem *cap. 12. v. 6.* non tam mutatione locali, quàm amiſſione ornatûs. Non deſijſſe multos eſſe pios, ſed in nullo hos cenſu, imò oppreſſos fuiſſe. Quin & ipſos Pontificios Doctores agnoſcere tempore Antichriſti ſui, quem ſomnient, Eccleſiam viſibilem defecturam ſaltem eò uſquè, ut multò maxima pars mundi ſit paritura Antichriſto, & reliqui ad tempus aliquod occultè victuri.

11. Arugit 6. His poſitis, ad ſyllogiſmum Georgij ſuperiùs formatum reſponderi, majorem & minorem præmiſſas eſſe falſiſſimas. Majorem enim ita ſe habere: *Qui amplectitur Eccleſiam ſemper & ubique viſibilem, hoc eſt ſplendidam & illuſtrem in oculis hominum, & deſerit hoc externo ſplendore carentem, is ſanctè facit.* At verò contra hoc jam evictum eſſe, quòd Eccleſia Dei ſuas patiatur eclypſes, & quæ modo halcyonijs fruatur, cogatur in deſertum ſe proripere, deperdito terreſtris fælicitatis, non verò cæleſtis veritatis ſplendore,

dore. Imò verò, qui Eccleſiæ tali ſe aggregat, membrum fieri proſtibuli illius purpurâ & coccino induti dicentis in corde ſuo: *Conſideo regina, & vidua non ſum; nec luctum videbo. Apocal. 18. v. 14.*

Arguit 7. Minorem quoquè illius Georgiani ſyllogiſmi eſſe falſam. Hanc enim in eo ſe tenere, quòd *amplexans Romanam Eccleſiam, ſemper & ubiquè viſibilem amplectatur Eccleſiam.* At Eccleſiæ Romanæ Doctores oportere, ut oſtendant, ſuam Eccleſiam æſtimatam ex Concilij Tridentini Decretis ſemper fuiſſe; Papam, in quem Eccleſia Romana reſolvitur, è paradyſo, aut Chriſti collegio, aut è primitivæ Eccleſiæ caſtris elicere, magnæ fore operæ. Quî enim ſemper & ubique viſibilis & glorioſa dici poſſit Eccleſia, quæ non fuerit, donec homo peccati eam fundàrit? 12.

Arguit 8. Sanctenè itaque, an ſecùs fecerit Georgius, accedendo ad Romanam præſentem, & deſerendo Evangelicam Eccleſiam, judicare haud eſſe difficile. *Eccleſia enim non jungi, qui ab Evangelio ſeparatur,* ex Cypriano *de Lapſis.* Bellarminum porrò *de Eccleſ. Milit. lib. 4. cap. 7.* dicere: *Si una ſola provincia retineret veram fidem, adhuc propriè & verè dici Catholicam, dummodò clarè oſtenderetur, unam & eandem eſſe Eccleſiam, & fidem ſuam cum ipſâ primitivâ Apoſtolicâ, ſcriptis Apoſtolicis comprehensâ.* En igitur Lydium lapidem Eccleſiæ, non externum ſplendorem, ſed ſcripta Apoſtolica & conſanguinitatem doctrinæ cum primitivâ. 13.

Arguit 9. Ineptum prorsùs eſſe, quòd dicatur, Reformatorum Doctorum doctrinam priſtinam à præſenti, ac Veterem Romam ab hodiernâ diſtinguentium, atq; hanc à veteri multifariam defeciſſe contendentium, exceptionem eo eludere conari, quòd Eccleſia ſemper cõſpicua (qualis Romana) nunquàm à verâ fide deficere poſſit: ſiquidem juxta Urſinum *pag. 9.* à Georgio citatum, conſpicuitas ſit veræ Eccleſiæ Nota. 14.

Arguit 10. Falſum eſſe, quòd conſpicuitas ſit vera veræ Eccleſiæ Nota; ſic enim Gentilium Eccleſiam de veritate optimo jure gloriaturam fuiſſe. Illam porro Eccleſiæ Notam nec eſſentialem, nec propriam, nec inſeparabilem eſſe. Urſino atrocem fieri injuriam dicendo, eum ſtatuere, abſurdùm eſſe, negare conſpicuitatem veram veræ Eccleſiæ Notam; quippe qui eâ ipſâ, quam Georgius citet, paginâ inter alia dicit: Tres Notæ ſunt, quibus Eccleſia ab alijs ſectis diſcernitur 1. *Puritas doctrinæ.* 2. *Legitimus Sacramentorum uſus.* 3. *Obedientia erga Deum ſecundùm omnes doctrinæ partes in fide & moribus.* Ubi conſpicuitas? 15.

Arguit 11. Urſinum agere de Eccleſiâ, quatenùs externis his Notis in ſtatu tranquilliore ſit conſpicua, cui ſe electi adjungere & poſſint, & debeant: at quòd neceſſariò ſemper talis ſit, & omnibus etiam lupis ovili 15.

Digitized by Google

Dei inhiantibus conſpicua, nuſquàm hoc dicere. Temporibus perſecutionum eam ſæpè deliteſcere: tum ſi aliquibus fidelibus inviſibilis & abſcondita fuerit, ſufficere, eos cum Eliâ Eccleſiæ Catholicæ conjungi per fidem & ſanctitatem, quæ ſpiritualis communio ſit.

CAPUT III.

Oſtenditur, Viſibilitatem etiam cum perpetuitate conjunctam veræ Eccleſiæ adeò propriam eſſe, ut vel ex hujus proprietatis defectu reijcienda ſit moderna Reformata Eccleſia.

17. EXplicatur ſtatus quæſtionis. Confecta res eſt, quòd Eccleſia vera ſit Apoſtolica, illa ipſa nimirum, quæ mediante Apoſtolorum prædicatione, in omnes gentes ſit diffuſa, veluti etiam concedit Catechiſmus Tigurinus *Anno 1629.* Unde ipſimet etiam Reformati contendunt, ſuam fidem ac Eccleſiam fuiſſe tempore Apoſtolorum, imò in ipſis etiam Apoſtolis. Quæritur proinde, ubi fuerit in Eccleſiâ medio inter nos & Apoſtolos tempore? Nam quia Patres à ſe diſcordantes habent, horum authoritati minimè acquieſcunt, ſed illos etiam errorum redarguunt, uti in præcedentibus eſt oſtenſum; ſed nequè Conciliorum authoritatem ita ſalvam volunt, quin varias exceptiones ipſis, ſeu actis eorum adhuc extantibus opponant. Unde nec ex Patribus, nec ex Concilijs ſuam Eccleſiam oſtendere valent, quòd ſecundùm fidei dogmata Pontificios inter ac Reformatos controverſa pro illis temporibus extiterit. Dicunt igitur, eam latitâſſe ſub Papatu, & quidem annis mille, ducentis & ſexaginta, fuiſſequè reproductam mediante Reformatione, uti Breitingerus *ſupracitatus* profitetur. Hinc ergo iam prima oritur concertatio, *An iſta Eccleſiæ inviſibilitas tot præſertim ſæculis continuata in verâ Eccleſiâ ſubſiſtere poſſit?* Verùm denuò
18. conveniuntur, *An hiſce temporibus, quibus latitabat Reformatorum Eccleſia, ſuæ fidei confeſſio, quoad dogmata inter nos ac ipſos controverſa nullam unquàm paſſa ſit interruptionem, quin ſemper ſtaret immobilis in fidelibus?* In quo equidem facilè & audacter affirmant. At quia affirmantis eſt probare, compelluntur, ut oſtendant, in quibus terræ partibus, vel an in orbe univerſo immota ſteterit fides dogmatum inter ipſos ac Pontificios controverſorum. Quod equidem præſtare conantur Molinæus *lib. 1. c. 21. Anat. Miſſæ ex Germ. verſ.* & Stukius *par. 2. q. 11. ſect. 27. exam. cujuſd. de relig.* aſſerendo, ſuam ipſiſſimam Reformatorum fidem extitiſſe in Waldenſibus, Albigenſibus, Bulgaris,

ſeu

Digitized by Google

ſeu Picardis, ceu pijs hominibus & veris Chriſti fidelibus. Hinc autem rursùs oritur nobis cum ipſis concertatio: *An ergo Catholica Chriſti fides ad iſtas vnius hominum portionis anguſtias reduci potuerit, in quibus vnicè ſubſiſteret vera Eccleſia?* Cujus adeò Controverſiæ diſcuſſio reijcitur in ſequentem Sectionem; in præſenti autem examinabitur, *Qualiter Eccleſia Catholica conveniat perpetua viſibilitas?*

Probatio prima. Deſumpta ex declaratione hujus Viſibilitatis.

NAm Viſibilitas corporeo viſûs ſenſui (de quo hîc nullus ſermo) ſed intellectivæ potentiæ proportionabilis alia eſt ſcientifica ac ſpeculativa, alia eſt prudentialis & practica, quam Theologi dicunt Evidentiam credibilitatis. Hæc autem pro præſenti quæſtionis ſtatu eſt per ſigna & talia argumenta, ſub quibus prudentiale formetur judicium, quo judicetur, poſſe intellectum abſque temeritate ac levitate, adeòque prudenter myſterium taliter repræſentatum amplecti tanquàm Divinitùs traditum. De hac igitur prudentiali credibilitatis evidentiâ hîc eſt quæſtio, non autem de evidentiâ abſolutâ ſeu ſcientificâ: *Eccleſiam* enim *non videmus, ſed credimus.* Ejuſmodi autem credibilitatis evidentiam prudentialem, eſſe veræ Eccleſiæ propriam, ex eo etiam evincitur, quòd ad eam amplectendam omnes teneantur, utpote extra quam nulla ſit ſalus. Atqui non poteſt eſſe obligatio ſe aggregandi Eccleſiæ quà veræ, dum ejus non habetur notitia, non *abſolutè* evidentialis, cùm iſtam in hac vitâ ordinariè ac plerumque habere non poſſimus, ſed prudentialis, nè, ſi citò quis credat, levis ſit corde. Eo ipſo igitur, quòd ingreſſus in Eccleſiam omnibus ſit neceſſarius, oportuit ad hoc, ut non temerè, ſed prudenter fiat, Eccleſiam eſſe viſibilem, non quidem viſibilitate intrinſecâ & ſcientificâ, ſed prudentiali, & practicâ, voluntatis eatenùs directivâ, ne levitatis argui poſſit. 19

Probatio ſecunda. Conſtans argumentis ab ipſomet Sancto Auguſtino formatis ex ſacris Litteris.

NAm hic Sanctus Eccleſiæ Doctor *lib. de Unit. Eccleſ. cap. 6.* probat *ex Geneſ. 22. v. 6.* juncto *cap. 3. ad Galat. v. 16.* Deum jurando Abrahæ, feciſſe promiſſionem ſeu Teſtamentum de benedicendis omnibus gentibus in ſemine ejus ſcilicet Chriſto. Sub hac ipsâ verò benedictione promittebatur Eccleſia Catholica per univerſum orbem in Chriſto benedicenda, de quâ (eodem Sancto Doctore *cap. 7.* advertente) *Eſaia 62.* facta eſt repromiſſio: *Propter Syon non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec prodeat ſicut lux juſtitia mea, ſalutatio autem mea ſicut facula ardebit, & videbunt omnes gentes juſtitiam* 20

ſtitiam tuam, & reges honorem tuum &c. *Et jam non vocaberis derelicta, & terra tua non vocabitur deſerta. Tu enim vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum.* Ex quibus manifeſtè patet, vi Teſtamenti Divini eſſe promiſſam ac repromiſſam Eccleſiam, quæ ita in omnibus gentibus per orbem terrarum eſſet diffundenda, ut ejus juſtitia (quæ nimirum juxta Apoſtolum eſſet ex fide Chriſti) ceu forma Eccleſiæ inſtar lucis, & inſtar faculæ ardentis eſſet viſibilis (evidentiâ nimirum credibilitatis) omnibus gentibus. At hoc ipſum Dei Teſtamentum repromiſſum (Auguſtino *ubi ſupra cap. 17. ac ſeq.* advertente) adimpleri cœpit, cùm Dominus *Lucæ 24.* juſſit Apoſtolis, prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Illud ipſum autem Teſtamentum eſt perpetuum juxta 61. *caput Iſaiæ v. 5. Fœdus perpetuum feriam eis. Et ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoſcent, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Eo ipſo autem, quòd illud Dei fœdus ſit perpetuum, oportet, prædicationem Teſtamento ejuſmodi ſancitam de nomine Chriſti ac Pœnitentiâ in hoc fundatâ ad omnes gentes propagandis, nullo unquàm tempore interrumpi, omniquè adeò tempore fructificare, ut ſemen ac germen Apoſtolicæ prædicationis in Gentibus, ac in medio populorum ſciatur, omneſque, qui viderint, cognoſcant ſemen, cui benedixit Dominus. Cùm igitur iſtud ſemen ſit Eccleſia, manifeſtè ſequitur, talem Dei Teſtamento eſſe ſancitam Eccleſiam, quæ ſit viſibilis per omnes gentes. Quemadmodùm igitur Auguſtinus *cit. cap. 6.* ſic exprobravit Donatiſtis: *Quare vos irritum facitis Teſtamentum, dicendo, nec in omnibus gentibus eſſe completum, & periiſſe jam de gentibus, in quibus erat ſemen Abrahæ? Quarè ſuperordinatis, dicendo, in nullis terris hæredem permanere Chriſtum, niſi ubi cohæredem potuerit habere Donatum? Legite nobis hoc de lege, de Prophetis, de Pſalmis, de Evangelio, ſicut nos legimus de Geneſi & Apoſtolo, quia in ſemine Abrahæ benedicentur omnes gentes.* Sic ſanè modernis Reformatoribus Eccleſiam ultrà mille, ducentos annos latitantem proclamantibus, objicere licet: Legite nobis de Scripturâ, quòd in nullis terris Chriſti hæreditas reperta ſit tot ſæculis, niſi in ignoto ac incerto loco, donec Zvvinglius, Calvinus, vel Lutherus prodiret.

Probatio tertia, ex diverſis ſacris Textibus deſumpta.

III. NAm ex *Matth. 24. cap. v. 14.* habetur, quòd uſque ad conſummationem ſæculi oporteat *Evangelium regni prædicari in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus.* At Evangelium non poteſt omnibus Gentibus eſſe in teſtimonium, niſi habeat evidentiam credibilitatis, utpotè ſinè quâ neque prudenter quis poſſit aſſentiri Evangelio, neque ſi diſſentiret ob ignorantiam invincibilem,

lem, poſſet alicujus culpæ redargui. Eo ipſo autem, quòd ipſis etiam adverſarij profitentibus, pura Evangelij prædicatio ſit Eccleſiæ veræ connexa; ceu nota ipſius eſſentialis & inſeparabilis, nequit Evangelium habere credibilitatis evidentiam, niſi Eccleſia, ejuſque adeò eſſentialis forma ſortiatur parem evidentiam. Conſequens igitur eſt, Eccleſiam in omnibus Gentibus uſque ad conſummationem ſæculi fore habituram evidentiam credibilitatis, ſub quâ ipſa unà cum vero Evangelio recipi poſſit ac debeat.

Adhæc Chriſtus de ſuis fidelibus *Matth. 18. v. 17.* pronunciavit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* At Eccleſia audiri non poteſt, niſi habeatur ejus notitia, ſeu evidentia credibilitatis. Nequè verò dignus eſt pœnâ, qui Eccleſiæ ſibi invincibiliter ignotæ non paret. Eſſet autem invincibilis de Eccleſiâ ignorantia, ſi non ſortiretur talem evidentiam, ex quâ prudenter dignoſci poſſet tanquàm vera Eccleſia. Imò qualiter poſſet cum prudentiâ cenſeri inſtar Ethnici ejectus extra Eccleſiam, ſi hæc non pateret ſub ſignis prudentialem credibilitatis evidentiam fundantibus? Cùm igitur illud Chriſti præceptum indefinitè omne tempus Eccleſiæ ambiat, conſequens eſt, nullum poſſe admitti tempus; ſub quo ita latitârit Eccleſia, quin ſecundùm evidentiam credibilitatis eſſet fidelibus ſemper viſibilis. Quo igitur jure Reformati dicere poſſunt, latitâſſe Eccleſiam in Papatu mille, ducentis & ſexaginta annis? Eò vel maximè, quòd *Matth. 5. v. 14.* Chriſtus ipſemet eam comparârit *Civitati ſupra montem poſitæ, quæ abſcondi non poſſit.* 22.

Probatio quarta, deſumpta ex authoritate ſanctorum Patrum.

NAm Origenes *30. in Matth.* dicit, *Eccleſiam plenam fulgere ab oriente uſq; in occidentem, &c.* Cyprianus *lib. de Unit. Eccleſ.* ait: *Eccleſiam Domini luce perfuſam, radios ſuos per orbem terrarum ſpargere.* Chryſoſtomus *hom. 4. in cap. 6. Iſaiæ,* inquit, *Facilius eſſe, ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari.* Ambroſius *lib. 7. in cap. Lucæ 22.* ita diſſerit: *Fides noſtra in iſto altiſſimo omnium locata monte, hoc eſt Chriſto, non poteſt tenebris & ruinis hujus mundi abſcondi, ſed fulgens candore ſolis æterni, luce nos gratiæ ſpiritali illuminat, &c.* Auguſtinus *lib. 13. contra Fauſtum cap. 13.* cùm interrogâſſet: *Quo manifeſto indicio tenebo Eccleſiam Chriſti?* poſtea ſubdit: *Idem Propheta, &c. docet, Eccleſiam Chriſti ipſam eſſe prædictam, quæ omnibus eminet & apparet.* Et infra: *Dominus quoquè providens,* ait: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Item *lib. 2. contra Petilian. cap. 32.* præmiſſo illo *Pſalmi 18. In omnem terram exivit ſonus eorum,* ait: *Hinc fieri, ut Eccleſia una neminem lateat.* Et *cap. 104. Non eſtis in montibus Syon, quia non eſtis in civitate ſuprà montem conſtitutâ, quæ certè ſignum hoc habet, quòd abſcondi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus, pars autem Donati ignota eſt omnibus gentibus. Non eſt ergo illa.* Quid ſi igitur adversùs modernam Reformationem

23.

24.

25.

nem ſimile fieret argumentum, quòd ejus Doctores velint, ſuam Eccleſiam ultrà mille annos ita latitâſſe, ut eſſet ignota omnibus gentibus. At Eccleſia vera ceu civitas ſupra montem poſita abſcondi non poteſt, quin nota ſit omnibus gentibus. Ergo non eſt vera Eccleſia. En totum Sancti Auguſtini argumentum ex propriâ Reformatorum Doctorum confeſſione locum habet in ipſorum Eccleſiâ Reformatâ, ut vel hinc agnoſcatur, non eſſe abſimilem illi Eccleſiæ, quam utpote Verbo Dei contrariam, exagitavit ille Sanctus Eccleſiæ Doctor.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

26. AD *primam* Reſp. Ex dictis manifeſtum eſſe, quòd ipſam etiam Catholicam Militantem Eccleſiam oporteat adſtruere viſibilem, non quidem evidentiâ ſpeculativâ & ſcientificâ Veritatis in ſe, ſeu ſuis principijs notæ vel demonſtratæ, ſed evidentiâ prudentiali & practicâ credibilitatis voluntatem eatenùs dirigentis, ut abſque temeritatis ſeu levitatis notâ poſſit eam prudenter amplecti. Unde verum eſſe, quòd Eccleſiam in ſe, vel etiam in principijs per ſe notis non videamus, ſed credamus. Eo ipſo tamen, quòd fides, utpote rerum non apparentium, procedat ex imperio ac motione voluntatis, intellectum in fidei obſequium captivantis, oportere ad hoc, ut Eccleſiam credamus, iſtam voluntati de ſe cæcæ illuceſcere per aliqua motiva credibilitatis. Neque verò Eccleſiam internâ veræ ac Orthodoxæ fidei formâ *eſſentialiter* conſtantem, Diviniquè Verbi externi tum ſcripti, tum traditi illibatè conſervatricem poſſe ſub iſtâ formalitate prudenter amplecti, quin ſecundùm hanc ipſam formam ſortiatur credibilitatis evidentiam. Eo ipſo igitur, quòd Eccleſia vera ita credi debeat, ut ab ejus directione ac prædicatione omnes ad Chriſti fidem vocati dependeant, oportere, ipſam habere viſibilitatem, ſeu evidentiam non quidem ſpeculativam & ſcientificam, ſed practicam & prudentialem. Quam proinde prudentialem Eccleſiæ evidentiam, ſi Calvinus & Muſculus, prout Vedroſius contendit, de Catholicâ Militante Eccleſiâ negârunt, evidenter ſequitur, ipſos temeritatis ac levitatis notâ dignos fuiſſe, dum ſuam, quam jactitabant, Eccleſiam Catholicam prædicârunt, vel etiam crediderunt. Qui enim citò (id eſt abſque argumentis prudentialem evidentiam fundantibus) credit, levis eſt corde. Eccleſ. 19. v. 4.

27. Ad *ſecundam* Reſp. Falsò ſupponi à Vedroſio, quòd Eccleſia non ſit viſibilis, niſi ſecundùm illum profeſſionis & fælicitatis externæ, cultûſquè publici ſplendorem, qui occurrat in oculos hominum. Nam quæro ex Vedroſio, an oporteat iſtum ſplendorem *materialiter* duntaxat ſecundùm ſuam extrin-

extrinſecam ſenſibilitatem, vel etiam *formaliter* ratione ipſius veritatis ex eâ relucescentis, & per ipſam exteriùs teſtificatæ viſibilem eſſe? Si affirmet hoc poſteriùs, erit eo ipſo convictus de viſibilitate interioris quoquè ſplendoris, ſeu formæ Eccleſiam ut ſic conſtituentis. Si prius aſſerat, tunc ex ipſo denuò quæro, an non illi Sancti occulti, qui Deum juxta præſcriptum Verbi ſui in ſpiritu & veritate quovis Eccleſiæ tempore colebant, habuerint iſtius veritatis ac ſpiritûs notitiam, ſeu evidentiam credibilitatis? Si neget, tunc arguet hoſce ſanctos ac fideles occultos imprudentiæ ac levitatis, eoſque exuet verâ, utpote non temerariâ, ſed prudenti ſide Divinâ, adeòque Eccleſiam jam ad iſtos pauculos pios & ſanctos redactam omninò extinguet. Si affirmet, tunc res erit confecta, ipſam ſcilicèt veritatem fidei & cultûs Divini, ceu formam Eccleſiæ intrinſecam omni tempore debuiſſe habere viſibilitatem, ſeu evidentiam credibilitatis prudentialem. Et quia omni Eccleſiæ tempore locus eſſe debuit Verbi Divini prædicationi, ac Gentium ad Eccleſiam vocationi, oportuit conſequenter, ejuſmodi prudentialem credibilitatis evidentiam ſe diffundere non tantùm ad fideles, ſed etiam ad Gentes. Et hinc quantumvis ſe torqueat Vedroſius, nunquàm vel in ſemetipſo, vel in ſuæ Reformationis Doctoribus evadere poterit contradictiones ex Breitingeri & Wollebij, ac Calvini & Confeſſionis Helveticæ inter ſe collatorum verbis, non tantùm conſpicuas, ſed palpabiles, ut adeò non immeritò pro notâ modernæ Reformationis videatur ponenda viſibilitas & palpabilitas contradictionum, Eccleſiam taliter Reformatam cuiquè prudenti inviſibilem demonſtrans.

Ad *tertiam* Reſp. Hanc ab exemplo Eliæ petitam argutiam optimè refutari à Georgio *cit. Rat. 1. à n. 17*. Tum quòd Elias tantùm querulatus ſit, ſe inter Prophetas eſſe ſolum relictum, veluti patet *ex. 3. Reg. 19. v. 14.* adſtipulantibus ipſis etiam Reformatis Doctoribus, ſpeciatim Genevenſi Italicâ verſione. Unde verum non eſt, quòd Elias exiſtimaverit, totam tunc temporis Eccleſiam Dei viſibilem perijſſe. Tum quòd Elias ex affectûs exceſſu duntaxat conqueſtus ſit de omnibus reliquis Prophetis Domini occiſis, ſiquidem ex 3 *Reg. cap. 18. v. 4. & 13.* pateat, ipſi conſtitiſſe, quòd Abdias (à Genevenſi Gloſsâ inter duodecim minores Dei Prophetas numeratus) cum centum Prophetis fuerit ſalvatus. Multò igitur minùs Elias per exceſſum affectûs de Prophetis univerſim, re ipsâ verò de potiſſimâ Prophetarum parte interfectâ conqueſtus, credere potuit, totam viſibilem Dei Eccleſiam interijſſe, vel oculis fidelium ſubductam eſſe. At opponit Vedroſius, ejuſmodi Georgij exceptionem refutari ex ſacro contextu. Ex hoc enim patere, quòd Deus Eliæ querulanti reſponderit, ſeptem millia hominum eſſe relicta,

28.

29.

cta, quæ genua non incurvârint coràm Baal. Unde cùm in Iſraele nun-
quàm fuerint tot Prophetæ, non potuiſſe Eliam de Prophetis duntaxat oc-
ciſis, ſed de universâ Eccleſiâ viſibili extinctâ, ſeu oculis fidelium ſubductâ
conqueſtum fuiſſe, accedente præſertim exempli illius accommodatione
30. à Paulo *Rom. 11. v. 3. & 4.* factâ. Verùm iſta Vedroſiana oppoſitio nullius
eſt valoris. Nam poſito, non tamen dato, quòd Elias fuiſſet arbitratus, ſe
ſolum inter fideles in Iſraele commorantes (repugnante tamen ſacro Tex-
tu *cit. cap. 18.* & allegatâ verſione Genevenſi) fuiſſe relictum, necdum tamen
evincitur, etiam putâſſe, univerſam Dei Eccleſiam eſſe ſubductam oculis
fidelium: ſiquidem noverit Elias, Eccleſiam præcipuè ijs temporibus ſub
31. regibus Aſâ & Joſaphat conſpicuam fuiſſe in regno Judaico. Et quid tan-
dem Vedroſi tua argumentatio à temporibus Eliæ procedit ad ſtatum Ec-
cleſiæ à Chriſti reſurgentis, & in cœlum aſcendentis tempore propagatæ,
intra quam eatenùs ſunt benedicendæ omnes gentes, ut ab univerſis cog-
noſci queat tale ſemen, cui benedixerit Dominus?

32. Ad *quartam* Reſp. Aliud eſſe, an fidei veræ confeſſio, & cultus Dei
externus in Eccleſiâ inviolabiliter retentus liberè in ipſo etiam perſecuto-
rum conſpectu ſit exercendus. Aliud verò eſſe, an vera fides cum Divino
legitimo cultu tam interno, quàm externo per orbem terrarum propaga-
ta ita ſemper vigeat in Eccleſiâ Dei, ut tam iſta, quàm illa vi benedictionis
Divinæ per Dei Teſtamentum firmata, omni prorsùs tempore obtineat cre-
dibilitatis prudentialem evidentiam, per quam omnibus hæreſibus ac erro-
ribus ſupereminea, & non tantùm à fidelibus, ſed etiam ab infidelibus diſ-
cerni queat. At licèt Patres allegati negent prius, hoc tamen poſterius ſem-
per propugnârunt adversùs hæreticos, maximè Arianos & Donatiſtas, uti
præſertim ex Sancto Auguſtino *lib. de unit. Eccleſ.* & alibi videre licet, patet-
què ex Patrum teſtimonijs *ſupra n. 23.* adductis.

33. Ad *quintam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an per illam Apocalypti-
cam mulierem intelligat ſuam Reformatam Eccleſiam ex judicio Breitin-
geri *ſuperiùs citati* mille, ducentis & ſexaginta annis latitantem in Papatu?
At de muliere illâ aſſerit ſacer contextus, eam fugiſſe in ſolitudinem, ut ibi
eam paſcerent diebus mille ducentis ſexaginta. Quæro igitur, à quibuſnam
ſit paſcenda illa, fidelium multitudinem in unâ vera Eccleſiâ aggregatorum
repræſentans, mulier Apocalyptica? An à Paſtoribus Eccleſiaſticis? At
quomodò fideles paſcentur ab iſtis, niſi prudenter judicare poſſint, eſſe ve-
ræ Eccleſiæ Paſtores? Quomodò autem iſtud prudentiale judicium forma-
bitur, niſi tam de Eccleſia verâ, quàm de ejus Paſtoribus legitimis habean-
tur argumenta prudentialem credibilitatis evidentiam fundantia? Vides
igitur,

igitur, illam mulieris Apocalypticæ, ſeu Eccleſiæ fugam ac ſolitudinem non fore deſtituendam evidentiâ. Adhæc ſacer contextus *eodem capite, verſu im-* 34.
mediatè ſequenti affirmat, muliere illâ in ſolitudinem fugiente, factum eſſe prælium magnum Michaelis, ejuſquè Angelorum cum dracone, & ipſius Angelis minimè prævalentibus, ſed devictis. At quomodò iſtud prælium ſtabit ſine argumentis credibilitatis prudentialem de Veritate Eccleſiæ, ejuſque doctrinæ evidentiam præſeferentibus? Certè ipſimet ſancti Patres paſ- 35.
ſim, ſpeciatim Chryſoſtomus *Homil. 4. in Iſajam*, Baſilius *ad cap. 8. Iſajæ*, Nanzianzenus *Orat. 23.* Euſebius Cæſarienſis *de Præparat. Evangelÿ lib. 7. cap. 5.* ex eo, quòd Eccleſia in ſuis graviſſimis perſecutionibus nunquàm ſuccubuerit, ſed ſemper prævaluerit, ejus conſpicuitatem ac ſplendorem, ſive credibilitatis prudentialem evidentiam concludunt. Exinde namque elucet, eſſe illam ipſam, quæ ſupra petram fundata ſit, Eccleſiam, adversùs quam portæ inferi prævalere non poſſint, uti advertit etiam Chryſoſtomus *in Homil. tractante de ipſius expulſione.* Ex hac ipsâ verò Eccleſiæ omnibus perſecutionibus ſupereminentis ac prævalentis fortitudine, ipſis etiam infidelibus reſplendet credibilitatis evidentia prudentialis, ipſammet adeò Eccleſiam conſpicuam, & coram Gentibus illuſtriorem conſtituens. Illa igitur mulieris Apocalypticæ in ſolitudinem seceſſio ſeu fuga non tollit talem Eccleſiæ evidentiam, quæ ſuper prudentialibus credibilitatis argumentis ſit fundata; ſed infert talem duntaxat ſeceſſum, quo exercitia Religionis occultabantur coram perſecutoribus, ejus tamen ſplendore non tantùm ad fideles, ſed etiam infideles ac perſecutores per prudentialia argumenta, ceu ſingularis Providentiæ Divinæ radios ſe diffundente.

Ad *ſextam* Reſp. Illam Georgiani ſyllogiſmi majorem omninò fir- 36.
mam eſſe. Nam illi, qui credit eſſe ûnam veram à Deo fundatam Eccleſiam, per ſe notum eſt, benè ac ſanctè facere, quiſquis amplectitur Eccleſiam Divini eam fundantis, ac repromittentis Teſtamenti notâ inſignitam. Atqui ex argumentis à ſancto Auguſtino ex ipsâ ſacrâ Scripturâ petitis, conſtat, Dei, Eccleſiam repromittentis, Teſtamentum ſubſiſtere in promiſſione Divinâ de omnibus Gentibus in Chriſto benedicendis. Hæc autem repromiſſio per Apoſtolicam prædicationem impleta, eſt fœdus perpetuum, vi cujus Deus Eccleſiæ repromittebat prodituram juſtitiam inſtar lucis, ſuamquè in fide ſalvationem inſtar faculæ ardentem, ita ut omnes Gentes viderent ejus iuſtitiam, & reges ipſius honorem, omnesquè cognoſcerent ſemen eiuſmodi, cui benedixerit Dominus. Ex quibus adeò conſequens eſt, vi Teſtamenti Divinitùs repromiſſi, ceu Fœderis perpetui fore in perpetuum, atquè adeò ſinè interruptione talem Eccle-

Digitized by Google

ſiæ, ejuſquè iuſtitiæ, Divinæque in fide ſalvationis ac honoris conſpicuitatem, ut eam non quidem in ſe ipsâ per Evidentiam Veritatis, ſed in argumentis prudentialibus per evidentiam credibilitatis, eſſent viſuræ omnes Gentes, & cognituræ adeò ſemen, cui Dominus benedixerit. Cùm igitur ſanctè faciat, qui amplectitur Eccleſiam Divini eam repromittentis Teſtamenti notâ inſignitam: ejuſmodi verò nota per Teſtamentum Dei repromiſſa ſit talis Eccleſiæ ſplendor, qui prudentialem credibilitatis evidentiam fundet, nemo Veritatis Divinæ avidus negare poterit, quin ſanctè faciat amplectens Eccleſiam dicto modo viſibilem, ac deſerens carentem tali viſibilitate, ſeu credibilitatis Divinæ prudentiali evidentiâ. Firma igitur ſtat illius Georgiani ſyllogiſmi maior, quam nullatenus labefactari argumentis Vedroſianis, conſtat ex dictis, nec niſi calumniæ ac blaſphemiæ, hæreſisq; graviſſimæ ſe reum facit Vedroſius, qui contra aperta ſacræ Scripturæ teſtimonia, & ſanctorum Patrum claras authoritates, ſanctiquè Auguſtini adverſùs Donatiſtas iam dudum firmata, ac ſuperiùs deducta argumenta, non erubuit aſſerere, eum, qui tali Eccleſiæ ſe aggregat, membrum fieri proſtibuli Apocalyptici purpurâ & coccino induti.

37. Ad *ſeptimam* Reſp. Minorem quoquè Georgiani ſyllogiſmi firmiter ſubſiſtere, ac probari reaſſumendo Vedroſij argutiam. Eccleſia enim Romana eſt illa, quæ æſtimatur ex Concilij Tridentini Decretis. At primum hujus Concilij circa fidem *ſeſſ. 3.* editum decretum eſt ipſum fidei Nicænum ſymbolum ab ipſis etiam Reformatoribus tanquàm legitimum approbatum, nec non circa ſcripturas canonicas, ac Verbum Dei traditum. Omnes autem ſacros libros ibi recenſitos fuiſſe olim à verâ viſibili Eccleſiâ receptos, patet tum ex Concilio Chartaginenſi 3. *cap.* 47. celebrato ſub Anno 395. tum ex Synodo Nicænâ Anno 325. celebratâ, & quoad præſens punctum relatâ à Divo Hieronymo, alijſquè partim Oecumenicis, partim Provincialibus diverſis Concilijs, & Patrum frequentiſſimis authoritatibus. Porrò Verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum, eſſe fundatum in ipſiſmet ſacris Litteris, ac receptum à primitivâ Eccleſiâ, atquè in hac perpetuò propagatum & conſervatum, probatur *Diſſert. 1. ſect.* 1. Conſtat igitur, primum Concilij Tridentini Decretum, quatenùs fidem tangit, eſſe ipſiſſimam fidei doctrinam in verâ Dei Eccleſiâ perpetuò conſervatam. Deinde *ſeſſ. 5.* quatenus de fide diſponit, decretum eſt de Originali peccato

38. ac de Baptiſmi ad hoc tollendum neceſſitate. At totum hoc in ſacris Litteris fundatum, à Concilio quoq; Nicæno eſſe traditum, à Reformatis verò Doctoribus contradictoriè reiectum, patet ex dictis ſuprà, ac fuſiùs probabitur infra *diſſ. 6. ſect. 2.*

39. Tertium Concilij Tridentini fidei dogma *ſeſſ. 6.* expoſitum

Digitized by Google

ſitum eſt de juſtificatione, reijcitquè iuſtificationem ex ſolâ fide, adſtruitquè merita. At omnia ibi definita eſſe conformia ſacris Litteris, & puræ ac Orthodoxæ antiquitati, conſtat partim ex dictis, partim ex dicendis *diſſert.* 11.
Quartum ejuſdem ſacri Concilij *ſeſſ.* 7. editum circa fidei dogmata decretum eſt de Sacramentis, eorumq; virtute. At omnes ibi definitos articulos & canones eſſe fundatos in ſacris Litteris, & Orthodoxâ antiquitate, atq; Concilijs Oecumenicis, patet partim ex dictis, partim ex dicendis *diſſert.* 5. & 6. 40.
Quintum illius Concilij *ſeſſ.* 13. fidem concernens decretum eſt de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. At omnia ibi definita ſacræ Scripturæ convenire, eſſequè tradita ab antiquitate & Concilijs, liquet partim ex dictis, partim ex dicendis *diſſert.* 7. Sextum ejuſdem Synodi *ſeſſ.* 14. publicatum, ad fidem 41.
ſpectans, decretum eſt de pœnitentiâ. Omnia verò ibi definita eſſe in Verbo Dei fundata, & ab antiquitate recepta, atquè à Concilijs deciſa, conſtat partim ex dictis, partim ex dicendis *diſſert.* 9. Septimum prætacti Concilij 42.
ſeſſ. 21. promulgatum in rebus fidei decretum eſt de communione ſub utrâquè, vel unâ tantùm ſpecie. At univerſa ibi definita in nullo penitùs puncto diſcordare à ſacris Litteris, eſſequè antiquitati Orthodoxæ conſentanea, oſtenditur partim ſupra, partim infra *diſſert.* 6. *ſect.* 3. Octavum 43.
Concilij prædicti *ſeſſ.* 22. ordinatum in rebus fidei decretum eſt de Sacrificio Miſſæ. In quo eſſe conformitatem cum antiquâ Eccleſiâ, in ipſis ſacris Scripturis fundatam, conſtat ex dictis, ac dicendis *diſſertat.* 8.
Nonum Synodi allegatæ *ſeſſ.* 23. editum circa fidem decretum eſt de Sacramento Ordinis. In quo nullatenùs diſcrepari à Verbo Dei, & purâ ac Orthodoxâ antiquitate, oſtenditur partim ſupra, partim infra *diſſert.* 10. 44.
Decimum Concilij præfati *ſeſſ.* 24. factum in rebus fidei Decretum eſt de Sacramento Matrimonij. In quo cum ſacris Litteris ac Verbo Dei, purâquè antiquitate convenire demonſtratur *diſſert.* 5. *ſect.* 1. *cap.* 3. Undecimum res 45. 46.
fidei concernens *ſeſſ.* 25. à Concilio Tridentino editum decretum eſt tum de purgatorio, tum de invocatione & veneratione ac Reliquijs Sanctorum, & ſacris Imaginibus. In quibus omninò cum Orthodoxâ in Verbo Dei fundatâ antiquitate eſſe conſenſum, patet ex *diſſert.* 9. *ſect.* 3. & *diſſertat.* 13. Vides igitur Vedroſi, Eccleſiam ex Concilij Tridentini Decretis 47.
æſtimatam eſſe puræ Orthodoxæ antiquitati in fide conſentaneam, Romanamquè adeò Eccleſiam Papæ tanquàm vniverſali Paſtori commiſſam eſſe in Divino perpetuo fœdere fundatam conſpicuam Eccleſiam, cujus perpetuitatem probari etiam ſucceſſione Pontificum, quam ab ipſomet Petro uſquè ad Urbanum VIII. attexuit Alſtedius *Chronol. cap.* 24. faterturquè Calvinus *inſtit. lib.* 4. *cap.* 7. *ſect.* 7. quòd *nullum fuerit tempus, in quo*

non Romana ſedes imperium in alias Eccleſias appetiverit. At planum eſt, non potuiſſe ſedem Romanam imperium in alias Eccleſias omni tempore appetere, ſi alijs non fuiſſet conſpicua. Ex quo adeò etiam capite (firmioribus argumentis in ſequentem Diſſertationem dilatis) Georgius *cit. Rat. 1. n. 27.* concludit ac probat, Eccleſiam perpetuò viſibilem fuiſſe Romanam. Quam equidem illationem Vedroſi non ſolvis, ut adeò illa

48\. Minor Georgiana, quatenùs tangit Romanam Eccleſiam, firma ſubſiſtat. Et verò in illâ Minore continebatur adhuc, quòd ex propriâ Reformatorum confeſſione probatum ſit, Eccleſiam Reformatam non ſemper fuiſſe conſpicuam, de quo omninò ſiles, utique cùm nulla tibi occurrerit ejus ſolutio. Cùm igitur ambæ illius Georgiani ſyllogiſmi præmiſſæ ſubſiſtant integræ ac inſolutæ, nunquid ſtabit etiam concluſio per legitimam conſequentiam illata?

49\. Ad *octavam* Reſp. Utiquè facilè iam iudicari, an Georgius deſerendo Eccleſiam Reformatam ſanctè fecerit. Verum enim eſt, Eccleſiæ non iungi, qui ab Evangelio ſeparatur; At qui negat Eccleſiam perpetuò viſibilem, diſcordare, atquè adeò ſeparari ab Evangelio, S. Auguſtinus ſupra allegatus probat ex ipſis ſacris Litteris. Cùm igitur Reformata Eccleſia ſe ultra mille, ducentos annos inviſibilem proteſtando, probet, ſe non cohærere cum Evangelio, utique Georgius, ut ſe iungeret & Eccleſiæ & Evangelio, benè fecit ab illâ recedendo. En igitur Vedroſi, ipſo etiam lapide Lydio Eccleſiæ, ſancto ſcilicet Evangelio, attento, probari Georgij converſionem ad Romanam Eccleſiam.

50\. Ad *nonam* Reſp. Nihil in eâ, niſi purum chaos contineri; hinc tamen minimè obſcurari argumentum ab ipſomet etiam Vedroſio inſinuatum. Neceſſe enim eſt (uti ait hic Miniſter Reformatus) veram Eccleſiam in mundo conſpici, ut ſciant electi, in toto genere humano diſperſi, cui cætui ſe adjungere debeant in hac vitâ, & ad Eccleſiam aggregare. Atqui omni tempore à prædicatione Evangelij erat iſta neceſſitas ſe aggregandi veræ Eccleſiæ. Oportuit ergo, veram Eccleſiam omni tempore à prædicatione Evangelij manſiſſe conſpicuam, evidentiâ nimirum prudentialis credibilitatis. At eiuſmodi conſpicuitas non eſt in Eccleſiâ Reformatâ, uti fatentur ipſimet Reformati. Ergo hæc non eſt vera Eccleſia, ſed Romana potiùs, illam conſpicuitatis proprietatem perpetuò conſervans.

51\. Ad *decimam* Reſp. Mirum eſſe, quòd Vedroſius, nè ſuæ Reformationis Doctorum contradictionem iterum ſuſtinere debeat, aſſerat, Ui ſino fieri atrocem iniuriam, dum aliud tamen non agitur, niſi quòd ejus aperta verba allegentur. Sed nunquid iſtorum clarum tenorem elidet ſuâ argumenta-

menta-

mentatione? Ex eo enim, quòd Urſinus puritatem doctrinæ, legitimum Sacramentorum uſum, & obedientiam erga Deum ſecundùm omnes doctrinæ partes in fide & moribus, veluti tres Eccleſiæ diſtinctivas notas ponat, infert Vedroſius, conſpicuitatem non eſſe proprietatem Eccleſiæ. Ac ex Dialecticis regulis noſſe debuiſſet, argumentationem non benè procedere ab affirmativâ ad negativam. Hoc tamen miſſo, ſic proceditur. Nequit enim puritas doctrinæ, legitimus item Sacramentorum uſus, & perfecta ſecundùm fidem ac mores erga Deum obedientia cognoſci abſquè prudentiali credibilitatis evidentiâ. Hac verò poſitâ, ipſamet etiam Eccleſia erit taliter conſpicua ac viſibilis. Nequeunt ergo illæ notæ Eccleſiæ ſubſiſtere, quin concurrat ipſa Eccleſiæ viſibilitas. Imò verò nota eſſentialis ac inſeparabilis veram Eccleſiam certò demonſtrans ſtare non poteſt, quin habeatur Eccleſiæ evidentia, uti ex ipſis terminis patet. At illæ notæ ſunt Eccleſiæ eſſentiales ac inſeparabiles. Hiſce ergo ſecundùm credibilitatis evidentiam prudentialem monſtratis, eo ipſo habebitur Eccleſiæ viſibilitas. Vides igitur Vedroſi, quomodò contra te ipſum continuò pugnes? 52.

Ad *undecimam* Reſp. Nimiùm te, Vedroſi, occupari in torquendo tuo Urſino. Etenim nè Pontificij quidem urgent talem Eccleſiæ viſibilitatem, quin ad ſpeluncas & cavernas ob metum perſecutionis ſe multoties receperint fideles, ſed evidentiam credibilitatis prudentialem ita ſupereminentem, ut & fideles veræ Eccleſiæ aſſociati perſiſtant, & infidelibus ſecundùm rationem prudentialem pateat ingreſſus in eam; cujusmodi conſpicuitatem adſtruere etiam Urſinum, clarè patet ex ejus verbis, in hoc ipſo tamen ſuæ Reformationi planè contrarius. Quid autem ex tali perpetuâ contradictionum pugnâ evincitur, niſi quòd ejuſmodi contradictionibus eò ipsò ab Eccleſiâ Reformatâ omnino tollatur credibilitatis evidentia, ne quis prudenter ad eam accedere, vel in eâ permanere poſſit, uti ſeq. Corollario elucidabitur. 53.

COROLLARIUM.

EX dictis manifeſtè infertur. Primam Georgij Rationem ſupra *cap. 1.* expoſitam, à Vedroſio nullatenus ſolutam, ſubſiſtere cum omni ſuo robore ac vigore. Unde ſic licere argumentari. Eccleſia illa non eſt vera, quæ contradicit Dei Teſtamento, vi cujus repromiſſa eſt Eccleſia ſub benedictione Chriſti, ceu ſeminis Abrahæ per omnes Gentes eatenùs diffundenda, ut hoc fœdus eſſet perpetuum, omneſquè cognoſcerent germen ex illâ Chriſti benedictione ac prædicatione in vniverſis populis propagatum, eſſe ſemen, cui benedixit Dominus. At Eccleſiam Reformatorum 54.

aper-

apertis verbis contradicere illi Teſtamento Dei, ac fœderi perpetuo, demonſtratum eſt *praced. cap. 3. ac ſequent.* Ergo Eccleſia Reformata non eſt vera Eccleſia.

SECTIO II.

An Catholica Chriſti fides reduci poſſet ad unius hominum portionis anguſtiam, ſub quâ ſubſiſteret vera Dei Eccleſia?

1\. CUm Reformatorum nomine Breitingerus *cit. opuſc. de ſect. pag. 38. 39. 41. & 43.* doceat, ſuas Eccleſias Reformatas mille, ducentis ſexaginta annis latitâſſe in Papatu, fuiſſeque mediante Reformatione in lucem denuò reproductas, idcircò ex ipſis meritò quæri poteſt cum Tertulliano *lib. de præſcript. Qui eſtis vos, vnde, & quando veniſtis? ubi tamdiu latuiſtis?* Ex quâ proinde interrogatione videntur Reformati etiam fuiſſe compulſi, ad inquirendam aliquam Religionis ſpeciem, ſub quâ antè hac latitârint, uti ex ſequentibus patebit.

CAPUT I.

Referuntur Georgij Rhæti fundamenta.

2\. HIc author ſuæ *Facis Rat. 35. n. 1.* inducit Molinæum *lib. 1. cap. 21. mat. Miſſa in Germ. verſ.* ſic diſſerentem: *Poſſumus veraciter dicere, Pontifices jam ab hinc quatuor, vel quinque ſæculis veros Chriſti fideles, & veram Chriſti Religionem igne & ferro inſectatos fuiſſe. Ejuſmodi piorum hominum ſub excelſis tamen Waldenſium, Albigenſium, Bulgarorum, ſeu Picardorum nominibus indigitatorum &c. horum, inquam, Chriſti fidelium confeſſiones, quæ apud nos etiamnum ſcriptæ extant, conformes omninò ſunt noſtræ fidei formæ.*

3\. Ab eodem Georgio *n. 3.* inducitur etiam Stukius: *Waldenſes, inquiens, noſtri ſunt &c. quorum confeſſiones &c. ut pias & Verbo Dei conſonas amplectimur, paucis exceptis, quæ fundamentum ſalutis non lædant.*

4\. Verùm Georgius citatus *à n. 6 uſque ad 24.* recenſitis Picardorum ſeu Bulgarorum dogmatibus, oſtendit, Reformatæ Eccleſiæ cum ipſis haud convenire. Nam Molinæus *ſuprà* allegatus ex Æneâ Sylvio teſtatur, Picardos ſenſiſſe 1. Cœlites cum Chriſto regnantes interceſſione ſuâ nihil hominibus prodeſſe, Verùm in hoc Articulo diſcrepare Reformatam Rhætiæ Eccleſiam, evincitur ex Danzij manuſcripto ad dictum Georgium miſſo *pag. 14.* 2. Nullos feſtos dies præter Dominicam & Paſchatis feſtivitatem obſervan-

ſervandos eſſe. Verùm in hoc articulo diſcrepare Reformatam Eccleſiam, docet praxis, & Bullingerus *Decad. 2. ſerm. 4. §. Hæc enim.* aſſerit, Nativitatis, Circumciſionis, Aſcenſionis Chriſti in cœlum, & Pentecoſtes feriarum omiſſionem eſſe rem à pietate & charitate Chriſtianâ alienam. 3. Iejunia eſſe contemnenda. Verùm Eccleſiam Reformatam in hoc etiam articulo diſcrepare, conſtat ex Confeſſionis Helveticæ *cap. 24.* jejuniorum obſervationem vocante veram piorum diſciplinam. 4. Ut alia omittam, ordinaria Eccleſiæ Sacramenta eſſe quatuor, nempè Baptiſmum, Cœnam Domini, Matrimonium, & Presbyterij Ordinem. Verùm in hoc contradicere Reformatam Eccleſiam, in aperto eſt, utpote quæ duo tantùm Sacramenta admittat.

Author citatus *à n. 25.* ex Sculteto *Decad. 2. Annal. Ad Annum 1530.* recenſet Waldenſium dogmata; ſed poſtmodum *n. 36. ac ſeq.* oſtendit, Reformatum Miniſterium haud conſentire cum iſtis. Ex quo tandem *n. 48.* concludit: Waldenſes ipſos apertè expoſuiſſe, ſe à Zvvinglianâ fidei Reformatione pluribus nominibus diſcrepare; eòuſque igitur tot, tantiſque erroribus ſordidatos fuiſſe. Hinc autem rurſus ſequi, quòd Reformata Eccleſia vel citrà manifeſtam falſitatem, vel citrà gravium errorum complicitatem, non poſſit cum Waldenſibus omnimodam doctrinæ conformitatem affectare, & in vulgus proſeminare, quò populum credere adducat, Reformatam ſuam doctrinam ante Zvvinglij & Calvini ortum habuiſſe in orbe locum aliquem.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij Curienſis Argutiæ.

HIc Reformatus Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 7.* contra trigeſimam quintam Georgij rationem arguit 1. Hunc hominem deſertorem cum fide frontem ſimul exuiſſe. Nam meritiſſimum de Eccleſiâ Molinæum in evolutione quæſtionis, ubi Gentium & locorum Reformatorum Religio extiterit ante Calvinum, poſtquàm oſtendiſſet, *ſubdolam eſſe* hanc quæſtionem, & eò tendere, ut miſſo examine Religionis ad Lydium Scripturarum lapidem, implicemur hiſtorijs humanis: imò *& abſurdam*, cùm Scripturæ prænuncient tempora, quibus Eccleſia Chriſti ſit occultanda in deſerto à furore draconis & beſtiæ, quam tota terra ſit ſecutura: tandem *& iniquam*, utpote motam ab ijs, qui profiteantur Religionem noviter natam, quæ juxta Concilium Ferrarienſe *ſeſſ. 10.* doceat, *Papam cudere poſſe novos fidei articulos.* His adeò (ait Vedroſius) ſolidiſſimè à Molinæo expoſitis ſubjun-

ſubjungere ea, quæ *in præcit. lib. 1. cap. 21. anat. Miſſæ in Germ. verſ.* habentur expreſſa.

7. Arguit 2. Verbis iſtis Molinæum intendere, quòd Papa à quadringentis, vel quingentis annis flammâ & ferro perſequatur fideles, quos magno numero habuerit Gallia, Belgium, Germania, Bohemia, &c. quoſque adverſarij ad conflandum ipſis odium appellent Waldenſes, Albigenſes, Sodomitas, Pikardos, eis affingendo impia dogmata, & quæ procul ſint ab illorum mente; quorum etiam confeſſio cum ſuâ Reformatâ concordet, paucis, uti Stukius loquitur, exceptis ſtipulis, quæ fundamentum ſalutis non lædant.

8. Arguit 3. Hunc in finem produci à Molinæo Æneam Sylvium Anno 1458. Sedi Pontificiæ admotum, quo non fuerit capitalior Waldenſium hoſtis, deterior fax ad accerſendas in eorum caput perſecutiones. Hunc in *epiſt. 130.* enarrare iter ſuum ad oppidum Thabor in Bohemiâ, & ſimul memorare incolarum religionem & colloquia cum illis habita, vocareque illorum ſectam peſtiferam & abominabilem, ſummoque dignam ſupplicio. Quem in recenſendis eorum dogmatibus inſpergere calumnias, velut cùm dicit, eos exhibere ſacram Cœnam dementibus & parvulis, & mortuorum cadavera cum beſtijs ſepelire. Cæteroqui dogmata ipſorum propemodùm ſuam Reformatam exprimere religionem.

9. Arguit 4. Produci deinde à Molinæo confeſſionem fidelium Hungarorum Anno 1508. Uladislao regi oblatam, ubi inter alia exertè negent Tranſubſtantiationem & Sacramenti adorationem. Produci ab eodem Molinæo confeſſionem Eccleſiarum Provinciæ (quæ miſellæ fuerint reliquiæ perſecutionibus trecentis & quadringentis annis, motis) Anno 1520 Senatui Aquenſi oblatam. In quâ poſtquam ſe ab hæreſibus ab Eccleſiâ Orthodoxâ purgâſſent, fidem ſuam de Sacramentis expoſuiſſe, tum quòd ſint ſigna gratiæ Dei confirmatoria & obligativa in conſcientijs, tum quòd Baptiſmus ſit ſignum purgationis per ſanguinem Chriſti adeptæ corroborativum, &c. tum quòd Cœna Domini ſit ſignum veræ communionis & Corporis Chriſti exhibitiva.

10. Arguit 5. Iacobum Auguſtum Thuanum *hiſt. lib. 6.* de Waldenſium Religione aſſerere: Horum dogmata eſſe in proclamandâ Eccleſiâ Romanâ tanquàm Babylonicâ meretrice: in non parendo Pontifici & Epiſcopis huic addictis: in reijciendâ vitâ Monaſticâ tanquàm Eccleſiæ ſentinâ; in refutandis igne purgatorio, ſolenni Sacro, templorum encænijs, cultu Sanctorum, ac propitiatorio pro mortuis tanquàm ſathanæ commentis. Addere illum authorem, alia ipſis affing. de conjugio, reſurrectione animæ, & ſtatu

ſtatu poſt mortem, ac de cibis. Inſuper *lib. 27.* de Eccleſijs Convallienſibus aſſerere, iſtis hodiequè profiteri illam ipſam Waldenſium religionem. Quam conformem eſſe ſuæ Reformationi, juxta confeſſionem Duci Sabaudiæ Anno 1560. exhibitam, quâ declarârint, ſe doctrinam Veteri ac Novo fœdere, atque Apoſtolorum ſymbolo comprehenſam, item quatuor univerſalium Conciliorum decreta complecti; adhæc Decalogi præcepta; quibus regula ſanctè ac piè vivendi tradatur. Se porrò docere & jubere, ut caſtè, ſobriè, & juſtè vivatur, & obedientia deferatur ſupereminentibus poteſtatibus à Deo inſtitutis. De cætero ſe non recipere Sacrificium Miſſæ, Sacramentum Pœnitentiæ, & Confeſſionem auricularem, tum preces propitiatorias pro mortuis; ſe tantùm ſacræ Scripturæ adhærere, fidem ſuam non à Calvino, ſed à Ieſu Chriſto & Apoſtolis traditam profiteri. Inſu- 11.
per Carolum Molinæum *lib. de Monarch. Franc.* teſtari, Regem Ludovicum XII. miſiſſe duos ex Ordine Prædicatorum ad viſitandas omnes Parochias & templa Waldenſium. Quos nulla inveniſſe ſimulachra, nec veſtigia, aut ornamenta Miſſarum & Cæremoniarum Papalium. Vidiſſe porrò nihil in eis fuiſſe de Magicis artibus, ſcortationibus & alijs criminibus impoſitis à Papiſtis. Hinc regem, auditâ ſuorum Commiſſariorum relatione, deierantem exclamâſſe, illos meliores eſſe Chriſtianos ſe & populo ſuo, ac exercitu reducto, eorum privilegia confirmâſſe.

Arguit 6. Huic cum Waldenſibus Harmoniæ ſubnecti à Molinæo 12.
conſanguinitatem doctrinæ Eccleſiarum Reformatarum cum Eccleſiâ Æthiopicâ, quæ capiat 17. provincias peramplas. Has cum ſuâ Reformatione conſpirare in præcipuis fidei capitibus, ut ut retineat minutulas quaſdam ſuperſtitiones. Confeſſionem Eccleſiarum Æthiopicarum, & precandi formulas haberi in *Topographiâ Eccleſiaſticâ* Hottingeri *cap. 3. pag. 76 77. 78.* ſcriptas Anno 1555. à Claudio rege Æthiopiæ. Inter alia autem ſic haberi: *Nos incedimus in viâ regiâ, & non declinamus à doctrinâ Patrum noſtrorum XII. Apoſtolorum, & Pauli fontis ſapientiæ, LXXII. diſcipulorum, CCCXVIII. Orthodoxorum, qui congregati fuerant Nicea, & CL. Conſtantinopoli, & CC. Epheſi congregatorum.* Cæterùm cunctarum Orientalium Eccleſiarum notitiam ſi quis deſideret, adire poſſe eundem Hottingerum *lib. cit.* Ibi enim licere earum Ritualia, & formulas orationum reperire. Undè proclive eſſe, conijcere de eorum doctrinâ.

Arguit 7. Tandem ſuæ Reformationis in fide affinitatem à Molinæo 13.
oſtendi in Eccleſiâ Græcâ, Romanâ antiquitate, quæ Papam non agnoſcat, indulgentias ignoret, purgatorium non credat, nec tranſubſtantiationem, Presbyteros habeat conjugatos &c. Paucis, quæ propiùs accedat

Digitized by Google

cedat ad Religionem ſuam Reformatam, quàm ad Romanam. Teſtem hujus eſſe omni exceptione majorem Confeſſionem Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopolitani nuperi. Si Papiſtæ aſſerant, non ſequi ex prædictis, quòd Patriarcha Cyrillus Lucaris fuerit Calviniſta, fueritque adeò Græcorum Eccleſia Calviniſtica; opponi, ſe Reformatas Eccleſias Calviniſticas nullas dicere, ſed oſtendere ſuam originem in Chriſto. At hoc aſſerere, quòd Cyrillus Amicorum, hoc eſt plurium Epiſcoporum & Archimandritarum pietate & eruditione præ cæteris eminentium rogatu confeſſionem conſcripſerit, quibus illa viſa & lecta, cur non etiam eorum conſenſu approbata fuerit?

14. Arguit 8. Molinæum his allatis concludere: *Hæc à ſe non ideò dici, quòd exiſtimet, hiſce exemplis ſuam Reformationem niti, aut inde authoritatem Doctrinæ ſuæ accreſcere, nam non alio ſe niti fundamento, quàm Verbo Dei & Apoſtolorum, prout continetur in ſacrâ Scripturâ, cui ſe non obnoxium Papa glorietur, nec deferat Iudicis partes. Denique huic firmiter ſtandum, tum demum ſibi incumbere monſtrandum, ubinam fuerit ſua Religio ante Calvini tempora, poſtquàm ſibi indicaverint adverſarij, ubi ætate Apoſtolorum ea, quam hodiè profitentur, extiterit Religio.*

15. Arguit 9. His poſthabitis, Georgium ſine fronte aſſerere, Reformatos non poſſe ſolidiores & profundiores radices doctrinæ ſuæ reſignare, quàm apud ejuſmodi nuperrimos veræ doctrinæ everiores (Waldenſes) producto unius Æneæ Sylvij bilioſo & calumnijs, erſperſo teſtimonio. At ſuperſtructos ſe eſſe ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum. Antiquitatem ſuam referri ad antiquum illum dierum, & hujus dulcia eloquia, Verbum, quod manet in æternum. Si humanis res confecta dari poſſet authoritatibus, manere hactenùs inconcuſſa cedro digniſſima monumenta, quibus ſymbibaſis Doctrinæ Reformatæ cum antiquiſſimis Eccleſijs oſtendatur luculentiſſima. Nota eſſe nomina Centuriatorum Magdeburgenſium, Catalogos teſtium Veritatis Balæi, Hoſpiniani, Sculteti, Hottingeri, Dalæi, &c. Quid? Quòd ſi inde à Ioanne Apoſtolo deſtituerentur hiſtoriâ, qui nominatim ſecum contentanei, & in fide conſanguinei fuiſſent, tutò de antiquitate gloriari poſſe, modò de ſuâ cum ſæculo Apoſtolico conſtaret conteſſeratione.

16. Arguit 10. Cum larvis itaquè velitari Georgium, cùm in ſequentibus varios ex Sculteti Annalibus detegere conatur Waldenſium errores, nullum tamen, qui directè ſalutis labefactet fundamentum. Neminem æquum iniqua, & labefactata illorũ temporum expendentem facta, hallucinationem in aliquibus, quæ ſub illuceſcentis Reformationis auſpicia viſæ ſint emendata, exprobraturum, ſed commiſeraturum. Abſolvi eos ab infe-

ſtiſſimo hoſte ſuo Rainerio *in Bibliothecâ Patrum to. 4. part. 2. edit. Pariſien. Anno 1624.* ſcribente: *Hanc ſectam præ alijs pernicioſam eſſe Eccleſiæ Romanæ; 1. quia diuturnior ſit: quoſdam quippe dicere, quòd duraverit à tempore Sylveſtri, alios à tempore Apoſtolorum. 2. Quòd, cùm aliæ blaſphemiæ in Deum ſint, hujus homines juſtè vivant, benè omnia de Deo credant, omneſquè articulos Symboli confiteantur, ſolam Eccleſiam Romanam blaſphement.*

CAPUT III.

Oſtenditur, illam Eccleſiam non eſſe Catholicam & veram, quæ dicit, ſuam fidem ad tam paucas, eaſquè mille, ducentis ſexaginta annis ignotas reliquias fuiſſe redactam, ut in toto, reliquijs hiſcè exceptis, terrarum orbe perierit, ac per novam Reformationem reproduci debuerit.

Probatio prima. Per S. Auguſtinum lib. de Unit. Eccleſiæ à cap. 6. uſque ad cap. 9. *ex Divinis repromiſſionibus deducta.*

NAm (ut taceam ea, quæ præcedenti Sectione ad præſens inſtitutum revocari poſſent) illa promiſſio, quam Deus Abrahæ primitùs fecerat, ad Iſaac quoquè facta eſt *Gen. 26. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ &c.* Et poſtea ad Jacob *Geneſ. 28. v. 14. Eritquè ſemen tuum quaſi pulvis terræ, &c.* Et: *Benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, &c. Quia non derelinquam te, donec faciam omnia, quæ tecum locutus ſum, &c.* Ex hoc autem Sanctus Auguſtinus *cit. cap. 6.* infert, Donatiſtas iſti Divinæ promiſſioni reſiſtere, ac firmum Dei Teſtamentum irritum facere, dicendo, quòd in omnibus Gentibus, verâ fide extinctâ, perijſſet Chriſtus, & in ſolis paucis occultus manſiſſet. At contra hoc rursùs opponit Sanctus Auguſtinus: *Ecce, quod audite, erit ſemen tuum, ſicut arena terræ, & multiplicabitur ſuper mare in Africum & in Aquilonem, & in Orientem &c.* Unde tandem concludens ille Eccleſiæ Doctor ſic alloquitur Donatiſtas: *Date mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt, oſtendite, vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in illo ſemine benedici.* A fortiori igitur moderni Reformati conveniri poſſent, ut illam in omnibus Gentibus ſuæ Confeſſionis communionem oſtendant non tantùm pro iſto tempore, ſed ante ſuam Reformationem, quandò ultrà mille annos dicunt illam benedictionem periiſſe ab omnibus gentibus & in paucis occultis manſiſſe, quos tamen nec nominare, nec locum, ubi fuerint, edicere poſſunt. 17.

Probatio ſecunda. Exceptionis Adverſariorum refutatoria.

18. RESpondent Reformati Doctores: Se credere, illa omnia à Deo repromiſſa, ejuſquè Teſtamento firmata, eſſe impleta; ſed poſtea orbe terrarum apoſtatante ſub Papatu, ſolam ex verâ fide, & quidem in occulto remanſiſſe ſuæ confeſſionis communionem. Verùm hanc ipſam à Donatiſtis mutuatam exceptionem Divus Auguſtinus *cap. 12. & 13.* ſic inſequitur. Apoſtolus *ad Galatas 1.* pronunciat: *Si quis vobis evangelizaverit, præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit.* At verò evangelizata eſt nobis Eccleſia per totum terrarum orbem futura. Hoc enim in Lege, & Prophetis, & Pſalmis prænunciatum ipſe Dominus teſtificatus eſt, qui eam cœpturam ab Hieruſalem, & per omnes gentes promanaturam eſſe, prædixit, teſteſquè ſibi futuros in Hieruſalem, & in totâ Judæâ & Samariâ, uſque in totam terram, cùm jam in cœlum aſcenderet, prænunciavit. At hoc ipſum Dei Verbum facti veritas ita probavit, ut ipſis Scripturis ſanctis teſtibus oſtendatur, quomodò cœptum ſit ab Hieruſalem, & deinde proceſſum in Judæam, & Samariam, & indè in totam terram, ubi adhuc creſcit Eccleſia, donec uſque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non eſt, obtineat. Cùm igitur hæc omnia Scripturis ſanctis probentur, quiſquis aliud evangelizaverit, anathema ſit. Atqui aliud evangelizat, qui periiſſe dicit de cæteromundo Eccleſiam, & in parte Donati (ſive Calvini, Zwinglij, aut Lutheri) in ſolâ Africâ (vel in paucis occultis & incognitis reliquijs) remanſiſſe. Ergo anathema ſit.

Probatio tertia. Cujuſdam Adverſariorum replicæ refutatoria.

19. REplicabunt Reformatores moderni, Eccleſiam veram ita ab Hieruſalem, & Judæâ ac Samariâ proceſſuram in totam terram, ut hanc non ſemper obtinere debeat, ſed paulatim creſcat, donec uſque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non eſt, obtineat, & tunc finem eſſe futurum, veluti pateat ex Auguſtino *proximè citato.* Verum iſtius replicæ ſenſus modernis Reformatoribus æquè ac Donatiſtis familiaris, ita retunditur ex Sancto Auguſtino. Nam Eccleſia à primævâ ſui in gentes propagatione ita erat in incremento, ut de ipsâ locum haberet Iſaj *capite 49.* præcipuè *verſu 6.* ubi ſic habetur: *Poſui te in Teſtamentum generis, in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad fines terræ.* At iſta verba per ſpiritum Propheticum futura, ac ſi eſſent præſentia, prænunciantem dicta, ſunt indefinita, atque adeò omne Eccleſiæ à Chriſto, ejuſquè prædicatione propagatæ tempus ambiunt. Ergo omni tempore à die ſuæ in gentes propagationis poſita erat Eccleſia ac

fides

fides Chriſti in Teſtamentum generis, in lucem gentium, ut ſit ſalus uſque ad extremum terræ. Hoc autem verificari non poteſt de Eccleſiâ ultrà mille annos ita latitante, ut neque locum, neque gentes, in quibus eſſet, edicere valeat. In hac ergo non ſunt impletæ Dei repromiſſiones. Quomodò ergo quæ tot jam annis aliena fuit à Divinæ promiſſionis Teſtamento, ſperare poterit, ut ante finem mundi ejus prædicatio ſit propaganda ad omnes gentes, ſintquè circà ipſam adimplendæ Divinæ veram Eccleſiam ſpectantes promiſſiones, ſpeciatim *Iſajæ 11. Repleta eſt univerſa terra, ut cognoſcat Dominum.* Et *Pſal. 2. v. 8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Item *Pſal. 71. v. 8. Et dominabitur à mari uſque ad mare.* Et paulò poſt: *Benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum, &c. Et replebitur gloriâ ejus omnis terra, fiat, fiat.* Quid ni ergo cum Sancto Auguſtino *cap. 8.* concludam, Reformatores modernos æquè, ac olim Donatiſtas, loco verbi *Fiat, fiat,* dum Eccleſiam ultrà mille annos ad occultas & incognitas reliquias reſtringunt, videntur clamare; *non fiat, non fiat,* ut ſcilicet omnis terra debeat eſſe repleta gloriâ Dei.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *cit. lib. de Unit. cap. 6.* urgere Donatiſtas, ut oſtendant, ſe jam communicare omnibus gentibus, quas ex ſacris Scripturis demonſtrârit in ſemine, Chriſto, per ejus veram fidem intra Catholicam Eccleſiam benedici. Cur ergo ex vobis Reformatoribus Eccleſiam veſtram ultrà mille annos latitantem aſſerentibus, non liceat exemplo Auguſtini, quærere ac inſtare, ut oſtendatis, qualiter Eccleſia veſtra in omnibus gentibus fuerit benedicta per veram & Catholicam Chriſti fidem? An iſta quæſtio per ipſummet Sanctum Auguſtinum inſinuata vel ideo videtur vobis Reformatoribus ſubdola, quòd veſtra Reformatio tollat Eccleſiam in omnibus gentibus benedictam, eamquè ad paucas ultrà mille annos ignotas reliquias coarctet? At ſubdòlam dicit Molinæus, eò quòd miſſo Lydio Scripturarum lapide implicet hiſtorias humanas. Quid ergo ſi tua Eccleſia examinetur ex ipſiſmet Divini Teſtamenti repromiſſionibus, miſſum dicis Lydium Scripturarum lapidem? Neque verò Molinæo ac Vedroſio ſatis fuit, quæſtionem illam, dum eâ vel ex ipſis ſacris Litteris ſe convincendos agnoverunt, ſubdolam vocitare, ſed abſurdam inſuper pronunciant, eò quòd ſacra Scriptura pronunciet tempora, quibus Chriſti Eccleſia ſit occultanda in deſerto

220

221

222

à furore draconis & beſtiæ, quam tota terra ſit ſecutura. Verùm ex hoc aperti & abſurdiſſimi doli convinceris Vedroſi. Oſtende enim, ſi potes, ex Scripturâ ſacrâ, Eccleſiam Chriſti, licèt ſub perſecutionum temporibus ſua religionis exercitia coràm perſecutoribus occultârit, non ſemper reſplenduiſſe per evidentiam credibilitatis ad fideles ac infideles ſe diffundentem, ac perſecutionibus taliter ſupereminentem, ut ex his magis creſceret, nec (uti tua Reformatio dicit) ad paucas ignotas, hodiequè inveſtigabiles reliquias ultrà mille, ducentos annos reduceretur, ſed ſplendidior ac manifeſtior ejus veritas inde redderetur, uti paſſim dicunt Sancti Patres, quorum aliquos *præced. ſect. 1. p. 4. n. 45.* citatos reperies. Et quid

23. tandem quæſtionem illam, quâ Eccleſia tua ultrà mille, ducentos annos latitans inquiritur, dicis iniquam, eò quòd mota ſit ab ijs, qui Papæ novos fidei articulos cudendi poteſtatem decernant? Sanè præterquàm iſta tua illatio à diſparatis ſit abſurdiſſima, iniquitas Pontificijs objecta in caput tuum juſtè retorquetur, cùm Papæ in allegati Ferrarienſis Concilij *Seſſ. 10.* non concedatur poteſtas, novos (uti veſtra Reformatio fidem ſuam cujuſquè privato inſtinctui ac propriæ conſcientiæ ſenſui innitentem clamitans facit) ex ſe ac proprio capite fidei articulos cudendi, ſed ex Verbo Dei, in ipſo adeò Scripturæ fonte contentos eruendi, & in Concilijs præſertim Oecumenicis decidendi, ac ex authoritate Apoſtolicâ per Spiritûs ſancti auxilium & aſſiſtentiam ab ipſomet Chriſto promiſſam decernendi ac publicandi.

24. Ad *ſecundam* Reſp. Georgium aliud non feciſſe, quàm ut fideliter referret verba Molinæi & Stukij. Ex his autem ſic argumentari Reformati Doctores conantur, ut in ſuæ Religionis communionem trahant illos, qui (à quocunque demùm) vocitentur Waldenſes, Albigenſes, Bulgari, & Pikardi. At horum dogmata non convenire cum fide modernæ Reformationis, patet ex ipſomet Molinæo prætacta dogmata recenſente. Undè infertur, Reformatam Eccleſiam vel citrà manifeſtam falſitatem, vel citrà certam gravium errorum complicitatem, non poſſe cum Waldenſibus omnimodam doctrinæ conformitatem affectare. Quid ergo Vedroſi? An Georgius, vel Molinæus, ſi verum tamen diceres, affricuit Waldenſibus falſa dogmata? Cur non reſpondiſti ad punctum Georgianæ argumentationis, ex veſtræ ac Waldenſium doctrinæ per Molinæum & Stukium jam confeſsâ diſcrepantiâ refutantis prætenſionem de veſtræ Reformationis,

25. à Waldenſibus approbatæ antiquitate? Verùm Stukius reſpondebit, horum confeſſionem cum ſuâ, paucis duntaxat ſalutis fundamentum haud lædentibus exceptis, concordare; & Molinæus addit, nonnulla falsò adſcribi

Digitized by Google

ſcribi Waldenſibus, nempè de Cœnæ Sacramento infantibus & amentibus porrecto, ac de ſuorum cum animalibus ſepulturâ, in cæteris autem nihil aliud cerni, quàm ſuam Religionem. An ergo Molinæe tua Religio eſt, quòd quatuor ſint Sacramenta, item quòd ultrà Paſcha & diem Dominicum reliquæ feſtivitates à tuâ Reformatione hactenùs obſervatæ ſint abrogandæ, quòdquè ſancti Cælites ſuâ interceſſione nihil nobis proſint, cùm tamen iſtam interceſſionem à tuâ Reformatione haud reprobari ſcribas *cap. 24. de invocat. Sanct. Clypei fidei*? Quòd ſi cum Stukio iſtos fidei articulos non fundamentales dicas, incumbet tibi ex ſacris Litteris oſtendere, quænam ſint illa dogmata, quibus non lædatur Religionis concordia, atque ſalutis fundamentum; hoc enim hactenùs aſſequi non potuiſſe tuam Reformationem, oſtenſum eſt *ſupra.* 26.

Ad *tertiam* Reſp. Si Æneæ Sylvio, te licèt authoritate longè ſuperiori credere nolis, en adduco ex Bibliothecâ magnâ Veterum Patrum editionis Pariſienſis de *Anno 1634. to. 4. par. 2. a pag. 722.* ſex, vel ſeptem integros in Bibliothecis antehac integrè præſervatos, tuâque Reformatione longè antiquiores tractatus, è quibus Waldenſium turpitudinem in moribus & fide agnoſcere licebit. Inter plura profero duntaxat, quòd ubi videre eſt *pag. 831. & 832.* docuerint, omne juramentum, omnequè homicidium quorumcunque maleficorum eſſe peccatum mortale. Quòd ſi nec iſtis per tot jam centenos annos omni exceptione majoribus teſtibus fidem adhibere velis, lege Scultetum tuum *Decad. 2. Annal. ad Annum 1530.* ubi inter alios articulos Oecolampadio traditos leguntur Waldenſes expreſſiſſe decimum iſtis verbis: *Inter nos nemo ducit uxorem: tamen, ut verum fatear (tecum enim cum multâ fiduciâ omnia loquor) non ſemper caſtè nobiſcum agitur.* Quid ergo Vedroſi? Hunc articulum ex Sculteto deſcriptum objecit Georgius *pag. 401.* & tu ad eum nè verbulo quidem reſpondiſti. An quia non æquè Sculteti tui, ac Æneæ Sylvij authoritatem labefactare, tibi opportunum videbatur? 27. 28.

Ad *quartam* Reſp. Quicquid ſit de illis per Molinæum allegatis Waldenſium confeſſionibus, conſtare ex Sculteto *ſupra citato*, illas non convenire cum articulis Oecolampadio traditis; è quorum decimo octavo planum eſt videre, tunc quoque fuiſſe paratos, mutare dogma ſuum de numero Sacramentorum, ubi ſic habetur: *In hoc, ut audio, erravimus, credentes plura, quàm duo Sacramenta.* Et quia Vedroſius, adſtipulantibus antiquioribus hiſtoricis, Albigenſes ſub eodem cenſu cum Waldenſibus habet, audiamus Prateol. *in Albigenſ.* ex Cæſario *5. diſt. Dial. Marianâ lib. 12.* imò ex actis etiam publicis à *Conventu Epiſcoporum & nobilium contra Albigenſes Anno Domini* 29.

Digitized by Google

mini 1176. & ex aliis ſub Legato Apoſtolico 1178. habitis in Annal. Anglic. per Rogerium Hovedium conſcriptis unum ſaltem vel alterum fidei ipſorum articulum, quòd nempè cum Manichæis duo rerum principia, Deum bonum auctorem inviſibilium, diabolum verò malum authorem viſibilium conſtituerint, ac inſuper legem Moyſi, Prophetas, Pſalmos, Vetus Teſtamentum, &c. rejecerint.. Quid ergo Vedroſi argumentis ex Molinæo productis probas, niſi quòd inſtar arundinis vento agitatæ jam iſtam, jam aliam fidei confeſſionem ediderint Waldenſes, eorumque progenies. Ex hoc ipſo autem convincuntur fuiſſe degeneres à Spiritu Veritatis ſibi ſemper ac immobiliter cohærentis. Tu igitur videris, an tuam Reformationem tutò aſſeras, ex eodem cum Waldenſibus ſemine prodijſſe.

30. Ad *quintam* Reſp. Ex indice librorum prohibitorum patere, quantis ſcateant erroribus allegati libri Iacobi Thuani, & Caroli Molinæi & in quo adeò cenſu haberi debeant. At poſitis etiam iſtorum authorum relationibus, conſtat ſanè eas non convenire cum articulis Oecolampadio apud Scultetum *citatum* traditis: in his enim ajebant, ſe probare auricularem confeſſionem, cùm econtrà Convallienſes eandem cum Waldenſibus Religionem profitentes in confeſſione Duci Sabaudiæ Anno 1560. porrectâ eam reprobent, ut ſic non niſi contradictio falſitatis ac mendacij ſpiritûs propria eluceat. An non igitur Innocentius III. *Epiſt. 95. Anno* 1198. de Waldenſibus rectè ſcripſit, eſſe vulpes parvulas, quæ demoliantur vineam Domini Sabaoth, ſpecies quidem diverſas (quoad doctrinæ varietatem) habentes, ſed caudas ad invicem colligatas, cùm de vanitate (refutando Miſſæ ſacrificio, Papatu, cultu Sanctorum &c.) conveniant in idipſum?

31. De his ſive Waldenſium, ſive Albigenſium, ſive Pauperum de Lugduno (quomodocunque tandem eos vocites) ſectis Æmilius *de geſtis Francorum lib. 6. pag. 317.* ſcripſit, damnâſſe Matrimonia, & promiſcuos concubitus, eoſque nefarios ſanctos dixiſſe. De ijſdem quid ſcripſerit Abbas Urſpergenſis, vide in ipſius Chronico *de Anno* 1[illegible]. quæ ſanè conformia ſunt ijs, quæ de hæreticis ſui temporis ſcripſit Divus Bernardus *ſuper Cant. ſerm. 60. ac ſeq.* ut adeò non immeritò Waldenſes cenſeantur proles illorum hæreticorum, qui ſe Apoſtolicos dici volebant, ac de quibus ceu vulpibus extirpandis laborabat prædictus Sanctus Bernardus. Et verò ipſemet confeſſionum à Molinæo productarum ſpecies vulpium tempori inſervientium formam præſeferunt, ut adeò in eo etiam, quòd Reformati moderni quandam cum Waldenſibus unitatis umbram ambiant, videatur locum habere illud Innocentij III. aſſerentis: Species quidem doctrinæ in vulpibus eſſe diverſas, attamen in refutandis Papiſticis Sacramentis convenendi, ut caudas ad invicem colligatas habeant.

Ad *ſextam* Reſp. Mirum eſſe, quòd unà cum Molinæo & Hottinge- 32.
ro Vedroſius audeat affectare conſanguinitatem & harmoniam doctrinæ cum Eccleſiâ Æthiopicâ, imò univerſim cum Orientalibus Eccleſijs. Nam in Bibliothecâ magnâ Sanctorum Patrum *to. 6. pag. 42. uſque ad 202.* habetur expreſſa Miſſa in Æthiopicis Eccleſijs uſurpata, Canon univerſalis dictus, nec non ordo adminiſtrationis Sacramenti Confirmationis. Legi etiam poteſt apud Oſorium *lib. 9. pag. 268.* Regem Æthiopiæ Emanueli Luſitaniæ regi pro munere deſtinaſſe Crucem, ex quâ penderet Chriſti imago. Nunquid ergo hæc affinia ſunt tuæ Reformationi? In eodem *to. 6. pag.* 31[illegible]. videre licet expoſitam Miſſam Chriſtianorum regni Malbarici apud Indos orientales celebrari ſolitam, & è Syriaco converſam in linguam latinam. Et *to. 4. pag. 860.* extat profeſſio fidei Romæ Anno 1552. facta à Patriarchâ Antiocheno. Alios porrò ritus & Liturgias diverſarum nationum videre licet in eiſdem tomis. Quo igitur jure illas Eccleſias tibi, liturgiæ, & ſanctæ Crucis, Sacramentique Confirmationis, aliorumque rituum ſacrorum capitali hoſti, licuit ad tuam Reformationem pertrahere?

Ad *ſeptimam* Reſp. Me ſatis mirari non poſſe, quòd tuæ Reforma- 33.
tionis cum Eccleſijs Græcis conformitatem præſumas probare ex confeſſione nuperrimi Cyrilli Conſtantinopolitani, cùm tamen probè ſcias, iſtam confeſſionem in ſubſtantialibus etiam fidei articulis, minùs univerſam Eccleſiam Græcam tuæ eſſe farinæ. Rem ex fundamento ſic accipe. Imprimis patet ex *cit. to. 6. Bibliothecæ magnæ à pag. 75.* in Eccleſiâ Græcâ fuiſſe in uſu liturgias Sancti Baſilij Magni, Sancti Gregorij Theologi, & Sancti Cyrilli Alexandrini, quibus adjunge Severi Patriarchæ Alexandrini librum de ritibus Baptiſmi *pag. 43.* & ejuſdem ordinem oblationis myſteriorum Chriſti *pag. 23.* exaratos, tuæque Reformationi minimè conſonos.
Notum quidem eſt, Græcam Eccleſiam à Romanâ diſcordâſſe tum 34.
in varijs ritibus ab ipſomet etiam Concilio Florentino eidem permiſſis, utpote fidei veritati minimè repugnantibus, tum in tribus adversùs veram fidem dogmatibus in eo nimirum ſe tenentibus, quòd Spiritus Sanctus non procedat à Filio, quòd Papa Romanus non obtineat Eccleſiæ primatum, quòd denique non extet purgatorium. At in his omnibus Græcos agnoviſſe ſuum errorem, ipſumque Imperatorem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum cum Græciæ Epiſcopis ſubſcripſiſſe illorum errorum abrogationi manifeſtè conſtat ex Decreto Unionis ad *finem ejuſdem Concilij*
Florentini expreſſo. Quâ unione etiam factâ, ad ſummum Pontificem Flo- 35.
rentiam acceſſerunt Armeni fidei profeſſionem ab Eugenio IV. recipientes, uti patet ex actis *poſt ult. ſeſſ. Concilij.* Unde manifeſtum eſt, quàm tur-

pitet impingant Lutheri & Calvini ſectatores, dum Eccleſiæ ſuæ antiqui-
tatem & amplitudinem probare nituntur ex Græcis Schiſmaticis. Con-
36. ſtat ex Annalibus Eccleſiaſticis, ſpeciatim Baronij ad Annum 858. *n.*
55. & ad Annum 867. *n.* 3. Græcos antè annos octingentos primùm de-
feciſſe à Romanâ Eccleſiâ, conſtat inſuper ex Decreto Unionis *ad finem*
Concilij Florentini, Græcos ſe reunijſſe cum Romanâ Eccleſiâ, à quâ tri-
bus tantùm dogmatibus fidei ſubſtantialibus, quoad proceſſionem Spi-
ritûs Sancti à Filio, purgatorium, & primatum Cathedræ Romanæ diſ-
ſidebant, uti patet ex *to. 4. Concil. edit. Col. de Anno 1618. pag. 732.* Si proinde
Eccleſijs Reformatis ſit cum Græcis aliqua conformitas, non poteſt ſe te-
nere niſi in illis duobus poſterioribus articulis, per ipſoſmet tamen Græ-
cos in Concilio Florentino, imò & Lateranenſi ſub Innocentio III. *An-*
no 1215. & Lugdunenſi ſub Gregorio IX. *Anno* 1274. damnatis & abjura-
tis tanquàm erroneis ac hæreticis. *Ex cit. Decret. Unionis.* Et verò hodier-
ni etiam Græci, ij etiam, qui ab Eccleſiâ Romanâ rurſus defecerunt, ad-
mittunt ſeptem Sacramenta, Miſſæ Sacrificium, præſentiam realem Cor-
poris Chriſti in Euchariſtiâ, nec non panis in Corpus Chriſti Tranſubſtan-
tiationem, confeſſionem auricularem, invocationem Sanctorum, & cul-
tum ſacrarum Imaginum: *Veluti hæc omnia aperta ſunt ex ipſamet Græcorum pra-*
xi. Quo igitur jure Vedroſius præſumpſit, Græcas Eccleſias ſuæ Reforma-
tioni coacervare? Quinimò Anno 1594. ab Alexandrinâ Eccleſiâ ad Clemen-
tem VIII. veniſſe Legatos, ſuæ Eccleſiæ, ac totius Ægypti nomine expe-
tentes reunionem, atque communionem fidei, teſtatur oculatus teſtis Baro-
nius *ad Annum 1452. n. 22.* Cur igitur Vedroſi, non tuæ Reformationis jam
tunc percrebreſcentis Eccleſiæ acceſſerunt, & cum eis communionem ex-
petierunt, ſi tanta vobis cum Græcis & Orientalibus erat Religionis con-
ſanguinitas & harmonia? Imò vos Reformatos talem vnionem affectan-
tes repulſam paſſos eſſe, teſtantur ſcripta acerrima à Græcis edita contra
37. errores Lutheranorum, & Calviniſtarum.

Ad *octavam* Reſp. Separatim ad articulos ibi contentos. Nam 1. li-
benter conceditur Molinæo, Reformationem ſuam non poſſe niti exem-
plis per ipſum adductis, utpote à ſuâ Religione *ſubſtantialiter* differentibus;
38. atque adeò Molinæum in eis pro ſuâ Religione allegandis, apertæ falſi-
tatis reum eſſe. 2. Falſum eſt, quòd Reformatio illa nitatur Verbo Dei
ceu fundamento. Nam Eccleſia illa, quæ ultrà mille, ducentos annos la-
titavit in paucis reliquijs ad angulos etiam incognitos contractis, apertè
pugnat cum Verbo Dei tam antiqui, quàm novi Teſtamenti: uti probat
S. Auguſtinus *lib. de Unit. Eccleſ. contra Donatiſtas.* At Eccleſia pugnans cum
ſacris Litteris falsò gloriatur de Verbo Dei tanquàm fundamento. Fal-

Digitized by Google

ſum igitur eſt, quòd Reformatio hodierna Eccleſiam dicto modo latitan-
tem adſtruens, nitatur Verbo Dei tanquàm fundamento. 3. Calumnia 39.
eſt, quòd Papa glorietur, ſe non eſſe obnoxium ſacræ Scripturæ. Quini-
mò huic Verbum Dei eſt ex muneris Paſtoralis ratione ſpecialiter concredi-
tum, ex quo ceu gladio Dei ita ſoleat procedere adversùs hæreticos, ut
& ipſe tamen teneatur, ſe Veritati ſub ipſo contentæ ſubijcere, ſuumque
intellectum in fidei obſequium captivare. Unica proinde prærogativa Pa-
pæ eſt, quòd, ſi ex Officio ſuo pro vniversâ Eccleſiâ decernat aliquid ex
ſacris Scripturis, habeat ratione ſui Officij ſpecialem Chriſti Domini aſ-
ſiſtentiam pro eruendo vero ſenſu, eoque ſic Eccleſiæ proponendo. Et 40.
verò cur vos Reformati invidetis Papæ hanc de vero Scripturæ ſenſu
diſcernendo prærogativam, cùm omnes ac ſinguli veſtræ Reformationis
talem præeminentiam arrogetis, aſſerendo, Fidem in Verbo Dei funda-
tam niti propriæ cujuſque conſcientiæ ſenſui tanquàm regulæ certæ ac in-
fallibili? An ergo vobis videtur abſurdum, tale interpretationis Divinarum
Scripturarum donum, ceu gratiam gratis datam, eſſe annexum Officio Paſto-
rali per ipſummet Chriſtum inſtituto, dum tamen omnes vos Reforma-
ti Miniſtri tale donum ceu ſpiritui cujuſque privato proprium arrogatis?
4. Molinæus, & cum ipſo Vedroſius fatentur, ſibi demum incumbere
monſtrandum, *ubi ante Calvini tempora fuerit ſua Religio, ſi adverſarij indicaverint* 41.
priùs, ubi ætate Apoſtolorum extiterit ea, quam hodiè profitentur, Religio. En pa-
ctum Vedroſi, quod ſpopondiſti, quodque libenter accepto, te recipro-
cè obligaturus ad prædictam demonſtrationem. Nam ſanctus Irenæus *lib.* 42.
3. cap. 3. expreſsè docet, ex ſucceſſione & ordinatione Epiſcoporum demon-
ſtrari, eam adhuc extare Religionem, quæ fuerat ætate Apoſtolorum; ſic
enim habet: *Hac ordinatione & ſucceßione ea, quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſiâ tradi-*
tio, & Veritatis præconizatio pervenit uſque ad nos, & eſt plenißima hæc oſtenſio, unam
& eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſiâ ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſerva-
ta & tradita in veritate. Atqui talis ſucceſſio tempore S. Irenæi erat in Ec-
cleſiâ Romanâ; ſic enim habet iſte Sanctus Doctor *cit. lib. 3. cap. 4. Maxi-*
ma & antiquiſſima, & omnibus cognita à glorioſißimis ducibus Apoſtolis Petro & Paulo
Romæ fundata & conſtituta Eccleſia, eam, quam habet ab Apoſtolis, traditionem, & an-
nuntiatam hominibus fidem per ſucceßiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indi-
cantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, præterquam oportet, colligunt. Et
verò tempore etiam Auguſtini pro veræ fidei & Apoſtolicæ Eccleſiæ ar-
gumento habitam fuiſſe Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem, patet
ex eodem ſancto Doctore *lib. contra Epiſt. fundament. cap. 4.* ſic diſſerente:
Tenet me in Eccleſiâ ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus com-

mendavit, uſque ad præſentem Epiſcopalium ſucceſſio Sacerdotum. Quinimò talem Epiſcoporum Romanorum ſucceſſionem ad nos uſque derivatam ex Reformato etiam ſpiritu exhibet Alſtedius *Chronol. cap. 24.* Cùm igitur ſecundùm Sanctum Irenæum ex ſucceſſione Epiſcoporum demonſtretur ea, quæ tempore Apoſtolorum extiterit Religio: talis autem ſucceſſio ſecundùm Patres præallegatos, imò ipſummet quoque Alſtedij Reformatum Spiritum, extet in Eccleſiâ Romanâ, fit omninò conſequens, in hac extare eam, quæ ætate Apoſtolorum fuerat, Religionem. Vides proinde Vedroſi, pactum ex meâ parte adimpletum. Tuæ igitur obligationis erit, jam demonſtrare, ubi ante Calvini tempora fuerit tua Religio.

43. Ad *nonam* Reſp. Vedroſi, graviter inveheris in Georgium, quòd aſſeruerit, non poſſe tuam Reformationem ſolidiores ac profundiores doctrinæ ſuæ radices aſſignare, quàm apud Waldenſes veræ Religionis everſores. Si ergo juſta eſt indignatio, oſtendas oportet, penes quos alios extiterit tua Religio. Quòd ſi hoc demonſtrare non poſſis, & ad Eccleſiam tot ſæculis intrà, neſcio, quos angulos latitantem recurreris, rea erit tua Reformatio omnium ſacrorum textuum, quos Auguſtinus *lib. de Unit. Eccleſ. adversùs Donatiſtas* produxit, uti conſtare etiam poteſt ex dictis *cap. 3. n. 17.* Unde fiet quoque manifeſtum, non poſſe talem Reformationem ſuperſtructam eſſe ſuper Apoſtolorum & Prophetarum fundamentum, utpotè quod evertere nititur; nec adeò poſſe antiquitatem ſuam referre ad Antiquum dierum, cujus Verbum manet in æternum. Quomodò enim Eccleſia dicto modo inviſibilis, quæ à Sancto Auguſtino *citato* demonſtratur pugnare cum Verbo Dei, ſit ex Antiquo dierum, ejuſque

44. Divino Verbo? Cur porrò Vedroſi tam inaniter gloriaris de tuæ Reformationis cum antiquiſſimis Eccleſijs conformitate? Vel enim iſtæ Eccleſiæ erant tam antè, quàm poſt mille, ducentos annos perſpicuæ & notæ, vel non? Si prius, certè non conveniebant cum tuâ Eccleſiâ, ſiquidem hæc ultrà mille, ducentos annos latitaverit, ſi poſterius, quomodò jactare præſumis conſanguinitatem tuæ Reformationis cum Eccleſijs omninò incognitis, nec tibi adeò, nec alteri manifeſtis?? En quomodò teipſum confo-

45. dias? Sed addis deniquè, ſufficere tibi, modò conſtaret de tuæ Reformationis cum ſæculo Apoſtolico conteſſeratione. At verò SS. Irenæus & Auguſtinus illam conteſſerationem concludunt ex ſucceſſione Epiſcoporum. Hæc autem non tuæ Reformati, ſed Romanæ Eccleſiæ favet. Iſta igitur, non tua Reformatio habet conteſſerationem cum ſæculo Apoſtolico, prout prætacti quoquè Eccleſiæ Doctores concludunt.

46. Ad *duodecimam* Reſp, Quid ais, Vedroſi, Georgium velitari cum lar-

vis,

vis, dum agit adverſùs tuæ Reformationis dogmata? Quid ais, errorem
fidei repugnantem non labefactare ſalutis fundamentum? Quod ergo hoc
fundamentum? Fides utique ipſa. Atqui fidei motivum eſt ipſius Veri-
tatis Divinæ Increatæ authoritas infallibilis. Quomodò autem in affectu
credentis ſtabit illa authoritas quà infallibilis, ſi ſciens ac volens credat
adverſùs iſtam Dei authoritatem? Quomodò igitur ſtabit fidei motivum
ac fundamentum, atque adeò fides ipſa? Et hinc vos Reformati eſtis ſa-
nè digni commiſeratione, qui in veſtram ſocietatem trahere nitimini, quos
tamen in fide erráſſe quoad aliqua ſaltem dogmata, negare minimè pote-
ſtis. Sed quid ais, quaſi Rainerius Waldenſes abſolverit, ſcribendo, par- 47.
tim, quòd ex quorundam ſententiâ à tempore Sylveſtri, vel Apoſtolorum
duraverit ipſorum ſecta, partim quòd benè omnia de Deo credant, om-
neſque articulos ſymboli confiteantur, juſteque vivant, &c. Sanè vani-
tatis & falſitatis convincitur tua gloriatio. Tum quia *in cit. to. 4. par. 2. pag.*
2721. habetur, quoſdam Waldenſium non erubuiſſe mentiri, profeſſionem
ſuam ab Apoſtolis originem ducere. Tum quia *ead. par. pag. 815.* habetur,
aliquos ex eâdem ſectâ confinxiſſe, ac ſi tempore Sylveſtri radices egiſſet
ſua falſa Religio. Tum quia Rainerius citatus *cap. 5.* graves Waldenſium
non tantùm circà Papam, ſed etiam circà Sacramenta errores recenſet, in
quibus univerſis neutiquam conveniunt cum hodiernis Reformatis. Tum
denique licèt idem Rainerius *cap. 7.* recenſeat, qualiter vitæ puriorem
quandam rationem extrinſecùs ad decipiendas animas ſimulârint Walden-
ſes, in hoc ipſo tamen vulpeculas Eccleſiæ vineam devaſtantes egiſſe, de-
monſtratur etiam ex ijs, quæ de hæreticis ſui temporis, Apoſtolicorum no-
men affectantibus, atque Waldenſium parentibus, producit Sanctus Bernar-
dus *ſuper Cant. ſerm. 60. poſt. med. ac ſerm. 61.*

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur. Rationem Georgij 35. in nullo ſanè argumento à Ve- 48.
droſio ſolidè refutatam ſeu ſolutam, in ſuo vigore ſtare omninò fir-
mam ac integram. Unde ſic licere argumentari. Non eſt vera Eccleſia, quæ
ultra mille annos ita ſe latitâſſe fatetur, ut, ubi extiterit, vel nullatenùs
aſſignari poſſit, vel oſtendat ſectarum reliquias, variam dogmatū faciem pro
temporum diverſitate aſſumentes, imò & ab ipſamet Eccleſiæ illius Re-
formatione in pluribus diſcrepantes: ejuſmodi enim Eccleſiam ad tam
arctos angulos, incognitos etiam, rejectam pugnare cum ſacris Litteris tam
novi, quàm veteris Teſtamenti, contra Donatiſtas probat Sanctus Augu-
ſtinus *lib. de Unit. Eccleſ.* Atqui Eccleſia hodierna Reformata ſecundùm pro-
priam

priam Doctorum Reformatorum confeſſionem ultra mille annos latitans, omnibus modis enititur, nè, ubi tamdiu latuerit, edicere debeat, nec, ſi velit, poteſt oſtendere, niſi ſectarias quaſdam Waldenſium reliquias diverſam dogmatum faciem pro diverſitate temporum aſſumentium, imò in multis ipſimet etiam hodiernæ Reformationi repugnantium. Hæc igitur Reformata Eccleſia eò ipſò vera eſſe non poteſt, quòd ad tantas anguſtias ſe conjectam aſſerat, ut in paucis prorsùs incognitis reliquijs ſe tanto tempore latitâſſe, dicere debeat, utpote quæ ex hoc etiam capite à ſe abdicet proprietatem veræ Eccleſiæ, ex ſacris Litteris à Sancto Auguſtino, ubi *ſupra* probatam.

SECTIO III.

An Eccleſiæ veræ proprium ſit, non poſſe errare in fidei articulis?

CAPUT I.

Referuntur Reformatorum ſententiæ ex Georgio Rhæto.

1. 1. HIc Author *Rat. 3. ſuæ Facis n. 61.* infert Calvinum *Inſtit. lib. 4. cap. 8. ſect. 15.* ſic diſſerentem: *Vera Eccleſiæ conſenſus non eſt ſpernendus, quia non niſi in Veritatem Verbi Dei conſentire, & nihil niſi ex Verbo Dei pronunciare poteſt.* Inſuper *Rat. 19. n. 13.* refert Bullingerum ſic diſſerentem: *Bonorum vel fidelium Eccleſia in terris errat, & non errat, &c. Errorum alij ſunt Doctrinæ & fidei, alij verò vitæ & morum, &c. Quod ad mores & vitam Eccleſiæ attinet, non poteſt ſe in vniverſum liberare ab erroribus, id eſt à peccatis, &c. Porrò quòd ad doctrinam & fidem attinet, non errat Eccleſia Chriſti. Nam ſolius Paſtoris vocem audit, alienorum autem non agnoſcit, Chriſtum enim unicum Paſtorem ſuum ſequitur.*

2. 2. Econtrario à Georgio *Rat. 29. n. 3.* inducitur Calvinus *inſtit. lib. 4. cap. 15. ſect. 19,* ſic diſſerens: *Inter ipſa Evangelij exordia, ſtultâ mundi credulitate abſque negotio ferè recepta ſunt ſathanæ impoſturæ, & craſſa ludibria, &c.* Et Sculteтus *Medul. Pat. c. 9. in Iren. Equidem, dolendum, inquiens, tantam erroris efficaciam ſathanæ datam fuiſſe, ut ſtatim ab Evangelij exortu, Apoſtolis vixdum terræ mandatis, puritatem doctrinæ corrumperet, &c.*

3. 3. Ex quibus auctor præfatus *in Recapitulat. n. 1.* ſic argumentatur: Teſtimonia Calvini & Bullingeri *n. 1.* adducta probant, non poſſe veram & Orthodoxam Eccleſiam eſſe, quæ ab Apoſtolorum temporibus ad uſque per Zvvinglium ſeu Calvinum erectam Reformationem, aſſerit nullam extitiſſe puram Eccleſiam. Atqui ſecundùm Calvini & Sculteti *n. 2.* allegata

legata teſtimonia à temporibus Apoſtolorum jam fuiſſet corrupta Eccleſia, ut conſequenter pura non eſſet, niſi à tempore Reformationis per Zvvinglium & Calvinum inductæ. Ergo Eccleſia hujus Reformationis non poteſt eſſe vera & Orthodoxa.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

Hic Reformatus Miniſter *ſuæ Antiquitatis ſect. 5. circa medium* arguit 1. In hac quæſtione, Utrùm vera in terris Chriſti Eccleſia in fide errare poſſit, diſtinguendum eſſe inter Eccleſiam Electorum, quæ ut ſic in ſenſus hominum non incurrat: & viſibilem ex pluribus cœtibus particularibus conſtantem. 4.

Arguit 2. Quod ad Eccleſiam Electorum, quæ in ſymbolo Apoſtolico Sancta nuncupetur, attinet, ſe Reformatos dicere, eam ceu erroris in mente, & vitij in voluntate non planè expertem, ut ut in ſalutis fundamento & exitialiter non erret, in circumſtantialibus tamen dogmatibus errare poſſe, tum quòd ejus ſcientia ſit imperfecta, *1. Corinth. 13. v. 9.* Tum quòd peccare poſſit. *Iacobi 3. v. 2.* 5.

Arguit 3. Quòd Eccleſia Electorum in hac terrâ errare poſſit, hinc quoque evinci, quòd errârit ante legem *Gen. 3. v. 6. & 7.* ſub lege in deſerto, in Canaan, tempore Judicum & Regum; ſub Evangelio, veluti liqueat exemplo Apoſtolorum, maximè ante effuſionem Spiritûs ſancti plenam, *Matth. 16. Luc. 18.* Veruntamen Sanctam eſſe ſanctitate imputatâ perfectè: fulgere enim non ſuo, ſed Chriſti lumine, & ſplendorem ſibi accerſere de ſole Juſtitiæ. Sanctam eſſe ſanctitate inhærente, quatenùs in ſtudio ſanctimoniæ proficiat quotidiè, donec conſummetur in vitâ futurâ. 6.

Arguit 4. Se Reformatos aſſerere de viſibili Eccleſiâ, eam in ipſis fundamentis errare poſſe, ita tamen, ut Deus ſibi aliquos ſemper reſervet tum inter Paſtores, tum inter fideles, qui Paſtoris ſummi vocem agnoſcant, ac ſequantur. 7.

Arguit 5. Se tacere velle praxin Eccleſiæ Novi Teſtamenti. Sub Conſtantio enim ipſam etiam Eccleſiam Romanam primævam cum ſuis Epiſcopis Fælice & Liberio communicâſſe cum Arianis. Et totum mundum eſſe miratum, ſe Arianum eſſe. Unicum Athanaſium cum paucis alijs conſtantem manſiſſe in profeſſione, qui tamen & exul & profugus fuerit. 8.

Arguit 6. Multò magis Eccleſiam viſibilem errare poſſe in minoris momenti articulis, quod ex hiſtoriâ primitivæ Eccleſiæ iterum liqueat. 9.

Eam,

Eam enim, ut alia taceantur, tempore Auguſtini & Innocentij Epiſcopi Romani, docuiſſe Eucharistiam infantibus eſſe dandam. Hanc veritatem extorſiſſe ex Bedâ iſtam querelam in *Sam. lib. 4. c. 2. Videat lector, nec ſine lachrimis rem dignam contempletur, quantùm Eccleſia ſtatus ad pejora quotidiè, vel ut mitiùs dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.*

10. Arguit 7. Nec, quod adverſarijs ſolemne ſit, juvare dicere, quòd ejuſmodi errores ſint duntaxat in moribus. Chriſtum enim non magis ſolicitum eſſe de cognitione Veritatis in Eccleſiâ conſervandâ, quàm de morum ſanctimoniâ & integritate. Nam cognitionem eſſe medium, integritatem & ſanctimoniam eſſe finem. Itaquè multò commendatiorem ſanctimoniam, nempè finem, quàm cognitionem ceu medium ad finem, nempè *Evangelium eſſe doctrinam Veritatis ſecundùm puritatem. 1. Timoth. 6. v. 3.*

11. Arguit 8. Quod ſpectat Eccleſiam hanc vel illam particularem, agnoſci ab ipſis quoque Pontificijs, quòd omnes non errare ſolummodò, ſed & deficere poſſint, ſi ſola excipiatur Romana, utpote illa, quæ *Apocalyp 18. v. 6. & 7.* de ſe glorietur: *Ego ſedeo, & ſum regina, & non ero vidua, nec luctum videbo.*

12. Arguit 9. Gubernari quidem Eccleſiam à Spiritu ſancto. At neminem eſſe verè fidelium, quin & ſuo modo gubernetur ab eodem Spiritu. At hinc concludi non poſſe, quemlibet fidelem in fide dogmaticâ eſſe infallibilem. Ergo nec Eccleſiæ in fide infallibilitatem inferri ex eo, quòd gubernetur à Spiritu ſancto.

13. Arguit 10. Gubernari Eccleſiam internè à Spiritu ſancto quoad vera ſui membra omnia, externè per Dei Verbum, & hominum miniſterium, & tunc tamdiu regi à Spiritu ſancto, ac in omnem deduci veritatem, quamdiu ejus Rectores & Miniſtri ab hac Scripturarum Helice non deflectant. At neminem auſurum dicere, quòd Eccleſiæ Miniſtri & Rectores nunquam & in nullis ſint deflexuri ab hac orbitâ, contrarium teſtante & Paulo *Act. 20. v. 29. & 30.* & omnium ſæculorum experientiâ.

14. Arguit 11. Georgium *Rat. 15.* ex Urſino talem facere illationem. *Eccleſia vera retinet doctrinam legis & Evangelij integram & incorruptam. Eccleſia primorum quinque ſæculorum fuit vera Eccleſia. Ergo retinuit doctrinam legis integram & incorruptam. Et per conſequens dogmata Rat. 3. producta, quæ poſt Eccleſiam primitivam Eccleſia Romana retinet, pertinent ad veram & integram doctrinam lege & Evangelio comprehenſam.* Verùm hanc illationem, ait Vedroſius, eſſe puerilem principij petitionem, & perpetuum Georgij Cocciſmum. Conſequens enim ejus ſuperiùs eſſe ſolidè deſtructum.

15. Arguit 12. Se equidem in theſi ſtatuere, primam & ſimpliciter eſſentialem notam, quâ vera Eccleſia oſtendatur, eſſe doctrinam legis & Evan-

gelij

gelij integram & incorruptam. Hoc enim quaſi filo coccineo in hujus mundi Jerichunte dignoſci veram Rahabæ domum, in quâ ſolâ ſit ſalus & lux Divina. Nam oves eſſe Chriſti, quæ vocem ejus ſequuntur. *Ioan. 10. v.27.* Et *Eccleſiam ædificari ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarum. Eph.2.v.20.*

Arguit 13. Auguſtinum *de Unit. Eccleſ. c. 3.* monere, Eccleſiam quærendam eſſe non ex authoribus privatis, ſed ex libris Dominicis. Et *cap. 16.* aſſerere, quòd Eccleſia demonſtranda ſit non in ſermonibus & rumoribus, non in Concilijs Epiſcoporum ſuorum, non in litteris diſputatorum quorumlibet, non in ſignis & prodigijs fallacibus, ſed in præſcripto legis, in Prophetarum prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Evangeliſtarum prædicationibus & laboribus, hoc eſt, in omnibus Canonicis ſacrorum Librorum authoritatibus. 16.

Arguit 14. In hypotheſi reſpectu hujus, vel illius Eccleſiæ, hujus, illiuſvè temporis obſervandum eſſe, quòd notæ illius ſit aliqua latitudo, ita ut integritas & puritas doctrinæ ſuos admittat gradus, nunc major ſit, nunc minor. Unde Eccleſiam modò puriorem eſſe, modò impuriorem. Nec quæ gradu aliquo puritatis deſtituitur, ſtatim deſinere eſſe Eccleſiam veram, nomenclatione deſumptâ à potiore. Etenim Eccleſias illas, de quibus *Apocal. 2. & 3.* pleraſquè fuiſſe veras Chriſti Eccleſias, & interim in unâ viguiſſe majorem puritatem Verbi Divini, quàm in alterâ, veluti cuivis hoc legenti promptum ſit animadvertere. 17.

Arguit 15. Hinc Eccleſiam poſſe dici veram Catholicam, Orthodoxam, ut poſſint tamen in eâ aliqui notari errores. Veterum Eccleſiæ Doctorum poſſe commendari pietatem & ſanctitatem, ut tamen in aliquibus hallucinati ſint: Schapham ſchapham, errorem à ſe Reformatis appellari errorem, eumquè ad orcum, unde pullulârit, remitti, commendatâ interim Orthodoxiâ, quæ in Beatis gregis Dominici Antiſtitibus tandem triumphârit. 18.

Arguit 16. Oportere, Eccleſiæ Romanæ Doctores meminiſſe acutorum, quibus Doctores primitivos configant, obeliſcorum; undè conveniens fore, ut ipſi expungant Rationes quintam & ſextam Georgij, in quibus obſervârit, Confeſſionem Helveticam, Bullingerum, Calvinum, Bezam, & alios aliquid in illis primitivis Doctoribus deſiderâſſe. Hîc Divinas Scripturas in theatrum producere, & Confeſſiones ſuæ Reformationis, catechiſmos, aliaquè ſcripta ſymboli ad eas exigere, & pugnam inter hæc mutuam, operæpretium fuiſſe. Optato Milevitano *lib. 5. de Schiſm. contra Parmen.* admonente, in controverſijs quærendum eſſe Judicem ex teſtamentis Evangelij. 19.

Digitized by Google

CAPUT III.

Oſtenditur, Eccleſiam veram viſibilem ita eſſe munitam gratiâ Chriſti, ut in nullo fidei dogmate poſſit aliquando errare.

Probatio prima. Ex ſacris Litteris.

20. NAm 1. *Timoth. 3. v. 15.* ita habetur: *Quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* At de hac ipsâ Eccleſiâ *proximè* ſcr pſerat Apoſtolus: *Ut ſcias, quomodò oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia.* Illa igitur Eccleſia ſecundùm Apoſtolum eſt columna & firmamentum veritatis, quæ talem habet credibilitatis evidentiam, ut ſciri poſſit, quomodò in eâ ceu domo Dei oporteat converſari. Ejuſmodi verò Eccleſia eſt viſibilis. Ergo ſecundùm Apoſtolum Eccleſia viſibilis eſt columna & firmamentum Veritatis. At iſta Eccleſiæ prærogativa ut ſit Veritatis firmamentum, non poteſt eſſe niſi ex gratiâ Chriſti eidem aſſiſtentis juxta illud *Matth. 28. v. 20. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Nullus proinde dies uſque ad conſummationem ſæculi tranſibit, in quo per Chriſti Domini aſſiſtentiam & gratiam non maneat Eccleſia columna & firmamentum veritatis. At quomodò Eccleſia pro illo præſertim tempore, in quo (uti Vedroſius *præcedenti cap. 2. arg. 4.* citatus ait) erraret in ipſis etiam fidei fundamentis, dici poſſet Veritatis firmamentum? Quomodò pro tali die ac tempore Chriſtus gratiâ ſuâ adſtitiſſet ſuæ Eccleſiæ, utpote in ipſo fundamento labefactatæ? Quia igitur ex promiſſione Chriſti nullus dies, vel momentum uſque ad conſummationem ſæculi tranſibit, in quo Chriſtus Eccleſiæ ſuæ non ſit præſens per ſuam gratiam, ex hac verò gratiâ Chriſti, non aliundè proveniat, Eccleſiam eſſe Veritatis firmamentum: nequeat verò Eccleſia intelligi Veritatis firmamentum, ſi ab ipsâ primâ Veritate per fidei errorem recedat; conſequens eſt, repugnare, quòd Eccleſia poſſit in fide errare.

Probatio ſecunda. In quâ Calvini exceptio aliqua refutatur.

21. ETenim Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 1. §. 10.* illis Apoſtoli Eccleſiam Veritatis firmamentum aſſerentis verbis ait ſignificari, quòd, ne intercidat Veritas Dei in mundo, Eccleſia ſit fida ejus cuſtos, quia ejus miniſterio & operâ voluerit Deus puram Verbi ſui prædicationem conſervari. At verò Eccleſia eſt Veritatis Dei in mundo cuſtos non eâ duntaxat ratione, quòd Scripturam ſacram, ceu Veritatis Divinæ Arcam emortuam illibatè cuſtodiat,

diat, ſed oportet, hanc Veritatem in Eccleſiâ Dei cuſtodiri ſub vivâ ſui per fidem verum expreſſione, atquè adeò Verbum Dei conſervari in eâ non ſecundum litteram duntaxat, ſed ſecundùm Spiritum, ſeu verum ipſius ſenſum fide Divinâ receptum. Unde etiam Chriſtus Dominus *Ioan. 14. v. 26.* Apoſtolis, eorumquè in Eccleſiâ ſucceſſoribus Paſtoribus promiſit: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et *Ioan. 16. v. 13. Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quæ proinde ſub litterâ ſive vocali, ſive ſcriptâ à Chriſto vel per ſe *immediatè*, vel *mediatè* per Apoſtolos & Evangeliſtas dicta ſunt, eorum ita eſt Eccleſia cuſtos fidelis, ut ipſa etiam Veritas per Spiritum ſanctum edocta teneatur. At in quantum Eccleſia Veritatis à Spiritu ſancto edoctæ eſt cuſtos ac firmamentum, in tantum errare non poteſt; cùm alioquin circa idem objectum ſimul ſtarent error ac veritas, quod tamen impoſſibile eſt. Chriſtus autem verbis *ſupra* expreſſis promiſit Eccleſiæ omnium (quæcunque dicturus eſſet) verborum ſuorum veritatem à Spiritu ſancto ſuggerendam. Manifeſtè igitur infertur, in nullo Chriſti verbo ſeu myſterio fidei poſſe Eccleſiam errare.

Probatio tertia. Petita ex ratione Theologicâ.

NAm ipſis etiam Adverſarijs apud Vedroſium *ſec. 6. pag. 126.* fatentibus, 22.
Eccleſiæ proprietas inſeparabilis eſt, eſſe perpetuam ac indefectibilem. Cujus equidem indefectibilitatis fundamentum eſt ex illâ Chriſti Domini promiſſione *Math. 16. v. 18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* At verò indefectibile non eſt, cujus forma eſſentialis corrumpi poteſt. Fides autem eſt forma Eccleſiæ eſſentialiter conſtitutiva. Hæc verò fides nititur Verbo Dei, ſeu Primâ Veritate revelante tanquàm motivo ſui ſpecificativo. Unde qui recedit ab aliquo fidei articulo, recedit ab ipſamet Primâ Veritate, hanc poſtponendo proprij ſui judicij ſenſui & arbitrio. At per ejuſmodi à Primâ Veritate ſeceſſionem *appretiativè* & *affectivè* intrà eum, qui Verbi Divini authoritati præfert ſuum ſenſum, ita deſtruitur fidei motivum & objectum ſpecificativum, ut conſequenter mereatur privari infuſo fidei Divinæ habitu. Si proinde Eccleſia univerſim poſſet à verâ fide in aliquo articulo deficere, oporteret, fidem infuſam ex integro perire; nam fides, quæ eſt ad ſalutem, ſubſiſtere non poteſt, niſi integra & inviolata, uti tradit etiam Breitingerus ex *Symbolo Sancti Athanaſij germanicè edito Anno 1621.* Cùm igitur deficiente fide, utpote formâ Eccleſiæ, oporteret, ipſam Eccleſiam *ſubſtantialiter* perire, nequeat autem vera fides in ſubjecto aliquo ſtare, ſi vel in unico articulo per-

tinaciter deficiat à primæ Veritatis infallibili authoritate, conſequens eſt, repugnare, quòd Eccleſia indefectibilis ac perpetua erret in aliquo fidei articulo. Quomodò enim fieri poſſet, ut portæ inferi non prævalerent adversùs Eccleſiam, quæ in aliquo fidei articulo Primam Veritatem, ejuſque authoritatem poſtponeret proprij ſui judicij ſpiritui mendaci?

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

23. AD *primam* Reſp. Illam diſtinctionem pro præſenti inſtituto eſſe inutilem, cùm non tantùm de inviſibili Electorum, ſed vel maximè de viſibili Eccleſiâ verificetur, eſſe columnam & firmamentum Veritatis, uti patet ex verbis Apoſtoli ſuprà n. *19.* ponderatis. Hinc autem Calvinum cit. *lib. 4. cap. 1. §. 10.* rationem ſumere ſcribendi, Dominum ſic commendâſſe authoritatem ſuæ Eccleſiæ, ut, dum illa violatur, ſuam ipſius imminutam cenſeat. Cùm proindè Vedroſius de Eccleſiâ viſibili aſſerat, in ipſis etiam fundamentis errare poſſe, quomodò non ipſius Domini, Eccleſiam prò Veritatis columnâ nobis commendantis, authoritas eſt imminuta ab iſto Reformationis Miniſtro?

24. Ad *ſecundam* Reſp. Ineptam eſſe conſequentiam Vedroſij, ex eo, quòd *ſcientia Eccleſiæ in terris militantis ſit imperfecta*, inferentis, poſſe errare in articulis fidei. Etenim diſtinguenda eſt imperfectio ſcientiæ; alia enim eſt huic *directè* & *formaliter* oppoſita, eiuſquè adeò deſtructiva: alia verò ſcientiæ imperfectio importat duntaxat obſcuritatem ænigmaticam in eo ſe tenentem, quòd luminis Increati perſpicuitas non ſe ipsâ *immediatè* ſit præſens intellectui, ſed ſub obſcuræ revelationis Divinæ ænigmatico ſpeculo applicari debeat ad intellectum credentem. At iſta imperfectio eſt propria fidei Theologicæ, ut conſequenter Eccleſiæ ſub fide militantis ſcientia nequeat eſſe perfecta.

25. Econtrà verò cùm Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam ità ſanctificârit & mundârit lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam *ad Eph. 5. v 25.* idcirco repugnat, eam ita errare, ut tota ejus puritas foret deſtruenda. At error in fide ita ſe habet, ut Motivo fidei, ceu Primâ Veritate revelante ad dogma aliquod per prudentialem credibilitatis evidentiam applicatâ, voluntas proprij intellectûs ſenſum Divinæ authoritati poſtponendo, ipſammet adeò Primæ Veritatis authoritatem *appretiativè* in ſe deſtruat. Eo ipſo autem, quòd primæ Veritatis authoritas, ceu fidei ſpecificativum in talis ſuppoſiti voluntate ſit *appretiativè* deſtructa, ſequi-

ſequitur, ipſammet ſupernaturalem fidem deperire in eiuſmodi ſuppoſito. Non poſſet igitur Eccleſia in quocunque fidei articulo errare, quin Divinam Primæ Veritatis authoritatem privato ſuo inſtinctui poſtponendo, ſe conſtitueret ream læſæ hujus Divinæ authoritatis, atquè adeò excideret è fide, eſſetquè adeò deſtituta omnimodâ, utpotè per fidem firmatâ, gloriâ ſuâ, nec adeò tanquàm ſponſa ſine maculâ, ſed errorum fidei rugis defœdata, ſubſiſteret in conſpectu Dei. At hoc apertè pugnat cum præadducto ſacro textu; uti apertiùs quoquè proſequuntur Patres, ſpeciatim Cyprianus in *ſymbolo*, Ambroſius *lib. 2. in cap. 3. Lucæ.* Hieronymus *in cap. 3. ad Ephes.* Auguſtinus *de ſymb. ad Catechum. lib. 4. cap.* 13. & alij. Conſequens igitur eſt, cum ipſa eſſentiali Eccleſiæ formâ pugnare, quòd erret in aliquo fidei articulo. An verò, & qualiter ſit obnoxia peccatis, infrà dicetur.

Ad *tertiam* Reſp. Vedroſium non ſatis peritum eſſe in diſtinguendis Religionis ac Fidei virtutibus. Certè omnes defectus *in Argutiâ 3.* numeratos necdum pugnare cum fide, ſed cum Religionis virtute, ex eo evincitur, quòd authoritas Divina ceu formale fidei motivum *appretiativè* non deſtruatur, niſi ſub prudentiali credibilitatis evidentiâ dogma aliquod, tanquàm Divinitùs revelatum ita ſit propoſitum, ut intellectus mediante voluntatis pertinaciâ, ad proprij ſui ſenſûs appretiationem inflexus, fiat reus violatæ Divinæ authoritatis, utpote proprio judicio poſthabitæ. At nihil horum accidit in exemplis à Vedroſio allatis; nequè enim eò deventum erat, ut vel primi parentes in paradiſo, vel Iſraelitæ in deſerto, vel etiam Apoſtoli ante plenam Spiritûs ſancti effuſionem contrà apertam Divinæ teſtificationis authoritatem inſiſtendo ſuo proprio judicio, pertinaciter amplecterentur ſenſum cum Divinâ veritate pugnantem. Quis enim dicat, primos parentes credidiſſe, ſe veros futuros Deos, ſi de ligno ſcientiæ boni & mali comederent? Quis aſſerat, Iſraelitas vitulum aureum adorando, credidiſſe veram Divinitatem huic inexiſtentem? In quibus adeò exemplis erat quidem ex parte tam intellectûs, quàm voluntatis defectus moralis, pugnans cum Religione cultûs erga Deum præſcripti ordinatrice; ejuſmodi tamen defectus non ſubvertebat adhuc fidei fundamentum, ſeu motivum ipſius formale. Falſum igitur eſt, quod Eccleſia Chriſti aliquando erràrit in fide, eò vel maximè, quòd talis error ſubſiſtere non poſſit, quin Divinæ Veritatis authoritas *appretiativè* ita lædatur, ut conſequentur totum fidei fundamentum ſeu motivum formale corruat, ipſaquè adeò fides deſtruatur. 26.

Ad *quartam* Reſp. 1. Directè: Vedroſium non tantùm pugnare cum ſacris 27.

ſacris Litteris, Eccleſiam etiam viſibilem veritatis columnam clamitantibus, ſed habere ſanctos Patres ſibi manifeſtè contradicentes. Sic enim ait Cyprianus *lib. de Unit. Eccleſ. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica.* At quomodò non adulteraretur Eccleſia, ſi ejus fides in ipſis etiam fundamentis eſſet labefactata? Quomodò jam eſſet ſponſa incorrupta & pudica? Cyrillus Alexandrinus *lib. 5. in Eſaiam cap. 54.* ita habet: *Ædificat Eccleſiam, & eam ſartam tectamquè conſervat, nè nutet Chriſto protegente, & concedente, ut inconcuſſa & immota ſit: adversùs hanc enim,* inquit, *portæ inferi non prævalebunt.* At quomodò Eccleſiam, ſi erret, in ipſis fundamentis ſarta tecta conſervabitur? Quomodò non nutabit, ſi portæ inferi in fundamentis adverſùs ipſam prævaleant?

28. Reſp 2. per retorſionem. Non poteſt jam vera eſſe Eccleſia, quæ in ipſis fundamentis errat. Atqui Eccleſia Reformata *ſecundùm Vedroſium citatum* in ipſis fundamentis errare poteſt. Et quis iam certus ac ſecurus erit, eam de facto non ſic errare, maximè cùm Lutherani illum, quem Zwingliani profitentur de Cœnâ Domini errorem, fundamentalem eſſe contendant? Nulla igitur intra Eccleſiam Reformatam poteſt eſſe certitudo, ut eam tanquàm veram tutò quis poſſit amplecti. At nemo prudenter poteſt permanere in illâ Eccleſiâ, in quâ nulla eſt ſecuritas, nè fortè in ipſis etiam fundamentis aberret. Viderit ergo Vedroſius, an ſecurè poſſit manere in ſuâ Eccleſiâ Reformatâ.

29. Ad *quintam* Reſp. Diſtinguendum eſſe inter errorem *formaliter* ſe tenentem in dogmate fidei, ac errorem, qui ſe tenet circa vocem *ſolùm materialiter* ſpectatam. At verò Arianiſmum nunquàm ita prævaluiſſe, ut univerſus mundus ingemuerit, ſe *formaliter* infectum iſtâ hæreſi, ſed per minas ac fraudes ſub Conſtantio præſertim Ariano Imperatore, accidiſſe, ut plerique Epiſcoporum perſuaderentur de tollendâ voce *Uſias* tanquàm novâ in ſacris Litteris non expreſſâ, atquè adeò litium ſuſcitativâ, retentâ tamen verâ circà conſubſtantialitatem Filij fide ac ſenſu catholico, uti claris verbis aſſerit ſanctus Hieronymus *contrà Luciferianos.* In ejuſmodi proindè Epiſcopis, illis præſertim, qui Concilio Ariminenſi intererant, fuit error duntaxat materialis circà vocem *Uſias*, non verò formalis ipſum

30. fidei dogma contingens, nec adeò hæreſin *formaliter* inducens. Cæterùm Liberij errorem non fuiſſe in fide, ſed in ſubſcriptione condemnationis Athanaſij de varijs criminibus accuſari, pluribus tradit Forerus Antiquit. Papatûs *lib. 1. Cap. 16. n. 31.* De Fælice probat Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9. §. ſed reſpondemus.* iſtum Papam habuiſſe quidem communionem cum Arianis, antequam erat ad Papatum promotus; attamen iſtâ cathedrâ

obten-

obtentâ, fidem Orthodoxam ad ſanguinem uſquè defendiſſe adversùs hæreticos. • Ex quibus adeò manifeſtè patet, quàm iniquè procedat Vedroſius, dum non niſi falſis exemplis nititur, probare Eccleſiæ in ipſis etiam fundamentis errabilitatem, quæ tamen à verâ Eccleſiâ in tantum removetur, ut in ſuam Reformationem retorqueatur.

Ad *ſextam* Reſp. Conveniendo Vedroſium, undè ex ſacris Litteris probet illam fidei articulorum in fundamentales & non fundamentales diſtinctionem, ita ut Eccleſia viſibilis in ipſis etiam fundamentis, Eccleſia verò Electorum in ſolis non fundamentalibus errare poſſit? Certè Chriſtus Dominus tam ſuam Matth. *28. v. 20.* quàm Spiritûs ſancti Ioan. *14. ac 16.* aſſiſtentiam reſpectu omnium, quæ ſuggeſturus erat, in ordine ad omnem veritatem indefinitè ac univerſaliter promiſit. At cum iſta indefinitâ promiſſione haud ſubſiſtit illa Vedroſiana diſtinctio. Convincitur ergo Vedroſius, nullâ habitâ ſacrorum textuum ratione, non niſi pro arbitrio ſuo ſta- 31.
tuere. Quòd vero nitatur, Eccleſiam erroris arguere, dum infantibus olim Euchariſtiam præbuerit, impudens ſanè eſt calumnia. Nam quia infantes gratiæ Euchariſticæ ſunt capaces, omnino eſt in poteſtate Eccleſiæ, ut Euchariſtiam conferre poſſit infantibus, utpote iure Divino non excluſis. Quia tamen ius Divinum ſolam præcepti, Infantes ob rationis defectum minimè afficientis, non autem medij neceſſitatem circa Euchariſtiam imponit, potuit Eccleſia gravibus de cauſis induci ad Comunionem ſacram parvulis denegandam. Quarè Eccleſia nequè ex hodiernâ Euchariſtiam infantibus negante, nequè ex antiquâ communionem ſacram concedente praxi iuſtè redarguitur erroris. 32.

Ad *ſeptimam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, utrùm arboris ſtatus ſit deterior, ſi in ipſâ radice deperierit, vel ſi fructuum duntaxat iacturam fecerit? At fides eſt fundamentum & radix hominis Chriſtiani. Quâ proindè corruente, neceſſum eſt, interire totum ædificium gratiæ ac virtutum Divinarum. Eo ipſo igitur, quòd Eccleſia Dei ſuprà petrâ ædificata neq; à portis inferi devinci, neq; Divinâ omnem veritatè edocentis aſſiſtentiâ deſtitui, neq; utpote firmamentum veritatis concuti poſſit, dicendum eſt, non poſſe Eccleſiam in fide labefactari. At quoad mores, licèt ſinguli fidelium peccare poſſint, atquè ex gratiæ Divinæ ſtatu excidere; attamen Chriſtus ſibi deligendo ſponſam ſine maculâ & rugâ, ita præſervat Eccleſiam, ut nullam in ſe admittat circa mores falſam doctrinam, nec, licèt plura quotidie peccata à fidelibus perpetrentur, accidit, ut omnes è ſtatu gratiæ excidant, ſed in ſanctitate & iuſtitiâ plures ſemper perſiſtant, ſitquè adeò Eccleſia ſancta tum fundamentali doctrinæ ſanctitate, tum formali habitualis ju- 33. 34.

ſtitiæ

ſtitiæ ſanctitate, tum actuali piorum ſupernaturnalium operum iuſtitiâ.

35. Ad *octavam* Reſp. Eccleſiam Romanam non quà particularem (de quo tamen infra) eſſe in fide infallibilem, ſed prout de ipsâ verificatur illud Chriſti Domini *Matt. 16. v. 18. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Hoc autem procedit de Eccleſiâ univerſali, quæ *accidentariè* dicitur Romana, eò quòd univerſalis Eccleſiæ Paſtor Petrus, & conſequenter ipſius ſucceſſores Cathedram univerſis fidelibus præſidentem in eâ collocârint. Quam equidem minimè æquiparari poſſe cum Babylone, patet ex præallegatis *Apocal. 18. v. 6. 7.* verbis ſacris, cùm certè nullum præterierit tempus; in quo vel ab Ethnicis, vel ab hæreticis infeſtaretur ſancta Eccleſia, quæ proinde in hac vitâ non tam ſedens ac luctûs expers regina ſit, quàm militans, ſemper tamen victrix adversùs inferorum portas, ſeu hæreſes.

36. Ad *nonam* Reſp. Fidelibus in particulari non eſſe factam talis aſſiſtentiæ Divinæ promiſſionem, ut omnimodam per Chriſtum ſuggeſtam, omnis adeò in fide erroris excluſivam veritatem à Spiritu ſancto edocti, ſinguli ſint Veritatis firmamentum, adversùs quod portæ inferi prævalere non valeant. At verò talem veritatis per Spiritum ſanctum docendæ promiſſionem & aſſiſtentiam Divinam eſſe Eccleſiæ univerſali factam à Chriſto. Quarè gubernatio..em cuiq; particulari fideli à Spiritu ſancto determinatam, circa fidei dogmata longè inferioris eſſe conditionis, ac ſit reſpectu Univerſalis Eccleſiæ. Ineptam igitur eſſe illationem Vedroſij, juxta notum Logicum axioma, quòd non fiat illatio à diſpari.

37. Ad *decimam* Reſp. Verum eſſe, quòd Eccleſia tamdiu regatur à Spiritu ſancto, & in omnem deducatur veritatem, quamdiu ejus Rectores ac miniſtri à vero Verbi Divini ſenſu non deflectunt. At eo ipſo, quòd Eccleſiæ Dei omnibus diebus uſquè ad conſummationem ſæculi ſit promiſſa aſſiſtentia Chriſti, mediante quâ per Spiritum ſanctum deduceretur in omnem veritatem, eſſetque adeò veritatis firmamentum, ipſis etiam inferorum portis inſuperabile, ſequitur, Spiritûs ſancti gubernationem nunquàm ita defuturam, ut omnes Eccleſiæ Rectores & Paſtores collectivè ſumpti ſint deflexuri à vero Verbi Divini ſenſu: licèt omni tempore ſint aliqui futuri lupi rapaces univerſas domos ſeu Eccleſias particulares ſubverſuri, uti Vedroſius rectè monet ex *Act. 20. v. 29. ac 30.* At quia hic ipſe Reformatus miniſter dicere non audet, veram & Orthodoxam doctrinam ſecurè ac certò teneri in ſuâ Reformatâ Eccleſiâ, utpote quam fidei erroribus obnoxiam affirmet, viderit ipſe, an non lupum rapacem agat.

38. Ad *undecimam* Reſp. Georgij rationem 15. ita ſe habere, Eccleſia ve-

ſi, ci-

ra, eaquè ſecundùm Urſinum viſibilis, primam notam à falſis Eccleſijs diſtinctivam habet puritatem doctrinæ, ſeu incorruptam de Deo, ejuſque cultu doctrinam. At primorum quinque ſæculorum Eccleſia (in quâ Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, eiuſmodiquè Orthodoxi tunc temporis Paſtores & Epiſcopi floruerunt) fuit puritas doctrinæ. Ex præallegatorum autem Patrum verbis conſtat, omnia illa dogmata, quæ *ratione tertiâ, ſeptimâ*, & *decimâ* per Georgium deducta ſunt, tunc viguiſſe in illâ Orthodoxâ Eccleſiâ. Ergo iſta dogmata pertinent ad puritatem Orthodoxæ doctrinæ. At Eccleſia Romana, non autem Reformata, amplectitur illa à Patribus tradita dogmata. Ergo puritas doctrinæ eſt in Eccleſiâ Romanâ, non autem Reformatâ. Hæc igitur Vedroſi eſt Georgij in compendium hìc redacta illatio, tuam Reformationem ſatis conſtringens. Quam ſi puerilem principij petitionem dixeris, te formæ ſyllogiſticæ ſanè inexpertem profiteris.

Ad *duodecimam* Reſp. Reaſſumendo argumentum. Vedroſius enim *ibi* validè probat, primam & ſimpliciter eſſentialem notam, quâ vera Eccleſia oſtendatur, eſſe doctrinam legis & Evangelij integram & incorruptam. Atqui nota eſſentialis Eccleſiæ non poteſt iſti deeſſe, ut adeò in iſtâ ſemper ſit integra & incorrupta legis & Evangelij doctrina. At impoſſibile eſt, in illâ Eccleſiâ eſſe fidei errores, in quâ ſecundùm eſſentialem neceſſitatem oportet, eſſe integram & incorruptam legis & Evangelij doctrinam. Imò cùm nihil abſque ſuâ eſſentiâ ſubſiſtere poſſit, oporteret, Eccleſiam eo ipſo corrumpi, ſi per fidei errores diſſolveretur ejus eſſentia, integram & incorruptam legis ac Evangelij doctrinam importans. Impoſſibile igitur eſt, veram ſubſiſtere Eccleſiam, & tamen fidei erroribus eſſe contaminatam. At Eccleſia ſecundùm ipſum etiam Vedroſium eſt *eſſentialiter* indefectibilis ac perpetua. Oportet igitur, eam ex eſſentiâ ſuâ indefectibiliter ac perpetuò retinere ita incorruptam & integram legis ac Evangelij doctrinam, ut conſequenter errores in fide non poſſint in eâ locum habere. At talem fidei integritatem & puritatem non audet Vedroſius affirmare de ſuâ Reformatâ Eccleſiâ. Viderit ergo, an hæc ſit vera Eccleſia? 39.

Ad *decimamtertiam* Reſp. Auguſtinum, ut Donatiſtas ſolam Litterarum ſacrarum authoritatem admittentes, efficaciter poſſet conſtringere, *lib. de Unit. Eccleſ.* ex Canonicis libris ſanctarum Litterarum demonſtrare, talem oportere adſtruere Eccleſiam, quæ non ad modicos angulos redacta ſit latitans, ſed conſpicua, & ad univerſas gentes à temporibus Apoſtolicæ prædicationis per ſucceſſionem continuatam & interruptam propagata, quæquè eſſet firmamentum & columna veritatis, nec nutari, nec inclinari poſſit. 40.

Digitized by Google

At Eccleſia Reformata ad pauculos, eoſque incognitos angulos redacta, ſe-
cundùm Doctores Reformatos latitavit ultrà mille annos, neque notam ha-
bet firmamenti in veritate omninò immobilis, ſed quiſque privatus ſpiritus
poteſt ita inflectere veritatem, ut idcircò Vedroſius non audeat affirmare,
ſuam Eccleſiam non eſſe fidei erroribus obnoxiam. Si ergo cum Sancto Au-
guſtino Eccleſia ſit quærenda ex ſacrarum Scripturarum libris Canonicis,
evidenter ſequitur, veræ Eccleſiæ notam non ſtare pro Eccleſiâ Reformatâ.

41. Ad *decimamquartam* Reſp. Aliud eſſe, quòd alicui fidei, per pruden-
tialem credibilitatis evidentiam ſufficienter illuſtrato, dogmati *poſitivè* quis
contrarietur, atquè adeò *formaliter* ſit errans in fide. Aliud verò eſſe, quòd
aliqua particularis Eccleſia non adeò perfectè ſit inſtructa in omnibus in-
tra ſacram Scripturam contentis myſterijs, quin aliquorum in quibuſdam
ſaltem membris ſuis habere poſſit ignorantiam, vel errorem materialem,
poſſitquè ex moralibus defectibus contrahere quandam impuritatem. At
ex dictis patet, prius accidere non poſſe, quin fide deſtructâ, ſit membrum
ab Eccleſiâ abſciſſum. Unde cùm Eccleſia vniverſalis ſit indefectibilis, ne-
quit ulla in formali fidei errore ſe tenens impuritas in eam incidi. Quod
ſi verò Eccleſia aliqua tali impuritate fidei commacularetur, eo ipſo exci-
deret è ſtatu veræ Eccleſiæ, utpote fide Divinâ ceu forma Eccleſiæ deſtituta.
Quòd autem Vedroſius illas Eccleſias, de quibus Apocalyp. *2. & 3.* dicitur,
de tali fidei errorum impuritate coarguat, gravis erga eas calumniæ ſe re-
um probat, velut ex ipſo ſacro textu oſtendere licet.

42. Ad *decimamquintam* Reſp. Vedroſium ſui ſemper immemorem vel
ex hoc probare, ſe nullatenùs procedere ex Spiritu Divino. Hic enim locum
non habet, ubi eſt perpetua contradictio. At Vedroſius *ſupracitatus* aſſeruit,
Eccleſiæ notam eſſentialem eſſe legis ac Evangelij doctrinam integram & in-
corruptam. Nequit autem Evangelij ac legis doctrina eſſe integra & in-
corrupta, ubi commaculatur fidei erroribus. Quomodò igitur Vedroſius
ſibi non contradicit, dum contra illam à ſe aſſertam Eccleſiæ notam eſſen-
tialem, redarguit Eccleſiam de fidei erroribus?

43. Ad *decimamſextam* Reſp. Georgij Rationem quintam & ſextam in eo
ſe tenere, quòd efficaciter probet Eccleſiæ Reformatæ in fidei dogmati-
bus, Deique cultu cum Veteribus & Orthodoxis Patribus diſſonantiam &
contrarietatem. Hinc autem inferri, non poſſe Reformationem à veteri non
niſi veram & Orthodoxam, ipſis Reformatis fatentibus, doctrinam tenen-
te Eccleſiâ apertè reſilientem habere ſignum & notam veræ Eccleſiæ. An
igitur Vedroſi has Georgij illationes expungendas contendis? Sed quo ju-
re? Nempè quia Eccleſiæ Romanæ Doctores acutis obeliſcis configunt pri-
mitivos

Digitized by Google

mitivos Doctores. At hos, dum præſertim uno quaſi ore ac mente dogma aliquod tanquàm à Chriſto ſeu Apoſtolis traditum aſſeverant, ita recipiunt Pontificij, ut vel inde argumentum veri ac genuini ſacræ Scripturæ ſensûs, atque adeò prudentiale credibilitatis fundamentum deſumant. Unde non niſi per calumniam aſſeruit Vedroſius, primitivos Doctores acutis obeliſcis configi à Romanis, quâ tamen ſuâ calumniâ non expugnat prætactas Georgij rationes.

COROLLARIUM.

INfertur. Georgi rationes 19. & 29. ſupra *cap.* 1. obiter tantùm attactas, 44
ſtare omninò in ſuo vigore, utpote à Vedroſio nullibi ſolutas, ſpeciatim argumentum *cit. cap.* 1. *n.* 3. ex eodem Georgio à me formatum ſubſiſtere omninò firmum & inſolutum. Unde adhuc ita licere argumentari. Nemo prudenter amplectitur illam Eccleſiam, de quâ nulla extant credibilitatis prudentialis argumenta, quibus oſtendatur, ita ſtare in veritate, ut in fidei fundamentis non aberret. At Vedroſius *ſupra* fatetur, ſuam Reformatam Eccleſiam nullis niti argumentis, quibus oſtendatur eſſe immunis ab erroribus circà ipſa etiam fundamenta. Nemo igitur prudenter amplecti poteſt talem Eccleſiam, utpote à gratiæ Divinæ Veritatem infallibiliter edocentis aſſiſtentiâ ſe alienam profitentem.

SECTIO IV.

An, & quænam ſint veræ Eccleſiæ notæ?

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij.

HIc author *ſuæ Facis Rat.* 3. *à n.* 60. refert ex Scharpio *to.* 2. *Curſ.* 1.
Theolog. contr. 4. *de notis Eccleſ. q.* 5. Wollebio *compend. Theolog. lib.* 1. *cap* 25. Calvino *inſtit. lib.* 4. *cap.* 1. *ſect.* 9. Eccleſiæ veræ viſibilis notas eſſe tum Verbi ſinceram ſeu puram prædicationem, tum legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, tum diſciplinæ rectam adminiſtrationem. Ex quibus proinde Georgius *citatus* ſic argumentatur. Pura 2.
Verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio ſunt notæ veræ Eccleſiæ. At Vetus, cui Auguſtinus, alijque Patres ſe accenſebant, Eccleſia erat vera. Oportuit ergo, in hac fuiſſe puram Verbi Dei prædicationem, & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem. At Ec-

cleſia Reformatâ hodiè improbat illas Ceremonias & ritus, ſub quibus (uti Georgius *cit. Rat. 3. à n. 15.* probat) Patres teſtantur in Veteri Eccleſiâ fuiſſe collatum Baptiſmum. Ergo Eccleſia Reformata improbat Sacramentorum adminiſtrationem eo ipſo legitimam, quòd apud veram Veterem Eccleſiam fuerit in uſu. At nequit puritas doctrinæ in illâ Eccleſiâ ſubſiſtere, quæ improbat legitimam à verâ Eccleſiâ uſurpatam Sacramentorum adminiſtrationem. Viderit ergo Eccleſia Reformata, an habeat notas veræ Eccleſiæ?

3. Idem auctor *Rat. 18.* ex Breitingero *opuſc. de ſect. pag. 19.* veræ Eccleſiæ notam ponit tum in eo, ut credatur id, quod credidêre Veteres primæ Eccleſiæ; tum in eo, ut longè recedatur ab omnibus ijs ſectis, quæ rejectæ fuêre ab illis primis Eccleſijs; tum denique in eo, ut nemo vel minimum ſibi imaginetur, quod ſacræ Scripturæ & antiquiſſimæ fidei, ſacris Concilijs (Nicæno, Conſtantipolitano, Epheſino & Chalcedonenſi)

4. quomodolibet repugnet. Ex quo Georgius *à n. 2.* ſic argumentatur. Non eſt vera Eccleſia, quæ recedit à doctrinâ Veterum præſertim Conciliorum, ac vergit ad doctrinas ſectarum à Veteri Eccleſiâ rejectarum. At Eccleſiam Reformatam receſſiſſe à doctrinâ Veterum, ac Nicæni præſertim Concilij, conſtat ex dictis *ſupra diſſert. 2. ſect. 3. cap. 3.* Eam inſuper amplecti doctrinas ſectarum à Veteri Eccleſiâ rejectarum, patet ex dictis *ead. diſſert. 2. ſect. 1. cap. 3.* Quomodò igitur erit vera Eccleſia?

5. Author præallegatus *Rat. 34.* ex Breitingero *cit. opuſc. de ſect. pag. 27. Bal. Verſ.* advertit, hunc Eccleſiæ Tigurinæ primarium Miniſtrum docuiſſe, quòd Catholici nomen ſit primum ſanctæ Eccleſiæ nomen, ex quo diſ-

6. cernenda ſit vera Eccleſia ab adulterinis & falſis Eccleſijs. Ex quo Georgius ita argumentatur. Catholici nomen ita eſt primum ſanctæ Eccleſiæ nomen, ut ſit veræ Eccleſiæ à falſis diſtinctivum. At Breitingerus *loc. cit.* fatetur, iſtud nomen Catholici eſſe penes Romanam, non verò Reformatam Eccleſiam. Quomodò igitur Eccleſia Reformata gaudet veræ Eccleſiæ notâ?

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

7. HIc Reformatus Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 3.* arguit 1. Georgium triginta ſex ſuæ converſionis rationes ceu veræ Eccleſiæ notas enumerando, nimis eſſe profuſum. Horantium enim unicam, Catechiſmum Romanum & Caniſianum duas, Stapletonium tres, Coſterum & Tirinum quatuor, Ieſuitas Poſnanienſes ſeptem, Medinam unde-

cim 2.

Digitized by Google

eim, Piſtorium duodecim, Bellarminum quindecim conſtituiſſe notas Eccleſiæ. Georgium verò ultrà duplum liberaliorem ſingulari & inaudito delectu enumerare triginta ſex Eccleſiæ notas.

Arguit 2. Equorſum rei ſemper, ubique, & omnibus viſibilem, qualem veram, & nominatim Romanam Eccleſiam fingant, tanto conatu conquirere notas? Notam eſſe rei latentis & occultæ argumentum, neque rei conſpicuæ notam tribui poſſe. Solem omnibus conſpicuum non indigere notis. 8.

Idem Miniſter *in proœmio ſuæ Antiquitatis* graviter conqueſtus contra Georgium, arguit 3. Breitingero falsò imponi, quaſi docuerit, primam Eccleſiæ notam eſſe nomen Catholicum. Neminem enim ſanum ſomniâſſe unquam, quòd nomen rei inditum æquipolleat cum ejuſmodi notâ eſſentiali & propriâ. Neminem ignorare, quòd nomina ſpecioſiſſima pro hominum arbitrio rebus & perſonis ſæpè tribuantur indigniſſimis. 9.

Arguit 4. Nullis fidiculis ex Breitingeri verbis hanc extorquendam fore ſententiam; quòd ex Catholici nomine vera à falsâ ſemper ſit diſcernenda Eccleſia. Breitingerum doctrinæ Catholiciſmum unicè urgere, & juxta Georgium ſic dicere: *Utinam illi, qui hodie appellantur Catholici, tales eſſent per doctrinam, qualis fuerat Chriſtiana Eccleſia ante duodecim adhuc, vel tredecim ſæcula! O quàm citò vellemus admittere, quòd nomen Catholici ſufficiens planè eſſet argumentum, nos ad illam Eccleſiam aggregandi*: Quid ni enim, ſi de doctrinâ conſtaret, nominis eadem dignitas, valor idem, qui in primitivâ Eccleſiâ eſſet? 10.

Arguit 5. Vocem Catholicæ non reperiri in Scripturâ ſacrâ, à Doctoribus autem primitivæ Eccleſiæ poſtquàm Eccleſia per Evangelij prædicationem per totum orbem diſperſa fuit, uſurpatam fuiſſe vocem Eccleſiæ Catholicæ ſeu vniverſalis, ut denotaretur inprimis, Eccleſia Catholica reſpectu omnium temporum à condito mundo uſque ad conſummationem ſæculorum; nec non reſpectu omnium locorum, cujus pars in cælo triumphet, pars toto orbe diffuſa, id eſt, nulli certo loco alligata militet: denique reſpectu omnium hominum, ceu quæ ex omnium hominum genere colligatur, nullâ habitâ perſonarum, aut gentium diſtinctione. At nomen *Catholici* hac ratione ſumptum Eccleſiæ Romanæ nullo modo quadrare, cùm non ſit omnium temporum, locorum, & hominum. 11.

Arguit 6. Vocem *Catholica* à Doctoribus primæ Eccleſiæ quoque uſurpari ad denotandam eam frequentiam hominum, quæ per totum orbem terrarum, ſed uno tantum tempore fidem Chriſti profitebatur. Quomodò Eccleſiam novi Teſtamenti Catholicam dici reſpectu Veteris, quæ 12.

primùm

primum in gente Sethi, poſt in Semi & Abrahami, tandem in Iſraelitarum Republicâ ſubſtiterit. At nec iſto modo Eccleſiæ Romanæ nomen Catholici quadrare, cùm nec hâc ipsâ ætate (ut nec ullo antehac) omnes fideles toto orbe diſperſos ſub ſe complectatur.

13. Arguit 7. Præcipuè ſpectandum eſſe Catholiciſmum doctrinæ, quo *Catholicum* ſumatur pro eo, quod convenit cum fide & doctrinâ Eccleſiæ Catholicæ ſeu Orthodoxæ. Quo ſenſu Cyrillum Hieroſolymitanum *Cath. 18.* aſſerere: *Eccleſiam Catholicam vocari, quia doceat Catholicè, & ſinè ullo defectu, omnia dogmata, quæ deberent venire in cognitionem.* At Eccleſiam Romanam in Catholicâ fide non habere multum commercij.

14. Arguit 8. Si porrò lubeat nucleo neglecto, putamina, id eſt nomen inane crepare, non invidere ſe, ſed gratulari ſibi de fide Catholicâ, in Eccleſiâ Dei ubique & ſemper receptâ, & Chriſtianorum Epitheto longè antiquiſſimo. Nec moveri, uti Salvianus *de gubern. lib. 5.* affirmet, etſi in tantum ſe hæretici Catholicos eſſe judicent, ut Orthodoxos titulo hæreticæ appellationis infament &c. Simonem magum vocatum eſſe *Virtutem Dei magnam*, qui tamen erat diaboli mancipium, *nomen non prodeſſe, ubi res non invenitur.* Ex Sancto Auguſtino.

15. Arguit 9. Sicut nomine *Catholico* mundum faſcinare, ita eidem antiquitatis fuco à Româ Ethnicâ mutuato imponere ſatagere Veteratores Romaniſtas *Symmachum Ethnicum hiſce olim Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium eſſe affatum. Si longa ætas authoritatem Religionibus faciat, ſervanda eſt tot ſæculis fides noſtra*, & ſequendi ſunt majores noſtri, qui ſecuti ſunt fæliciter ſuos &c.

16. Arguit 10. Antiquitatem *ſimpliciter* conſideratam, Veritatis notam non eſſe. Eſſe accidens multis commune, neque ſemper Eccleſiæ potuiſſe convenire. Nè tamen bonam cauſam prodere videatur, pergit Vedroſius, quærendo, an Deus ſit novus? Chriſtus num novus? Novanè Scriptura? Novinè ſint Prophetæ & Apoſtoli, quibus Reformatio ſua adhæreſcat? Quinimò ſuam eſſe antiquitatem, ſuos eſſe fontes limpidos. Pontificiorum verò rivulos lutulentos, turbatos. Favere fortaſſis Romæ, quæ octo, novemque ab hinc ſæculis ſuperſtitio, barbaries, ignorantia, & dominandi induxerit libido. Suas origines eſſe Dominicas & Apoſtolicas. Suum eſſe Antiquum illum dierum, adeòque primam ſecum facere antiquitatem. Non igitur eſſe, cur de poſterioribus ſoliciti ſint. Hìc illud Hebræorum habere locum: *Melior fuit unguis priorum, quàm venter poſteriorum.* Certè quod in Republicâ præviderit Daniel, ut aurea & argen-

Digitized by Google

rea ſæcu'a cederent, ferrea & teſtacea ſequerentur, id ipſum in Eccleſiâ evenire.

CAPUT III.

Oſtenditur, certas eſſe veræ Eccleſiæ notas, quibus à falſis diſcernatur.

EXplicatur. Nam ut prudenter quis ſe adjungat Eccleſiæ, oportet, 17.
habere de eâ prudentialem credibilitatis evidentiam. Hæc autem credibilitatis evidentia diverſimodè formatur pro diverſitate argumentorum, quæ ex Spiritûs Sancti vocatione variis modis penetrant ad cor illius, qui vocatur ad veram Eccleſiam. Sic enim Georgius Rhætus partim ex Reformatorum Doctorum pugnâ continuâ inter ſe & cum Conciliis antiquis, nec non cum Patribus primitivæ Eccleſiæ; partim ex eorundem cum damnatis hæreſibus conformitate, partim ex Romanæ Eccleſiæ ad Primitivam Eccleſiam harmoniâ deſumpſit triginta ſex ſuæ ad Romanam Eccleſiam converſionis rationes, quas eo ipſo vocare potuit veræ Eccleſiæ notas, quòd hujus inde haberet prudentialem credibilitatis evidentiam. Verùm hiſce, quæ pro ſpeciali alicujus vocatione ad 18.
veram Eccleſiam prudenter amplectendam inſervire poſſunt, argumentis miſſis, aliquas magis univerſales omnibus obvias Eccleſiæ veræ notas hic placuit diſcutere, de quibus Sanctus Auguſtinus *lib. cont. epiſt. fundament. cap. 4.* ſic ait: *Multa ſunt, quæ in Eccleſiæ gremio me juſtiſſimè tenent. Tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine causâ inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut, cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo & tot Chriſtiani nominis chariſſima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholicâ Eccleſiâ, etiamſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum nondum ſe aperliſſimè oſtendat. Apud vos autem, ubi nihil horum eſt, quod me invitet ac teneat, ſola perſonat Veritatis pollicitatio.* Ex quibus manifeſtum eſt, quatuor à Sancto 19.
Auguſtino hîc aſſignari argumenta, prudentialem credibilitatis evidentiam fundantia, quibus juſtiſſimè teneretur in Eccleſiâ, nempè conſenſionẽ populorum, authoritatem vetuſtate firmatam, ſucceſſionem Pontificum à Petro Apoſtolo ad ſua uſque tempora; denique ſpecialem Dei pro-

providentiam in nomine *Catholici* ſoli Eccleſiæ Romanæ appropriando. Quæ proinde eo fine breviter diſcutienda cenſui, ut vel hinc appareat, an Reformata, vel Romana potiùs Eccleſia potiatur illis prudentialibus credibilitatis argumentis, ceu notis veræ Eccleſiæ oſtenſivis.

Probatio prima. Petita ex conſenſione populorum ſe tenente in Eccleſiâ Romanâ, non autem Reformatâ.

20. HÆc enim conſenſio eſt duplex, altera inter ipſoſmet populos, altera populorum cum Capite. De hac poſteriore, quæ prioris eſt radix, Sanctus Irenæus *lib. 4. epiſt. 8.* de Cathedra Romanâ Pontificis loquens: *Scimus*, inquit, *hortatos nos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ Matricem & radicem agnoſcerent & tenerent.* Divus Ambroſius *in Orat. de obitu* Satyri: *Rogavit*, ait, *ſi cum Epiſcopis Catholicis, id eſt, ſi cum Eccleſiâ Romanâ conſentiret.* Sanctus Hieronymus *in Epiſt. ad Damaſum de hypoſtaſis nomine*: *Hic*, inquit, *in tres partes ſciſſa Eccleſia, me ad ſe rapere feſtinat, ego interim clamito; ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Divus Auguſtinus *in epiſt.* 162. loquens de Cæciliano Epiſcopo: *Qui*, inquit, *poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret Romanæ Eccleſiæ, in quâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, per communicatorias litteras eſſe conjunctum.* Vides igitur Vedroſi, Sanctos Eccleſiæ Do-
21. ctores ſemper reſpexiſſe ad populorum cum Romanâ Eccleſiâ conſenſionem, ceu notam veræ Eccleſiæ oſtenſivam. At ſuper iſtâ conſenſione fundatur etiam conſenſio populorum inter ſe. Eo ipſo enim, quòd ſecundùm fidei dogmata conſentiant cum Capite, oportet, etiam convenire inter ſe. Econtra verò in Eccleſijs ab Eccleſiâ Romanâ ſciſſis perpetua viget in ipſis etiam fidei articulis diſſenſio. Notum enim eſt ex hiſto-
22. rijs omnium ſæculorum, qualiter hæretici vix enati in diverſas mox ſectas fuerint diviſi, veluti de Simonianis Sanctus Irenæus *lib. 1. cap. 21.* de Donatiſtis Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Bapt. cap. 6.* de Marcionitis Epiphanius *lib. 1. to. 3. cont hæreſ.* de Manichæis Auguſtinus *lib. de hæreſ. cap. 46.* de Arianis Ruffinus *lib. 10. hiſtor. cap. 25.* & Sanctus Hilarius in utroque libro ad Conſtantium teſtantur. Et verò notum eſt, in quot ſectas Lutheraniſmus vix exortus fuerit diſciſſus, Staphylo in *libello de concordiâ diſcipulorum*
23. *Lutheri*, ſuis jam temporibus enumerante triginta, Bellarmino autem *lib. 4. de notis Eccleſ. cap.* 10. ad centum ferè ſectas Lutheranorum. Licet porrò ex dictis ſupra *differt. 2. ſec. 2. c. 1.* videre, quot diſſenſionibus ſubjaceant, qui ſe hodie Reformatos dici volunt. Credendumne igitur, cum talibus Eccleſijs, quæ ubi à Capite diſciſſæ ſunt, tot inter ſe diſſenſionibus dilaniantur, ſtare Deum, de quo 1. *Corinth*, 14. v. 33. dicitur: *Non eſt diſſenſionis Deus, ſed*

ſed pacis. Certè concordiam eſſe ſignum regni Dei, quod in æternum ſtabit, diſcordiam verò regni diabolici, quod tandem corruet, apertè ſignificavit Chriſtus *Matth. 12.* Viderint ergo Reformati, nè, dum fictam pacem identidem, ſed irrito conatu quærentes, nolint ſuam de aliquibus, circa ipſam etiam Cœnam fidei articulis diſſenſionem extinctam, de ſuâ Reformatione meritò audiant illud Chriſti Domini: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur.*

Probatio ſecunda, deſumpta ex authoritate per vetuſtatem firmatâ.

NAm antiquitatem doctrinæ in Eccleſiâ Chriſti continuatæ pro ſingulari Veritatis Divinæ argumento ſemper dicebant Sancti Patres cum Sancto Auguſtino *ſuperiùs* adducto. Unde à contrario doctrinæ novitatem pro certâ falſitatis notâ tenebant, prout videre eſt apud Optatum *lib. 2. contra Parmenianum.* Hilarium *lib. 6. de Trinitate ante medium.* Hieronymum *in Epiſt. ad Pammachium, & lib. contra Luciferianos.* Hinc Tertullianus quoquè ad confundendos hæreticos ex neſcio quibus latebris exortos ſic eos alloquitur *lib. de præſcript. Qui eſtis vos? unde, & quando veniſtis? ubi tamdiu latuiſtis?* Et verò antiquitatem doctrinæ inter tot perſecutionum procellas illibatè ſtantis præſeferre ſingulare Providentiæ Divinæ argumentum, conſtat etiam ex illo *Act. 5. Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere.* Atqui Reformatæ Eccleſiæ nullatenùs favere doctrinæ antiquitatem, facilè demonſtratur ex Calvino, qui in *ſuâ inſtitutione paſſim* fatetur, ſe repugnare antiquitati, veluti patet *ex lib. 2. cap. 2. §. 4. & §. 8. item cap. 3. §. 7. & lib. 3. cap. 11. §. 15. Item lib. 2. cap. 14. §. 3. & cap. 16. §. 6. Item lib. 3. cap. 3. §. 10. & cap. 4. §. 38. Item cap. 5. §. 10. & cap 15. §. 2. Item lib. 4. cap. 4. §. 10. & cap. 12. §. 8. item §. 20. & §. 23. Item cap. 15. §. 20. & cap. 18. §. 21.* 24.

In quibus adeò locis circà liberum arbitrium, cooperationem gratiæ, Perſonam Mediatoris, lymbum Patrum, concupiſcentiam carnis, ſatisfactionem, orationes pro Defunctis, meritum, cælibatum ſacerdotum, ieiunium quadrageſimale, miniſtrum Baptiſmi in neceſſitate, Calvinus expreſsè fatetur, ſibi repugnare antiquitatem. Imò verò Centuriatores in ſuis centurijs eatenùs profitentur ſibi repugnantes Patres circa dogmata, in quibus Reformatio hodierna pugnat cum Romanâ Eccleſiâ, ut ea vocitent nævos Patrum. Ipſemet igitur Vedroſius ex Reformatoribus ſuis iudicet, an authoritas vetuſtate firmata ſuæ Reformationi, vel Romanæ potiùs Eccleſiæ faveat? 25.

providentiam in nomine *Catholici* ſoli Eccleſiæ Romanæ appropriando. Quæ proinde eo fine breviter diſcutienda cenſui, ut vel hinc appareat, an Reformata, vel Romana potiùs Eccleſia potiatur illis prudentialibus credibilitatis argumentis, ceu notis veræ Eccleſiæ oſtenſivis.

Probatio prima. Petita ex conſenſione populorum ſe tenente in Eccleſiâ Romanâ, non autem Reformatâ.

20. HÆc enim conſenſio eſt duplex, altera inter ipſoſmet populos, altera populorum cum Capite. De hac poſteriore, quæ prioris eſt radix, Sanctus Irenæus *lib. 4. epiſt. 8.* de Cathedra Romanâ Pontificis loquens: *Scimus*, inquit, *hortatos nos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ Matricem & radicem agnoſcerent & tenerent.* Divus Ambroſius *in Orat. de obitu* Satyri: *Rogavit*, ait, *ſi cum Epiſcopis Catholicis, id eſt, ſi cum Eccleſiâ Romanâ conſentiret.* Sanctus Hieronymus *in Epiſt. ad Damaſum de hypoſtaſis nomine*: *Hîc*, inquit, *in tres partes ſciſſa Eccleſia, me ad ſe rapere feſtinat, ego interim clamito; ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Divus Auguſtinus *in epiſt.* 162. loquens de Cæciliano Epiſcopo: *Qui*, inquit, *poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret Romanæ Eccleſiæ, in quâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, per communicatorias litteras eſſe conjunctum.*

21. Vides igitur Vedroſi, Sanctos Eccleſiæ Doctores ſemper reſpexiſſe ad populorum cum Romanâ Eccleſiâ conſenſionem, ceu notam veræ Eccleſiæ oſtenſivam. At ſuper iſtâ conſenſione fundatur etiam conſenſio populorum inter ſe. Eo ipſo enim, quòd ſecundùm fidei dogmata conſentiant cum Capite, oportet, etiam convenire inter ſe. Econtra verò in Eccleſiis ab Eccleſiâ Romanâ ſciſſis perpetua viget in ipſis etiam fidei articulis diſſenſio.

22. Notum enim eſt ex hiſtoriis omnium ſæculorum, qualiter hæretici vix enati in diverſas mox ſectas fuerint diviſi, veluti de Simonianis Sanctus Irenæus *lib. 1. cap. 21.* de Donatiſtis Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Bapt. cap. 6.* de Marcionitis Epiphanius *lib. 1. to. 3. cont hæreſ.* de Manichæis Auguſtinus *lib. de hæreſ. cap. 46.* de Arianis Ruffinus *lib. 10. hiſtor. cap. 25.* & Sanctus Hilarius in utroque libro ad Conſtantium teſtantur. Et verò notum eſt, in quot ſectas Lutheraniſmus vix exortus fuerit diſciſſus, Staphylo in *libello de concordiâ diſcipulorum*

23. *Lutheri*, ſuis jam temporibus enumerante triginta, Bellarmino autem *lib. 4. de notis Eccleſ. cap.* 10. ad centum ferè ſectas Lutheranorum. Licet porrò ex dictis ſupra *diſſert. 2. ſec. 2. c. 1.* videre, quot diſſenſionibus ſubjaceant, qui ſe hodie Reformatos dici volunt. Credendumne igitur, cum talibus Eccleſiis, quæ ubi à Capite diſciſſæ ſunt, tot inter ſe diſſenſionibus dilaniantur, ſtare Deum, de quo 1. *Corinth. 14. v. 33.* dicitur: *Non eſt diſſenſionis Deus,*

ſed

ſed pacis. Certè concordiam eſſe ſignum regni Dei, quod in æternum ſtabit, diſcordiam verò regni diabolici, quod tandem corruet, apertè ſignificavit Chriſtus *Math. 12.* Viderint ergo Reformati, nè, dum fictam pacem identidem, ſed irrito conatu quærentes, nolint ſuam de aliquibus, circa ipſam etiam Cœnam fidei articulis diſſenſionem extinctam, de ſuâ Reformatione meritò audiant illud Chriſti Domini: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur.*

Probatio ſecunda, deſumpta ex authoritate per vetuſtatem firmatâ.

NAm antiquitatem doctrinæ in Eccleſiâ Chriſti continuatæ pro ſingulari Veritatis Divinæ argumento ſemper dicebant Sancti Patres cum 24.
Sancto Auguſtino *ſuperiùs* adducto. Unde à contrario doctrinæ novitatem pro certâ falſitatis notâ tenebant, prout videre eſt apud Optatum *lib. 2. contra Parmenianum.* Hilarium *lib. 6. de Trinitate ante medium.* Hieronymum *in Epiſt. ad Pammachium, & lib. contra Luciferianos.* Hinc Tertullianus quoquè ad confundendos hæretiocs ex neſcio quibus latebris exortos ſic eos alloquitur *lib. de præſcript. Qui eſtis vos? unde, & quando veniſtis? ubi tamdiu latuiſtis?* Et verò antiquitatem doctrinæ inter tot perſecutionum procellas illibatè ſtantis præſeferre ſingulare Providentiæ Divinæ argumentum, conſtat etiam ex illo *Act. 5. Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere.* Atqui Reformatæ Eccleſiæ nullatenùs favere doctrinæ antiquitatem, facilè demonſtratur ex Calvino, qui in *ſuâ inſtitutione paſſim* fatetur, ſe repugnare antiquitati, veluti patet *ex lib. 2. cap. 2. §. 4. & §. 8. item cap. 3. §. 7. & lib. 3. cap. 11. §. 15. Item lib. 2. cap. 14. §. 3. & cap. 16. §. 6. Item lib. 3. cap. 3. §. 10. & cap. 4. §. 38. Item cap. 5. §. 10. & cap 15. §. 2. Item lib. 4. cap. 4. §. 10. & cap. 12. §. 8. item §. 20. & §. 23. Item cap. 15. §. 20. & cap. 18. §. 21.* In quibus adeò locis circà liberum arbitrium, cooperationem gratiæ, Perſonam Mediatoris, lymbum Patrum, concupiſcentiam carnis, ſatisfa- 25.
ctionem, orationes pro Defunctis, meritum, cælibatum ſacerdotum, ieiunium quadrageſimale, miniſtrum Baptiſmi in neceſſitate, Calvinus expreſsè fatetur, ſibi repugnare antiquitatem. Imò verò Centuriatores in ſuis centurijs eatenùs profitentur ſibi repugnantes Patres circa dogmata, in quibus Reformatio hodierna pugnat cum Romanâ Eccleſiâ, ut ea vocitent nævos Patrum. Ipſemet igitur Vedroſius ex Reformatoribus ſuis iudicet, an authoritas vetuſtate firmata ſuæ Reformationi, vel Romanæ potiùs Eccleſiæ faveat?

Probatio tertia, deſumpta ex ſucceſſione Romanorum Pontificum à Petro Apoſtolo ad noſtra uſque tempora.

26. PAtribus antiquis familiarem fuiſſe hanc Eccleſiæ veræ notam, patet ex Irenæo *lib. 3. cap. 3.* Tertulliano *in lib. de præſcript.* Epiphanio *hæreſi 27.* Optato Milevitano *lib. 2. contra Parmenian.* Auguſtino *in epiſt. 165. ad Generoſ. & in Pſal. contra partem Donati, & cit. cap. 4. cont. epiſt. fundamen.* Hieronymo *contra Luciferianos circà finem.* Quam equidem Pontificum Romanorum ſucceſſionem Sanctus Auguſtinus *cit. epiſt. 165.* ita enumerat, ut tandem ſubjungat: *In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur.* At verò Alſtedius *Chronol. cap. 24.* à Petro uſque ad Urbanum VIII. contexuit ſucceſſionem Romanorum Pontificum. Nonnè autem ad exemplum Sancti Auguſtini Reformatis obijci jam poſſet: *In hoc ſucceſſionis ordine nullum Reformatæ Religionis Epiſcopum inveniri?* Succeſſio igitur Pontificum nimis clarè à Patribus cenſetur inter notas veræ Eccleſiæ. At nimis clarum eſt, hanc notam procul eſſe à tuâ Reformatâ Eccleſiâ. Si ergo Divum Auguſtinum in Eccleſiâ juſtiſſimè tenuit Epiſcopalium ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli Sacerdotum ſucceſſio, tu ipſe videris, an Eccleſiam veram teneas, in quâ talis ſucceſſio nullatenùs habet locum.

Probatio quarta, petita ex nomine Catholici.

27. ILlud enim nomen, quod eſt expreſſivum Divini Eccleſiam repromittentis Teſtamenti, ita in re eſt proprium veræ Eccleſiæ, ut ſingulari Dei Providentiæ ſit adſcribendum, hæreticos, quantumvis id ſibi arrogârint, prævalere non potuiſſe in illo nomine ſuis Eccleſijs attribuendo. Atqui Sanctus Auguſtinus *lib. de Unit. Eccleſiæ* probat ex ſacris Litteris, vi Divini Eccleſiam repromittentis Teſtamenti oportuiſſe, Eccleſiam eſſe in omnes gentes diffuſam, & conſpicuam ſeu viſibilem, non verò in angulis incognitis latitantem. Hoc ipſum verò indicatur per nomen *Catholici,* Divo Auguſtino *epiſt. 170. ad Donatiſtas* ſic diſſerente: *Ipſa enim Eccleſia Catholica, quòd per totum terrarum orbem diffunditur, hanc ignorare nemini licet, ideò ſe-*
28. *cundùm Verbum Domini, abſcondi non poteſt.* Quia ergo iſtud nomen eſt Divini Eccleſiam repromittentis Teſtamenti apertiſſimè expreſſivum, non abſque ſingulari Dei Providentiâ factum eſt, tale nomen ita manere proprium Eccleſiæ Romanæ, ut hæretici quantumvis pro eo ſibi arrogandò nitantur, prævalere non potuerint. At hæc ipſa Providentia Divina eſt argumentum veritatis in Eccleſiâ Romanâ prævalentis, ita ut Deus per hoc indicaret, ſe nolle Eccleſiæ quà Catholicæ Veritatem disjunctam à nomi-

Digitized by Google

nomine talis veritatis expreſſivo. Si ergo hoc nomen *Catholici* ex ſpeciali Divinâ Providentiâ Eccleſiæ Romanæ præſervatum, tenuit Sanctum Auguſtinum in Eccleſiâ, quomodò Vedroſi ſubſiſtere poterit in tuâ Reformatione, quæ ita latitavit ultrà mille annos, ut vel ex hoc ſolo probetur, non eſſe Catholica?

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Eccleſiæ notam nihil aliud eſſe, quàm argumentum 29
fundans prudentialem de verâ Eccleſiâ credibilitatem. At argumenta ejuſmodi variè excitari à Spiritu Sancto, nec in hiſcè prudentialis credibilitatis rationibus arctari gratiam Dei, ex diverſimodis motivis ad fidem vocantis electos. Non igitur eſſe, cur Vedroſius miretur, ab uno plures, ab alio pauciores, ab ipſo verò Georgio triginta ſuæ converſionis rationes ſeu veræ Eccleſiæ notas, ac prudentialis credibilitatis fundamenta exponi.

Ad *ſecundam* Reſp. Si Eccleſia in ſe immediatè, vel in principijs per 30
ſe notis eſſet conſpicua, tunc omninò ſuperfluè conquirendas fore veræ Eccleſiæ notas. At eo ipſo, quòd Eccleſiam non æquè ac ſolem videamus, ſed credamus, nec adeò ſit viſibilis, niſi ſecundùm quandam prudentialem credibilitatis evidentiam, oportere, ut aliqua ejus ſint argumenta ſeu notæ, ex quibus formari poſſit talis credibilitatis prudentiale judicium, nè temeritatis arguamur ad inſtar illorum, qui manent in Eccleſiâ Reformatâ, cujus tamen nullas notas ſeu credibilitatis prudentialis rationes reddi poſſe contendunt, eò vel maximè, quòd fateri cogantur, ſe tutos non eſſe, an fortè in ipſis etiam fundamentis aberrent.

Ad *tertiam* Reſp. Georgium non impoſuiſſe Breitingero, ſed hujus 31
verba fideliter retuliſſe, quibus *cit. Opuſc. de ſect. pag. 27. Ital. verſ.* aſſeruit, Catholici nomen eſſe primum ſanctæ Eccleſiæ nomen, ex quo diſcernenda ſit vera Eccleſia ab adulterinis, & falſis Eccleſijs. At ſine ſpeciali Providentiâ factum non eſt, nomen quoad rei per ipſum expreſſæ veritatem in ipſis Divinis promiſſionibus fundatum, ita proprium remanere ſanctæ Eccleſiæ, ut exinde diſcerneretur ad adulterinis Eccleſijs. Cùm igitur Reformata Eccleſia in hoc *Catholici* nomine ſibi arrogando prævalere non potuerit, oportet, ipſam ex Divinæ providentiæ judicio excludi ab illo nomine, quo diſcerni poſſet ab adulterinis Eccleſijs. Quamvis proinde ex puri nominis appellatione, ſi ex hominum præciſâ impoſitione dependeat, veritas rei

Digitized by Google

non ſtatim probetur, attamen quia nominis *Catholici* veritatem ipſo Divino Teſtamento repromiſſam ſignificantis conſervatio in ſanctâ Eccleſiâ dignoſcitur, ex ſingulari Dei Providentiâ promanâſſe, non immeritò exinde veritatis argumentum deſumpſit Sanctus Auguſtinus.

32. Ad *quartam* Reſp. Vedroſi, quantumvis torqueas Breitingerum tuum, convinceris tamen ex hujus apertis verbis, quòd nomen Catholici ſit veræ Eccleſiæ à falsâ diſtinctivum. Et nè huic Reformato Doctori nimis deferatur, ipſemet Sanctus Auguſtinus *cit. cap. 4. contra epiſt. fundament.* claris verbis aſſeruit, illud nomen eſſe argumentum, quo juſtiſſimè tenebatur in Eccleſiâ. Cùm igitur nec iſtud, nec aliud ab iſto Eccleſiæ Doctore ibi expoſitum fundamentum apud vos reperiatur, utique conveniet tuæ Reformationi, quòd in eâ (abſque credibilitatis nimirum prudentialibus rationibus) ſola perſonet veritatis pollicitatio, uti Auguſtinus *citatus* Manichæis exprobrat.

33. Ad *quintam* Reſp. Eccleſiam veram ſaltem Virtualiter in ſacris Litteris dici *Catholicam*. Nam Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Unit. Eccleſ. cap. 11.* ita loquitur: *Evangelizata eſt nobis Eccleſia per totum orbem terrarum futura, & hoc in Lege, & Prophetis, & Pſalmis eſſe prænunciatum, ipſe Dominus teſtificatus eſt.* At ex hoc dicitur Eccleſia *Catholica*, quòd per totum terrarum orbem ita diffundatur, ut eam ignorare nemini liceat, neque ſecundùm Verbum Domini abſcondi poſſit. *Ex Divo Auguſtino epiſt. 170. ad Donatiſtas.* Quare Patres primitivi Eccleſiam in toto orbe terrarum prædicatam dicendo *Catholicam*, ex ipſiſmet ſacræ Scripturæ fundamentis proceſſerunt. Atqui talem Eccleſiam reſpectu omnium locorum ac temporum, ac univerſarum gentium, univerſalem eſſe Romanam, evincitur ex continuâ à Petro ad noſtra uſque tempora Pontificum Romanorum ſucceſſione, atquè horum in omnes Eccleſias authoritate, nec non populorum cum Eccleſiâ Romanâ conſenſione, veluti hæc omnia ſuperiùs *an. 20.* ſunt demonſtrata. E contrà verò Eccleſiam univerſalem & Catholicam nullatenùs dici poſſe Reformatam, utpotè ultrà mille annos in angulis etiam incognitis latitantem, evincitur argumento Sancti Auguſtini *cit. lib. 1. de Unit. Eccleſ. cap. 12.*

34. Ad *ſextam* Reſp. Sic procedendo. Eccleſia Romana omnes fideles per totum terrarum orbem non uno, ſed univerſo Evangelij per Petrum Romæ prædicati tempore complectitur, ſi cunctis terrarum Eccleſijs & Paſtoribus Catholicis incumbat communio cum Eccleſiâ Romanâ, tanquàm Matrice & radice. Atqui Patres *ſupra n. 20.* allegati, hanc communionem requirunt in omnibus totius orbis Epiſcopis & Eccleſijs. Falsò igitur re-

tur redarguit Vedroſius, quòd Eccleſia Romana ex illo capite nequeat dici Catholica, contranitentibus etiam ipſiſmet Reformatis Doctoribus Bullingero *Decad. 5. ſerm. 1. §. Poſterius. & ſerm. 2. §. Liberè. Item cap. 18. Symph. Pat.* Scharpio *Curſ. Theolog. tit. de Capite Eccleſiæ militantis q. 5. reſp. 1. ad obj. 1. & Curſ. Theolog. tit. de ſac. Script. Cont. 8. cap. de interpret. S. Script. reſp. 1. ad ob. 15.* Sculteto *Medul. Pat. c. 16. Synt. Doct. Athanaſ.* Breitingero *Opuſc. de Sectis pag. 28. Ital. verſ.* Hi enim ſponte fatentur, Eccleſiam Romanam ſeu ejus doctrinam ab Apoſtolorum jam tempore per quinque indè ſæcula in mundo ſicut conſpicuam & illuſtrem, ita Orthodoxam etiam, Catholicam, Apoſtolicam, & à mente Spiritûs ſancti in nullo fidei articulo recedentem, ultrò ideò & illico amplectendam fuiſſe. Quâ igitur fronte Vedroſius contrà ſuorum teſtificationem adeò claram auſus eſt ſcribere, Eccleſiæ Romanæ nullo ante hac tempore quadráſſe nomen Catholici?

Ad *ſeptimam* Reſp. Sic procedendo. Nam Eccleſiæ Reformatæ Doctores *locis proximè* adductis, ac per Georgium *Rat. 1. àn. 7.* ſpecificè poſitis, fatentur, primis quinque ſæculis fuiſſe in Eccleſiâ Romanâ doctrinæ Catholiciſmum. At doctrinam dogmatum in Eccleſiâ Romanâ hodiè retentorũ eſſe veterem, à Patribus primorum quinq; ſæculorum traditâ, modernæ tamen Reformationi repugnantem, patet ex locis Calvini *ſupra cap. 3. n. 24.* allegatis, nec non ex Centuriatoribus Magdeburgicis. Conſequens igitur eſt, doctrinæ Catholiciſmum antiquitati vel maximè convenientem ex ipſorum Reformatorum Doctorum teſtificatione favere Romanæ, non autem Reformata Eccleſiæ. 35.

Ad *octavam* Reſp. Sic argumentando. Non enim agitur de putamine duntaxat, ſeu de nomine inani, ubi quæſtio eſt de argumento per ſingularem Divinæ Providentiæ diſpoſitionem fundante prudentialem de verâ Eccleſiâ credibilitatis rationem. At nomen *Catholici* ex ſpeciali Providentiæ Divinæ diſpoſitione, quantumvis hæretici conarentur id ſibi arrogare, ita fuit præſervatum pro Eccleſiâ Romanâ, ut vel hinc deſumatur prudentiale Veritatis Divinæ argumentum, ex quo Sanctus Auguſtinus *lib. cont. epiſt. fund. cap. 4.* aſſerit, ſe *uſtiſſimè teneri in Eccleſiâ*, ſcilicet Romanâ, quam Sanctus hic Doctor *in epiſt. 162 & alibi* ſæpè profitebatur. Vides igitur Vedroſi, non de putamine hîc agi, ſed de nucleo Veritatis, à quâ te meritò agnoſcas excluſum, quòd illo prudentialis de verâ Eccleſiâ credibilitatis fundamento ſis deſtitutus. 36.

Ad *nonam* Reſp. Vedroſium graviter ſanè hallucinari, quòd Ethniciſmum quoad Antiquitatem contendat præferendum veræ Eccleſiæ. Nam quòd iſta ſit antiquior omnium paganorum conventiculis, demonſtrant 37.

Ter-

Tertullianus *in Apologet. cap. 19. & 20.* Sanctus Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei, cap 37. & 38.* pate què ex eo, quòd Eccleſia vera cum ipſis Angelis & primis parentibus noſtris in ſupernaturali fide, imò & gratiâ concreatis, fuerit exorta, omniquè adeò idololatrico cultu anterior exiſtat. Quòd ſi de ſtatu Eccleſiæ, qui in novo jam Teſtamento viget, ſermo ſit, oportet, ejus mediante Apoſtolica prædicatione fundatæ antiquitatem probare ex fidei dogmatum perpetuâ ac interruptâ continuatione. Atqui hanc non favere Reformatæ, ſed Romanæ potiùs Eccleſiæ, ex ipſomet Calvino probatum eſt *ſupra cap. 3. n. 4.*

38. Ad *decimam* Reſp. Veram Chriſti Eccleſiam à Sancto Auguſtino *lib. de Unit. Eccleſ.* taliter deſcribi, ut per prædicationem Hieroſolymis inceptam, & inde ad gentes univerſas diffuſam oportuerit, illam ea enus eſſe fundatam, ut in nullo tempore Divinæ in Chriſto, ceu Abrahæ ſemine repromiſſæ benedictionis ad omnes gentes ſe diffundentis fieret expers. Hinc autem evinci, quòd antiquitas ex Chriſti verbo per Apoſtolorum prædicationem ſeminato originata, & nunquam interrupta, ſed ſeu per conſpicua ſit veræ Eccleſiæ nota. At iſtâ certè notâ oportet carere Eccleſiam ultra mille annos ita latitantem, ut nè hodiè quidem, ubi ex angulis, neſcitur quibus, prodijt, à fundamentalibus etiam fidei erroribus ſe immunem aſſerere audeat. Vides igitur Vedroſi, antiquitatem, non nudè ſpectatam, ſed quà ex Apoſtolis originatam, & continuâ propagatione & ſucceſſione non tuæ, ſed Romanæ Eccleſiæ favente ſtipatam, eſſe veritatis notam. Sed audiamus ipſum ex eo, quòd neque Chriſtus, nequè Scriptura, neque Prophetæ & Apoſtoli novi ſint, probantem ſuæ Reformationis antiquitatem. At nunquid Vedroſi, hæreſes jam antiquatæ hoc tuo ſanè ridiculo argumento uti quoquè potuiſſent? An ideo favebat ipſis doctrinæ antiquitas? Aliud eſt, Verbum Dei ex ſe antiquum eſſe, imò ſtare in æternum, aliud verò eſt, ejus ſenſum eſſe antiquum, à Spiritu Sancto dictatum, & mediante prædicatione Apoſtolicâ promulgatum, atque Patrum propagatione conſervatum. Certè Scriptura ſacra ab omnibus hæreticis ſolebat jactari, qui tamen hæreſeos convicti ſunt ex pravo ejuſdem ſenſu per proprij judicij inſtinctum invento, ac pertinaciter defenſo. At verò in dogmatibus fidei hodiè controverſis Reformationem tuam minimè convenire cum antiquis, fatentur tui ipſimet Reformatores ſupra *diſſert. 2.* & præſenti *diſſert. ſect. 3. cap. 4.* Deſine ergo inaniter jactare, quid prima ex Antiquo dierum antiquitas cum tuâ Reformatione faciat, ubi tui ipſimet Reformatores ſe à Patrum Orthodoxorum antiquitate per ipſummet Antiquum dierum fundatâ & conſervatâ defeciſſe, coguntur fateri.

39.

C O-

COROLLARIUM.

INfertur: Argumenta Georgij *Rat. 3. à n. 60. Rat. 18. à n. 2. & Rat. 54.* deducta, per nullam prorſus ſolutionem eliſa, omninò integra ſubſiſtere. Quibus ſuperaddi poſſe ſequentem argumentationem. Ingreſſus in Eccleſiam debet eſſe prudens. At prudentiale judicium niti debet argumentis veritatis in hac potiùs, quàm in aliâ Eccleſiâ præfulgentis oſtenſivis. Ejuſmodi verò argumenta ſunt præcipuè illa, quibus Sanctus Auguſtinus dixit, ſe juſtiſſimè teneri in ſuâ Eccleſiâ. Nullum verò iſtorum argumentorum favet Reformatæ Eccleſiæ, imò ea à ſe propellere debent ipſimet Reformati Doctores, uti patet ex *cap. 3.* Viderint ergo Reformati, quomodò prudenter ac tutò manere poſſint in ſuâ Eccleſiâ, quam coguntur fateri, carere omnibus notis, quibus Sanctus Auguſtinus aſſeruit, ſe juſtiſſimè teneri in Eccleſiâ. 40.

SECTIO V.

An Miracula ſint veræ Eccleſiæ notæ?

CAPUT I.

Referuntur Georgij argumenta.

I. HIc author in *ſuâ Face* non quidem ex inſtituto tractat de miraculis, attamen *Rat. 3. n. 147.* infert ex Sancto Auguſtino *Confeſſ. lib. 9. cap. 7.* quædam edita miracula ad corpora SS. Gervaſij & Protaſij. 1.

II. Redingius porrò in ſuis Refutatorijs *Diſſert. 21. n. 2.* adversùs Heideggeri miraculorum deprædicatores Mangonibus comparantis calumnias egit, quærendo, an inter Mangones reputet etiam Sanctum Auguſtinum *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* deſcribentem miracula, quæ ex Reliquijs Sanctorum Gervaſij & Protaſij acciderunt? An non potiori jure Mangonum mentiendi artem callentium formam ambijſſe dicendus ſit Calvinus, dum ad fidem & authoritatem ex falso miraculo ſibi conciliandam, eum, qui ſe mortuum fingebat, ſimulatè reſuſcitare volens, ex vivis ad inferos tranſmiſit? Et quid ſentiat de Luthero, qui dæmoniacum exorciſmis aggreſſus, turpi & ſanè obſcœnâ fugâ ſibi ſalutem quærere coactus fuerit? Hic Redingius *citatus* ait, ſe credere, Zvvinglium ſanè perterritum fuiſſe, ut non æquè ac Lutherus & Calvinus auderet tentare patrationem alicujus 2.

licujus miraculi, ſed contentus fuerit ſuo Spiritu, quem neſciebat, albuſnè eſſet, vel ater, cùm tamen Philippus Melanchton in *cap. 3. Matth.* dicat: *Quando magnæ ſunt tenebræ, vocari novos Doctores, & ſupetaddi à Deo eſſe miſſos.* At verò tenebras fuiſſe circa Reformatam Eccleſiam, evinci ex Breitingero *opuſc. de ſect. Ital. verſ. pag. 38. 39. 41. & 43.* aſſerente, eam ita de medio hominum periiſſe, ut eſſet incognita & abſconſa. Quomodò ergo infert prænominatus auctor: Non erat opus miraculis, ut in lucem produceretur à Zvvinglio, ejuſque ſecta oribus.

4. Idem Redingius *diſſert. 22. n. 4.* convenit Heideggerum, ut ſacros contra miracula à ſe allegatos textus meliùs expendat. Nam *Matth. 24. v. 24.* dici: *Pſeudo-Chriſtos & Pſeudoprophetas daturos ſigna magna & prodigia, ut in errorem inducant.* Et 2. *Theſſalon. 2.* haberi de Antichriſto, *quòd ejus adventus ſit ſecundùm operationem ſathanæ in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs, qui pereant.* Et *Apocal. 13. v. 13.* ubi prophetice dictum fuiſſet de Antichriſto, *feciſſe ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere*, mox ſubjungi: Quòd *ſeduxerit habitantes in terrâ propter ſigna.*
5. Ex quibus adeò patere, ſigna & prodigia Pſeudochriſtorum & Antichriſtorum eſſe in finem ſeductionis ac deceptionis; nec adeò eſſe à Deo, ſed à diabolo: & conſequenter non eſſe vera miracula, ſed tales operationes prodigioſas, quales ſunt in virtute dæmonis mediantibus cauſis naturalibus, applicando activa paſſivis, potentis operari effectus extraordinarios, in ipſis tamen cauſarum naturalium viribus contentos, nec adeò verè ac ſtrictè loquendo miraculoſos, utpote de quorum ratione ſit, ut excedant totius naturæ creatæ virtutem, ſoliuſque Divinæ Omnipoten-
6. tiæ tanquàm Cauſæ principalis ſint effectus. Et hinc neque Lutherum habentem diabolum, velut ipſemet *lib. de Miſſâ angul.* teſtatus ſit, ſibi familiarem, neque Calvinum genij mali, uti de ſe ſcripſit *epiſt. ad Buzerum*, aſſiſtentiam habentem, potuiſſe facere miracula, quanquàm hic teſte Bolſeco in *vitâ Calvini cap. 13.* ille verò teſte Cochlæo *in actis Lutheri Anno 1523.* conatus fuerit vel facere, vel ſimulare miraculum.

7. Et quia Heideggerus in *ſua ſynodalis diſſert. §. 21.* inſtitit, ut à Pontificijs oſtenderetur certa verorum miraculorum regula: idcircò Redingius *diſſert. 23. n. 3.* ipſum reducit ad expendenda illa Chriſti Domini verba *Ioan. 10. v. 37. & 38. Si non facio*, ajentis, *opera Patris mei, nolite credere mihi, ſi autem facio*. Et, *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, quia Pater in me, & ego in Patre.* Hinc enim verorum miraculorum regulam ex eo ſtatui à Chriſto, quòd faceret opera Patris, talia nimirum, quæ Divinitatis eſſent propria, nec adeò cauſarum naturalium viribus, ſed Divinâ duntaxat virtute eſſent

poſſi-

poſſibilia. In quem ſenſum *Ioan. 15.* Chriſtum quoque aſſeruiſſe: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Per hoc innuendo, ex eo opera miraculoſa mereri vim Divinæ atteſtationis, quòd nemo, qui non ſit Deus, ea facere poſſit.

Poſtremò quia Heideggerus *cit. §. 23. arg. 3.* objecerat, miracula in ſignum data eſſe infidelibus, non verò credentibus, ex *1. Corinth. 16. v. 22.* 9.
replicatur à Redingio *diſſert. 24. n. 2.* Miracula eſſe paſſivè quidem data infidelibus, activè tamen non dari (ordinariè) niſi illis, quibus, cùm veram teneant fidem, incumbit, per miracula etiam infideles vocare ad Chriſti fidem. Undè cùm Tigurinis nota ſint Sacelli Einſidlenſis miracula, oportere, ut expenderent, an non ipſis data ſint à Deo, ut ad Majorum ſuorum fidem redirent.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

VEdroſius igitur *in ſui Manualis dedicat.* arguit 1. larvæ antiquita- 10.
tis à Pontificijs jactatæ ſuccedere Mangonium miraculorum, quibus ut merces ſuas Eccleſia Romana magis commendet, credulæ plebi lepidè imponat. Coſterum Ieſuitam *in Enchirid. cap. 2. de Eccleſiâ* quærere ex Reformatis: *Ubi ſunt miracula veſtra?* At ſe quærere viciſſim: Ubi ſunt Ieſuitarum? In Iaponiâ & Chinâ ſcilicet?

Arguit 2. Certè ſi miracula veræ Eccleſiæ & ſanctitatis ſingularis 11.
propria nota ſint, oportere, eam ſemper & ſolam facere, nec ab operarijs iniquitatis idem præſtari. At Chriſto teſte, multos die ultimo dicturos eſſe; *Nonnè per nomen tuum multas virtutes edidimus;* qui tamen audituri ſint: *Certè nunquàm novi vos. Abſcedite à me, qui operam datis iniquitati. Matth. 7. v. 22. & 23.* Unde Maldonatum aſſerere: *Ex hoc ipſo loco facilè colligi, falſos iſtos Prophetas, de quibus loquitur Chriſtus, vera miracula facturos, prophetâſſe, verè dæmonia ejeciſſe &c.*

Arguit 3. Joſephum à Coſtâ *de tempore noviſſimo lib. 2.* affirmare, quòd Antichriſtus non ſolùm ita horribilia ſit patraturus, ut ignem accerſat è 12.
cœlo, nubes, imbreſque repentinos inferat: ſed hæc quoquè alia propria Evangelici, atque Apoſtolici temporis, plena beneficentiæ & dulcedinis ſigna ſit uſurpaturus, ut ſanet ægrotos, ut læſos ſoſpitet, ut paſcat de exiguâ materiâ famelicos, ut pellat ab obſeſſis atroces ſpiritus, cæteraquè Divinæ virtutis adjumenta tanquàm Divinâ authoritate præſtet. Unde patere, quàm rectè rebus ſuis conſulant, qui ad probandam fidei veritatem miracula crepant.

licujus miraculi, ſed contentus fuerit ſuo Spiritu, quem neſciebat, albuſnè eſſet, vel ater, cùm tamen Philippus Melanchton in *cap. 3. Matth.* dicat; *Quando magnæ ſunt tenebræ, vocari novos Doctores, & ſuperaddi à Deo eſſe miſſos.* At verò tenebras fuiſſe circa Reformatam Eccleſiam, evinci ex Breitingero *opuſc. de ſect. Ital. verſ. pag. 38. 39. 41. & 43.* aſſerente, eam ita de medio hominum perijſſe, ut eſſet incognita & abſconſa. Quomodò ergo infert prænominatus auctor: Non erat opus miraculis, ut in lucem produceretur à Zvvinglio, ejuſque ſecta oribus,

4. Idem Redingius *diſſert. 22. n. 4.* convenit Heideggerum, ut ſacros contra miracula à ſe allegatos textus meliùs expendat. Nam *Matth. 24. v. 24.* dici: *Pſeudo-Chriſtos & Pſeudoprophetas daturos ſigna magna & prodigia, ut in errorem inducant.* Et 2. *Theſſalon. 2.* haberi de Antichriſto, *quòd ejus adventus ſit ſecundùm operationem ſathanæ in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs, qui pereant.* Et *Apocal. 13. v. 13.* ubi propheticè dictum fuiſſet de Antichriſto, *feciſſe ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere*, mox ſubjungi: Quòd *ſeduxerit habitantes in terrâ propter ſigna.*

5. Ex quibus adeò patere, ſigna & prodigia Pſeudochriſtorum & Antichriſtorum eſſe in finem ſeductionis ac deceptionis; nec adeò eſſe à Deo, ſed à diabolo: & conſequenter non eſſe vera miracula, ſed tales operationes prodigioſas, quales ſunt in virtute dæmonis mediantibus cauſis naturalibus, applicando activa paſſivis, potentis operari effectus extraordinarios, in ipſis tamen cauſarum naturalium viribus contentos, nec adeò verè ac ſtrictè loquendo miraculoſos, utpote de quorum ratione ſit, ut excedant totius naturæ creatæ virtutem, ſoliuſque Divinæ Omnipotentiæ tanquàm Cauſæ principalis ſint effectus.

6. Et hinc neque Lutherum habentem diabolum, velut ipſemet *lib. de Miſſâ angul.* teſtatus ſit, ſibi familiarem, neque Calvinum genij mali, ùti de ſe ſcripſit *epiſt. ad Buzerum*, aſſiſtentiam habentem, potuiſſe facere miracula, quanquàm hic teſte Bolſeco in *vitâ Calvini cap. 13.* ille verò teſte Cochlæo *in actis Lutheri Anno 1523.* conatus fuerit vel facere, vel ſimulare miraculum.

7. Et quia Heideggerus in *ſuæ ſynodalis diſſert. §. 21.* inſtitit, ut à Pontificijs oſtenderetur certa verorum miraculorum regula: idcircò Redingius *diſſert. 23. n. 3.* ipſum reducit ad expendenda illa Chriſti Domini verba *Ioan. 10. v. 37. & 38. Si non facio*, ajentis, *opera Patris mei, nolite credere mihi, ſi autem facio.* Et, *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, quia Pater in me, & ego in Patre.* Hinc enim verorum miraculorum regulam ex eo ſtatui à Chriſto, quòd faceret opera Patris, talia nimirum, quæ Divinitatis eſſent propria, nec adeò cauſarum naturalium viribus, ſed Divinâ duntaxat virtute eſſent poſſi-

poſſibilia. In quem ſenſum *Ioan. 15.* Chriſtum quoque aſſeruiſſe : *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Per hoc innuendo, ex eo opera miraculoſa mereri vim Divinæ atteſtationis, quòd nemo, qui non ſit Deus, ea facere poſſit.

Poſtremò quia Heideggerus *cit. §. 23. arg. 3.* objecerat, miracula in ſignum data eſſe infidelibus, non verò credentibus, ex *1. Corinth. 16. v. 22.* replicatur à Redingio *diſſert. 24. n. 2.* Miracula eſſe paſſivè quidem data infidelibus, activè tamen non dari (ordinariè) niſi illis, quibus, cùm veram teneant fidem, incumbit, per miracula etiam infideles vocare ad Chriſti fidem. Undè cùm Tigurinis nota ſint Sacelli Einſidlenſis miracula, oportere, ut expenderent, an non ipſis data ſint à Deo, ut ad Majorum ſuorum fidem redirent. 9.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

VEdroſius igitur *in ſui Manualis dedicat.* arguit 1. larvæ antiquitatis à Pontificijs jactatæ ſuccedere Mangonium miraculorum, quibus ut merces ſuas Eccleſia Romana magis commendet, credulæ plebi lepidè imponat. Coſterum Ieſuitam *in Enchirid. cap. 2. de Eccleſiâ* quærere ex Reformatis: *Ubi ſunt miracula veſtra?* At ſe quærere viciſſim: Ubi ſunt Ieſuitarum? In Iaponiâ & Chinâ ſcilicet? 10.

Arguit 2. Certè ſi miracula veræ Eccleſiæ & ſanctitatis ſingularis propria nota ſint, oportere, eam ſemper & ſolam facere, nec ab operarijs iniquitatis idem præſtari. At Chriſto teſte, multos die ultimo dicturos eſſe; *Nonnè per nomen tuum multas virtutes edidimus*; qui tamen audituri ſint: *Certè nunquàm novi vos. Abſcedite à me, qui operam datis iniquitati. Matth. 7. v. 22. & 23.* Unde Maldonatum aſſerere: *Ex hoc ipſo loco facilè colligi, falſos iſtos Prophetas, de quibus loquitur Chriſtus, vera miracula facturos, prophetâſſe, verè dæmonia eieciſſe &c.* 11.

Arguit 3. Joſephum à Coſtâ *de tempore noviſſimo lib. 2.* affirmare, quòd Antichriſtus non ſolùm ita horribilia ſit patraturus, ut ignem accerſat è cœlo, nubes, imbreſque repentinos inferat: ſed hæc quoquè alia propria Evangelici, atque Apoſtolici temporis, plena beneficentiæ & dulcedinis ſigna ſit uſurpaturus, ut ſanet ægrotos, ut læſos ſoſpitet, ut paſcat de exiguâ materiâ famelicos, ut pellat ab obſeſſis atroces ſpiritus, cæteraquè Divinæ virtutis adjumenta tànquàm Divinâ authoritate præſtet. Unde patere, quàm rectè rebus ſuis conſulant, qui ad probandam fidei veritatem miracula crepant. 12.

13. Arguit 4. Veteres contendiſſe, quòd miracula data ſint infidelibus, Chryſoſtomum *in Pſal. 241.* ſic habere: *Quando notitia Dei nondum erat diffuſa, miracula fiebant; nunc ea docendi forma ampliùs non eſt.* Similia habere Eucherium Lugdunenſem in *verba Matth. cap. 18. v. 1.* Didacum Stellam in *Luca cap. 11. v. 29.* & Gregorium Magnum.

14. Arguit 5. Miracula primorum Eccleſiæ Chriſtianæ temporum trophæa, ultimorum tentamina eſſe, & plerumquè prodigia mendacij, Pſeudochriſtorum characteres, adeò cavenda, uti moneat Auguſtinus *de Unitat. Eccleſ. cap. 16.*

15. Arguit 6. Cujus commatis ſint quàmplurima Eccleſiæ Romanæ miracula, audiendum eſſe Melchiorem Canum *locor. comm. lib. 11. cap. 6.* ita diſſerentem: *Non ego libri illius authorem excuſo, qui ſpeculum exemplorum inſcribitur; nec hiſtoria etiam ejus, qui legenda aurea nominatur. In illis enim miraculo-*
16. *rum monſtra ſæpiùs, quàm vera miracula leges.* Addi his poſſunt, quæ Heideggerus in *ſuis Vindicijs n. 27.* conqueritur conficta in publicis Ieſuitarum Coloniæ circa Annum 1664. & 1669 editis novellis. Pergit autem Vedroſius, ſe tacere velle Magdalenam illam de Cruce Nonnam Luſitaniæ: Ioannem illum Valentinum Dominicanum circa Annum 1264. Bononiæ dementantem, & alios ibi nominatos. Lyranum *in Dan.* monere, *quòd aliquando fiat in Eccleſiâ maxima deceptio populi in miraculis fictis à Sacerdotibus, & adhærentibus, propter lucrum temporale.*

17. Arguit 7. Martinum Delrio *diſquiſit Magic. lib. 2. cap. 7.* dicere, hanc illationem eſſe falſam: *Fecit miraculum. Ergo fides ejus eſt vera; cùm Deus poſſit per infideles miraculum operari.* Teſtem eſſe Auguſtinum *lib. 4.* de Veſpaſiano Imperatore recitantem, quòd cæco viſum, & claudo vires ſolo ſuo contactu reſtituerit. De quo Bellarminum *de notis Eccleſ. cap. 14.* dicere, quòd *credibile ſit, totum illorum morbum fuiſſe à diabolo.* Sic Annales Eccleſiaſticos apud Sozomenum *lib. 8. cap. 24.* & Socratem *lib. 7. cap. 17.* referre miracula inter Novatianos hæreticos edita. Andradium in *defenſione Concilij Tridentini lib. 2. fol. 44.* de miraculis ſequiorum temporum dicere: *Falſa profectò eſſe pleraque, infirma etiam Eccleſia vera inducta.* In hac confeſſione animo lubenti ſe acquieſcere, & Apoſtolica miracula, cùm ſuam obſignent doctrinam, ſua dicere; alijs opus non habere, cùm aliam fidem non prædicet.

18. Arguit 8. Paulum 2. *Theſſalonic. 2. v. 9.* monere fideles, ut ſe ad vigilantiam ſpirituum, & miraculorum Diachriſin accingerent: *Venturum enim aliquando eum, qui ſe elaturus ſit adversùs quidquid dicitur Deus; cujus adventus ſit ex efficaciâ ſathanæ, cum omni potentiâ, & ſignis, & prodigijs mendacibus.* Cæte-
19. rùm quia hæc Apoſtoli ſententia & monitio in Lutherum ſpiritu diabolico fa-

Digitized by Google

te familiariter uſum, & in Zwinglium à monitore, quem, an ater, vel albus eſſet, neſciebat, inſtigatum, nec non in Lutherum mendax prodigium fingere, irritè tamen conatum, retorqueri poſſet, uti aliàs à Redingio in ſuis Diſſertationibus Refutatorijs *diſſert. 8. & 12.* factitatum. Ex quo Heideggerus Tigurinus Profeſſor in *ſuis Theologorum Reformatorum Vindicijs* adversùs eum graviter eſt invectus. Idcirco operæ pretium videtur, hîc argutias ipſius attexere.

Hic ergo Tigurinus Doctor *in cit. Vind. à n. 13.* arguit 9. Redingium crambem millies coctam & recoctam denuò apponere, dum ait: *Zvvinglium narrare, anxiè cogitanti ſibi, quomodò verba inſtitutionis Sacramenti corporis Chriſti exponeret, intempeſtâ 13. April. nocte ſpiritum monitorem adfuiſſe, ſed ambigere, utrum ater, vel albus fuerit.* In quo Redingium peſſimâ fide procedere, aſſerendo, Zvvinglium narrare, *ſibi ſpiritum monitorem adfuiſſe*, cùm nequè ſpiritûs, nequè revelationis meminerit, ſed *monitoris* duntaxat. Hoc verbum *ſpiritus* ab illo adjectum, ut lectori mendacio hoc perſuaderi poſſet, Zvvinglij ſomnium diabolicum fuiſſe. 20.

Arguit 10. Zvvinglium neſciviſſe quidem, an is, & à quo per ſomnium videbatur moneri, *ater, an albus eſſet*, hoc eſt, quis in individuo, qualis ſtatu, aut conditione; uti parœmia illa latinis uſurpatur, & ab Eraſmo in Chiliadibus ex Cicerone, Quintiliano, Catullo & Hieronymo ad Helvidium explicatur. Hinc tamē minimè licuiſſe Redingio, qui in bicipiti Parnaſſo ſomniârit, cum illitteratis Monachis putare, *album*, & *atrum* hîc denotare Angelum bonum & ſathanam. Nam cùm confuſæ, aut obſcuræ ingeruntur ſpecies rerum, aut perſonarum aliquando etiam inſenſatarum, mirum non eſſe, ſi quis profiteatur, ſe ignorare, quis ſit ille, quem per ſomnium ſibi vidiſſe, vel audiviſſe viſus eſt. Quòd verò Zvvinglius evigilans, ſcire, aut conjecturâ aſſequi non potuerit, quis monitor ille fuerit, ſuſdeque habuerit, mirandum non eſſe, cum non profiteretur Oneirocriticam, nec cum Oneiromanticis incluſis & Monialibus ad ſomnia & revelationes aſpiraret, nè ipſi accideret, quòd Religioſis multis accidiſſe, conſtet ex Delrione, Cæſario, & Aureâ legendâ. Habuiſſe Moſen & Prophetas, ut ipſi curandum minimè fuerit, quis monitor ille eſſet. Imò hoc inquiſitionis neglectu apertè teſtatum dediſſe, ſe ſomnio illi minimè inhærere, nedum Analyſin fidei & expoſitionis controverſiæ Euchariſticæ in illud reſolvere, ſed in ſolum Dei Verbum. 21.

Arguit 11. Calvinum *Epiſt. ad Bucerum* monentem, ut convitijs & maledictis abſtineret, reſpondiſſe quidem, *non ſui ingenij eſſe hunc morbum, ſed genij.* Ex hiſcè tamē verbis Redingium fruſtra conari exterebrare, quòd Calvinus habuerit 22.

Digitized by Google

nium familiarem. Putâſſe fortè, Calvinum alicubi in Catholicâ illâ Italiâ, ubi venales reperiri dæmones, vaſculis, ſpeculis, phialis, annulis alligatos & incluſos referat Creſpetus, Paredrum, ſeu familiarem genium ſibi comparâſſe. Credere tamen ſe, quod Redingius Monachus ſatis emunctæ naris non ignorârit, *Genium* non ſpiritum duntaxat familiarem, vel Deum, qui vim obtinet rerum omnium gerendarum, uti Feſtus loquitur, ſignificare; ſed etiam cujuſque naturam & cupiditatem carnis, de quâ ipſum etiam Apoſtolum Paulum graviter conqueſtum legi *7 ad Roman.* Quem in ſenſum notas eſſe phraſes, *Genium defraudare, Genio indulgere.* Non fuiſſe igitur, cur eam ob phraſin Colonianæ Societati inaugurari, Calvinum ſatageret. Ita ſi quis Redingij genium diceret, eſſe hominis ſibi nimiùm placentis, & præ ſe neminem ferentis, paredri ſpiritûs eidem objecti à nemine ſano jure accuſari poſſe.

23. Arguit 12. Referri de Luthero, hunc *lib. de Miſſâ angul.* teſtatum eſſe, *quòd diabolum familiariter noverit, & plus uno ſalis modio cum ipſo comederit, dulcique alloquio ſecum converſatus fuerit, imò noctu excitârit ſe, atque ſtimulârit, ut contra Miſſam ſcriberet, quam in rem ipſi argumenta ſuppeditaverit.* Verùm hanc Diabolyn deſumptam eſſe ex Ieſuitæ Serarij *de Lutheri Magiſtro* virulento libro pridem obtritam & ſolidè retuſam eſſe à Balduino, & Cl. Voetio *Deſperata cauſa Papatûs pag. 174.*

24. Arguit 13. Rem circa Lutheri cum diabolo familiaritatem proximè aſſertam ita ſe habere. Nempè Lutherum cum diabolo de Miſsâ privatâ diſputationem litteris conſignâſſe, non ut ſe illo Magiſtro uſum oſtenderet, cùm veritatem jam ante ex Verbo Dei didicerit; ſed ut ſuo exemplo probatum daret, quàm lubrico Papales illæ rationes fundamento nitantur, & quàm non poſſit omninò illis mens Chriſtiana in tentationibus acquieſcere, quas pro ſtabiliendâ Miſsâ privatâ in medium afferre ſolent. Quem narrationis illius ſcopum eſſe, ex integro textu doceri. Ecquid ergo in Luthero (pergit Heideggerus) iſtam ob narrationem damnant? Num colloquium cum diabolo? Atqui cum eo ſæpius collocutos eſſe Romanos Pontifices, colloqui omnium frequentiſſimos exorciſtas: & quod caput eſt, collocutum eſſe ipſum Salvatorem mundi. An quod Lutherus diabolo mendaci fidem adhibuit? At licèt diabolus ſit pater mendacij, tamen vera quandoque pronunciare vel invitum, vel inſervientem ſcenæ. Ita Chriſtum vocare *Filium Altiſſimi Luc. 8 v. 28.* Sic tentatorum & ad deſperationem adacturum fideles, objicere illis peccata, & peccatorum merita veriſſima.

25. Arguit 14. Diabolum modo jam expoſito, ut Lutherum ad deſperatio-

Digitized by Google

rationem ageret præcipitem, aſſumpſiſſe id, quod erat certiſſimæ verita-
tis, videlicet *Miſſam eſſe idololatriam*, adeòque Lutherum tot celebratis priva-
tis miſſis, graviſſimi peccati reum eſſe. Hoc Lutherum negare nec po-
tuiſſe, nec debuiſſe. At negâſſe conſequentiam, quam veterator ille
ſtruxerit in hunc modum: *Qui peccatum graviſſimum patravit, ei deſperandum.*
Unde ſubjunxiſſe Lutherum: *Non poſſum negare me peccâſſe, ſed ibi mentitur ſa-
than, quod ultra urget, ut deſperem. Confeſſus quidem ſum coram diabolo, me peccâſſe
ut Iudam, ſed converto me ad Chriſtum cum Petro &c.*

Arguit 15. Ex Lutheri proximè expoſitâ reſponſione ſic quæritan- 26.
do. Num igitur illud damnant adverſarij, quòd diabolo Miſſam oppug-
nanti Lutherus reluctatus non fuerit, cùm probabile non ſit, idololatri-
am à diabolo oppugnari? Atqui diabolum (reſpondet Heideggerus) non
tam oppugnâſſe Miſſam, quàm peccatum Lutheri antehac Miſſam cele-
brantis. Deinde ſerpens tortuoſus cùm ſit, Miſſam modò oppugnare,
modò propugnare. Inſervire enim tempori. Ita Delrium ex Surio *lib. 4.
de Magiâ cap. 1. q. 3.* referre, quòd diabolus aliquando *in ſpecie angelicâ cui-
dam Abbati apparuerit, cumque hortatus ſit, Miſſam uti celebraret.*

Arguit 16. Idem Tigurinus Profeſſor *in ſuis Vindic. n. 26.* Calvinum 27.
fruſtra impeti à Redingio aſſerente, *quòd ille ad fidem & authoritatem ex fal-
ſo miraculo ſibi conciliandam, eum, qui ſe mortuum fingebat, ſimulatè reſuſcitare volens,
ex vivis ad inferos tranſmiſerit.* Verùm hiſtoriæ iſtius nullos à Redingio alle-
gari teſtes, quòd nimirum ſciret, alios de hoc allegari non poſſe, quàm
Laurentium Surium Carthuſianum, & Bolſecum, hoſtes apertos, calum-
niatores inſignes, inteſtabiles. Scilicet illis fidem habendam, cùm ſciatur,
Calvinum in *præfat. inſtit.* homines à miraculis revocâſſe ad doctrinam,
ipſomet etiam Maldonato *Comment. in Ioan. cap. 2.* fatente. Surium infæ-
licem illum & inſulſum hiſtoricum, quem probi hiſtorici nè ullum qui-
dem numerum impleſſe, nullo negotio probari poſſit, illi de Calvino men-
dacio facere fidem ex famâ. Atqui vel pueros noſſe, fama cujuſmodi ma-
lum ſit, nempe *tam ficti pravique tenax, quam nescia recti.* Illum Carthuſianum
nondum ſciviſſe, Genevenſes eo tempore lege & conſuetudine publicâ
mortuos ſuos extra templum ſepeliviſſe. Id enim ſi ſciviſſet, mentitum fu-
iſſe ſi non caſtiùs, ſaltem cautiùs. Et verò mirandum eſſe, cùm Gene-
væ, & in vicinia Calvinus habuerit æmulos & juratos hoſtes, cur ipſi vi-
venti nihil tale impegerint unquam, & quâ tandem rimâ totum hoc ma-
naverit & penetraverit ad Arcadiam illam Carthuſianam?

Arguit 17. Lutherum non majori cum ratione impeti à Redingio 28.
aſſerente, quòd dæmoniacum aggreſſus turpi & obſcœnâ fugâ ſibi ſalu-
tem

Digitized by Google

tem quærere coactus fuerit. Nec hujus facti alios allegari poſſe teſtes, quàm Staphylum & Cochleum hoſtes apertos, calumniatores inſignes, apoſtatas ac inteſtabiles, quibus eò minùs ſit habenda fides, quòd Lutherus *Domin. 2. Adventûs in explicat. epiſt.* homines à miraculis revocârit ad doctrinam.

29. Arguit 18. Heideggerus in *cit. Vind. n. 28.* de miraculis à Redingio allegari quoquè ſententiam Philippi Melanchtonis *in cap. Matth.* aſſerentis: *Quando magnæ ſunt tenebræ, vocari novos Doctores, & ſemper addi à Deo miracula, ut ſciamus, à Deo eſſe miſſos.* Hinc premere Redingium taliter quæritando: *Nunquid circa Reformationem erant tenebræ, dum teſte Breitingero opuſc. de ſecl. mille, ducentis, ſexaginta annis ita de medio hominum periit, ut eſſet incognita & abſconſa? An non igitur miraculis opus erat, ut in lucem produceretur à Zvinglio, ejuſque ſectatoribus?* Verùm Redingio expendendum fuiſſe, quas tenebras intellexerit Melanchton: Tales nempè intelligere, quæ luci ſeu Evangelio jam ante prædicato locum nullum relinquant. Agere enim de miraculis Ioannis Baptiſtæ tempore patratis. Tum verò Evangelium nec prædicatum, nec plantatum fuiſſe. Novum Eccleſiæ ſtatum induci debuiſſe. Miraculis igitur opus fuiſſe. Hoc autem non facere ad tempus Reformationis, quo non novum Evangelium proferendum, ſed vetus jam olim prædicatum & plantatum, Chriſti & Apoſtolorum miraculis corroboratum, at hominum flagitio obſcuratum, manentibus interim teſtibus officio ſuo ſtrenuè fungentibus, jure poſtliminij in pleniſſimam lucem erat vindicandum. Si igitur Evangelium idem à ſe Reformatis prædicari probent, illius temporis miracula utique fore ſua. In doctrinæ igitur & Evangelij jam olim prædicati conſenſu totius negotij cardinem volvi.

30. Arguit 19. Adventum Antichriſti fore in ſignis & miraculis mendacij. At eos, qui ſe Antichriſto opponent, miracula editoros nuſpiam legi. Adeò ut, ſi miracula jactarent Reformati, graviſſimo adverſus ſe præjudicio locum ceſſuri eſſent.

CAPUT III.

Oſtenditur, in veris miraculis eatenùs fundari poſſe prudentiale credibilitatis de Veritate Divinâ judicium, ut vel hinc vera Eccleſia demonſtrari poſſit.

Probatio I. Ex ſacris Litteris petita.

31. NAm vera & ſimpliciter dicta miracula ita ſunt propria Divinæ potentiæ, ut non ſint intra cauſarum naturalium virtutes. De qui-

Digitized by Google

quibus Chriſtus Dominus *Ioan. 15.* aſſeruit: *Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ejuſmodi autem Chriſti ceu Verbi æterni opera ſunt quaſi locutio, ſeu atteſtatio Dei: nam quia Chriſtus Verbum Dei eſt, & factum Verbi Verbum nobis eſt, ex S. Auguſtino *tract. 24. in Ioannem.* Super tali autem Dei atteſtatione fundatur judicium credibilitatis, id eſt diſcurſus ex evidentiâ facti miraculoſi, ceu Verbi Divini inferens doctrinæ Chriſtianæ credibilitatem. Unde Chriſtus *Ioan. 10.* dixit: *Si facio opera Patris, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ecce igitur opera æterni Patris per Chriſtum facta erant Verbum Dei, cui eatenùs ſit credendum; ut ex ipſo Dei Verbo doceat Chriſtus inferre credibilitatem illius myſterij, quo fatemur, Patrem eſſe in Chriſto, & Chriſtum in Patre. Pari proinde ratione miraculoſum opus in cujuscunſque fidei myſterij atteſtationem Divinitus factum, eatenus præſefert Divinæ virtutis, atque adeò Veritatis teſtimonium, ut ex hoc Dei Verbo inferatur prudentialis credibilitatis evidentia, quâ mediante oporteat illi quoquè myſterio ceu Divinitùs revelato aſſentiri. Et hinc Sanctus Auguſtinus *de Civitate Dei lib. 22.* oſtendit, fidem Chriſtianam à Deo probatam eſſe magnitudine miraculorum: ſpeciatim *cap. 5.* inter alia dicit: *Eloquia, quibus Apoſtoli mundo perſuaſerunt myſteria reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti, fuiſſe mira facta, non verba.*

Probatio II. Refutatoria exceptionis Adverſariorum.

Excipiunt enim Reformati, miracula in primâ Eccleſiæ origine fuiſſe neceſſaria, non verò iſto tempore, quo Evangelium jam ſit propagatum. Verùm Sanctus Auguſtinus *lib. 1. Retract. cap. 13.* exceptionem hanc taliter elidit: *Item quod dixi, nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt &c. Verum eſt quidem, non enim nunc uſque cùm manus imponitur Baptizatis, ſic accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium &c. Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipſe, quando illum ipſum librum* (de verâ ſcilicet Religione) *ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum in eâdem civitate cæcum illuminatum fuiſſe jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus &c.* Ex quibus ita licet argumentari. Miracula non ita ſunt propria primævæ Evangelij prædicationi, quin Deus poſterioribus temporibus eſſet per Sanctos ſuos operaturus miracula. At quandocunque fiant talia Dei opera miraculoſa, habent vim Divinæ conteſtationis: hæc enim eſt ipſa miraculorum natura, quam temporum diverſitas variare non poteſt. Unde & Apoſtolus *ad Heb. 2. v. 3.* dicit: Deum prædicationi Evangelij fuiſſe conteſtatum

32.

33.

ſtatum ſignis & portentis, quòd nimirùm hæc in ſe contineant vim Divinæ conteſtationis. Unde Chriſtus *Matth. 11. v. 4.* ad Ioannis diſcipulos ſui magiſtri nomine quærentes: *Tu es, qui venturus es?* reſpondit: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, mortui reſurgunt.* In quibus adeò verbis Chriſtus inſinuavit, his ipſis operibus miraculoſis per Iſaiam *35. & 61.* prædictis ineſſe Divinæ de ſuo adventu conteſtationis efficaciam. At verò talis conteſtationis Divinæ authoritas ita fundat prudentialis de Divinâ veritate & conteſtatione credibilitatis evidentiam, ut ij, qui contradicunt, incidant in Divini judicij cenſuram, Paulo *ubi ſupra* ſic diſſerente: *Quomodò nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in*
34. *nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis.* Ex quo patet, confirmationem Divinæ prædicationis eſſe ex conteſtatione Dei, quæ fiat ſignis & prodigijs. Hac autem Divinâ conteſtatione neglectâ, juxta Apoſtolum non effugiemus. Quia ergo Dei per miraculoſa opera conteſtatio non eſt alligata tempori primævæ prædicationis, quomodò Reformati Doctores effugient, ſi Divinam ex miraculis conteſtationem quovis tempore negligant, & non potiùs redeant ad illam Eccleſiam, in quâ Divus Auguſtinus *lib. de utilit. credendi cap. 17. & lib. contra epiſt. fundam. cap. 4.* aiebat, *Se teneri vinculis miraculorum.*

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

35. AD *primam* Reſp. Illam Coſteri Ieſuitæ quæſtionem eſſe optimè fundatam. Numquid enim Moyſes ad Pharaonem mittendus à Deo, excepit *Exod. 4. v. 1. Non credent mihi, neque audient vocem meam.* At verò Moyſes non erat ſolicitus de fide ſibi quà homini, ſed quà Divinum teſtimonium ferenti adhibendâ. Ad quam proinde credibilitatis authoritatem firmandam, Deus ipſi dedit poteſtatem faciendi miracula, ut ſcilicet illi, ad quos mittendus erat, *crederent, quòd apparuerit illi Dominus.*
36. Nunquid & Chriſtus *Math. 11.* ſui adventûs credibilitatem ſtruxit ſuper miraculorum evidentiam? At verò Chriſtus ſub hiſce miraculis non aliam ſui nimirùm adventûs veritatem teſtatam voluit, niſi quam Iſaias *35. & 61.* prædixerat. Cur ergo Chriſtus non ad nudam Prophetæ ſcrutationem ablegavit Ioannis diſcipulos, ſed hujus Prophetæ adimpletionem ex
37. miraculorum evidentiâ adſtruxit? Quia proinde Reformatio hodierna ab ipſis Doctoribus Reformatis dicitur ultrà mille annos latitâſſe, non majo-

majorem potuit tunc habuiſſe credibilitatis evidentiam, quàm Chriſti adventus per Eſaiam, aliosque Prophetas promiſſus, ac Iſraelitarum ex Ægypto eductio Patriarchis repromiſſa. Cur ergo deberet Evangelium Reformatum, ex angulis per ipſoſmet etiam Reformatores incognitis reproductum, abſque ullo Divinæ per opera miraculoſa conteſtationis veſtigio, vel ex nudâ miniſtrorum nullo Dei charactere ſeu ſigno munitorum prædicatione tantum authoritatis pondus habere, ut ab omnibus acceptandum, urgeri poſſet, cùm tamen econtra illæ Divinæ repromiſſiones ex ipſo Dei Verbo tum Iſraelitis per Patrum ſuorum enarrationem, tum Ioanni per Divinarum Scripturarum intelligentiam notæ, debuerint ex miraculis accipere credibilitatis evidentiam prudentialem? Vides igitur Vedroſi, illam Coſteri, *vbi veſtra ſint miracula*, quæſtionem, eſſe in ſacris Litteris fundatam, non diſſentaneam Tertulliano *lib. de præſcript.* in novis Apoſtolis requirente virtutem edendi talia ſigna, qualia veri Apoſtoli olim ediderant. Sed reponit Vedroſius, vbi ſint miracula Ieſuitarum, Evangelium ſcilicet infidelibus prædicantium? At quæſtionem tuam reſolvit præter alios vel ſolus Franciſcus Xaverius, de quo publico & formato juris proceſſu probatum eſt, quanta in Divinæ Veritatis à ſe prædicatæ teſtimonium ediderit ſigna & portenta. 38.

39. Ad *ſecundam* Reſp. Virtutem patrandi miracula eſſe gratiam gratis datam, quæ non tam ſit ad bonum proprij ſuppoſiti, quàm illorum, quibus ex Divinæ conteſtationis pondere fit prudentiale de Veritate Divinitùs revelatâ credibilitatis argumentum. At verò gratias gratis datas non eſſe neceſſariò conjunctas cum ſtatu gratiæ, indubitatum eſt; ſic enim lumen Propheticum ceu gratia gratis data concedebatur Caiphæ, eò quòd eſſet Pontifex anni illius. Sic & Sybillis Ethnicis de myſterijs Chriſti fuiſſe conceſſum lumen propheticum, patet ex Clemente Alexandrino *lib. 6. Stromat.* Sic Iudas *Matth 10.* poteſtatem patrandi miracula cum alijs Apoſtolis accepit, & cum reliquis gloriatus eſt, quòd dæmonia ſibi ſubijcerentur. *Lucæ 10. v. 17.* Et tamen erat habens loculos *Ioan. 12. v. 6.* Sic Balaam fallus alioquin & infidelis Propheta prædixit vera *Num 24. v. 17.* Quare Vedroſio libenter damus, miracula non ſemper, niſi alijs argumentis ſtipata [illegible], eſſe ſanctitatis, miraculorum patratori inexiſtentis notam. At [illegible] quòd vera miracula, vel etiam Prophetia non ſit veræ Eccleſiæ [illegible]oria. Nam miracula ſpectari poſſunt tum in ordine ad ſubjectum [illegible]olitum, à quo tanquàm Dei inſtrumento patrantur; tum [illegible] obiectum in cujus conteſtationem Divinitùs fiunt. Eo ipſo [illegible] miracula vera ſint, oportet, eſſe Divinitatis effectus 40.

proprios, eſſequè adeò conteſtationes illius veritatis, in cujus confirmationem eduntur. At omnis veritas Divinæ conteſtationis authoritatem habens, reducitur ad Eccleſiam veram ceu veritatis Divinitùs revelatæ columnam & firmamentum. Cùm igitur miracula vera iſtud Divinæ conteſtationis pondus ex ſui quaſi naturâ habeant ſibi conjunctum, ſequitur, miracula ſpectata in ordine ad objectum tali conteſtatione confirmatum, ſemper ſpectare ad veram Eccleſiam, licèt ex parte ſubjecti ſeu ſuppoſiti, à quo tanquàm Dei inſtrumento eduntur, non ſemper ſubeant reſpe-
41. ctum ad Eccleſiam, ſive ejus membra, præſertim viva. Singularis enim Divinæ erga veram Eccleſiam providentiæ argumentum eſt, quòd Deus Veritati ad illam unicè ſpectanti ferat teſtimonium non tantùm per ſanctos, ſed etiam per malos, veluti Iudam & Caipham, imò & infideles, uti per Balaam & Sybillas. Hinc autem evincitur, veram Eccleſiam non eſſe, cui Deus nullo prorsùs miraculo doctrinæ per ipſam venditatæ teſtimonium perhibet, utpotè quæ agnoſcatur deſtituta illius Divinæ conteſtationis argumento, quo Eccleſia vera omni tempore etiam poſt Evangelium jam promulgatum conſpicua redditur, uti patet ex dictis *præced. cap. 3. prob. 2.*

42. Ad *tertiam* Reſp. Omnia prodigia ibi ex Coſtâ recenſita eſſe in virtute dæmonis per cauſas naturales, activa paſſivis applicando, ea efficere potentis. Unde non eſſe vera miracula Divinæ virtutis ita propria, ut vel hinc conteſtationis Dei authoritatem præſeferant, atque adeò circa veritates Divinitùs revelatas prudentialem credibilitatis evidentiam fundent. Verum proinde eſſe, quòd illi non benè conſulant rebus ſuis, qui fallacibus dæmonum virtute producibilibus prodigijs contendunt, fidei veritatem probare: verum tamen etiam eſt, illos pejùs conſulere rebus ſuis, qui miracula vera ita abijciunt, ut illis ceu Dei verbis in confirmationem Divinorum myſteriorum non niſi à Divinâ virtute producibilibus, contrà aperta Chriſti verba *ſupra n. 31.* adducta, nullam hodie veritatis authoritatem cenſent concedendam.

43. Ad *quartam* Reſp. Verum eſſe, quòd miracula eatenùs dentur infidelibus, ut vel hinc ad veram Eccleſiam reducantur. Unde Eccleſiâ jam fundatâ, SS. etiam Patribus advertentibus, non eſſe *ordinariè* locum miraculis, uti erat in primitivâ Eccleſiâ. Hinc tamen minimè evinci, quòd in verâ Eccleſiâ nulla ampliùs vigeant vera miracula, Divo Auguſtino *lib. 22. de Civit. cap. 8.* atteſtante de miraculis, quæ tunc fiebant in nomine Chriſti, ſive per Sacramenta ejus, ſive per orationes, vel memoriam Sanctorum ejus: additque *cap. 9.* Univerſa miracula, quæ per Martyres

tyres in nomine Chriſti fiunt, ejus fidei teſtimonium ferre, quâ in Chriſtum Martyres crediderint. Vide ergo Vedroſi, an iſtud fidei per Martyres roboratæ teſtimonium tuæ potiùs Reformationi, quàm Romanæ Eccleſiæ congruat?

Ad *quintam* Reſp. Bellarmini *lib. 4. de notis Eccleſ. cap. 14. ad* 2. reſponſionem jam pridem datam, ab adverſarijs necdum eliſam eſſe, meritòquè adeò reproducendam; quæ in eo ſe tenet. Nempè miracula Donatiſtarum, de quibus Sanctus Auguſtinus non tam *loco* per Vedroſium *citato*, quàm *alibi* tractat, reijci ab iſto Sancto Doctore, quòd non fuerint vera miracula, ſed occultæ quædam viſiones, quas ſinè ullo teſte jactitabant. Ejuſmodi verò nullatenùs æquiparantur miraculis Sanctorum, ſed viſioni Zvvinglij, qui in *lib. de Euch.* ſcripſit, ſe vidiſſe Monitorem, ſed non potuiſſe diſcernere, eſſetnè albus, an niger. Talis quoquè viſio fuit, quæ narratur in libro, qui inſcribitur *Querela, vel ſomnium Lutheri*: ubi Lutherus narratur apparuiſſe quibuſdam Lutheranis, triſtiquè vultu conqueſtus fuiſſe, quòd tam ſe, quàm doctrinam ſuam diſcipuli ſui brevi eſſent deſerturi. Hujus proinde farinæ miracula cum Sancto Auguſtino meritò dicuntur fabulæ. 44.

Ad *ſextam* Reſp. 1. Neminem negare poſſe, quin inter Catholicos exiſtant aut imprudentes, aut mali homines, qui vel nimis faciles ſint in credendis ac edendis miraculis, vel etiam à ſpiritu malo in ſocietatem aſſumpti, hujus virtute faciant prodigia mendacia. Sed quid inde concludendum? Audire libeat Sanctum Auguſtinum *de Unit. Eccleſ. cap. 18.* ſic diſſerentem: *Quidquid de peccatis* (vel etiam levitatibus ac imprudentijs) *hominum & verum & probatum obijcitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, ſed ad ipſam paleam, quæ in fine ſeparabitur, pertinet, non obijciatur. Hoc enim illi faciunt, qui robuſtâ & firmâ veritate ſubnixa documenta, quibus cauſam ſuam tueantur, invenire non poſſunt.* An non ergo vos Reformati Miniſtri illius Sancti Doctoris cenſuram incurriſtis, qui, ut cauſam veſtram in miraculis ab Eccleſiâ excludendis tueamini, paleam levitatis, vel etiam falſitatis quorundam miracula vel fingentium, vel nimis leviter recipientium obijcitis? At nunquid ex hoc videmini vobis, refutâſſe vera miracula per Sanctum Auguſtinum *lib. 22. de Civit. Dei, & lib. 1. Retract. cap. 13.* enarrata, imò & illa, quorum vinculis ajebat hic Sanctus Doctor, ſe in Eccleſiâ teneri? En quàm infirma ſint tua tela, quæ minimè relaxâſſes, ſi firma & robuſta documenta inveniſſes. 45.

Ad *ſeptimam* Reſp. Neminem Catholicorum ita illimitatè ac indefinitè facere illam illationem. Nam diſtinguendum eſt inter miracula *ſim-* 46.

Digitized by Google

piciter dicta, quæ ſolius Divinæ virtutis effectus eſſe dignoſcuntur, & inter miracula *ſecundùm quid*, quæ ſunt intra vires cauſarum naturalium. Ad quæ reduci quoquè poſſunt gratia ſanitatum, & partim operatio virtutum ab Apoſtolo 1. *Corinth.* 12. *v.* 9. inter cæteras Eccleſiæ gratias gratis datas recenſitæ. Quamvis proinde ex ejuſmodi miraculis gratiam ſanctitatis v. g. redolentibus, utpote inter naturalium cauſarum vires contentis, atquè adeò dæmonum virtute producibilibus non concludatur vera Eccleſia, eo ipſo tamen, quòd ſecundùm Paulum *proximè* citatum, in verâ Eccleſiâ ſint tales gratiarum diviſiones, oportet, non eſſe veram Eccleſiam, quæ talibus gratijs ſe omninò deſtitutam, fateri cogitur. Quoad miracula verò *ſimpliciter* dicta patet ex Chriſti Domini verbis *ſupra cap.* 3. *n.* 31. adductis, eatenùs eſſe propria Divinitatis, ut ſint quædam Divinæ veritatis per eas confirmatæ atteſtationes. Eo ipſo autem, quòd ipſis etiam Reformatis fatentibus, extra veram Eccleſiam ſint meræ tenebræ, non autem Veritas Divina, & quà talis recepta, ſequitur, talem Divinam ex miraculoſo effectu conteſtationem non fieri, niſi in confirmationem illius veritatis, quæ ſpectet ad veram Eccleſiam. Quamvis proinde fieri poſſit, ut virtus miraculi patrativa, utpote gratia gratis data, detur etiam malis & infidelibus, uti *ſupra n.* 39. oſtenſum. Quia tamen non datur, niſi in veritatis ad veram Eccleſiam ſpectantis conteſtationem, idcircò bene concluditur, veram eſſe Eccleſiá, pro cujus conteſtatione fiunt talia miracula, licèt ille, per quem ceu inſtrumentum Dei patrantur, non eſſet veræ Eccleſiæ membrum ſaltè vivum.

47. Reſp. 2. Ex Bellarmino *cit. cap.* 14. *circa finem*, neque cæcum verè, neque claudum eſſe à Veſpaſiano curatum. Nam ut ſcribit Cornelius Tacitus *lib.* 4. *hiſtoriæ* interrogati medici, án morbi duorum illorum eſſent curabiles, reſponderunt, eſſe curabiles. Unde mirum non erat, morbos illos naturaliter operâ diaboli curatos fuiſſe. Quinimò totum illum morbum fuiſſe à diabolo, ut videretur ſanare, cùm deſineret nocere, tradit non tam Bellarminus *citatus*, quàm Tertullianus in *Apologetico. cap.* 22.

48. Reſp. 3. Sozomenum *loco* per Vedroſium *allegato* ne apicem quidem de Novatianorum miraculis ſcribere. De miraculo autem per Socratem deſcripto, rem ita ſe habere. Nempè ad Paulum Novatianorum Epiſcopum venerat Iudæus impoſtor, ut ab eo Baptiſmum iteratò reciperet. At Deus hanc impoſturam eluſit, dum tota ſacri fontis aqua continuò evanuit. Quid ergo Vedroſi? nunquid iſtud miraculum eſt factum in conteſtationem unius ac veri Baptiſmi? At hæc veritas eſt ſpectans ad veram Eccleſiam. Ergo illud miraculum non in confirmationem erroris Novatiani, ſed Divinæ de novo Baptiſmate veritatis ad veram Eccleſiam ſpectantis

Digitized by Google

tis, eſt Divinitùs factum, illo miniſtro Novatiano ſolùm *occaſionaliter* & *per accidens* interveniente.

Reſp. 4. Verum eſſe, quòd ex miraculis naturalium virtutum applicatione, dæmoniſque adeò arte operabilibus *nudè* ac *ſimpliciter* ſpectatis non concludatur veritas Eccleſiæ. Et hinc Apoſtolum Paulum *12. cap. 12. ad Corinth.* inter gratias Eccleſiæ gratis datas unà cum gratiâ ſanitatum, & operatione virtutum recenſere ſpirituum quoquè diſcretionem, ut hinc miraculorum veritas, vel falſitas dijudicari poſſit. Quæ proinde ſpirituum diſcretio, an Eccleſiæ Reformatæ, vel potiùs Romanæ competat, mox apparebit. 49.

Ad *octavam* Reſp. Illi Apoſtolicæ monitioni meritò eſſe inſiſtendum, ita ut in prodigijs & apparitionibus dijudicandis fideles omninò oporteat accingi ad vigilantiam, ſeu diſcretionem ſpirituum. Hinc enim Redingius in *ſuis Refutat. diſſert. 8. n. 2.* advertit, quàm difficilis Zwinglio fuerit diſcretio ſpirituum, utpote quà dijudicare non potuerit, albuſne, vel ater fuerit ille ſpiritus monitor, quem ſibi anxiè cogitanti, quomodò verba inſtitutionis Sacramenti Corporis Chriſti exponeret, intem. eſtâ 13. Aprilis nocte apparuiſſe, narrat. At majorem ſpiritûs diſcernendi facilitatem notavit in Calvino, utpote qui *epiſt. ad Buzerum* monentem, ut convitijs & maledictis abſtineret, reſpondit, non ſui ingenij eſſe morbum, ſed genij. Verùm omnium maximè clarum ſui ſpiritûs diſcretorem annotavit Lutherum, qui *lib. de Miſſâ angulari* apertè ſit teſtatus, ſe diabolum familiariter noſſe, & plus uno ſalis modio cum ipſo comediſſe, dulciquè alloquio ſecum converſatum fuiſſe; imò nocte excitâſſe ſe, atque ſtimulâſſe, ut contrà Miſſam ſcriberet, & ad eam rem argumenta ſuppeditâſſe. 50.

Ad *nonam* Reſp. Non eſſe, cur Heideggerus ſuccenſeat Redingio de ijs, quæ ex ipſomet Zvvinglio, Calvino, & Luthero expoſuit, utpote provocatus ab illo Tigurino Doctore, Sacelli Einſidlenſis conſecrationem, ut diabolica crederetur, ſuſpectam reddere, fruſtrà tamen conante. Nequè verò Redingium malâ fide proceſſiſſe, ſed ex monumentis, quæ credat libris ab Heideggero uſurpatis longè integriora, propriam illorum Reformatorum confeſſionem, prout jacebat, deſcripſiſſe eum in finem, ut Reformati vel hinc diſcretione ſpirituum probarent, *quiſnam ſuæ Reformationis ſpiritus fuerit?* 51.

Sed gratis demus, Zvvinglium in illâ narratione non meminiſſe ſpiritûs, ſed monitoris duntaxat. Quid ergo Heideggere? Nunquid ſenſus verborum inſtitutionis Sacramenti Corporis Chriſti eſt res adeò ſublimis, ut tranſcendat ſenſus ac vim imaginativam, ſeu phantaſiam, nec 52.

niſi

niſi à virtute intellectivâ apprehendi queat? At circà myſterium omnium ſenſuũ vires tranſcendens, ſoliuſquè intellectivæ virtutis proprium nequit eſſe monitor, niſi & ipſe ſit ſpiritus, ſeu ſubſtantia intellectiva. Quomodò igitur illa monitio non niſi à virtute intellectivâ comprehenſibilis, potuit eſſe ſomnium vis imaginativæ proprium, in eo præſertim, qui anxiè cogitabat de myſterio, non niſi per rationem cognoſcibili, ſeſequè adeò ex hoc probabat vigilantem, non autem dormientem, nec adeò ſomniantem? Sanè Heideggere, tu ipſe obdormiſti & ſomniâſti, dum ſcrutando ſcrutationes Zvvinglij, defeciſſe probaris.

Ad *decimam* Reſp. Sic argumentando. Certum eſt ex Philoſophiâ &
53. Theologiâ, monitorem ſenſûs non niſi ad intellectum penetrabilis eſſe ſpiritum. Atqui Zvvinglius fatetur, adſtitiſſe ſibi monitorem, dum cogitabat de ſenſu verborum inſtitutionis Sacramenti Corporis Chriſti. Hic autem ſenſus omnes ſenſus tranſcendens non eſt penetrabilis, niſi ad intellectum. Oportuit ergò, illum monitorem fuiſſe ſpiritum. Ex quo Zvvinglius ſe probavit, diſcretione ſpirituum eſſe hoc ipſo deſtitutum, quòd neſciverit, an albus, vel ater ſit. Et certè Zvvinglius vel ex ſacris Litteris erat certificatus de vero ſenſu verborum inſtitutionis Sacramenti Corporis Chri-
54. ſti, vel non? Si poſterius, quomodò igitur ſtabit Eccleſia Reformata, dum circà illud Corporis Chriſti myſterium fluctuâſſet ejus Reformator? Si prius, quomodò ex hoc ipſo vero ſenſu non diſcreviſſet, an monitor ille eſſet lucis, vel tenebrarum? An enim Heideggere credis, Angelos lucis annunciare alienum quid à veritate Divina? An etiam credis, verum de verbis Sacramenti Euchariſtici ſenſum à diabolo ſuggeſtum fuiſſe? Certè niſi Angelos veritatis cum dæmone æquiparare præſumas, oportet, te fateri, illum monitorem vel ex hoc argumento facilè diſcernendum fuiſſe à Zvvinglio, ſi veritatem ex ſacris Litteris tenuiſſet.

Ad *undecimam* Reſp. Abſtrahendo ab ineptijs & calumnijs Heideggerianis, ſic licere argumentari. Ille ſpiritus minimè probatur eſſe ex
55. Deo, qui genium maledicendi & convitiandi habet ſibi taliter prædominantem, ut ipſam quoquè rationem occupatam teneat. At verò ex illis Calvini verbis evincitur, habuiſſe genium maledicendi & convitiandi ſibi taliter prædominantem, ut ipſam rationem teneret occupatam, indequè adeò ſuorum convitiorum excuſationem unicè prætenderet. Quomodò
56. igitur ſpiritus Calvini fuit ex Deo? Nec eſt, quòd Heideggerus in hoc Calvinum æquipareret Apoſtolo 7. *ad Rom.* conquerenti de cupiditate carnis: nam Sancti Pauli rationem & voluntatem ex gratiâ Dei ſemper fuiſſe illi cupiditati prædominatam, nec adeò niſi in inferiori ſenſualitatis

por-

potione locum habuiſſe talem infirmitatem, clarè evincitur ex contextu, in quo dicit Apoſtolus, ſe odiſſe, atque adeò ad voluntatem & rationem per conſenſum non admiſiſſe malum, quod ex parte ſenſualitatis ſeu concupiſcentiæ carnis ſe tenebat.

Ad *duodecimam* Reſp. Illam Lutheri cum diabolo familiaritatem & colloquium ex ipſiſmet Lutheri ſcriptis eſſe deſumpta, atque adeò propriâ ipſius confeſſione plenè probata. Unde cùm neque Chriſto cum Belial, neque luci cum tenebris poſſit eſſe ſocietas, facilè conijcere licet, an ſpiritus illius novi Evangeliſtæ poſſit eſſe Chriſti. 57.

Ad *decimamtertiam* Reſp. Sic argumentando ex Heideggeri exceptione. Fatetur Lutherus ſibi pro abolendâ Miſsâ eſſe à diabolo ſuppeditata argumenta. At hæc ipſa ſeu diſputationem cum diabolo habitam, ait Heideggerus, fuiſſe à Luthero litteris conſignatam non alium in finem, niſi ut probatum daret, quàm lubrico Papales rationes fundamento nitantur, & quàm non poſſit omninò illis mens Chriſtiana acquieſcere, quas pro ſtabiliendâ Miſsâ privatâ in medium afferre ſolent. Ergo iſta lubricitas Papalium rationum probatur ex argumentis per diabolum Luthero ſuggeſtis. At quod habetur ex argumentis per diabolum ſuggeſtis, nequit non eſſe ſuſpectum de falſitate. Ergo probatio lubricitatis illarum Papalium rationum meritò eſt ſuſpecta, nec adeò ſpiritus Reformatoris ex talibus probationibus procedentis poteſt cenſeri verus ac Divinus. Sed excipit ille Tigurinus Doctor, quo jure damnetur Lutheri cum diabolo colloquium, cùm & Romani Pontifices, & Exorciſtæ, & Chriſtus ipſemet ſint collocuti cum dæmone? Verùm te Heideggere ſcire oportet, aliud eſſe ex authoritate, quam Chriſtus Apoſtolis, eorumquè ſucceſſoribus conceſſit, dæmones compeſcere, aliud verò eſſe, cum ipſis familiariter converſari, dulciquè eorum alloquio frui, & plus uno ſalis modio cum ijs comedere, atque argumenta ab ipſis ſuppeditata conſcribere ad refutandas Papales rationes. Illud prius fecerunt Sancti Romani Pontifices & Exorciſtæ. Hoc autem poſterius nullatenùs convenit Spiritui Chriſti, ut adeò Heideggerus exponendo Lutherum, ejus cauſam deteriorem faciat, nimis apertè probando, ipſum à Spiritu Chriſti omninò alienum. Excipit denuò ille Tigurinus Profeſſor, quo jure damnetur Lutherus ex eo, quòd diabolo fidem adhibuerit, cùm vel invitus vera quandoquè pronunciet? At Heideggere, credisnè dæmonem niſi Divinâ authoritate compulſum vera edicere in fidei præſertim myſterijs? Neque verò hac dæmones compeſcendi poteſtate Divinitùs acceptâ potitum eſſe Lutherum, patebit ex dicendis infrà. An ergo Lutherus impunè ad-

58.
59.
60.

nè ad-

nè adhibuerit fidem probationibus à diabolo ſuppeditatis? Et verò tuæ Reformationis axioma eſt, fidem fundamentum unicum habere ſacram Scripturam, & conſcientiæ ſenſui inniti. An ergo credis, diabolum verum ſenſum ſacrarum Litterarum Luthero expoſuiſſe, ut vel hinc Papalium rationum lubricitas probaretur? Annè ergo Lutheri conſcientia ac fides huic innitens, ita ſe conformavit diabolicæ ſacrarum Litterarum interpretationi? Apage talem Reformationis ſpiritum, qui vel ex hoc ſe probat, minimè Divinum eſſe.

61. Ad *decimamquartam* Reſp. Quid dicis Heideggere, diabolum in illo colloquio conatum fuiſſe, ut Lutherum ageret in deſperationem? At Lutherus non meminit tam diræ diaboli ergà ſe actionis, ſed ait, dulci ſe alloquio ejus potitum, & nocte ab ipſo excitatum ac ſtimulatum fuiſſe, ut ſcriberet contrà Miſſam privatam, atque hanc in rem argumenta ſuppeditâſſe. Hoccinè eſt agere præcipitem in deſperationem? Ita ſanè deſperatam facis cauſam Lutheri, qui, dum excuſationes ipſiuſmet confeſſioni repugnantes prætexis, eum inexcuſabilem probas.

62. Ad *decimamquintam* Reſp. Sanè probas Heideggere, quàm leves ſint tuæ exceptiones. Quid enim clarius ex Lutheri verbis, niſi quòd diabolus ad oppugnandam Miſſam ipſi argumenta ſuppeditârit? Non igitur peccatum Lutheri, quod vel ex hoc, quia in ſtatu peccati indignus peregit Miſſam, erat graviſſimum, oppugnavit diabolus, ſed ipſamimet Miſſam. Quis autem credat, patrem idololatriæ diabolum fuiſſe Miſſam oppugnaturum, ſi hæc idololatrica eſſet? Quòd autem ex Surio ac Delrio
63. *lib. 4. de Mag. cap. 1. q. 3. ſect. nimirum 5.* aſſeras, *Diabolum aliquando in ſpecie Angelicâ cuidam Abbati apparuiſſe, eumque hortatum eſſe, ut Miſſam celebraret*; ex hoc ſanè tuam non tam ineptiam, quàm malitiam prodis. Sic enim res ſe habet, quòd Simeon Monachus Trevirenſis à dæmone ad Miſſam celebrandam inſtigatus reſtiterit, utpote cui ſine Presbyterij ordine non eſſet hæc poteſtas, donec tandem ab illo hoſte antiquo per vim è lectulo extractus, & ad altare poſitus fuerat. At hic fraude mox animadversâ, inimicum repulit, ſeque deluſum ingemuit. Vides igitur Heideggere, quàm ineptè ſimul & fallaciter proceſſeris.

64. Ad *decimamſextam* Reſp. Verum quidem eſſe, quòd Calvinus homines revocârit à miraculis, ſed ubi ex dolo falſi miraculi confuſus fuit, uti advertit Wevveis *lib. 4. de falſis Eccleſ. a. 2. n. 6.* Neque verò Heideggere, Calvinum ex illâ fraude expedis, licèt excipias contra Surium & Bolſecum, Hic enim in vitâ Calvini *cap. 13.* ubi vafram illam miraculi falſi machinationem enarrâſſet, ſubdidit ſequentia: *Negent hoc, quantum velint, Calvini mancipia,*

cipia, exploratum & cognitum ſatis fuit, veritaſquè rei probata, imò per ipſammet uxorem confirmata, &c. Sed in hoc quoquè excipies adversùs Bolſecum, uti & Surium, utpote hoſtes apertos, calumniatores inſignes, atque adeò inteſtabiles. Verùm ſi iſta exceptio ſubſiſtit ex ſolâ & nudâ tuâ vociferatione, actum eſt cum tuæ Reformationis Doctoribus ac ſcriptoribus univerſis, utpote in quos Pontificij eaſdem exceptiones longè meliori jure retorqueant. Non igitur eſt, cur eos ampliùs alleges, utpote inteſtabiles. Quòd autem tam diris convitijs inceſſas Surium, dum famam illius falſi miraculi pro fundamento allegavit, noſſe debes, vix aliam validiorem in hiſtorijs ſcribendis eſſe probationem, quàm publicam famam, quæ ſanè plurimum valeat pro fide privatâ, imò & judiciali in ordine ad proceſſum juridicum formandum, ſi debitis circumſtantijs munita probetur. Neque verò iſtius famæ pondus per te eliditur ex eo, quòd aſſeras, eo tempore Genevenſes extra templum ſepeliviſſe mortuos ſuos; neque enim agebatur de ſepulturâ illius mortuum ſe ſimulantis, ſed de falsâ ejus reſuſcitatione ex condicto ſub populi conſpectu intrà templum faciendâ, novoquè Reformationis Evangelio inde confirmando, uti patet ex Bolſeco *citato*, omnes illius hiſtoriæ circumſtantias exactè deſcribente. Hinc ergo minimè mireris, hiſtoriam ejuſmodi etiam Coloniam ad aures Surij penetràſſe, cùm fama illa publica toti ſanè Europæ allata ſit.

Ad *decimamſeptimam* Reſp. Eò majorem fidem mereri Staphylum in ſimulato illo Lutheri miraculo recenſendo, quòd ejus oculatus teſtis fuerit, exindequè Lutheraniſmum ejurandi, & ad Romanam Eccleſiam revertendi rationem acceperit. Quam equidem fidem Heideggerus ſolâ & nudâ vociferatione ſuâ non elidit, maximè altero etiam teſte nimirum Cochlæo accedente, qui duo ſanè numero & integritate minimè cedunt iſti Reformato Doctori. 65.

Ad *decimamoctavam* Reſp. Melanchtonem loqui indefinitè, nequè verba ejus coarctari ad tempora Sancti Ioannis Baptiſtæ. Unde manere firmam totam Redingij ex Melanchtone argumentationem. Nunquid enim Chriſtus ſuam ex mortuis reſurrectionem jam prædicabat Iudæis, dum adhuc vivebat? Hinc enim principes Sacerdotum *Matth.* 27. Chriſto mortuo, acceſſerunt ad Pilatum dicentes: *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam.* Nunquid Chriſti Domini prædicatio, quam vivens faciebat, jam erat confirmata miraculis, quæ tam ſub vitam, quàm ſub mortem ipſius Divinitatem, atque adeò prædicationis veritatem conteſtabantur? At hiſcè nihilominè obſtantibus, quia inter Iudæos erant magnæ tenebræ, Apoſtoli in conteſtationem Evangelij jam 66.

67. per Chriſtum prædicati & miraculis confirmati, fecerunt miracula. Falſa igitur Heideggere, eſt tua exceptio, quâ dicis, tunc ſolùm miracula habere locum, ſi Evangelium nunquam anteà prædicatum & miraculis confirmatum fuerat. Et verò Heideggere tua Reformatio in articulo circà Corporis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam extremè colluctatur cum Lutheraniſmo. Atqui ambæ iſtæ contradictoriæ ſententiæ totam ſacram Scripturam & fidei analogiam ex unâ ſaltem parte (uti *in tuis Vindicijs n. 5.* dicis) evertentes, non poſſunt eſſe à Chriſto prædicatæ. Cur ergo, cùm utrinque de veritate ſit vobis contentio, neutra adversùs alteram in tantis tenebris dogma ſuum non firmare deberet miraculo, maximè Melanchtone *illuminatè* atteſtante, opus eſſe miraculis, quando magnæ ſunt tenebræ. Verùm iſta magis confirmabuntur *ſeq. Reſp.*

68. Ad *decimamnonam* Reſp. Quid Heideggere? Annon putas, ubi Antichriſtus ſignis & prodigijs falſis ſeducet populum, hanc deceptionem eludendam fore veris miraculis, ad confirmationem veritatis à Deo tunc concedendis? Nunquid ubi Magi Ægyptij Moſis & Aaronis miracula ſuis falſis prodigijs virtute dæmonum eludebant, Deus ad veritatem comprobandam ſubmiſit talia miracula, in quibus nihil valeret diabolica virtus? Nunquid veritas legis Divinæ per univerſos Iſraelitas erat jam priùs promulgata & recepta, & tamen tenebris poſtea obortis, cùm ad eos *extraordinariè* miſſus erat Elias *3. Reg. 18.* hic portento verè miraculoſo veritatem Divinam adſtruendo, fidem meruit, atque Prophetas Baalim eo tempore prævalentes confudit? Nunquid de vobis ſimul ac Lutheranis hodiè verificatur illa vox Eliæ: *Uſquequò claudicatis* (circà Euchariſtiam, ſeu Chriſti Domini in eâ præſentiam) *in duas partes*? Cur ergo non æquè ac Elias, cauſam hanc miraculo deciditis? Enimverò ex parte Romanæ Eccleſiæ pro confirmatione Euchariſtiæ, aliorumquè dogmatum nos inter & vos controverſorum eſſe edita miracula ſingulis ætatibus teſtatiſſima, probatur etiam ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Magdeburgenſium Centuriatorum: hi enim in ſingulis Centurijs annotant ex authoritatibus undecim primorum ſæculorum miracula in confirmationem Pontificiorum dogmatum edita: nequè ex hoc ea eludunt, quòd utpote Lutheri Evan-

69. gelio repugnantia falſitatis inſimulare conentur. Sed quid tandem ais, Heideggere illos, qui ſe Antichriſto opponunt, miracula editures, nuſpiam legi? Crediſnè tempore Auguſtini fuiſſe, qui ſe opponebant Antichriſto ſive Pſeudoprophetis, Hæreſiarchis nimirum? At hic ſanctus Eccleſiæ Doctor *Confeſſ. 9. cap. 7.* Item *de Civit. Dei lib. 22.* item *lib. 1. Retract. cap. 13.* meminit miraculorum, quæ in confirmationem dogmatum à Pontificijs.

gitized by Google

tificijs, non autem Reformatis aſſertorum edita fuerant. Credíſnè igitur, hæc miracula fuiſſe mendacij, atque adeò Auguſtinum foviſſe partes Antichriſti, ut fore cujus unicum adventum aſſeris, fore in ſignis & miraculis mendacij? Vides, quò te perducant tuæ Reformationis ſcrutationes ſanè falſæ. Nè tamen in omnibus me tibi adverſarium probem, libenter tibi concedo, Reformatos, ſi miracula jactarent, graviſſimo adversùs ſe præjudicio locum ceſſuros fore: quia enim in Calvino & Luthero probatum eſt, ipſos ab illis gratijs operationis virtutum eſſe Divinitùs excluſos, non niſi ſuam confuſionem ubique eſſent experturi, ſi miracula rursùs tentarent.

COROLLARIUM.

INfertur. Heideggerum non reſpondere directè, ac in formâ ad ea, quæ Redingius de miraculis contrà ipſius Synodalem adversùs ſacras peregrinationes Diſſertationem objecerat, ſed intactis pleriſque argumentis ſuprà *cap. 1. præſertim 2. 5. & 6.* deductis, unà cum Vedroſio multa, ſed parum fundata per longas ambages de miraculis protuliſſe in medium. Quibus adeò refutatis, licere ſic argumentari. Illa Eccleſia non eſt vera, quæ ſe omninò alienam fatetur à Divinæ conteſtationis argumentis, talem prudentialis credibilitatis evidentiam fundantibus, ut Divus Auguſtinus profeſſus ſit, ſe exinde juſtiſſimè teneri in Eccleſiâ. Atqui ex ſacris Litteris ſuperiùs eſt probatum, miracula eſſe Divinæ conteſtationis argumenta, hodiequè in Eccleſiâ elucentia, atque adeò prudentialem credibilitatis evidentiam fundantia, ita ut obinde Sanctus Auguſtinus non ſolùm ea, quæ ſuo tempore fiebant, conſcripſerit, ſed inſuper profeſſus ſit, ſe juſtiſſimè teneri in Eccleſiâ vinculis miraculorum. Cùm igitur Reformata Eccleſia ultrà mille, ducentos annos latitans glorietur, ſe in lucem prodijſſe, abſque ullis tamen Divinæ conteſtationis ſignis, quinimò miraculis non tantùm ſe deſtitutam profiteri cogatur, ſed ea etiam conetur è medio fidelium tollere, ſanè ſe ipſam prodere videtur, quòd careat veræ Eccleſiæ notis, & argumentis.

***

SECTIO VI.

An ex doctrina erga Deum impietate poſſit falſa Eccleſia dignoſci ac diſcerni à verâ?

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij.

1 HIc author ſuæ *Facis Rat. 33. à n.* 1. probat, Bezam *cap. 3. a. 8. Confeſſ. Chriſt. fidei*, Scharpium *Curſ. Theol. art. de vocat. ad grat. Reſp. ad 1. object. & reſp. ad object. 2.* conſtituere Deum volitorem peccati. Quod equidem, quantum impietatis portendat, apertè patefieri tum à Spiritu Divino Ezech. *cap. 33. v. 11.* tum ex ipsâ etiam ratione naturali, tum ab Orthodoxâ vetuſtate apud Sanctum præcipuè Auguſtinum *cap. 20. de cognit. vera vitæ.*

2. Georgius *citatus à n. 11.* oſtendit, Deum à Calvino *Inſtit. lib. 2. cap. 4. ſect. 3.* juncto Urſino *Catech. q. 54. de prædeſt. q. 4. reſp. ad object. 3.* conſtitui authorem peccati. Ex quo tandem concludit, doctrinam Calviniſticam erroneam, imò blaſphemam eſſe oportere, omnique ideò ſtudio vitandam & ejurandam potiùs.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

3. HIc Reformatus Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 9. circà finem in exam. Rat. 33.* arguit 1. Calvinum, & Bezam, & Ma tyrem à Bellarmino ipſo *lib. 2. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati* quoad illam Georgij impoſturam abſolvi.

4. Arguit 2. Bezam *cap. 3. a. 8. confeſſ. Chriſti fidei* dicere: *Oportuiſſe hominem creari ita bonum & purum, ut eſſet tamen mutabilis, & de iſto integritatis gradu (ſuâ quidem unius culpâ) decideret.*

5. Arguit 3. Scharpium *art. de vocat. reſp. ad 1. object. Curſ. Theolog. pag. 908.* aſſerere, *permiſiſſe Deum lapſum, & tales condidiſſe, ut laberentur*, creatione (veluti author moneat) conſideratâ non abſolutè, ſed relatâ ad decretum prædeſtinationis. Nec tantùm permiſiſſe, ſed & voluiſſe peccatum, non facere, ſed fieri, nec *per ſe & ſimpliciter*, ac ſi peccato delectaretur, ſed *ſecundùm quid*, & *propter illud nempè*, ut majus argumentum haberet patefaciendi

Digitized by Google

ciendi tum miſericordiam in reſtituendis aliquibus, tum juſtitiam in reliquis negligendis, & in damnatione relinquendis.

Arguit 4. Doctores illos Reformatos dicere, quòd creatio conſiderata ut eſt conditio exequendæ prædeſtinationis, electionis, & reprobationis, ſit eo conſilio facta, ut homo laberetur in peccatum, at ſuâ unius culpâ. Inſuper dicere de peccato conſiderato tanquàm medio oſtendendæ miſericordiæ & juſtitiæ, quòd Deus voluerit peccatum fieri, ſive permittere. Hoc autem non eſſe, Deum conſtituere authorem peccati. 6.

Arguit 5. Urſinum *q. 54. de prædeſt. q. 4. reſp. ad 3. object.* ad iſtam quæſtionem: *An induratio ſit effectus reprobationis, cujus Deus ſit author,* & conſequenter *ſit author indurationis, quæ tamen ſit peccatum?* reſpondere in hæc verba: *Reprobationis effectus eſt induratio, nimirùm ſic, ut fiat vel ſecundùm eam, vel ex eâ. Secundùm reprobationem ſeu prædeſtinationem ſunt induratio & excæcatio, quatenùs ſunt peccata: ſunt autem ex reprobatione, ſeu prædeſtinatione quatenùs ſunt juſtiſſimæ pœnæ.* Eundem Urſinum paulò antè ſic habere: *Cæcitas* (induratio) *eſt peccatum, quatenùs ab hominibus ea recipitur, & ſuo merito attrahitur. Quatenùs verò infligitur à Deo, juſta pœna eſt.* 7.

Arguit 6. Indurare Deum, indurare diabolum, indurare hominem; Deum ut judicem, diabolum ut carnificem, hominem ut reum. Indurationem, quatenùs eſt maleficium, eſſe ab homine, quatenùs ſupplicium, à Deo. De quo videri poſſe Calvinum in *Iac. 1. v. 13. & cap. 14. ad Libertinos.* 8.

Arguit 7. Si ſuæ Reformationis Doctoribus excidiſſent, quæ graviſſimis ſcriptoribus Pontificijs, quantos clamores excitandos fore. Andream Vegam, qui Concilio Tridentino interfuerit, Concilij Trident. *lib. 2. cap. 11.* ſic habere: *Deus, cùm voluntate & conſenſu velit, & faciat nobiſcum peccata, nihil horum facit, id eſt, nec præcipit, nec conſulit, nec ſuadet, nec præmiat, nec approbat peccatum, ut peccati author cenſeri non poſſit, etiamſi velit, & faciat nobiſcum peccata, hoc eſt actus, qui intrinſecam & inſeparabilem habent malitiam,* velut ibidem loquitur. 9.

Arguit 8. Bellarminum *lib. 2. de amiſſ. gratiæ, & ſtatu peccati cap. 13.* ſcribere, *Deum non ſolum permittere, impios agere multa mala, nec ſolùm deſerere pios, ut cogantur pati, quæ ab impijs inferuntur, ſed etiam præſidere ipſis malis voluntatibus, eaſque regere & gubernare, torquere ac flectere in eis inviſibiliter operando, ut, licèt proprio vitio mala ſint, tamen à Divinâ Providentiâ ad unum potiùs malum, quàm ad aliud, non poſitivè, ſed permiſſivè ordinentur.* Quæ poſtrema verba continere oppoſitum in appoſito. Nam torquere ac flectere permiſſivè, eſſe non torquere non flectere. 10.

Arguit 9. Tam ex verbis Calvini, Bezæ, Scarpij, & aliorum Ec- 11.

cleſiæ

cleſiæ Reformatæ Doctorum conſequi, Deum eſſe authorem peccatorum, quàm ex verbis Moyſis, Davidis, Ezechielis, Pauli, qui dixerunt, *Deum induráſſe cor Pharaonis, Deum uxores Davidis Abſolomo* filio violandos tradidiſſe, *2. Sam. 12. v. 11.* Deum præcepiſſe Semeo, ut malediceret *2. Sam. 15. v. 10.* A Deo Prophetas falſos pellici. *Ezech. 14. v. 9. A Deo Spiritus malos immitti, addito nocendi præcepto. 1. Reg. 22. v. 22. A Deo mitti efficaciam erroris, ut credatur mendacio. 2. Theſſal. 2. v. 11. Dei opus eſſe defectionem decem tribuum 2. Paral. 11. v. 4.* Quæ omnia judicialiter intelligenda eſſe, non moraliter, monente Auguſtino *de grat. & lib. arbit. cap. 20. & 21.* Item *in Exod. q. 18.*

12. Arguitio. Aurea eſſe, & ſolis radijs ſcripta Bezæ verba, *in abſterſione calumniarum Heſhuſij*, ubi ſic haberi: *Cauſa peccati eſt tota in ſathanâ, & in nobis; quo autem tempore, & in quem finem debeat erumpere, in poteſtate Dei eſt, qui novam non infundit, ſed eam, quæ hominibus innata eſt, pro infinitâ ſuâ ſapientiâ, quando, & quomodò libuit, movet, gubernat, flectit, regit deniquè ac moderatur ad nominis ſui gloriam, inſcijs etiam impijs, atque adeò contrarium prorſus conſilium apud ſe ineuntibus.*

CAPUT III.

Oſtenditur, Doctores Reformatos non ita ſobriè ſcribere de Deo, Diviniſquè myſterijs, quin exinde argui poſſit, ſpiritum ipſorum haud eſſe purum ac Divinum.

Probatio prima. Circa ipſam Divinitatem, ejuſque perfectiones.

13. NAm Beza in *ſuâ fidei confeſſ. cap. 1. a. 2. Gall. edit.* ita habet: *Dei Verbum nos clarè docet, Divinam Eſſentiam eſſe realiter verè & ab æternitate diſtinctam in tres perſonas.* Nunquid autem ex hoc videtur Beza ſcindere unitatem Eſſentiæ in tribus Perſonis inter ſe diſtinctis, indiviſibiliter ſubſiſtentem, atque adeò errorum jam priùs in Manichæis, Thritheiſtis, & Cononitis damnatorum ſe conſortem facere?

14. Calvinus in *Iſaiam 22. 9.* ait: *Commentum illud de abſolutâ potentiâ Dei execranda blaſphemia eſt.* Et *lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 2. Neque tamen commentum ingerimus abſolutæ potentiæ, quod ſicut profanum eſt, ita meritò deteſtabile nobis eſſe debet.* Nunquid ex hoc videtur Calvinus infringere primum ſymboli Apoſtolici articulum, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem*?

Proba-

Probatio ſecunda. Circà Trinitatem & conſubſtantialitatem Divinarum Perſonarum.

ETenim Calvinus *in ſuâ ad Polonos epiſt.* ſic ait: *Hæc precatio communiter recepta, Sancta Trinitas unus Deus miſerere nobis, mihi non placet, ac ſuam barbariem redolet.* Nunquid ergo Calvinus per hoc inſinuavit, non omnes tres Perſonas Divinas eſſe unum Deum, atque adeò tanquàm Deum non eſſe invocandas? 15.

Idem Reformator *in Opuſc.* contrà Valentinum Gentilem *pag. 1930. edit. Gall.* poſtquam recenſuiſſet hujus Valentini propoſitionem, *Deus potuit generare & producere, quia voluit &c.* ſic reſpondet: *Per hanc ſententiam fides noſtra nullâ in re corrumpitur; quandoquidem ingenuè diximus, nomen Dei per prærogativam propriè attribui Patri.* Nunquid ex hoc videtur Calvinus generationem Filij, ac productionem Spiritûs Sancti ad inſtar productionis creaturarum facere Deo liberam, atque adeò cum Arianis & Macedonianis negare Filij ac Spiritûs Sancti Divinitatem. 16.

In eodem *Opuſc. pag. 1924.* ita habet: *Certè nos uno conſenſu confitemur, Chriſtum impropriè vocari creatorem cæli & terræ, habitâ ratione diſtinctionis Perſonarum.* Nunquid ex hoc videtur Calvinus talem Patris ac Filij diſtinctionem in Deo aſſerere, quæ tollat unitatem naturæ ac omnipotentiæ, atque adeò ſapiat Arianiſmum? 17.

Idem *Inſtit. lib. 1. cap. 13. §. 23.* affirmat, *Nomen Dei per excellentiam, vel exceſſum Patri attribui*; ſivè uti habet contrà Valentinum Gentilem *protheſi 10. per præeminentiam, ſeu prærogativam.* Nunquid ex hoc videtur ſapere hæreſin Arij, Filium Patre minorem aſſerentis, ejuſque adeò cum Patre conſubſtantialitatem, ſeu naturæ veritatem ac æqualitatem negantis? 18.

Eodem *lib. cap. 13. §. 26.* ait de Deo Patre: *Deitatis eſt principium non eſſentiendo, ut fanatici nugantur, ſed ratione Ordinis.* Et *in præfat. libri contrà Valentinum Gentilem, Verbum,* inquit, *ſemper fuit Deus. Quare neutiquàm illi à Patre datum eſt, ut eſſet.* Et *in Opuſc. ad eundem Valentinum pag. 1948. Quum dicis, Eſſentiam illi fuiſſe datam à Patre, tu negas, illum à ſe ipſo eſſe: cui rei contradicit Spiritus Sanctus, qui æternum illum vocat.* Et in *admonitione ad fratres Polonos,* duram vocat Concilij Nicæni formulam loquendi, quâ Filium Dei appellat Deum de Deo. Nunquid ergo videtur negare generationem Filij à Patre, atque adeò incidere in antiquas hæreſes Eudoxianorum, & Eunomianorum? 19.

Idem *in Sum. de doctrinâ miniſterij Verbi* vocat *Spiritum Sanctum Sacramentorum Miniſtrum.* Et *lib. 4. Inſtit cap. 8. §. 8.* ait, *Spiritui Sancto notabiliter eſſe reſtri-* 20.

Digitized by Google

reſtrictum, aſſignatumque officium à Filio. Nunquid ex hoc videtur negari Divinitas Spiritûs Sancti, atque adeò reproduci hæreſis Ebionitarum & Macedonianorum. Et *in admonit. ad Polonos pag. 1967.* ſic ſcribit: *Si Pater habet ſuum Eſſe à ſe ipſo, Filius autem ſuam Eſſentiam à Patre, ac Spiritus Sanctus à Patre & Filio, an non inventæ ſunt tres Eſſentiæ ad eam in partes ſcindendam, quæ non niſi una eſſe poteſt?* Nunquid ex hoc videtur totum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium everti?

Probatio tertia. Circa Chriſtum Dominum.

21. CAlvinus igitur *Harm. in Luca 2. 40.* ait de Chriſto, *ejus animam ſubjectam fuiſſe ignorantiæ.* Et in *Epiſt. ad Galat. 3. 13.* docet: *Ieſum Chriſtum ita perſonam noſtram ſuſcepiſſe, ut peccator fuerit, & maledictionis reus.* Cui conſonat Lutherus *Comment. 2. in Galat. 3.* ita ſcribens: *Omnes Prophetæ viderunt hoc in ſpiritu, quòd Chriſtus futurus eſſet omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, ſacrilegus, blaſphemus.* Porrò Calvinus *Harm. in Matth. 26. 39.* ait de Chriſto: *In primo voto non apparet placida illa moderatio, quam dixi: quia Mediatoris officio defungi, quantùm in ſe eſt, renuit ac detrectat.* Et *Harm. in Matth. 27. 46.* ſcribit, *Chriſto elapſam eſſe deſperationis vocem.* Et *paulò poſt 47.* ait, *Sic videmus omni ex parte* (Chriſtum) *vexatum, ut deſperatione obrutus, ab invocando Deo abſiſteret, quod erat ſaluti renunciare.* Item *lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 10.* ſic loquitur de Chriſto: *Eum oportuit cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore quaſi conſertis manibus luctari.* An non igitur in his omnibus tam horrendus blaſphemiæ ſpiritus elucet, ut vix in hæreticis antiquis horribilior unquam agnitus fuerit?

22. *Probatio quarta. Circa Beatiſſimam Virginem, & ejus ſalutationem Angelicam.*

CAlvinus *Harm. in Luca 1. 34.* Virginem Deiparam accuſat potentiæ Dei malignè reſtrictæ, quando Angelo dixit: *Quomodò fiet iſtud?* Et *infrà*, ait, *Nec verò magnoperè laborandum eſt, ut eam purgemus ab omni vitio.* In *Luca 2. 35.* arguit eam quaſſatæ fidei. Ibidem *48* propenſionis ad jus ſuum tuendum, poſthabito etiam Dei reſpectu. In *Luca 8. 19.* tradit, quòd eam impulerit carnalis affectûs vehementia, ut plus juſto ſatageret. In *Ioann. 2. 3.* inquit: fines ſuos exceſſiſſe, ſeque ingerendo Chriſti gloriam obſcurare potuiſſe. Nunquid iſtæ in Virginem Deiparam blaſphemiæ apertè pugnant cum annuntiatione Angelicâ, quâ dicebatur gratiâ plena? Quomodò enim gratiæ plenitudo ſubſiſteret cum pec-

23. catis adeò enormibus? At mirum non eſt, hæc non attendi à Reformationis

tionis ſpiritu, cùm ipſam etiam Angelicam ſalutationem, an ex Deo prodierit, vocent in dubium. Sic enim Tigurini *circa Annum 1588.* publico ad Cantones Catholicos ſcripto aſſeruerunt; Se in medio poſitum relinquere, an Salutatio Gabrielis Angeli ad Mariam eo modo, quo eam protulit, de verbo ad verbum à Sanctiſſimâ Trinitate fuerit dictata. Quid hoc igitur portendit, niſi ut fundamentum honoris ab ipſomet Deo Virgini Deiparæ deſtinati è medio tollere nitantur? Iudicet ergo, quiſquis veræ pietatis affectu ducitur, an Reformationis ſpiritus proferens tales fructus, poſſit eſſe ex Deo?

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

AD *primam* Reſp. Me non ſatis mirari ſive imprudentiam, ſive impudentiam Vedroſij, aſſerentis, Reformatos Doctores *ibi* allegatos quoad illam de Deo quà peccati volitore ac authore à Georgio imputatam impoſturam, abſolvi ab ipſomet Bellarmino *lib. 2. de amiſſ. Grat.* cùm tamen iſte author *ibid. à cap. 3. uſquè ad 6.* oſtendat tum ex formalibus Zvvinglij, Calvini, & Bezæ verbis, tum ex conſectarijs inde deductis, ab hiſcè Reformatoribus Deum apertè conſtitui volitorē & authorem, ſeu cauſam peccati, ita ut exinde ſequatur, Deum verè ac propriè peccare. 24.

Ad *ſecundam* Reſp. Vim argumentationis à Georgio ex Bezâ formatæ in eo ſe tenere, quòd ille Reformator aſſeruerit, hominem eſſe à Deo, creatū ut de integritatis gradu decideret. At hiſcè verbis ſtatuitur connexio lapsûs Adami cum ipsâmet creatione, ſolius Dei propriâ. Ex hac ipsâ verò connexione ita reducitur peccatum Adami in creationem, ut conſequenter redundet in Deum Creatorem; veluti ſe clariùs expoſuit Beza *in reſp. ad Sebaſtianum Caſtellionem de æternâ Dei prædeſtinat. in refutatione ſecundæ calumniæ* inter alia ſic diſſerens: *Quærenda eſt vitij origo in inſtrumentorum ſpontaneo motu, quo fit, ut Deus juſtè decreverit, quòd illi injuſtè fecerunt. At enim dices: non potuerunt reſiſtere Dei voluntati, id eſt decreto, fateor, ſed ſicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verùm non potuerunt aliter velle. Fateor quoad eventum & energiam, ſed voluntas tamen Adami coacta non fuit.* Ex quibus adeò patet, Bezam verbis quidem culpam in peccato reducere in motum inſtrumenti ſeu Adami voluntatem. At hunc ipſum motum peccaminoſum ita dicit à Deo decretum, ut reſiſtere non poſſet inſtrumentum, nec aliter velle quoad eventum. Si ergo ipſe motus inſtrumenti peccaminoſus taliter fuit à Deo decretus, quomodò non fuit ab ipſo volitus? Planum igitur eſt, 25. 26.

Deum à Bezâ conſtitui volitorem peccati. At iſta voluntas Dei ita erat efficax, ut non potuerit aliter velle inſtrumentum, habebatque adeò cauſalitatis inevitabilis connexionem cum Adami peccato. Manifeſtè igitur ſequitur, Deum à Bezâ conſtitui authorem ſeu cauſam peccati, uti apertis verbis tradidit in ſexto Aphoriſmo adverſus dictum Caſtellionem, *Deus*, inquiens, *operatur omnia ſine ullâ boni, vel mali, virtutis, aut vitij exceptione, alioquì otioſus eſſet Deus ſecundùm Epicuri errorem.*

27. Ad *tertiam* Reſp. Reaſſumendo argumentum. Nam Vedroſius fatetur, quòd Deus ſecundùm Scharpium tales condiderit homines, *ut laberentur*, creatione tamen conſideratâ non *abſolutè*, ſed *relatè* ad decretum prædeſtinationis. Hinc autem infertur, quòd decretum prædeſtinationis ſuâ efficaciâ taliter complectatur peccatum, ut Deus voluerit fieri peccatum. *Ex Scharpio & Vedroſio citatis.* At per hoc Deus clarè conſtituitur volitor peccati. Etſi verò Vedroſius excipiat, peccatum non *ſimpliciter*, ſed ex fine miſericordiæ ac juſtitiæ eſſe volitum à Deo, nequit tamen bonitas finis intenti abſtergere medij malitiam, Apoſtolo *Rom. 3. v. 8.* atteſtente, *non eſſe facienda mala, ut eveniant bona.* Nequit ergò ex illâ exceptione eludi, quò minùs Deus ſecundùm Scharpium dicatur volitor, atque adeò author peccati.

28. Ad *quartam* Reſp. Reaſſumendo argumentum. Nam fatente Vedroſio ſecundùm Doctores Reformatos creatio tanquàm conditio exequendæ prædeſtinationis, eo conſilio eſt facta, ut homo laberetur in peccatum. Hinc autem evincitur, ſecundùm Doctores Reformatos peccatum ex vi prædeſtinationis, ſeu reprobationis habere cum creatione inevitabilem connexionem. At iſta inevitabilis connexio importat efficaciam, atque adeò cauſalitatem Divini Decreti. Ergo ſecundùm Reformatos Doctores ponitur ex parte Dei efficacia & cauſalitas in peccatum. At ex bonitate finis intenti, ſcilicet miſericordiæ ac juſtitiæ, non abſtergitur malitia medij. Quantumvis ergo dicatur Deus ex fine juſtitiæ ac miſericordiæ ordinâſſe, ut peccatum ex vi prædeſtinationis ac reprobationis, ſeu conſilij Divini eſſet inevitabiliter connexum cum creatione, non obindè eliditur illa argumentatio Georgij probantis, Reformatos Doctores conſtituere Deum authorem peccati.

29. Ad *quintam* Reſp. Reaſſumendo argumentum. Induratio & obcæcatio, ſecundùm Urſinū quatenùs ſunt ſecundùm prædeſtinationem & reprobationē, ſunt peccata, quatenùs verò ſunt ex prædeſtinatione ſeu reprobatione, ſunt juſtiſſimæ pœnæ. Atqui ad has pœnas ut ſic, ipſis Doctoribus Reformatis vel maximè contendentibus, ſe habet homo merè paſſivè. Nequit autem.

tem homo ſe habendo merè *paſſivè* peccati *formaliter* reus conſtitui, niſi hæc ratio peccati redundet in illum, ex quo *activè* promanat. At eo ipſo, quòd induratio & obcæcatio ſecundùm Urſinum, quatenùs ſunt peccata, ſint ſecundùm prædeſtinationem ac reprobationem, nequeunt *activè* reduci, niſi in Decretum prædeſtinationis ac reprobationis. Nequit ergo Urſinus purgari, quò minùs illâ ſuâ doctrinâ conſtituat Deum authorem peccati.

Ad *ſextam* Reſp. Ex Calvini verbis formalibus eſſe nimis clarum, cujus circà præſentem theſin mentis fuerit. Sic enim ſcribit *lib. 1. Inſt. c. 18 §. 1. Ejus probationis, cujus ſatban & ſceleſti latrones miniſtri fuerunt, Deus fuit author.* Et *Harm. in Matth. 13. 13. Neque tamen, quum pronunciat, cæcis obtendi velum, ut in ſuis tenebris maneant, hujus rei culpam illis adſcribit.* Et mox: *Cauſam ergo non aſſignat extra arcanum Dei conſilium.* En igitur cauſam obdurationis, 30. quæ peccatum ſit, obtrudi unicè in Deum. Nè verò quis obtendere poſſit, hoc eſſe à Deo duntaxat *permiſſivè*, audi eundem Calvinum *cit. lib. 1. cap. 18. §. 3.* ſic blaſphemantem. *Et jam ſatis apertè oſtenditur, Deum vocari omnium authorem, quæ iſti cenſores volunt, otioſo tantùm ejus permiſſu contingere.* Item *lib. de æternâ Dei prædeſt. pag. 944.* ſic habet: *Deum otioſum ea permittere, quæ Scriptura non tantùm eo volente, ſed authore fieri pronunciat, nimis frivolum effugium eſt.* Deſine igitur Vedroſi, illius Georgianæ adversùs veſtram Reformationem objectionis exceptionem ex Calvino prætexere; hic enim nimis apertè prodidit ſuum adversùs Deum blaſphemiæ ſpiritum.

Ad *ſeptimam* Reſp. Vanam eſſe tuam exprobrationem: Doctores enim Pontificij longè diſſident à doctrinâ tuæ Reformationis Deo quà authori peccatum imputantis. Nam duo oportet ex parte Dei conſiderare in ordine ad peccati permiſſionem. Alterum eſt ſubtractio auxilij efficacis ad actum bonum. Hæc autem juſtiſſimè fit à Deo ex abſoluti ſui dominij poteſtate. Quâ proinde poſitâ, ſtabunt nihilominus ſufficientes ad peccatum evitandum vires Divinitùs conceſſæ. Sub hac autem virium ſufficientiâ in creato arbitrio ita ſubſiſtit adhuc libertas, & vis dominativa, ſeu indifferentia activa ad peccatum vel faciendum, vel non faciendum, ut in ipſo tamen exercitio actûs peccaminoſi tam Deus, quàm arbitrium creatum influat. At Dei influxus ita ſe habet, ut ſit ab ipſo quà purè Efficiente, non autem Deficiente, uti eleganter advertit Sanctus Auguſtinus *de civ. lib. 12. cap. 7.* & Ioannes Damaſc. *Orthod. fid. 2. cap. 30.* Hic autem puræ efficientiæ omnimodam deficientiam excludentis influxus in eo ſe tenet, quòd Deus, advertente Divo Thomâ Aquinate, cujus Eſſentia eſt Eſſe ſubſiſtens, in effectu *ſecundùm quartum perſeitatis modum formaliter*

 reſpi-

reſpiciat Eſſe ut ſic, non autem Eſſe quà immerſum defectibilitati, ut ſic fundanti malitiam intrinſecam. Quæ proindè malitia unicè refunditur in creatum arbitrium, utpote quod ex vi ſuæ dominativæ poteſtatis ſe determinando influat *active* in actum quà immerſum defectibilitati, ut ſic fundanti formalem peccati malitiam. Vides igitur Vedroſi, quàm ſtudiosè Doctores Pontificij à Deo removeant cauſalitatem peccati, ut tamen ejuſdem quà Cauſæ primæ & univerſalis dignitatem omninò illibatam præſervent.

33. Ad *octavam* Reſp. Omninò verum eſſe, Deum gubernare ac præſidere malis voluntatibus, Cauſæ primæ influxum in eas exercendo, ut tamen puram entitatis, non autem defectibilitatis formalitatem ſuo influxu *formaliter* attingat. Hoc ipſum verò eſſe ſe habere *permiſſivè*, non autem *poſitivè*, reſpectu peccati *formaliter* ſpectati, ſive malitiæ, peccati ut ſic conſtitutivæ. Nequè in hoc eſſe aliquid oppoſitionis contradictoriæ, ſed Vedroſium ſuam ex hoc ignorantiam ſeu craſſitiem prodere, utpote ita confundentem actûs peccaminoſi malitiam formalem cum entitate, ut utriuſque cauſalitatem blaſphemè reducat in Deum.

34. Ad *nonam* Reſp. Vedroſium enormis in Deum blaſphemiæ ſe reum conſtituere. Ait enim, tam ex verbis Calvini & Bezæ conſtitui Deum authorem peccati, quàm ex verbis ſacræ Scripturæ. At formalia Calvini & Bezæ verba arguunt Deum ceu authorem & cauſam peccati. Quid ergo Vedroſi, ſacras Litteras hujus Calvinianæ blaſphemiæ reas agis?

35. Sed tua hæc ignorantia & malitia eſt. Oportuiſſet enim te in malis diſtinguere formalitatem entitatis ut ſic, nec non formalitatem deficientiæ ſeu malitiæ. At eo ipſo, quòd Dei ceu puri Eſſe, in rebus creatis effectus formalis ſit Eſſe ut ſic, ex ipsâ rei naturâ eſt, quòd ſacri per te allegati textus puram entitatis formalitatem in Dei decretum ſeu judicium reducant; veluti cum Sancto Auguſtino notavit Divus Anſelmus *de Concord. prædeſt. poſt med.* Blaſphemum igitur eſt, quòd tam ex ſacris Litteris, quàm ex verbis Bezæ & Calvini arguendus ſit Deus de cauſalitatis influxu in peccatum.

36. Ad *decimam* Reſp. Sic argumentando. Quiſquis ita flectit ac regit voluntates impiorum, ut hiſcè etiam inſcijs, imò & contrarium apud ſe conſilium ineuntibus, nec adeò *activè* ſed *paſſivè* duntaxat ſe habentibus, moveat ad actum peccaminoſum, eſt unicè cauſa, ſeu principium effectivum peccati. Atqui ſecundùm allegata Bezæ verba, Deus ita flectit ac regit voluntates impiorum, ut hiſcè etiam inſcijs, imò & contrarium apud ſe conſilium ineuntibus, nec adeò *activè*, ſed *paſſivè* duntaxat ſe habenti-

 benti-

Digitized by Google

bentibus, moveat ad actum peccaminoſum. Planum igitur eſt, Deum ex illis Bezæ verbis (ſanè non jam aureis, nec ullo veritatis radio nitentibus, ſed blaſphemiæ horrore plenis) redargui tanquàm unicam peccati cauſam, ſeu principium effectivum.

C O R O L L A R I U M.

INfertur. Argumenta, quæ Georgius *Rat. 33.* adversùs Reformatum Miniſterium deduxit, utpote nullâ ſolidâ ſolutione refutata, integra manere, & omninò firma. Ex quibus adeò ſequentem deduci argumentationem. Nequit Eccleſia illa Spiritu ſancto eſſe fœcundata, quæ horrendas in Deum blaſphemias, & hæreticas jam pridem damnatas de Divinitate, Trinitate, Perſoniſquè Divinis ac Chriſto Domino doctrinas reproducit. Ac licèt Eccleſia Reformata illas tum *cap. 3. tum cap. 4.* ex Calvino, Beza, & alijs Reformatis Doctoribus allegatas blaſphemiæ ac hæreſeos jam antiquatæ ſpiritu turgentes doctrinas conetur elidere, & in alium ſenſum torquere. Quia tamen verba vel nimis clara, vel omninò periculoſa ſunt, non poteſt eorum Eccleſia non ſe participem eorum facere, quamdiu permanet in illo ſtatu, cujus illi Reformati Doctores adeò periculosè circa Divinitatem ac Trinitatem, ipſumque Chriſtum Dominum ſentientes anteſignani fuiſſe dignoſcuntur. Ne ergo Reformati in perpetuo illo blaſphemiarum ac hæreſum ſtatu verſentur, æquum foret, ut, unde ab illis Anteſignanis ſunt averſi, eò reverterentur, redeundo ad Romanam Eccleſiam, cujus veritatem probabunt ſequentes Diſſertationes. 37

DIS-

DISSERTATIO IV.

De Primatu & Cathedrâ Romanæ Eccleſiæ, atque huius veritate.

1. MIrum eſt, quantis contradictionibus ſe involvant Reformati circà Petri Primatum, ac Romanæ Eccleſiæ Cathedram, ejuſquè doctrinæ veritatem, dum mox Petrum Romæ præſediſſe negant, ſed convicti, ejus Primatum aggrediuntur; mox & hunc agnoſcere coacti, ipſius tamen perpetuitatem oppugnant. Mox Patrum authoritate convicti, deferunt quidem Romanæ Eccleſiæ, ceu quæ primis præſertim quinque ſæculis veram & Orthodoxam doctrinam obtinuerit, quam tamen poſteà defeciſſe, multis clamoribus contendunt, ſed irrito ſanè conatu, uti mox patebit,

SECTIO I.

De Romano Petri Epiſcopatu omnibus præferendo.

CAPUT I.

Referuntur Georgij fundamenta.

2. HIc author *ſua Facis Ratione 3. Documento 1. n. 7. & 8.* probat ex Sancto Auguſtino *cap. 4. contra epiſt. fundam. & epiſt. 164.* Petrum omninò Romæ fuiſſe, ibique Epiſcopum egiſſe; habuiſſequè in hoc Epiſcopatu talem ſucceſſionem, quæ ſit ratio juſtiſſima, ut quis maneat in gremio Eccleſiæ. Quinimò Epiſcoporum Romanorum ſibi ſuccedentium ordinem eò magis conſiderandum eſſe, quòd numeretur à Petro, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus dixerit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & inferi non prævalebunt adversùs eam.* Idem Georgius *n. 9.*
3. inducit Calvinum *lib. 4. inſtit. cap. 7. ſect. 15.* ſic diſſerentem: *Propter hunc ſcriptorum conſenſum non pugno, quin illic* (Romæ) *fuerit* (Petrus nempe) *ſed Epiſcopum fuiſſe præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.*

4. Author *citatus Docum. 2. n. 11.* allegat Sanctum Auguſtinum diſertis verbis affirmantem, *Apoſtolatûs Petri principatum cuilibet Epiſcopo præferendum eſſe.* Al-

4. Allegat etiam Bullingerum *Decad. 5. ſerm. 3. §. ult.* ita ſcribentem: *Veteres Eccleſiæ ſcriptores, quos nobis objiciunt, neſcio, quid de primatu Petri teſtificantes ſunt. Uno verbo reſpondemus: non perinde nos curare, quid hic ſenſerint Veteres, quàm quid inſtituerit Chriſtus &c.*

Ex quibus Georgius *n.* 22. ita argumentatur. Veteres teſtificati ſunt de primatu Petri. Hanc verò teſtificationem non curat Bullingerus, prætendendo, quòd ſit adversùs inſtitutionem Chriſti. At ipſimet Reformati Doctores fatentur, in Romanâ Eccleſiâ primis quinque, vel ſex ſæculis fuiſſe puram & orthodoxam doctrinam. Hæc autem non admittit aliquid ab inſtitutione Chriſti alienum. Nequit ergo ille primatus Petri, quem teſte Bullingero Veteres teſtificati ſunt, à Doctoribus Reformatis (niſi ſibi ipſis contradicant) notari quaſi alienus ab inſtitutione Chriſti. 5.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

His Reformatus Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 4. in exam. rat. 3. docum. 2. & 3.* arguit 1. Quàm pueriliter Georgius arripuerit & detorſerit verba Auguſtini, ex ſequentibus demonſtratum iri. Producendos fuiſſe plures teſtes itineris Petri Romam, Epiſcopatûs & Martyrij ſub Nerone, Hanc enim opinionem vel ex communi famâ, vel ex Clementis recognitionibus, Baronij & Bellarmini judicio apocryphis, vel ex Papiâ plurium fabularum authore, quem Euſebius *lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. ult.* hominem valdè exigui judicij vocet, deſumptam eſſe. At hanc eſſe traditionem ſine Scripturâ, & contrà Scripturam. 6.

Arguit 2. Illam traditionem ideò eſſe ſine Scripturâ, quòd produci non poſſit aliquis Scripturæ locus, qui vel in ſpecie commendet hanc fabulam. Eſſe porrò contrà Scripturam, probari ex Mareſio *in Antitir. cont. 6. pag. 214. ac ſeq.* Quem ubi irrefragabili Chronologiâ id eviciſſet, tandem omnia in hanc ſummam colligere: *Quid igitur? Cùm non fuerit Romæ, & necdum fuiſſet Antiochiæ, ſed Hieroſolymis adhuc hæreret cum reliquis Apoſtolis, quando Paulus ipſum inviſit. Gal. 1. 18. Quando Barnabas miſſus Antiochiam, quando Agabus famem Antiochiæ prædixit 1. Claudij; quando ab Herode in vincula eſt conjectus poſt 2. Claudij. Cùm non fuerit Romæ, ſed Babylone, quando primam ſuam epiſtolam ſcripſit, cùm non fuerit Romæ, ſed Hieroſolymis, quando ſynodus Hieroſolymitana fuit celebrata; cùm non fuerit Romæ, ſed Antiochiæ diu poſt illam ſynodum, quando Paulus ipſi reſtitit in faciem; cùm non fuerit Romæ, quando Paulus Romam venit, Româ ſcripſit, Romæ ultimum agonem præſtolabatur. Nunquàm poterunt Pontificij ſeptennium Pe-* 7.

Digitized by Google

um Petri in ſede Antiochenâ, & annos 25. in Romanâ cum Scripturis ſacris conciliare.

8. Arguit 3. Poſito tamen, quòd Petrus Romæ fuerit, non idcirco ſequi, eum fuiſſe Epiſcopum ordinarium. Omnes enim Apoſtolos virtute ſui Apoſtolatûs fuiſſe Epiſcopos *in Habitu*, totius orbis: *in actu* fuiſſe Epiſcopos eorum fidelium, quibus, & quamdiu *actu* prædicârint. Atqui ex Apoſtolo facere Epiſcopum alicujus Eccleſiæ particularis ordinarium, eſſe ipſum ex Apoſtolatûs faſtigio deturbare. Nam Apoſtolatum teſte Chryſoſt. *hom. 1. in epiſt. ad Roman. mille continere dona, omnem gratiam complecti & ſuperare.*

9. Arguit 4. Non eſſe credibile, quòd Petrus vadimonio deſerto, quo cum Iacobo, Paulo, & Barnabâ dedit dexteram ſocietatis, ut illi inter Iudæos, hi inter Gentes officio evangelizandi fungerentur *Gal. 2. v. 9.* Epiſcopatum 25. annorum inter gentes ſuſceperit & geſſerit: dum tamen nec vel vola, vel veſtigium hujus in actis Apoſtolicis, ſed omnia contraria appareant.

10. Arguit 5. Se tamen unà cum Calvino per Georgium *citatum* fateri, hanc opinionem Eccleſiæ Romanæ magnam conciliâſſe gratiam, inprimis cùm eam inſuper commendârit loci eminentia, & imperium orbis, atquè cùm piorum Antiſtitum eam gubernantium ſucceſſione, myſterij, pietatis, & orthodoxiæ longior, quàm in Aſiaticis, & Africanis inter ſe tumultuantibus Eccleſijs, conſervatio. Hinc nempè factum eſſe, ut hæc ſedes cæteris fuerit prælata, ſententia, conſilium, & ſuffragium ejus in litibus ſubortis à diſſidentibus fuerit quæſita, & injurijs alibi preſſi ad eam tanquàm aſylum confugerint. Imperium autem ejus in omnes Chriſtiani orbis Eccleſias, quòd ſequioribus ſæculis rapuit, nè vel per febrim Veteres ſomniâſſe.

11. Arguit 6. Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 24. circà finem*, ſatis quidem conſtare, quòd Patres pro dignitate Romani Epiſcopi, argumento à ſucceſſione poſito uſi fuerint: ſed intellexiſſe cum locali & perſonali ſucceſſione in urbe Romanâ, & Epiſcopatu ejus celeberrimo conjunctam perpetuam ejuſdem doctrinæ, & fidei quaſi per manus ſibi ſuccedentium Epiſcoporum traditionem. Hoc facere licuiſſe Irenæo & Tertulliano contrà hæreticos, Optato & Auguſtino contrà Manichæos ac Donatiſtas. Nam ſæcula illa fuiſſe doctrinæ Apoſtolicæ tenacia, & aureis ſimillima, ſaltem tam notoriam doctrinæ mutationem apud primos illos Romanos Epiſcopos, quantum in hodiernis Pontificibus, non apparuiſſe.

12. Arguit 7. Heideggerus *citatus*. Quam ſucceſſionem Romanorum Epiſcoporum intellexerint Patres, proditum eſſe ab Irenæo *lib. 3. n. 43.* ubi

cum

Digitized by Google

um Epiſcopatûs ſucceſſione conjungat chariſma veritatis ſecundùm placitum Patris. Et ab Ambroſio *de pœnit lib. 1. c. 6.* ſic diſſerente: *Non habet Petri hæreditatem, qui Petri non habet fidem.* Dandam igitur eſſe operam Romanis Pontificibus, ut Petri fidem poſtliminiò in præcordia admittant; ſic ſe Reformatos de hæreditate ejus controverſiam ipſis non eſſe moturos.

CAPUT III.

Oſtenditur, Petrum Romæ præſediſſe, non Vrbis duntaxat, ſed totius orbis Epiſcopum egiſſe, ac jus ſucceſſionis poſt ipſum in Pontificibus Romanis remanſiſſe.

Probatio prima, quâ demonſtratur, Petrum Romæ fuiſſe.

NAm Petrus in *fine primæ ſuæ epiſtolæ* ſic habet: *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* At hic ſub Babylone figuraliter intelligi Romam, ubi Petrus ſcripſerat illam epiſtolam, teſtatur Papias Apoſtolorum diſcipulus apud Euſebium *lib. 2. hiſt. cap. 15.* Cui conſonat Apocalypſis, in quâ Romana urbs, annotante Tertulliano *lib. 3. contra Marcionem*, qualis erat tempore Ioannis, *præſertim cap. 17.* dicitur Babylon, quam idem Propheta ruituram prædixit, quoad imperium ſcilicet ac gentiliſmum, ceu dæmoniorum habitationem, non verò quoad Eccleſiam ſuper petrâ, ſive Petro fundatam. Hinc Sanctus quoquè Hieronymus *in lib. de viris illuſt. in Marco* ſic ait: *Petrus in Epiſtolâ primâ ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans, ſalutat (inquit) vos Eccleſia, quæ in Babylone collecta eſt.* Cùm igitur Petrus Romæ ſcripſerit Epiſtolam, nemo dubitare jam poteſt, quin Romæ fuerit, Patribus & Hiſtoricis Eccleſiaſticis communiter id atteſtantibus, ſpeciatim Irenæo *lib. 3. cap. 3.* Euſebio *lib. 2. hiſt. cap. 14.* Arnobio *lib. 2. contrà Gent.* Epiphanio *hæreſi 27.* Chryſoſtomo *in Pſal. 48.* Oroſio *lib. 7. hiſt. cap. 6.* Leone *Serm. 1. de Natali Apoſtolorum.* Theodoreto *in caput 1. ad Roman.* Gregorio Thuronenſi *lib. 1. hiſtor. cap. 25.* Theodoſio Imperatore *leg. Cunctos populos. de Sum. Trinit. & fide cathol.* Unde Calvinus ſuprà *n. 3.* allegatus propter conſenſum (uti ait) ſcriptorum negare non audet, quòd Petrus Romæ fuerit. 13.

Probatio ſecunda, quâ demonſtratur, Petrum Romæ præſediſſe cum primatu totius orbis.

NAm Petrus ubicunque eſſet ſedem ſuam fixurus, ſecum ferebat illam poteſtatem à Chriſto *Matth. 16.* promiſſam: *Tibi dabo claves regni cælorum,* 14.

lorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. At iſta poteſtas eſt abſoluta & univerſalis tam ratione materiæ ſubjectæ, quàm ratione loci ſeu terræ. Hæc ipſa verò poteſtas à Chriſto primitùs promiſſa, eſt Petro poſt reſurrectionem actualiter collata his verbis: *Paſce agnos meos*, & *Paſce oves meas.* Eſt autem planum, hiſcè verbis Petrum eſſe conſtitutum Paſtorem agnorum & ovium Chriſti abſque ullâ reſtrictione, ſed omninò indefinitè ac illimitatè, atque adeò hoc paſtorale munus in Petro eſſe univerſale tam reſpectu fidelium ceu Chriſti ovium, quàm reſpectu actuum paſtoralis officij in Eccleſiâ propriorum. Cùm igitur Petrus iſtam paſtoralis muneris poteſtatem omninò illimitatam ac univerſalem eò ſecum intulerit, ubi ſedem figebat, conſequens eſt, Petrum, ſe conferendo Romam, uti *præced. 1. probatione* oſtenſum eſt, in ſedem ibi fixam intuliſſe univerſale in omnes Chriſti fideles cum abſolutâ & illimitatâ ſolvendi & ligandi poteſtate munus paſtorale. Eſt autem per ſe manifeſtum, tale paſtorale munus omnes Chriſti agnos & oves, ipſoſque adeò Epiſcopos ac reliquos Apoſtolos complectens, eſſe primatum Eccleſiæ. Conſequens igitur
15. eſt, Petrum in Romanam ſedem intuliſſe primatum officij paſtoralis. Quem proinde Petri primatum agnoſcunt Sancti Patres univerſim tam Græci, quàm Latini, nominatim Clemens Romanus *Anno Chriſti 80. in epiſt. ad Iacob.* Dionyſius *Anno 100. lib. de Divin. nomin. cap. 8.* Tertullianus *Anno 200. de præſcript. hæretic. cap. 22.* Origenes *Anno 230. in Matth. de Canone novi Teſtamenti.* Hyppolitus *Anno 220. orat. de confirm. mundi.* Cyprianus *Anno 250. Epiſt. 40. & de unit. Eccleſ.* Euſebius Alexandrinus *hom. de reſurrect. in Marci 16. v. 7.* Petrus Alexandrinus *ſerm. de Pœnit.* Athanaſius *in epiſt. ad Felicem.* Theophylactus Antiochenus *lib. 2. Allegor. in Evang. Marci.* Baſilius Magnus *ad c. 2. Iſaiæ.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 2* Gregorius Nazianzenus *art. 26. de moderat. in orat. habendâ.* Epiphanius *in Ancorato.* Ioannes Chryſoſtomus *Orat. in Iudæos, & homil. ult. in Ioan.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12. & lib. 12. cap. 64.* Ambroſius *ad cap. 24. Lucæ, & ad cap. 1. ad Galat.* Optatus Milevitanus *lib. contrà Donatiſtas.* Hieronymus *epiſt. 54. ad Marcellum, & in Pſalm. 13.* Auguſtinus deniquè Patrum agmen quaſi concludens *tract. 56. & tract 124. in Ioan.* Item *lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1.* Quorum omnium ac plurium Patrum verba brevitatis causâ hîc omiſſa, non erit difficile ad oculum cuicunque id petenti demonſtrare.

***

Proba-

Probatio tertia, *quâ demonſtratur, jus ſucceſſionis poſt* **Petrum in Romanis Pontificibus** *remanſiſſe.*

NAm Petrum Romæ ſuam fixiſſe ſedem, ſuamque adeò muneris paſtoralis univerſalem poteſtatem eò intuliſſe, conſtat ex *præced. probat.* 1. & 2. Atqui Petrum Romæ mortuum, & Martyrio decoratum eſſe, nemo ſanæ mentis negaverit, atteſtantibus Patribus & Hiſtoricis Eccleſiaſticis univerſis, ſpeciatim Sancto Ignatio in *Epiſtolâ ad Romanos.* Dionyſio Corinthio *apud Euſebium*, & hoc ipſo *lib. 2. hiſt. cap. 25.* Egeſippo *lib. 3. de excidio Hieroſolymæ cap. 25.* Theodoreto *in epiſt. ad Leonem Papam.* Origene *lib. 3. in Geneſin.* Athanaſio *Apolog. pro fugâ ſuâ.* Chryſoſtomo *hom. 32. in epiſt. ad Roman.* Tertulliano *de præſcript.* Lactantio *lib. 4. Divin. Inſtit. cap. 21.* Ambroſio *in orat. contra Auxentium.* Hieronymo *de viris illuſtribus in Petro.* Auguſtino *lib. 1. cap. 10. de conſenſu Evangel.* Maximo *ſermon. 5. de Natali Apoſtol.* Sulpit. *lib. 2. ſacra hiſtor.* Oroſio *lib. 7. hiſtor.* Eutropio *lib. 7. in vitâ Neronis.* Iſidoro *in vitâ Petri.* & alijs. Quia ergo Petrus ſui paſtoralis muneris ſede Romæ fixâ, ibidem mortuus eſt, hancque adeò ſedem vacantem reliquit, oportet, illud ipſum paſtorale munus tranſiiſſe in ſucceſſores, ſi illa Petri poteſtas ac officium non erat ejus duntaxat perſonæ annexum, ſed in poſteros transferibile. Atqui illud paſtorale munus ſecundùm inſtitutionem Chriſti eſſe transferibile in ſucceſſores, probabitur ex ipſis Chriſti Domini verbis *ſeq. ſect. cap. 3.* deducendis. Cujuſmodi adeò ſucceſſionis jus in Romanis Pontificibus apertè agnoſcunt Patres, partim Romanorum Pontificum Petro ſuccedentium catalogum contexendo, partim ſucceſſionem ejuſmodi in Petri Cathedrâ Romanâ apertis verbis adſtruendo, prout videre eſt apud Sanctum Irenæum *lib. 3. cap. 3.* Tertullianum *lib. de præſcript.* Cyprianum *lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium*, & *lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum.* Euſebium *in Chronico Anni 44.* Epiphanium *hæreſi 27.* Athanaſium *in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.* Dorotheum *in ſynopſi.* Sozomenum *lib. 4. c. 14.* Optatum *lib. 2. contra Parmenianum*, Ambroſium *lib. 3. de Sacram. cap. 1.* Auguſtinum *ſuprà n. 2.* citatum. Conſtat igitur, ex Patribus & Hiſtoricis Eccleſiaſticis jus ſucceſſionis in Romanâ Petri cathedrâ ſemper agnitum fuiſſe in Chriſti Eccleſiâ, ipſis etiam Reformatis Doctoribus *ſuprà n. 3. & 4.* allegatis id fateri coactis.

16.

17.

(JESUS)

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

18. AD *primam* Reſp. 1. Georgium verba Auguſtini non alio ſenſu ac fine, quàm Sanctus hic Doctor intenderat, allegando, minimè pueriliter, ſed prudenter egiſſe. Atqui ex Romanorum Pontificum in Petri Cathedrâ ſuccedentium ſerie Sanctus Auguſtinus *lib. 4. contrà epiſt. fundam.* deſumpſit argumentum, quo juſtiſſimè teneretur in Eccleſiâ. Ergo Georgius ex hac ipsâ ſucceſſione deſumendo fundamentum credibilitatis, quo reduceretur in Eccleſiam Romanam illâ ſucceſſione firmatam, ac deſereret Eccleſiam Reformatam tali ſucceſſione deſtitutam, ita imitatus eſt Sanctum Auguſtinum, ut ſanè prudenter, non autem pueriliter egiſſe exinde dicendus ſit, niſi ipſummet Sanctum Auguſtinum levitatis arguendum contendat Vedroſius.

19. Reſp. 2. Tot jam teſtimonia Sanctorum Patrum de Petri ſede Romæ fixâ, ejuſque Epiſcopatu ac Primatu & Martyrio ibidem conſummato eſſe ſuperiùs *n. 13. & 15.* producta, ut vel hinc manus daret Vedroſius, ſi veritatem quæreret. Nam in Patribus primorum quinque ſæculorum ſecundùm ipſos etiam Reformatos ita ſtetit illibata & pura fidei doctrina, ut conſequenter non poſſint dici erràſſe in ijs rebus, ſub quibus tegitur aliquod fidei dogma univerſalem concernens Eccleſiam. At iſta quæſtio, *an in Cathedrâ Petri Romæ fixâ ſit jus ſucceſſionis ad poſteros transferibile*, complectitur fidei dogma, in quo Reformati vel maximè redarguunt Pontificios de errore fidei adverſante. Iſtud autem dogma neceſſariò involvit, quòd Petrus Romæ ſedem fixerit, eamque ibi vacantem morte ſuâ reliquerit, atque adeò ſucceſſionis jus non in alios, quàm Romanos Epiſcopos tranſmiſerit. Niſi ergo Reformati ſibi contradicendo, Patres *ſuperiùs* citatos velint redarguere erroris in fidei dogmate hodie præcipuè controverſo, oportet, ipſos omninò fateri, Petri ſedem Romæ fixam ibi vacâſſe cum jure ſucceſſionis, ad poſteros Romanos Pontifices tranſeunte.

20. Ad *ſecundam* Reſp. 1. Illam quæſtionem, an Petrus Romæ fuerit, ex ipſis etiam ſacris Scripturis reſolvi. Nam ex Pauli ad Romanos epiſtolâ manifeſtè conſtat, Evangelium Chriſti Romanis prædicatum eſſe, antequàm Paulus Romam veniret. Hinc enim Apoſtolus eiſdem ſcripſit tanquàm vocatis Ieſu Chriſti, *ex init. dicta epiſt.* Atqui Evangelium hoc ab illo utique Apoſtolo Romæ illatum eſt, quem Papias *ſuprà n. 13.* citatus teſtatur

ſtatur, ex ipsâmet Româ ſcripſiſſe: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone* (Romæ ſcilicet) *collecta.* Neque verò adversùs iſtam Papiæ teſtificationem juſtè excipit Vedroſius, eò quòd ille Apoſtolorum diſcipulus ab Euſebio dicatur homo exigui valdè judicij. Quamvis enim Euſebius citatus dixerit de Papiâ, ipſum ceu ingenij pertenuis hominem in arcanis figuris & parabolis ſubobſcuris Apoſtolicas interpretationes malè intellexiſſe, ipſum tamen ait, in colligendis Apoſtolicis traditionibus, & prædicationibus excipiendis valdè ſedulum fuiſſe. At verò an, præinſinuata Petri epiſtola Romæ ſcripta fuerit, non erat quæſtio tam profunda & obſcura, ut magno ingenio ad id opus eſſet. Non eſt igitur, cur exceptio ex Euſebio contrà Papiam producta dicatur habere locum in eo, quòd ſcripſerit, illam Petri epiſtolam fuiſſe Romæ ſcriptam, in eâque ſub Babylone intellectam eſſe Romam; eò vel maximè, quòd conſentiat etiam Apocalypſis, in quâ Roma gentilium erroribus adhuc plena, & imperij faſtu turgida, non autem (uti blaſphemant moderni hæretici) Eccleſia Romana, Babylonis nomine nuncupatur. Conſtat igitur, non deeſſe argumenta ex ſacris Litteris petita, quibus probetur, Petrum Romæ fuiſſe. 21.

Reſp. 2. Illam Mareſij Chronologiam plenam eſſe commentis. Nam Paulus *Galat. 1. v.* 18. teſtatur, ſe Petrum Hieroſolymis conveniſſe poſt tres à ſuá converſione annos. Cum hoc autem minimè pugnat, quòd Petrus quinto à paſſione Domini anno dicatur ingreſſus Antiochiam. Neque verò ita ſedem ibi fixit, ut ex eâ non ſit aliquando egreſſus. Quinimò conſtat, eodem tempore peragrâſſe Pontum, Aſiam, Galatiam, Cappadociam, & Bithyniam. Unde etiam accidit, ut anno ſeptimo Epiſcopatûs Antiochenſis, qui erat undecimus à paſſione Domini, rediret Hieroſolymam, ibiquè comprehenſus ab Herode in vincula ſit conjectus *Act.* 12. Verùm ab Angelo liberatus eodem anno, ſecundo nimirum Claudij, Romam venit, ibiquè ſedem fixit. Quam viginti quinque annis ab eo obtentam fuiſſe, præter alios diſertè teſtatur Sanctus Hieronymus *de viris illuſtribus in Petro.* 22.

Neque verò obſtat, quòd Mareſius excipiat, Petrum non fuiſſe Romæ, ſed Babylone, quando primam ſuam epiſtolam ſcripſit; nam oppoſitum ſupra *n.* 13. oſtenſum eſt. Minùs obeſt, quòd aſſerat, non fuiſſe Romæ, ſed Hieroſolymis, quando ſynodus Hieroſolymitana celebrata fuit. Nam quia Claudius ex urbe ejecerat omnes Iudæos, uti ſcribunt cum Ioſepho Suetonius in *Claudio*, & Oroſius *lib. 7. hiſt.* idcircò Petrus, poſteaquàm ſeptem annis Romæ prædicaverat, redijt in Hieruſalem. Tunc autem eò miſſi ſunt Paulus & Barnabas ſuper quæſtione de circumcidendis ex Gentiliſmo converſis, celebratumquè eſt Concilium Hieroſolymitanum. *Act.* 15. 23.

Verùm

Verùm Claudio mortuo, Petrum rediiſſe Romam, ibique vitam finiiſſe, contrà vanas & fictitias Mareſij exceptiones diſertis verbis unanimiter ſtatuunt Patres ac Hiſtorici Eccleſiaſtici *ſuprà n. 16.* adducti.

24. Reſp. 3. Poſito tamen, quòd Petrus non integris viginti quinque annis Romæ conſediſſet, adhuc ſubſtituram noſtram intentionem. Nam hæc in eo ſe tenet, quòd Petrus Romæ quantocunquè tandem tempore ſedem fixerit, ibique mortuus ſedem ibi vacantem reliquerit, paſtoralis erga univerſam Eccleſiam muneris primatu à Chriſto fuerit dotatus, cum jure ſucceſſionis in poſteros Pontifices tranſmittendo. Atqui hæc omnia efficaciter probata ſunt in antecedentibus. Quamvis ergo, (præter communem ab ipſiſmet quoquè Patribus probatam opinionem) illi viginti quinque anni de ſede Petri Romæ fixâ non ſubſiſterent, adhuc tamen univerſalis paſtoralis Officij ſucceſſio in Romanis Pontificibus maneret probata.

25. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Illa poteſtas eſt ordinaria, quæ in ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum eſt collata, hinc enim non ad illam duntaxat perſonam, cui primitùs confertur per modum legationis, eſt adſtricta, ſed cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexa, neceſſariò tranſit in ſucceſſores, Atqui Apoſtolatum reliquis Apoſtolis per modum duntaxat legationis eſſe conceſſum, Petro autem in ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum eſſe à Chriſto collatam univerſalis muneris paſtoralis poteſtatem, *ſeq. ſect. cap. 3.* ex ſacris Litteris demonſtrabitur. Conſequens igitur eſt, Apoſtolicam Petri authoritatem, non verò reliquorum Apoſtolorum, eſſe ordinariam, in ſucceſſores adeò transferibilem. Neque hoc eſt, ex Apoſtolo facere Epiſcopum particularem alicujus duntaxat loci, ſed univerſalem totius orbis Chriſtiani, ſive univerſarum Chriſti ovium.

26. Ad *quartam* Reſp. Fœdus Petri cum Paulo initum non ejus fuiſſe conditionis, ut Paulus nunquàm ampliùs Iudæis, & Petrus Gentibus prædicaret, ſed ut pro illâ duntaxat vice Cephas cum Iacobo & Ioanne in circumciſionem, Paulus autem cum Barnabâ ad Gentes abirent, ac Evangelij prædicationem diſſeminarent. Unde Paulus non eſt factus reus violati fœderis, quamvis deinceps Iudæis ſpeciatim Romæ *Act. ult.* prædicâſſe dignoſcatur. Cur igitur Petrus, ubi fœderi illi pro tempore conſtituto inter Iudæos prædicando ſatisfeciſſet, non potuiſſet ſuâ per Chriſtum illimitatè conceſsâ poteſtate uti inter Gentes, maximè cùm ipſi etiam adverſarij fateri cogantur, eum peragrâſſe Aſiam, Galatiam, Pontum, Cappadociam, & Bithyniam. Vides igitur, vadimonio, quo Petrus Paulo dedit dexteram, nullatenùs adverſari, quò minùs ſuam prædicationem ac ſedem paſtoralem potuerit Romæ inferre.

Ad

Digitized by Google

Ad *quintam* Reſp. Reaſſumendo argumentum Georgij *ſuprà cap. 1. n. 15.* deductum. Nam Vedroſius in præſenti ſuâ argutiâ fatetur, in Antiſtitibus Petro Romæ ſuccedentibus, Romanamquè Eccleſiam gubernantibus, fuiſſe myſterium pietatis, & orthodoxiæ longiorem conſervationem, quàm in Aſiaticis & Africanis Eccleſijs. Eo ipſo autem, quòd in illis Antiſtitibus fuerit myſterium pietatis & orthodoxiæ conſervatio, oportet, ipſos nullam ſibi vendicâſſe prærogativam ac poteſtatem inſtitutioni Chriſti adverſantem. At verò ex Sancti Auguſtini ſupra *cap. 1. n. 4.* adductis verbis conſtat, illam ſucceſſionem fuiſſe in ſede Petri. Hæc autem importabat Apoſtolatûs principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum, ex Auguſtino *ſuprà n. 5.* allegato. De quo proinde Petri primatu veteris Eccleſiæ (ſecundum ipſos etiam Reformatos puræ & orthodoxæ) ſcriptores teſtificatos eſſe nolens volens fateri cogitur Bullingerus *ſupra n. 4.* adductus. Conſequens igitur eſt, Antiſtites Romanæ Eccleſiæ ſuccedendo in ſede Petri de jure ſibi vendicâſſe Principatum Apoſtolatûs, omnibus Epiſcopatibus præferendum, nec in hoc egiſſe contrà Chriſti inſtitutionem, ſiquidem cum iſtius violatione non ſtaret myſterium pietatis in illis Romanis Antiſtitibus illibatè conſervatum. At non niſi vi illius principatûs, ob probatam in ſede Petri ſucceſſionem, Antiſtitibus Romanis competentis accidere potuerunt illa, quæ Vedroſius *citatus* fateri cogitur, facta tata, ut ſcilicet ſententia Romanæ Eccleſiæ in litibus ſubortis fuerit à diſſidentibus quæſita, preſſique injurijs ad eam tanquàm aſylum confugerint. Talis verò Principatus lites per totum Chriſtianum orbem ſuis ſententijs dirimens, ac injurijs preſſos recipiens, juſtitiamquè adeò adminiſtrans importat in cauſis ſpiritualibus imperium totius orbis Chriſtiani. Eo ipſo autem, quòd ſucceſſio illa in præteritis Antiſtitibus Romanis (ipſis etiam Reformatis fateri coactis) fuerit legitima, ſequitur, de jure tranſiſſe ad quoſcunque ſubſequentes Pontifices, ſiquidem iſtud jus ſucceſſionis ſemel conſtitutum & conceſſum non poſſit non eſſe perpetuum, utpotè Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatui annexum. Quia igitur illud totius orbis Chriſtiani imperium ſeu Principatus Eccleſiæ in primis Romanæ Eccleſiæ, Petro ſuccedentibus Antiſtitibus fuit legitimus, conſequens eſt, eum jure vendicari à quocunquè Romano Antiſtite, legitimè ſuccedente in ſede Petri.

Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. Nam Heideggerus fatetur, ſatis conſtare, quòd Patres pro dignitate Romani Epiſcopi argumento à ſucceſſione petito uſi fuerint. At iſtud argumentum procedit ex ſucceſſione in ſede Petri. Hæc verò ſedes importat principatum Apoſtolatûs omnibus præferendum reſpectu totius orbis Chriſtiani, uti patet tum ex Sancto 27.

Augu-

Auguſtino *ſuprà* adducto, tum ex Patribus *n.14. & 15.* allegatis. Eo ipſo autem quòd illa ſucceſſio ſemel fuerit legitima, atque adeò ſecundùm Chriſti inſtitutionem; oportet ipſam omni tempore, utpote perpetuo Eccleſiæ ſtatui annexam, fuiſſe legitimam. Planum igitur eſt, Pontifices Romanos noſtris temporibus in eadem Sede ſuccedentes non poſſe excludi à primatu Apoſtolatûs erga totum orbem Chriſtianum. Quòd autem Heideggerus aſſerat, tam notoriam ſaltem doctrinæ mutationem apud primos illos Romanos Epiſcopos, quantam in hodiernis Pontificibus, non apparuiſſe, meriſſima eſt calumnia *infra ſeriùs* excutienda.

28. Ad *ſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Succeſſio Romanorum Pontificum in ſede Petri eſt fundata ex inſtitutione Chriſti, promittentis Petro de Eccleſiâ ſuper hanc petram fundandâ, ita ut portæ inferi non prævalerent adversùs eam, veluti patet ex Matth. *16.* junctis præſertim Sanctorum Patrum expoſitionibus partim *ſuprà cap. 3.* allegatis, partim *ſeq. ſect. 2. cap. 3. n. 37.* exprimendis. At iſta Divina promiſſio perpetuum Eccleſiæ ſtatum, nec adeò ſolius Petri perſonam, ſed legitimos in Sede & Apoſtolatu ipſius ſucceſſores concernens, non permittit, ut alia in ſubſequentibus Romanis Pontificibus ſit fides, quàm Petri. Verum igitur eſt, Romanorum Pontificum in Sede Petri ſucceſſionem conjunctam eſſe cum chariſmate veritatis ſecundùm Patris placitum Petro revelatæ, nec adeò Pontifices illos aſſequi Petri, ejuſque primatûs hæreditatem, quin habeant Petri fidem. Cùm proinde iſta Petri fides reſideat in præcordijs Romanorum Pontificum, omninò erit Reformatis danda opera, ut poſtliminiò eandem in ſuis præcordijs admittant, nullamque controverſiam de ejus hæreditate moveant.

COROLLARIUM.

29 INfertur. Vedroſium ad punctum argumentationis à Georgio formatæ, ac *ſuprâ n. 5.* expoſitæ non reſpondere, ſed hoc relicto, ad varios anfractus declinare, atque adeò vim illius illationis inſolutam, omninòque firmam ſubſiſtere, prout hæc omnia facilè patebunt expendenti Vedroſianas argutias *cap. 2.* expoſitas, & *cap. 4.* refutatas. Unde ſic licere argumentari. Illa Eccleſia eſt vera, quæ obtinet ſucceſſionem in Sede Petri, veluti argumentatur Sanctus Auguſtinus *cap. 4. contrà epiſt. fund.* At iſtam eſſe Eccleſiam Romanam, ex ſacris Litteris, & Sanctis Patribus efficaciter probatum eſt *cap. 3. probat. præſertim* 3. Ergo Eccleſia Romana eſt omninò vera Eccleſia.

SECTIO II.

De Apoſtolico Petri Cathedræ principatu, Romanæquè adeò Eccleſiæ univerſali authoritate.

CAPUT I.

Referuntur Georgij fundamenta.

HIc author *ſuæ Facis Rat. 3. docum. 3. n. 16.* inducit Sanctum Auguſtinum *epiſt. 161.* ſic diſſerentem: *Semper in Romanâ Eccleſiâ Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Quam veritatem adeò claram eſſe, ait, ut eam apud Veteres prævaluiſſe, Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 7. ſect. 5.* fateri coactus fuerit: *Nullum*, inquiens, *fuit tempus, quo non Romana ſedes imperium in alias Eccleſias appetiverit.* Ex quo ita argumentatur Georgius. Nullum, aſſerente Calvino, fuit tempus, in quo Romana ſedes imperium in alias Eccleſias non appetiverit. Ergo hæc ſedes appetijt iſtud imperium illis quoquè temporibus, quibus teſte Bullingero *decad. 3. ſerm. 1. §. poſter.* Pontifices obibant munera verorum Paſtorum, item quibus teſte Polano *cap. 18. Theſi 66.* Pontifices erant Orthodoxi; item in quibus & multis quidem ſæculis, teſte Scharpio *Curſ. Theolog. art. S. Script. cont. 8. reſp. 1. ad object. 19.* Traditionem Apoſtolicam & Orthodoxam conſervârunt, &c. Atqui cum iſtâ Apoſtolicâ, & Orthodoxâ Traditione non cohæreret, ſi multis illis ſæculis contra inſtitutionem Chriſti abſquè ullo jure Romani Pontifices appetiviſſent imperium in alias Eccleſias. Oportuit igitur, multis illis ſæculis Romanam Eccleſiam de jure, ac inſtitutioni Chriſti conformiter appetiviſſe illud imperium. At quod ex jure inſtitutionis Chriſti licuit in anteceſſoribus Romanis Pontificibus, licet etiam in ſucceſſoribus. Ergo Romana ſedes hodiequè de jure, ac inſtitutioni Chriſti conformiter appetit imperium in alias Eccleſias, ſive Apoſtolicæ Cathedræ principatum, teſte Divo Auguſtino *ſuprà n. 1.* adducto, ſemper vigentem in Romanâ Eccleſiâ. 1 2.

Idem Georgius *docum. 4.* inducit Sanctum Auguſtinum *epiſt. 106. & cap. penult. de pœnit.* diſertis verbis affirmantem, Sacrarum cauſarum judicium tunc temporis delatum fuiſſe Romanæ Sedi. Quam authoritatem in Romanâ Cathedrâ à veteribus agnitam fuiſſe, nolens volens, fatetur etiam Sculterus *cap. 16. Synth. doct. Athan. Medull. Patrum*: *Sed quæri poteſt*, inquiens, *cùm ad Romanum Pontificem, & non ad Hieroſolymitanum, vel Antiochenum* 3.

Digitized by Google

4. *confugerint accuſatores Ægyptij?* Ex quibus ita concludit: Ius Romanæ Eccleſiæ à Veteribus Orthodoxis Doctoribus agnitum, nunquàm potuit exſpirare, atque adeò legitimè hodie uſurpatur. Atqui ex Divi Auguſtini ac Sculteri teſtimonijs abundè conſtat, à Veteribus Doctoribus Orthodoxis fuiſſe agnitum in Eccleſiâ Romanâ ſupremum ſacrarum cauſarum judicium. Hoc igitur jus hodiequè legitimè obſervatur in Eccleſiâ Romanâ.

5. Author citatus *Docum. 5. à n. 24.* probat, omnia illa jura ac prærogativas Romanæ ſedi deferendas eſſe ex eo, quòd Chriſtus Dominus ſub illis verbis: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, intellexerit Petrum; atteſtante id Sancto Auguſtino *epiſt. 164.* Imò ipſos etiam Reformatos Doctores, Calvinum ſcilicet *lib. 4. inſtit. cap. 6. ſect. 6.* Bullingerum *Decad. 5. ſerm. 2. §. Turpiter*, fateri, ait, quòd plures Patres in illis Chriſti verbis ſub petrâ intellexerint Petrum. Ex quo ita concludit: Licèt hunc Patrum
6. ſenſum Reformati Doctores damnent, eſſe tamen legitimam ſacræ Scripturæ, utpote à Patribus primorum quinque ſæculorum (in quibus teſte Calvino *lib. 1. cap. 11. ſect. 13.* florebat religio, & ſyncerior doctrina) traditam expoſitionem, præferendam ſenſui illorum Reformatorum, fatetur Bullingerus *parte ult. c. de decretis Concilij Chalcedonenſis* aſſerens: *Tutiùs omninò eſſe, veteribus, quàm neotericis Scripturæ expoſitionibus credere.* At Epiſcoporum Romanorum ſucceſſionem Sanctus Auguſtinus *epiſt. 164.* cenſuit, eò certiùs ac ſalubriùs numerandam à Petro, quòd huic totius Eccleſiæ figuram gerenti Chriſtus dixerit illa verba. At idem jus eſſe ſucceſſoris *formaliter*, & quà talis, quod erat anteceſſoris; ex ipſâ naturâ ſucceſſionis manifeſtum eſt. Ergo ſecundùm expoſitionem ſacræ Scripturæ, Reformatorum ſenſui omninò præferendam, dici debet, Romanorum Pontificum jus eſſe in eo fundatum, quòd Chriſtus Petro, ipſiuſque adeò ſucceſſori Eccleſiæ figuram gerenti dixerit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

7. ISte Miniſter Reformatus *Antiquit. ſua ſect. 4. Exam. rat. 3. documen. 4. & 5.* arguit 1. Epiſcopis Romanis Primatum non Ordinis tantùm & principalis Confeſſionis, veluti Irenæus loquatur, ſeu primæ ſedis, quieis reſpectu loci concredebatur, ſed & Juriſdictionis & imperij appetentibus, uti Calvinus aſſerat, alios Epiſcopos in os reſtitiſſe.

8. Arguit 2. Cùm Victor Epiſcopus Romanus Eccleſias Aſiaticas ob deci-

decimam quartam lunam, & non diem Dominicam Paſchatis celebrationi deſtinatam, à communione excludendos duceret Epiſcopos Gallicanos, & inter hos Irenæum, Ruffino teſte acriùs & acerbiùs ipſum coarguiſſe, & contrariâ juſſione ei ſignificâſſe, ut pacem & unionem coleret cum proximis.

Arguit 3. Cornelium Epiſcopum Romanum vocari à Cypriano collegam in *edit. Turn. epiſt. 35. par. 68.* Communiter dici *Romanorum Antiſtites.* Hieronymum à Georgio *pag. 92.* citatum vocare eum unius vrbis Epiſcopum. 9.

Arguit 4. Concilium Nicænum *can. 6.* Epiſcopo Romano non univerſalis Eccleſiæ, ſed ſuburbicanarum Eccleſiarum curam demandâſſe, ut etiam cæteris Metropolitanis cuiquè pariter ſuas. Hoc ſtatutum repetijſſe & confirmâſſe Concilium Conſtantinopolitanum, Synodum Antiochenam ſub Conſtantio habitam *can. 15.* Concilium Milevitanum *can. 22.* 10.

Arguit 5. Si Eccleſia Romana inde à fundatione ſuâ prima princeps fuiſſet Jurisdictionis & imperij reſpectu, minimè tolerandum fuiſſe, ut in nullo univerſali Concilio ante Synodum Conſtantinopolitanam, quam Pontificij pro Oecumenicâ octavâ habeant, directio eſſet penes Romanum Epiſcopum. Concilium quippe Nicænum I. directum fuiſſe ab Hoſio Epiſcopo Cordubenſi, præſentibus licèt ſummæ authoritatis viris, Eccleſiæ Romanæ Presbyteris Vito & Vincentio. Conſtantinopolitanum II. Oecumenicum II. à Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, dum interim Damaſus Romæ celebraret Concilium, cujus longè minor fuerit authoritas. Epheſinum Oecumenicum III. directum fuiſſe à Cyrillo ſive abſentibus, ſive præſentibus Cæleſtini Papæ legatis. Chalcedonenſe Oecumenicum IV. præſentibus licèt, & primo loco ſedentibus Leonis Epiſcopi Romani Vicarijs, directum fuiſſe à viris conſularibus à Martiano Imperatore conſtitutis judicibus. Legatos enim Romanos potiùs accuſatores fuiſſe, quàm judices, veluti actio prima teſtetur. Conſtantinopolitanum II. Oecumenicum V. ab Eutychio Conſtantinopolitano, licèt Vigilius Epiſcopus Romanus tunc eſſet Conſtantinopoli. Conſtantinopolitanum III. Oecumenicum VI. à Conſtantino ipſo Imperatore, præſentibus licèt Agathonis Papæ legatis. Nicænum II. Pſeudoœcumenicum VII. à Tharaſio Conſtantinopolitano, præſentibus licèt Adriani Papæ legatis. Conſtantinopolitanum IV. Pſeudoœcumenicum VIII. ex Baſilij parricidæ favore ab Adriani II. Legatis. 11.

Arguit 6. Si Auguſtinus Eccleſiæ Romanæ in omnes totius orbis Eccleſias imperium credidiſſet, minimè commiſſurum fuiſſe, ut Conci- 12.

Digitized by Google

lium Carthaginenſe Anno 485. cum Epiſcopus Romanus per tres Legatos appellationes tranſmarinas ad ſuam ſedem ratas haberi cuperet, producto Canone Sardicenſi, Concilij Nicæni nomine fucato, prætenſas appellationes exploderet, & poſt objectum crimen falſi & indigniſſimum fucum, litteras ſuas ad Epiſcopum Romanum hiſcè concluderet: *Itaquè nè velitis permittere, ut fumoſum mundi faſtum in Chriſti Eccleſiam inducere videamur.* Hos Patres Epiſcopum Romanum diris devoviſſe, inter quos fuiſſe Auguſtinum, non diffitente Baronio. Tantum igitur Doctorem extrà comunionem Romanam mortuum eſſe, cùm conſtet, reconciliationem demum centum poſt annis factam fuiſſe. Incaſſum itaque Doctores horum ſæculorum pro univerſali Papæ juriſdictione ſolicitari, quem ſummâ contentione repreſſum iviſſe.

13. Arguit 7. Quòd tota antiquitas illam potentiam Papalem prona non adoraverit, vel ex hoc evinci, cùm Gregorius Magnus Epiſcopus Romanus, qui poſtremus ad populum de ſuggeſtu dixerit, tantoperè eam deteſtatus ſit, ut ultro agnoverit, eum, qui imperium in univerſam Eccleſiam ſibi arroget, & ſe univerſalem ſacerdotem vocet, vel vocari deſideret, elatione ſuâ Antichriſtum præcurrere. *Libro 6. epiſt. 194.* ſic ſcribere: *Nullus inquam Deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti conſenſit.* Et *epiſt. 92.* ſic alloqui Ioannem Conſtantinopolitanum Primatum ambientem: *Tu, quid Chriſto univerſalis Eccleſiæ Epiſcopo in extremi judicij dicturus es examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris Univerſalis appellatione ſupponere.*

14. Arguit 8. Quòd omnes illorum ſæculorum Eccleſiæ colla jugo Pontificis Romani non ſubmiſerint, inde concludi, cùm à Phocâ demum parricidâ Anno 606. Bonifacius III. in quem Gregorij Magni vaticinium reciderit, referente Anaſtaſio in vitâ ejus, emendicârit, ut *ſedes Apoſtolica Divi Petri Apoſtoli*, id eſt Romana Eccleſia, *caput eſſet omnium Eccleſiarum.*

15. Arguit 9. Antè fuiſſe tempora, quibus teſte Æneâ Sylvio, qui poſtea Pius II. Papa fuerit, *epiſt. 188. ad Martinum Mayerum*, ſibi quiſquè vivebat, & ad Eccleſiam Romanam parvus habebatur reſpectus. Conditos fuiſſe Canones invito Epiſcopo Romano: creatos fuiſſe Epiſcopos, eodem inconſulto. Ipſum ſubfuiſſe Imperatorum mandatis, nec eſſe, qui negare auſit.

16. Arguit 10. Auguſtinum à Georgio produci dicentem *epiſt. 164. Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Verùm ab Auguſtino tantum jus Romano Pontifici tribui, ut *epiſt. 162. ad Eleuſium* dicat, cum ipſo, judice in

aliquâ

aliquâ cauſâ in plenario Concilio cauſam exagitari poſſe, & ſi malè judicaſſe convictus eſſet, ſententiam ſolvendam eſſe.

Arguit 11. Ordinem & ſucceſſionem, quâ de Auguſtinus diſſerat, 17.
à Reformatis magni fieri, ſi ei, quemadmodùm illâ ætate, ſit juncta ſucceſſio fidei & myſterij pietatis. Sin autem ſucceſſio adjunctam habeat propagationem myſterij iniquitatis, cum venerandâ antiquitate eam ù ſe exſibilari: ſucceſſionem enim fidei propriè ſucceſſionem exiſtimandam eſſe juxtà Gregorium Nazianzenum. Hunc Eccleſiarum traducem commendari à Tertulliano *in præſcript. Eccleſ.* Hinc ortum eſſe illud: *Non habet Cathedram Petri, qui non habet fidem Petri.*

Arguit 12. Sanctum Auguſtinum citatum aſſerere: *Petro totius Eccle-* 18.
ſiæ figuram gerenti Dominum dixiſſe: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. At hæc verba, ſicut & iſta: *Tibi dabo claves regni cælorum*, dicta eſſe ad Petrum, eximiam ſuam de Chriſto Confeſſionem edentem, nec ſolam ſuam perſonam, ſed & reliquorum Apoſtolorum, imò totius Eccleſiæ Chriſtianæ figuram ſeu typum gerentem. Eo ipſo autem, quòd Petro Eccleſiæ figuram gerenti illa verba dicta ſint, non ejus perſonæ ſoli competere, ſed toti Eccleſiæ, adeòque ſi per petram Petrus, juxtà Romaniſtas, & per Petrum tota Eccleſia ſignificaretur, juxtà Auguſtinum, Eccleſiam ſuper ſe ipsâ ædificatam, abſurdè ſtatuendam fore. Si Petro, id eſt, perſonæ Petri datæ ſint claves, Eccleſiam non habere eas, ſed Petro dicta fuiſſe, quia Eccleſia in eo denotabatur, veluti aſſerat Auguſtinus *homil. 50. in Ioann.* reperatque Jus Canonicum *Decret. 2. p. Cauſâ 24. q. 1. cap. 6.* ubi ſic haberi: *Petrus quando accepit claves, Eccleſiam Sanctam ſignificavit.*

Arguit 13. Detortæ itaquè gloſſæ, quâ per Petram intelligi velint 19.
Petri perſonam, jure opponi ſacrarum Scripturarum authoritatem, quæ ſic habeat: *Aliud fundamentum nemo poteſt ſtatuere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. 1. Corinth. 3. v. 2.* Ipſum Petrum non ſe, ſed Ieſum Chriſtum lapidem Sionis, id eſt Eccleſiæ, imò in angulo conſtitutum, electum & pretioſum dicere 1. *epiſt. 2. v. 6. & 7.*

Arguit 14. Veteris Eccleſiæ Doctores communi ferè calculo per *Pe-* 20.
tram Chriſtum, vel Petri de Chriſto Confeſſionem & fidem, non ſententiarum, ſed locutionum tantùm diverſitate intelligere: veluti pateat ex Chryſoſtomo *h. 1. ſuper hanc petram*, Theophylacto *ibidem*, Ambroſio *in cap. 2. ad Epheſ.* Hilario *lib. 6. de Trinit.* Leone Papâ *ſerm. 2. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.* Baſilio Seleucienſi *in h. 1. Orat. 25.* Auguſtino *Serm. 13. de verbis Domini.*

Arguit 15. Poſito tamen, quòd ſub illis verbis intelligatur perſona 21.
Petri, non eſſe, cur referantur ad Papam Romanum, de quo Bellarmi-

nus

nus *lib. 2. de Pontif. cap. 17.* non audeat affirmare, quòd Petro ſucceſſerit jure Divino. Sic enim ibi ſtatuere: *Licèt fortè non ſit de jure Divino, Romanum Pontificem ut Romanum Pontificem Petro ſuccedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinet.*

22. Arguit 16. Ex hoc notandum eſſe, quòd primatus Papæ, id eſt Papiſticæ Eccleſiæ fundamentum fortè non ſit de jure Divino. Ex putri ergo filo imaginariæ Traditionis ſuſpendi ſexcentas chimæras traditionum Romanarum, quæ corpus Papiſmi conſtituant. Si quæratur, cur in pretio debeant eſſe indulgentiæ Romanæ, reſponderi: Quòd Papa Petri ſucceſſor ſic jubeat. Si rurſus quæratur. An ſucceſſio ſit juris Divini? Reſponderi: Fortè non, ſed eſſe juris humani. Accedere, quòd Bellarminus *lib. 4. de Eccleſ. milit. cap. 8.* fateatur: *Non neceſſariò ibi Eccleſiam eſſe, ubi ſucceſſio eſt.*

23. Arguit 17. Quæcunque elogia ſacra Scriptura, vel prima Vetuſtas tribuerit Petro, eadem, vel æquivalentia tribui reliquis Apoſtolis. Inprimis Paulo, de quo Hieronymus *lib. 1. contra Iovinianum* ita diſſerat: *Super eos ex æquo ſolidatur Eccleſiæ fortitudo.* Cyprianum *de unit. Eccleſiæ* ita habere: *Hoc erant utiquè & cæteri Apoſtoli, quod & Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.* Ambroſium *de Incarnat. cap. 14.* affirmare, *quòd primatus Petri confeſſionis erat, non honoris, fidei, non ordinis.* Clementem *in epiſt. ad Iacobum Apoſtolum*, vocare iſtum *regentem Sanctam Hebræorum Eccleſiam Hieroſolymis, ſed & omnes Eccleſias, quæ ubique Dei providentiâ fundatæ ſunt.*

24. Arguit 18. Libro, cui titulus *La grandeur de l' Egliſe Romaine*, per hominem Papiſtam ſcripto ex æquitate titulorum Petri & Pauli evinci, quòd Romana Eccleſia ſit fundata ſuper Paulo ſimul & Petro. At ſi ijdem tituli in Paulo non efficiunt dominatum, non eſſe, cur id faciant in Petro. Bernardum *de Conſid. ad Eugen. lib. 2. cap. 6.* graviter ſcribere in hæc verba: *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum, planè ab alterutro prohiberis, ſi utrumque habere voles, perdes utrumque.*

25. Arguit 19. Quicunque à verâ antiquitate habiti fuerint honores vel Epiſcopo Romano, vel Eccleſiæ Romanæ, eoſdem cumulatè collatos fuiſſe etiam cæteris Eccleſijs. Cyprianum ſic habere. *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Hieronymum *in epiſt. ad Evagrium*: *Orbis major eſt urbe. Ubicunque ergo fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubij, ſive Conſtantinopoli, ſive Regij, ſive Alexandriæ, ſive Thanais, ejuſdem meriti & ſacerdotij eſt. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Arguit 20. Antiochenam Eccleſiam toti orbi æquipollentem dici à Chryſoſtomo *hom. de laud. Ignatij.* Et *hom. 3. ad popul. Antiochenum* vocare Caput totius orbis. Iuſtinum Imperatorem *leg. 24. Cod. de Sacroſanctâ Eccleſ.* ſic ſtatuere: *Conſtantinopolitana Eccleſia omnium aliarum eſt caput.* Baſilium de Athanaſio: *Tu curam omnium Eccleſiarum geris, non minùs, quàm tuæ.* Sydonium Apollin. *ad Lupum Troian. Epiſc. in Galliâ lib. 7. epiſt. Cùm ſis procul, ambigo, primus omnium toto, quà patet, orbe Pontificio.* 26.

Arguit 21. Concludendo Chryſoſtomi *hom. 43. oper. imperf. in Math. 23.* verbis ſequentibus: *Quicunque deſideraverit primatum in terrâ, inveniet confuſionem in cælo, nec inter ſervos Chriſti computabitur, qui de primatu* (obtinendo) *tractaverit: nec unuſquiſque eorum feſtinet, quomodò alijs major appareat, ſed quomodò omnibus inferior videatur.* Et ex Auguſtino *in Pſal. 9. Cùm dicitur: Conſtitue Legiſlatorem ſuper nos, mihi videtur Antichriſtum ſignificare, de quo Apoſtolus.* 27.

CAPUT III.

Oſtenditur, Romanæ Eccleſiæ Cathedram in ſucceſſione Petri fundatam, ex Divino ſacris Litteris tradito jure habere authoritatem judiciariam ac legislativam, indefinitam & abſolutam in omnes Chriſtiani orbis Eccleſias.

Probatio prima, ex ſacris Litteris petita.

NAm ad Petrum demonſtrativè ac determinatè diriguntur iſtæ Chriſti Domini verba: *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* At hiſcè verbis *indefinitè* ac *univerſaliter* promiſſa eſt poteſtas clavium in ordine ad ſolvendum ac ligandum. Illa ipſa autem verba ſecundùm clarum ſacri textûs tenorem ſunt à Chriſto Domino prolata cum connexione ad præcedentia: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Unde planum eſt, illam poteſtatem Petro promiſſam, eſſe connexam cum Eccleſiâ per Chriſtum fundatâ. At poteſtas connexa cum ſtatu Eccleſiæ per Chriſtum fundatæ durare debet, quamdiu talis Eccleſiæ ſtatus ſubſiſtit. Eo ipſo autem, quòd Chriſtus Dominus promiſerit, adversùs Eccleſiam à ſe fundandam portas inferi non fore prævalituras, ſequitur, Eccleſiæ hujuſmodi ſtatum fore perpetuum, adeòque duraturum uſque ad extremi judicij diem. Oportet igitur ſecundùm Chriſti Domini verba, illam indefinitam & univerſalem ligandi ac ſolvendi 28.

Digitized by Google

vendi poteſtatem non exſpiràſſe in Petro per Martyrium in cœlos ſublato, ſed perpetuò duraturam eſſe uſquè ad diem judicij. At poteſtas cum Eccleſiæ ſtatu perpetuo connexa, atque adeò perpetua ſecundum ipſam rei naturam ita tranſit in ſucceſſores, ut iſti cum ſuo Anteceſſore reputentur una perſona, non quidem *materialiter*, ſed *formaliter* quoad poteſtatem officij Paſtoralis. Oportet igitur ſecundùm Chriſti Domini promiſſionem, in Eccleſia talem eſſe ſucceſſionem, vi cujus perpetuò perſiſtat illa Divinitùs promiſſa, indefinita & univerſalis ligandi ac ſolvendi poteſtas, omnimodam adeò, reſpectu Eccleſiæ omnes Chriſti fideles complectentis, judiciariam & legislativam authoritatem importans. At ex ſanctis Patribus *præced. ſect. cap. 3. Prob. 3.* allegatis demonſtratum eſt, iſtam Petri ſucceſſionem ſtare penes Eccleſiam Romanam, ſivè ejus Pontificem. In hoc igitur ex jure Divino, Chriſti Domini promiſſione firmato, ſtat omnimoda judiciaria ac legislativa ligandi & ſolvendi poteſtas in ordine ad Eccleſiam à Chriſto fundatam, complectentem univerſos, qui per Baptiſma fidem concipiendo, in Eccleſiæ unitatem ſunt aggregati.

Probatio ſecunda, exceptionis adverſariorum refutatoria.

29. Excipiunt enim Reformati Doctores, non conſtare ex jure Divino, quòd Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor. Unde poſito etiam, quòd Petri ſucceſſor illâ per Chriſtum promiſsâ ligandi ac ſolvendi univerſali poteſtate potiretur, non tamen ex jure Divino conſtare, quòd Pontifex Romanus habeat iſtam authoritatem. Verùm Reformatos illos

30. oporteret diſtinguere, tum inter illum de authoritate indefinitâ ſolvendi ac ligandi, cum Eccleſiæ ſtatu perpetuò connexâ poteſtate articulum, ipſius Chriſti Domini promiſſione firmatum, atque adeo fidei dogma complectentem; tum inter prudentiale credibilitatis judicium, quo ſtatuitur, quis in illâ per Chriſti Domini promiſſionem firmatâ authoritate ſit legitimus Petri ſucceſſor. Atqui ex conſenſu Eccleſiæ ſucceſſionem à Petro in Romanis Pontificibus enumerantis deſumunt Sancti Patres argumentum prudentialis credibilitatis, ex quo legitimum in principatu Petri ſucceſſorem ſtatuant Romanum Pontificem. Ea verò natura eſt argumenti prudentialem in dogmatibus fidei credibilitatem fundantis, ut iſtud non ſit quidem ex ſui naturâ ſufficiens ad ſpecificandum, ſeu movendum, ac terminandum actum fidei, ſit tamen inducens ad Veritatem Divinam taliter applicandam, ut ex reverentiâ ergà hanc veritatem voluntas ſe inclinet, intellectumque imperio ſuo captivet in fidei obſequium. In quo exemplo ſuo ita præivit Sanctus Auguſtinus *cap. 4. contra epiſt. fundam.*

fundam. ut ex illâ Romanorum Pontificum à Petro numeratâ ſucceſſione tanquàm prudentiali credibilitatis argumento dixerit, *ſe juſtiſſimè teneri in Eccleſiâ*, per fidem nimirùm Divinam. Hoc igitur exemplum ſequi oporteret Reformatos, ac exinde taliter argumentari. Patres antiqui ex Romanorum Pontificum à Petro numeratâ ſucceſſione deſumpſerunt prudentiale credibilitatis fundamentum, ex quo concludebant, in illâ ipsâ Eccleſiâ ſtare Veritatem Dei, in quâ ſubſiſteret iſta ſucceſſio. At iſta Veritas Dei pronunciavit indefinitam ligandi ac ſolvendi poteſtatem Petro taliter promiſſam, ut deberet eſſe connexa cum Eccleſiâ per Chriſtum fundatâ, deberetque adeò cum hujus ſtatu perpetuo æquè perpetua eſſe. Unde cùm iſta Veritas Divina perpetuetur in Eccleſiâ, Romanorum Pontificum à Petro ſucceſſionem enumerante, oportet, illam indefinitam ligandi ac ſolvendi poteſtatem perpetuari in Romano Pontifice, ceu Petri ſecundùm Sanctos Patres ſucceſſore. Juſtiſſimum igitur eſſet, Reformatos Patrum exemplum tandem ſecutos, taliter concludere, ut illam ſucceſſionem agnoſcerent tanquàm prudentiale credibilitatis argumentum, ſub quo moverentur ad recipiendam Romanam Eccleſiam, ejuſque Pontificis authoritatem, ceu Chriſti Domini promiſſione firmatam, credendam. 31.

Probatio tertia. Replicæ cujuſdam Adverſariorum refutatoria.

Opponunt enim Reformati, Chriſtum Dominum *Matth. 18.* univerſis Apoſtolis promiſiſſe: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Hiſcè namquè verbis æquè cæteris Apoſtolis videtur promiſſa fuiſſe indefinita ligandi & ſolvendi poteſtas. Atqui hanc ipſam promiſſam poteſtatem Deus actu contulit Apoſtolis *Ioan. 20.* dicens: *Sicut me miſit vivens Pater, & ego mitto vos.* Hanc ipſam verò poteſtatem fuiſſe reſpectu totius orbis, patet ex illo *Matthæi ult. Euntes ergò, docete omnes gentes &c.* Quomodò ergo, inquiet Reformatus aliquis, plus authoritatis convenire potuit Petro, quàm cæteris Apoſtolis? Et quia iſta authoritas non tranſijt in ſucceſſores Apoſtolorum, cur ſoli Petri ſucceſſori competeret illa univerſalis authoritatis prærogativa? Verùm advertere oporteret Reformatos, illam ſolvendi ac ligandi univerſalem à Chriſto promiſſam poteſtatem, fuiſſe Apoſtolis univerſis collatam per modum legationis, ſeu miſſionis, juxta præadducta verba *Mitto vos.* Unde & Paulus *2. Corinth. 5. v. 20.* ait: *Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Et ſpeicaliter de ſe ipſo Paulus *ad Epheſ. 6. v. 20.* ait: *Pro quo* (ſcilicèt Evangelij myſterio) *legatione fungor.* Atqui ex ipsâ naturâ legatio- 32. 33.

nis conſtat, ipſam non eſſe perpetuam, ſeu ad ſucceſſores transferibilem, ſed induſtriam perſonæ, cum quâ cohæreat, atque adeò exſpiret, eſſe in
34. eâ electam. Econtrà verò Chriſtus Dominus *Matth. 16.* ita promiſit Petro claves regni cœlorum, cum indefinitâ & univerſali poteſtate ligandi ac ſolvendi, ut apertis verbis ſuis ſtatuerit hujus cum Eccleſia ſuâ ſuper petram inviolabiliter ac perpetuò fundandâ connexionem. At verò authoritas cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexa non poteſt non perpetua, atque adeò in ſucceſſores transferibilis eſſe. Hanc ipſam verò indefinitam authoritatem Chriſtus poſt reſurrectionem actualiter contulit Petro dicens *Ioan. 21. v. 15. 16. & 17: Paſce Agnos meos, paſce oves meas.* At hiſcè verbis ſignificatur Paſtoralis officij poteſtas, *indefinitè* complectens omnes Chriſti fideles, atque adeò ipſos etiam Apoſtolos ceu Chriſti agnos. In
35. quo iterum elucet diſcrimen poteſtatis, Petro ac cæteris Apoſtolis commiſſæ, cùm iſtis nullibi dictum ſit, ut eſſent Chriſti ovium & agnorum *indefinitè* Paſtores, ſed ut per modum miſſionis ſeu legationis euntes docerent omnes gentes. Unde concluditur, ſoli Petro eſſe commiſſum paſtorale in omnes Chriſti fideles officium quà connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu. Cùm igitur officium paſtorale cum tali perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexum, Petro commiſſum, oporteat, eſſe perpetuum, econtrà verò poteſtas ligandi ac ſolvendi cæteris Apoſtolis per modum legationis conceſſa de ſuâ naturâ ſit reſtricta ad perſonam, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apoſtolorum juriſdictionis authoritas tranſierit in ſucceſſores.

Probatio quarta. Ex illis Chriſti Domini ad Petrum prolatis verbis: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.

36. NAm iſtà verba eſſe accipienda de Petro, probat unanimis conſenſus Patrum. Tertullianus *de præſcript. cap. 22.* ſic ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictam, claves regni cœlorum conſecutum.* Origenes *in Matth. de canone novi Teſtamenti: Petrus,* inquit, *ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam, &c.* Cyprianus *de Unit. Eccleſiæ* ſic ait: *Probatio eſt ad fidem facilis, compendio Veritatis loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Et *infra: Eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas,* Baſilius Magnus *ad cap. 2. Iſaiæ. Unus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit propter maximam fidei firmitatem.* Et *infra: Super quam petram promiſit ædificare Eccleſiam.* Ambroſius *Serm 47. Petrus pro ſoliditate durationis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut*

ait:

ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c. Epiphanius *in Ancorato: Ipſe Dominus conſtituit Petrum principem Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, &c.* Hieronymus *Epiſt. 54. ad Marcellum: Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam.* Et *in cap. 16. Matth. Prudens lector inquirat, quomodo poſt tantam Beatitudinem, Beatus es Simon Bar-iona, nec audiat: Vade retrò ſathana &c. Sed ſi conſideret, qui hoc quærit, Petro illam beatitudinem ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget.. Ædificabo, inquit Chriſtus, ſuper te Eccleſiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12. Chriſtus, cum ſe eſſe, qui cuncta, antequàm fiant, novit, nec Simon fore ſibi nomen, ſed Petrus prædixit, vocabulo illo commodè ſignificans, quòd in eo tanquàm petrâ, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Auguſtinus *Serm. 5. in Feſto Petri & Pauli: Solus inter Apoſtolos meruit audire, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.*

Ex quibus tale formatur argumentum. Petro, eique ſoli dictum eſt: 37. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* At Petrus dictus eſt petra propter ſoliditatem durationis ex Sancto Ambroſio *citato.* Ergo ſuper Petrum tanquàm petram cum ſoliditate durationis ædificata eſt Eccleſia, quatenus Chriſtus ipſi dixit: *Paſce oves meas.* Ex Cypriano *ſuprà.* Ergo iſtud paſtorale munus eſt Petro datum cum ſoliditate durationis. At iſta durationis ſoliditas non ſubſiſteret, ſi munus illud paſtorale exſpirâſſet cum Petro è vivis ſublato. At hos ſucceſſores eſſe Pontifices Romanos, teſtantur unanimiter Patres *ſupra ſect. 1. cap. 3. n. 16.* adducti. Ergo ſuper hiſcè ita ædificata eſt Eccleſia, ut ipſis competat munus paſtorale *indefinitè* in oves Chriſti, cum clavibus adeò regni cœlorum, & cum illimitatâ ligandi & ſolvendi poteſtate Petro, quà univerſali Paſtori ac petræ promiſſâ, & commiſſâ.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

AD *primam* Reſp. Sanctum Irenæum *lib. 3. cap. 3.* ubi aſſeruiſſet, traditionem & fidem ab Apoſtolis annunciatam indicari ex Epiſ- 38. coporum Romanæ Eccleſiæ ad ſua uſq; tempora perveniente ſucceſſione, tandem concludere in hæc verba: *Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, qui ſunt undique fideles.* Vides igitur Vedroſi, ab Irenæo taliter adſtrui Romanæ Eccleſiæ potentiorem principalitatem, ut propter hanc neceſſum, ſit ad ipſam convenire undiquè omnes fideles. At principalitas inducens neceſſitatem ſeu obligationem, vi cujus oporteat omnes fideles cum ipſâ convenire, non

nis conſtat, ipſam non eſſe perpetuam, ſeu ad ſucceſſores transferibilem; ſed induſtriam perſonæ, cum quâ cohæreat, atque adeò exſpiret, eſſe in
34. eâ electam. Econtrà verò Chriſtus Dominus *Matth. 16.* ita promiſit Petro claves regni cœlorum, cum indefinitâ & univerſali poteſtate ligandi ac ſolvendi, ut apertis verbis ſuis ſtatuerit hujus cum Eccleſiâ ſuâ ſuper petram inviolabiliter ac perpetuò fundandâ connexionem. At verò authoritas cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexa non poteſt non perpetua, atque adeò in ſucceſſores transferibilis eſſe. Hanc ipſam verò indefinitam authoritatem Chriſtus poſt reſurrectionem actualiter contulit Petro dicens *Ioan. 21. v. 15. 16. & 17: Paſce Agnos meos, paſce oves meas.* At hiſcè verbis ſignificatur Paſtoralis officij poteſtas, *indefinitè* complectens omnes Chriſti fideles, atque adeò ipſos etiam Apoſtolos ceu Chriſti agnos. In
35. quo iterum elucet diſcrimen poteſtatis, Petro ac cæteris Apoſtolis commiſſæ, cùm iſtis nullibi dictum ſit, ut eſſent Chriſti ovium & agnorum *indefinitè* Paſtores, ſed ut per modum miſſionis ſeu legationis eun es docerent omnes gentes. Unde concluditur, ſoli Petro eſſe commiſſum paſtorale in omnes Chriſti fideles officium quà connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu. Cùm igitur officium paſtorale cum tali perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexum, Petro commiſſum, oporteat, eſſe perpetuum, econtrà verò poteſtas ligandi ac ſolvendi cæteris Apoſtolis per modum legationis conceſſa de ſuâ naturâ ſit reſtricta ad perſonam, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apoſtolorum juriſdictionis authoritas tranſierit in ſucceſſores.

Probatio quarta. Ex illis Chriſti Domini ad Petrum prolatis verbis: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.

36. NAm iſtà verba eſſe accipienda de Petro, probat unanimis conſenſus Patrum. Tertullianus *de præſcript. cap. 22.* ſic ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictam, claves regni cœlorum conſecutum.* Origenes *in Matth. de canone novi Teſtamenti: Petrus,* inquit, *ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam, &c.* Cyprianus *de Unit. Eccleſiæ* ſic ait: *Probatio eſt ad fidem facilis, compendio Veritatis loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Et *infra: Eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas,* Baſilius Magnus *ad cap. 2. Iſaiæ. Unus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellavit propter maximam fidei firmitatem.* Et *infra: Super quam petram promiſit ædificare Eccleſiam.* Ambroſius *Serm 47. Petrus pro ſoliditate durationis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut*

ait

Digitized by Google

ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c. Epiphanius *in Ancorato: Ipſe Dominus conſtituit Petrum principem Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, &c.* Hieronymus *Epiſt. 54. ad Marcellum: Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam.* Et *in cap. 16. Matth. Prudens lector inquirat, quomodo poſt tantam Beatitudinem, Beatus es Simon Bar-iona, nec audiat: Vade retrò ſathana &c. Sed ſi conſideret, qui hoc quærit, Petro illam beatitudinem ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget.. Ædificabo, inquit Chriſtus, ſuper te Eccleſiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12. Chriſtus, cùm ſe eſſe, qui cuncta, antequàm fiant, novit, nec Simon fore ſibi nomen, ſed Petrus prædixit, vocabulo illo commodè ſignificans, quòd in eo tanquàm petrâ, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Auguſtinus *Serm. 5. in Feſto Petri & Pauli: Solus inter Apoſtolos meruit audire, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.*

Ex quibus tale formatur argumentum. Petro, eique ſoli dictum eſt: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* At Petrus dictus eſt petra propter ſoliditatem durationis ex Sancto Ambroſio *citato.* Ergo ſuper Petrum tanquàm petram cum ſoliditate durationis ædificata eſt Eccleſia, quatenus Chriſtus ipſi dixit: *Paſce oves meas.* Ex Cypriano *ſuprà.* Ergo iſtud paſtorale munus eſt Petro datum cum ſoliditate durationis. At iſta durationis ſoliditas non ſubſiſteret, ſi munus illud paſtorale exſpiràſſet cum Petro è vivis ſublato. At hos ſucceſſores eſſe Pontifices Romanos, teſtantur unanimiter Patres *ſupra ſect. 1. cap. 3. n. 16.* adducti. Ergo ſuper hiſcè ita ædificata eſt Eccleſia, ut ipſis competat munus paſtorale *indefinitè* in oves Chriſti, cum clavibus adeò regni cœlorum, & cum illimitatâ ligandi & ſolvendi poteſtate Petro, quà univerſali Paſtori ac petræ promiſsâ, & commiſsâ. 37.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

AD *primam* Reſp. Sanctum Irenæum *lib. 3. cap. 3.* ubi aſſeruiſſet, traditionem & fidem ab Apoſtolis annunciatam indicari ex Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ ad ſua uſq; tempora perveniente ſucceſſione, tandem concludere in hæc verba: *Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, qui ſunt undique fideles.* Vides igitur Vedroſi, ab Irenæo taliter adſtrui Romanæ Eccleſiæ potentiorem principalitatem, ut propter hanc neceſſum, ſit ad ipſam convenire undiquè omnes fideles. At principalitas inducens neceſſitatem ſeu obligationem, vi cujus oporteat omnes fideles cum ipsâ convenire, non 38.

Digitized by Google

importat primatum Ordinis duntaxat & principalis confeſſionis, ſed Iuriſdictionis & imperij, vi cujus ſcilicèt ſit illa neceſſitas. Ergo S. Irenæus in Eccleſiâ Romanâ, ſive ejus Pontifice agnovit primatum imperij & juriſdictionis.
39. Et verò ſacra Scriptura *expreſſè* teſtatur, Petro eſſe promiſſas claves regni cælorum, cum indefinitâ poteſtate ſolvendi ac ligandi. Hæc ipsâ verò poteſtas eatenùs continetur paſtorali Officio poſt reſurrectionem eidem actualiter per Chriſtum collato, ut ſub hujus Officij collatione ſit ſuper Petrum ceu petram, non tantùm ad dies Petri, ſed cum ſoliditate perpetuæ, in ſucceſſoribus adeò uſque ad diem judicij continuandæ durationis, ædificata Eccleſia, uti Cyprianus *ſupracitatus* exponit. At poteſtas clavium ad ſolvendum ac ligandum non eſt primatus confeſſionis duntaxat vel Ordinis, ſed juriſdictionis ac imperij. Planum igitur eſt ex ſacris Litteris juxta Patrum ſenſum ritè intellectis, Pontifici Romano ceu Petri ſucceſſori convenire primatum imperij & juriſdictionis in omnes Chriſti oves ſeu fideles, non verò Ordinis duntaxat & confeſſionis.

40. Ad *ſecundam* Reſp. Aliud eſſe, quòd Pontifex Romanus aliquando redarguatur de errore facti, ſive de imprudentiâ & indiſcretione; aliud verò eſſe, quòd redarguatur de juriſdictione in alias Eccleſias uſurpatâ. At ex Euſebio *cap. 25. & 26.* conſtat, neque Irenæum, neque alios Epiſcopos arguiſſe Victorem de uſurpatione juriſdictionis ſibi non competentis. Quinimò Irenæus illam Victoris ſententiam ceu indiſcretam, & commodis Eccleſiæ minùs convenientem aſſerendo, præſupponebat in ipſo legitimam juriſdictionis authoritatem. Etſi verò Pauli Petro in faciem ex aliquo Facti, non autem Iuris errore venialiter culpabili reſiſtentis exemplum ſecuti Epiſcopi Gallicani Victorem, quaſi excommunicationis gladium conſilio minùs maturo imprudentiùs ſtrinxiſſet, litteris objurgârint, in hoc ipſo tamen fuiſſe deceptos, tempus poſteà revelavit, quo compertum eſt, ſub illo Paſchatis decimâ quintâ lunâ celebrandi ritu latuiſſe Iudaiſmum à Blaſto latenter introductum, uti patet ex Tertulliano *de præſcript. in fine.* Vides igitur Vedroſi, ex tuâ argutiâ ita conſtare de Excommunicationis gladio per Romanum Pontificem adversùs alias Eccleſias vibrato, ut Irenæus, alijque Epiſcopi hunc actum non de nullitate, ſed de indiſcretione ac imprudentiâ arguerent. At ſi in Pontifice Romano nõ agnoviſſent Iuriſdictionis in alias Eccleſias authoritatem, omninò cenſuiſſent, gladium Excommunicationis ab ipſo vibratum eſſe contemnendum, & de nullitatis vitio coarguendum. Oportet igitur, illos Epiſcopos agnoviſſe in Romano Pontifice juriſdictionis in alias Eccleſias authoritatem, ut tamen

Digitized by Google

men de imprudentiâ, ſive errore Facti Victorem arguerent, quanquàm tunc integram cauſæ ipſos adhuc latentis informationem non haberent, ipſique adeò, non autem Victor, Facti errorem committerent.

Ad *tertiam* Reſp. 1 Cyprianum *lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium* ſcripſiſſe in hæc verba: *Neque enim adjuncta hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.* Ex quo manifeſtum eſt, eſſe ad tempus in Eccleſiâ unum Sacerdotem ac Iudicem vice Chriſti. Hic verò eſt in Cathedrâ Petri & in Eccleſiâ principali, undè unitas ſacerdotalis exorta eſt, *ex eâdem epiſt. Cypriani.* Unde idem Cyprianus *lib. 2. epiſt. 10. ad Cornelium ſcripſit, ſe miſiſſe collegas ſuos ad prædictum Papam pro membris ſciſſis ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem componendis, ſed quoniam diverſæ partis obſtinata & inflexibilis pertinacia Radicis & Matricis ſinum & complexum recuſârit, ideò Catholicæ unitatis adulterum & contrarium caput extrà Eccleſiam feciſſe.* Conſtat proinde, Sanctum Cyprianum ita agnoviſſe principalitatem Sacerdotij in Cathedrâ Petri, ſeu Romanâ Eccleſiâ, ut hanc Catholicæ Unitatis Radicem & Matricem, ejus verò Epiſcopum unum Sacerdotem ac Iudicem vice Chriſti diceret. At hæc important univerſalem in ſacris cauſis judiciariæ poteſtatis Iuriſdictionem. Erubeſcat igitur Vedroſius, quòd vel mentionem fecerit Cypriani, imò ex ipſo dicat, hæreſeos originem non aliundè trahi, niſi quòd illi Sacerdoti Dei, ceu uni Chriſti Vicario Iudici non obtemperetur. Et verò quia *ſecundùm Cyprianum citatum*, adulterum extra Eccleſiam caput eſt, cujus pertinacia Radicis & Matricis (Romanæ nimirum Eccleſiæ) ſinum & complexum recuſat, tibimet Vedroſi expendendum relinquitur, quid de te ſentire oporteat. 41.

Reſp. 2. Ex eo, quòd Sanctus Hieronymus *loc. cit.* Romanum Pontificem *Demonſtrativè*, non verò cum Eccleſiæ univerſalis excluſione *Taxativè* dicat unius urbis Epiſcopum, malè refutari Pontificiam in omnes Chriſti fideles authoritatem, cùm idem Sanctus Eccleſiæ Doctor ita ſcribat *epiſt. ad Damaſum Papam de hypoſt. Beatitudini tuæ*, id eſt Cathedræ Petri *communione ſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et infra: *Quicunque tecum non colligit, ſpargit. Hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Ex quo patet, Petri Cathedram *ſecundùm Divum Hieronymum* fuiſſe illam ipſam, cui inſidebat Damaſus Papa, atquè adeò ejus quovis tempore ſucceſſor. At ſuper hanc ipſam Cathedram ceu petram Sanctus Doctor *citatus* ait, ædificatam eſſe Eccleſiam. In illâ autem Cathedrâ, ſuper quâ ceu petrâ eſt ædificata Eccleſia, ſecundùm Chriſti pro- 42.

Digitized by Google

miſſionem ſunt claves regni cælorum cum indefinitâ ac univerſali poteſtate ligandi ac ſolvendi. Planum igitur eſt, Sanctum Hieronymum omninò ejus fuiſſe mentis, quòd Cathedra Romani Pontificis reſpectu universalis Eccleſiæ, quæ ſuprà ipſum ceu petram fundata eſt, habeat indefinitam clavium poteſtatem ad ſolvendum ac ligandum. Si proinde is, qui cum Pontifice Romano non colligit, ſecundùm aperta Hieronymi verba ſpargit, nec adeò Chriſti eſt, ſed Antichriſti, pondera Vedroſi, an colligas, vel diſpergas, an Chriſti ſis, vel Antichriſti. Et verò quia is, qui extrà Cathedræ domum comedit Agnum, prophanus eſt imò periturus, qui extrà eam, ceu Arcam Noe reperitur, perpende, quid de te ſentiat Sanctus Hieronymus?

43. Ad *quartam* Reſp. Canonem Concilij Nicæni non ſextum, ſed octavum ita ſe habere: *Conſtitutum eſt, ut Epiſcopus AEgypti, id eſt, Patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatem totius AEgypti, quia ſic convenit, & quia ſimiliter Epiſcopus Romæ, id eſt ſucceſſor Apoſtoli Petri poteſtatem habet omnium civitatum ac locorum, quæ ſunt circa eam, ac ſimiliter Epiſcopus Antiochenus, id eſt, Patriarcha poteſtatem habet provinciæ illius totius.* Ex quo patet, poteſtatem Epiſcopi Romani non definiri à Concilio Nicæno, ſed dici, quod ea competat ipſi tanquàm ſucceſſori Apoſtoli Petri. At iſte ita ſibi delegit Epiſcopatum Romanum quà diſtinctum ab alijs diœceſibus, quarum Epiſcopi erant conſtituti cæteri Apoſtoli ac Diſcipuli Chriſti, ut nihilominùs ſalva conſiſteret authoritas paſtoralis officij in omnes Chriſti oves, cum abſolutâ reſpectu univerſæ Eccleſiæ ſolvendi ac ligandi poteſtate *Matth. 18.* promiſſi, & *Ioan. 21. v. 17.* actu collati. Vi autem hujus indefinitæ erga Eccleſiam poteſtatis translatæ in Petri ſucceſſores, ab hiſcè conſtitutum erat, ut Romanus Epiſcopatus non tantùm complecteretur diœceſin ſuis limitibus circumſcriptam, ſed haberet prærogativam Archidiœceſis & Patriarchatûs. Undè in Epiſcopo Romano conſiderare licet juriſdictionem tum diœceſanam reſpectu urbis ac limitum ab ipſomet Pontifice Romano circumſcriptorum, tum Patriarchalem reſpectu occidentis, tum univerſalem reſpectu Eccleſiæ univerſæ, omniumquè Chriſti ovium, ejus curæ paſtorali quà Petri ſucceſſoris commiſſarum. Falſum igitur eſt, quòd Concilium Nicænum Romano Pontifici demandaverit curam ſuburbanicarum Eccleſiarum, ſed iſtud Concilium apertis verbis ſupponit, hanc poteſtatem & curam competere Romano Epiſcopo tanquàm Petri ſucceſſori. Hinc decernit, ut ad hujus exemplum Patriarchalis prærogativa in locis per ſynodum illam deſcriptis competeret etiam Alexandrino & Antiocheno Epiſcopis. At eo ipſo, quòd ille Romani Pontificis reſpectu Occidentis Patriarchatus eſſet conjunctus cum univerſali erga Eccleſiam univer-

Digitized by Google

univerſam juriſdictione, Petro, ejuſque ſucceſſoribus conceſsâ, ideò Patriarcha tam Alexandrinus, quàm Antiochenus; imò & Conſtantinopolitanus, aliique orientales Epiſcopi manebant ſubjecti Romano Pontifici quà univerſali Eccleſiæ Paſtori. Et hinc Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Epiſcopos à ſynodo orientali depoſitos reſtituit Iulius Papa, uti ſcribit Gelaſius *in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ*, & Sozomenus *lib. 3. cap. 7. Cùm*, inquiens, *propter ſedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit.* Et infra: *Athanaſius & Paulus ad ſuas Eccleſias revertuntur, litteraſquè Iulij Epiſcopis Orientis mittunt.* Quin imò de Theodoreto à Synodo II. Epheſinâ depoſito, ſed per Romanum Pontificem reſtituto, ita legitur in Concilio Chalcedonenſi *act. 1. Ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit particeps ſynodi, quia reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo.* Vides igitur Vedroſi, allegatum Nicæni Concilij Canonem tibi non tantùm non favere, ſed vel maximè adverſari, dum in Romano Pontifice agnoſcit poteſtatem in Petri ſucceſſione fundatam: hinc enim concluditur, Papæ eatenus competere Epiſcopalem reſpectu ſuæ diœceſis, & Patriarchalem reſpectu Occidentis, ut cum hoc ſimul ſubſiſtat univerſalis erga Eccleſiam, Petro commiſſa juriſdictio. Unde Concilium Nicænum non iſtam, utpote uni tantùm Petri ſucceſſori communicabilem, ſed Patriarchalem Epiſcopo Alexandrino & Antiocheno certis limitibus definivit, ita tamen, ut illi omnimodè eſſet ſubjecta, veluti etiam demonſtrant exempla proximè adducta. Cæterùm ad Concilij Antiocheni *15.* & Concilij Milevitani *22.* *Canones* non ad præſens, ſed aliud appellationis nimirum punctum ſpectantes, *infra* reſpondebitur.

Ad *quintam* Reſp. Falſùm eſſe, ac fictitium hæreticorum commentùm, quòd in nullo univerſali Concilio ante Synodum Conſtantinopolitanam pro octavâ Oecumenicâ habitam vel per ſe, vel per ſuos legatos præſederit Romanus Epiſcopus. Nam 1. libenter conceditur, Nicæno Concilio unà cum Vito & Vincentio Eccleſiæ Romanæ Presbyteris præſediſſe Hoſium, Cordubenſem Epiſcopum. At iſtum fuiſſe Romani Pontificis legatum, apertè aſſeritur in quâdam præfatione Concilij Sardicenſis. Inſuper Sanctus Athanaſius *in Epiſt. ad vitam ſolitariam agentes* ſcribit, Hoſium in illo Concilio principem egiſſe: teſtanturquè acta Concilij, Hoſium prætactum unà cum Presbyteris Romanis Vito & Vincentio primo loco ſubſcripſiſſe. Atquis credat, Hoſio ſimplici Epiſcopo Cordubenſi præ Patriarchis illi Concilio præſentibus permiſſum fuiſſe, ut primo loco ſubſcriberet, niſi Romani omnibus Patriarchis ſuperioris Pontificis legatum egiſſet? Unde

Cedre-

Cedrenus *in compendio hiſtoriarum*, & Photius *lib. 1. de ſeptem Synodis* ſcribunt, *Silveſtrum per ſuos Legatos Nicæno Concilio authoritatem intuliſſe.* 2. Verum qui-
46. dem eſt, Concilio Conſtantinopolitano I. Oecumenico II. neque per ſe, neque per ſuos Legatos interfuiſſe Damaſum Papam, eò quòd Epiſcopos Orientis Conſtantinpolim convocatos, volebat Romam ad pleniſſimam Epiſcoporum Occidentalium ibi congregatã Synodum vocare, niſi iſti juſtas ob cauſas ſe excuſando, contra Macedonianos ac Eunomianos ſententijs & animis ſe conjunctos probâſſent cum Epiſcopis Occidentalibus. Nihilominùs illa Conſtantinopolitana Synodus in tantum cœpit eſſe Oecumenica, in quantum teſte Photio *in libello de ſeptem Synodis* à Damaſo Papâ confirmata fuit, in ijs nimirum, quæ ad Macedonianæ ac Eunomianæ hæreſeos condemnationem, fideiquè Nicænæ confirmationem ſpectant, ex Sancto Gre-
47. gorio *lib. 6. epiſt. 125.* 3. Quòd Sanctus Cyrillus in Epheſino Oecumenico III. Concilio habuerit authoritatem Legati à Cæleſtino Papâ conſtituti, expreſsè evincitur ex epiſtolâ Cæleſtini ad Cyrillum relatâ *tomo 1. Concil. edit. Colonienſ. pag. 737. & alibi*, teſtaturquè Evagrius *lib. 1. cap. 4.* Photius *in lib. de ſeptem Synodis*. Proſper *in Chronico*, Nicephorus *lib. 14. cap. 34.* Liberatus Abbas
48. *in Breviario*. Juſtinianus *in Edicto*, & Nicolaus I. *in Epiſt. ad Michaelem.* 4. Ex Leonis ad Concilium Chalcedonenſe *epiſt. 47.* apertè conſtat, Legatos ipſius fuiſſe ad iſtam quartam Oecumenicam Synodum taliter directos, ut ipſemet Papa in ijs præſideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuiſſe ratam habitam à Concilio, conſtat ex hujus ad Leonẽ *Act. 3. in quibusdam exemplaribus* in alijs verò *circa finem Concilij* relatâ epiſtolâ; ubi habentur ſequentia: *Quibus* (Epiſcopis nimirùm Concilij) *tu ſicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem.* Undè apertè falſum eſt, quòd, uti Vedroſius ait, illi legati Pontificij non egerint munus Iudicis, ſed accuſatoris. Nam oppoſitum evincitur tum ex eo, quòd in omnibus actionibus primi nominentur, primi ſedeant, primi ſubſcribant, ſententiamquè definitivam nomine Papæ & totius Concilij proferant in Dioſcorum his verbis: *Sanctiſſimus ac beatiſſimus Papa, Caput univerſalis Eccleſiæ Leo per nos Legatos ſuos ſanctâ Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cæleſtis regni Ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudavit, & ab omni opere ſacerdotali fecit extorrem.* Nec eſt, cur Vedroſius officij Judicis ac directoris in prætacto Concilio referat ad viros Conſulares ab Imperatore Martiano conſtitutos. Hi enim erant deſtinati duntaxat ad reprimendam violentiam, ſi quæ, uti Dioſcorus in Concilio Epheſino II. moliebatur, eſſet inferenda; ipſe enim *in Orat. ad Synodum* faſſus erat, *ſe non alio fine veniſſe, niſi ad confirmatio-*
49. *nem, ſeu defenſionem fidei, non verò ad juriſdictionis Eccleſiæ uſurpationem.* 5. Circà

Con-

Concilium Conſtantinopolitanum II. Oecumenicum IV. nimis planum eſt, Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum agnoviſſe, quòd præſidentia ſit debita Romano Pontifici; ſic enim in *Epiſt. ad Vigilium in fine 1. collat. 5. Synodi* relatâ ſcripſit: *Petimus, præſidente nobis veſtrâ Beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri.* Unde Zonaras *in vitâ Juſtiniani. Sub hoc,* ait, *quintum Concilium eſt coactum centum, ſexaginta quinque Epiſcoporum, quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* 5. In Concilio Conſtantinopolitano III. Oecumenico VI. præ- 50.
ſides fuiſſe Legatos Agathonis Romani Pontificis, Petrum & Georgium Presbyteros, ac Ioannem Diaconum, teſtatur Zonaras *in vitâ Conſtantini IV.* patetque ex ipsâ Synodo, ubi in omnibus actionibus iſti primi omnium nominantur, loquuntur, ac ſubſcribunt. Nequè Imperatorem, licèt primo loco ſederit, egiſſe munus Judicis, vel præſidis, conſtat ex eo, quòd ultimo loco ſubſcripſerit, nec adeò definierit, ſed decretis ac ſubſcriptionibus Epiſcoporum conſenſerit. 7. Concilium Nicænum II. non pſeudoœcu- 51.
menicum (à Vedroſio ſic vocitatum, quòd damnârit eos, qui ſacras Chriſti & Sanctorum Imagines omni honore ſpoliabant) ſed legitimum præſides habuiſſe Adriani I. Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem Sancti Sabæ, conſtat ex actis Concilij, in quibus iſti primi nominantur, & primi ſubſcribunt. 8. Denique Synodus Conſtantinopolitana II. inter Oecumenicas octava celebrata ſub Adriano Papâ, præſidentes habuiſſe hujus Legatos Donatum & Stephanum Epiſcopos, & Marinum Diaconum, probatur ex eo, tum quòd primi nominentur & ſubſcribant, tum quòd in primâ ejus actione rogati à Concilio, ut oſtenderent litteras Papæ, præſidentiam eis concedentes, exhibuerint; tum deniquè quòd ad finem Concilij primus ex illis ita ſubſcripſerit: *Ego Donatus Dei gratiâ Epiſcopus Hoſtienſis locum obtinens Domini mei Adriani univerſalis Papæ, huic ſanctæ & univerſali Synodo præſidens, omnia, quæ ſuperiùs leguntur, promulgavi, & manu propriâ ſubſcripſi.* Ex quibus omnibus patet, quàm longè à veritate aberret Vedroſius aſſerens, 52.
in nullo univerſali Concilio ante Synodum Conſtantinopolitanam, quam Pontificij pro Oecumenicâ octavâ habeant, directionem fuiſſe penès Romanum Epiſcopum. Et verò quia in aperto jam eſt, Concilia Oecumenica ſemper agnoviſſe authoritatem Papæ tanquam Capitis univerſalis Eccleſiæ, meritò eorum veſtigijs inſiſterent Reformati quoque Doctores, utpotè fatentes, Chriſtum eſſe in medio Conciliorum.

Ad *[illegible]xiam* Reſp. In eâ nihil aliud contineri, quàm fumum calumnia- 53.
rum, & fucum mendaciorum. Nam 1. falſum eſt, quòd Romani Pontificis Legati in Concilio Carthaginenſi fucum fecerint, Canonem Sardicenſis Concilij allegando ſub nomine Concilij Nicæni. Etenim Sardicenſe trecen-

torum, ſeptuaginta ſex ex triginta ſex provincijs univerſi orbis Chriſtiani Epiſcoporum Concilium, æquè ac Nicænum fuiſſe Oecumenicum ac legitimum, conſtat ex Sancto Athanaſio *in princ. Apol. 2.* Auguſtino *Epiſt. 162.* Sulpitio *lib. 2. ſacræ hiſtor.* Socrate *lib. 2. cap. 16. hiſt. Eccleſ.* ac ex actis Concilij *præſertim in fine*: nec adeò aliquis authoritatis majoris fucus fieri potuiſſet, etiamſi Canon à Sardicenſi Concilio editus ſub nomine Nicæni Concilij eſſet allegatus.
54. Et verò Concilium Sardicenſe nullibi ponitur ſeparatim à Concilio Nicæno, ſed poſt illud ſecundo loco ſtatim numeratur Conſtantinopolitanum. Quæ igitur hujus eſt ratio? niſi quia Sardicenſis Synodus cum Nicænâ cenſetur una & eadem, partim quia utriquè interfuerint ijdem ferè Patres, nihilquè aliud in Sardicenſi Concilio conſtituerint, quàm quòd Nicænam Synodum confirmârint, ejuſquè Canones duntaxat explicârint; partim quia Canones utriuſque Concilij Sardicenſis nimirum ac Nicæni in Romanâ Bibliothecâ, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionyſius ante mille annos è Græco convertit, quodquè etiamnum adhuc Attrebati in Monaſterio Sancti Vedaſti extat, ita conjuncti habeantur, quaſi unius Concilij Canones eſſent, *ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.* Vides proinde Vedroſi, qualiter abſque ulſo etiam materiali (nedum formali) fuco Canon Sardicenſis Concilij ſub nomine Synodi Nicænæ allegari potuerit.
55. Fucus igitur ac fumus ex te eſt, non ex Pontificijs Legatis; maximè cùm de principatu Papæ in aperto ſit ſententia Concilij Nicæni Canone ſexto in Synodo quoquè Chalcedonenſi *act. 16.* recitato & approbato, ſic ſtatuentis: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.* Et in Canonibus ex Arabico translatis *can. 39. Ille, qui tenet ſedem Romæ, Caput & princeps eſt omnium Patriarcharum, quandoquidem*
56. *ipſe eſt primus, ſicut Petrus.* 2. Falſum eſt, quòd Concilium Carthaginenſe Anno 419. (non verò, uti falsò dicis, Anno 485.) celebratum, appellationes tranſmarinas ad ſedem Romanam exploſerit. Nam appellationes Epiſcoporum à Concilio provinciali ad ſedem Romanam fuiſſe illo etiam tempore ab Eccleſiâ Africanâ ratas habitas, conſtat ex Sancto Auguſtino *Epiſt. 162. & 261.* in quorum priori dicitur, jus fuiſſe Carthaginenſi Epiſcopo ad Romanam Eccleſiam, *in quâ ſemper viguerit Apoſtolicæ Cathedræ principatus*, provocare, cauſamquè ſuam ibi dicere. In poſteriori autem recenſentur aliquot exempla appellationum ab Epiſcopis Africanis ad ſedem Romanam interpoſitarum, & ab hac ſanctâ ſede judicante, vel judicia primæ inſtantiæ (uti Auguſtinus *citatus* loquitur) firmante terminatarum. In quâ porrò epiſtolâ hic Sanctus Eccleſiæ Doctor apertis verbis defert appellationes cauſæ ad ſedem Ro-
57. manam interpoſitæ. 3. Fucum facit Vedroſius, allegando litteras Concilij Carthaginenſis ita concludentis; *Itaque nè velitis permittere, ut fumoſum mundi fa-*

ſtum

ſtum in Chriſti Eccleſiam inducere videamur. Ex his namquè verbis videtur ille
Miniſter Eccleſiæ Romanæ imponere, quaſi jus appellationis prætendendo,
fumoſum mundi faſtum inducere videatur. At ex Sancti Auguſtini *Epiſtolâ*
261. conſtat, quòd, ubi Antonius Fuſſatenſis Epiſcopus ab Epiſcopis Africanis
ad Romanum Pontificem appellaſſet, cauſamquè ſuam ibi egiſſet, rumor
ſparſus fuerit, de ipſo per publicam militaris manûs à Pontifice ſubmittendæ
poteſtatem reſtituendo. Quam proinde militarem manum ceu fumoſum
(ut Concilium Carthaginenſe ad Cæleſtinum Papam ſcripſit) ſive tanquàm
valentum (uti Auguſtinus *citatus* ſcribebat) inter fratres dominatum de-
precabantur Epiſcopi Africani. At ex hoc ipſo clarè conſtat, jus appellatio-
nis ad Romanam ſedem non fuiſſe vocatum in dubium, ſed de executionis
modo (quem rumor publicus prædicebat) habitum fuiſſe recurſum ad illius
ſedis Pontificem. 4. Non tantum fucus, ſed aperta falſitas eſt, quòd iſtos 58.
Patres Africanos Romanus Epiſcopus exinde diris devoverit, hoc enim
tanquam impoſturam falſo etiam cujuſdam epiſtolæ Bonifacij I. (eo tamen
tempore, quando Patres Africani ad ejus ſucceſſorem Cæleſtinum verba
prææallegata ſcribebant, jam defuncti) commento impinguatam oſtendit
Baronius *Anno 419. n. 82. ac ſeq.* Quo igitur jure Vedroſius aſſeruit, inter illos
Patres diris devotos, Baronio non diffitente, fuiſſe Auguſtinum? Quinimò
Patres Africani *in 1 Epiſt. ad Bonifacium*, & in *alterâ ad Cæleſtinum* ſuam concordi-
am & ſubjectionem ad ſedem Apoſtolicam apertiſſimè teſtati ſunt, uti pate-
bit expendenti iſtas epiſtolas. De Sancto autem Auguſtino ipſe Papa Cæ-
leſtinus *in Epiſt. ad Gallos* ſcribit, eum in communione Romanæ Eccleſiæ ſem-
per fuiſſe, & à ſe, ſuiſquè prædeceſſoribus Doctorem optimum habitum
ſemper fuiſſe. Quâ igitur fronte Vedroſius ſcripſit, Auguſtinum extra com-
munionem Romanæ Eccleſiæ mortuum fuiſſe? 5. Verum quidem eſt, 59.
Patres Africanos apud Concilium Carthaginenſe *c. 105. ad Cæleſtinum Papam*
ſic ſcripſiſſe: *Presbyterorum quoquè & ſequentium Clericorum improba refugia (ſicut*
te dignum eſt) repellat ſanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc derogatum eſt
Africanæ Eccleſiæ. In quibus adeò verbis videtur alluſiſſe ad Canones 14. Sardi-
cenſis, 15. Antiocheni, & 22. Milevitani Concilij à Vedroſio *ſuprà Argumentô 4.*
allegatos. Verum in hiſcè Canonibus non interdicitur appellatio Epiſcopo-
rum ad Romanam ſedem, ſed inferiorum duntaxat Clericorum. At eo ipſo,
quòd Epiſcoporum appellatio ad iſtam ſedem ſemper obtinuerit, eatenùs
hîc concluditur Romani Pontificis principatus, ut ipſo tamen conſentien-
te ob incommoda ex quorumvis, etiam inferiorum ad ſanctam ſedem recur-
ſu in provincijs tranſmarinis facilè oritura, fuerit permiſſum, ut Presbyte-
rorum, ac reliquorum Clericorum cauſæ, ſalvo tamen jure Pontificio, ulti-

matè terminarentur à Metropolitanis, vel Synodis Epiſcoporum. Ex quo proinde non firmius contrà Romani Pontificis primatum deſumitur argumentum, quàm ſi quiſpiam ex eo, quòd in Imperio Romano in cauſis criminalibus ex privilegio, vel conſuetudinis jure nulla detur appellatio, vellet quis negare Imperatoris principatum, ac ſuperioritatem juriſdictionis.

60. Ad *ſeptimam* Reſp. 1. Vedroſium nimis apertè falſitatis reum eſſe, dum ſcribit, totam antiquitatem non coluiſſe (ſive uti ex ſuo calumniandi ſpiritu loquitur, adoràſſe) Papalem potentiam. Etenim oppoſitum manifeſtè patet ex Patrum teſtimonijs *præced. ſect. cap. 3. prob. 3.* & *præſenti ſect. cap. 3. prob. 3.* adductis. Quibus ſuperaddi poſſunt Sanctus Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus apud Divum Hieronymum *lib. de viris illuſtribus*. Concilia Oecumenica *ſupra in reſp. ad argut. 5.* adducta, ſpeciatim Nicænum *ſupra ad arg. 5. n. 54* expoſitum, Synodus Chalcedonenſis *act. 1. 2. & 3.* item *act. 16. in relat. ad Leonem*. Concilium Milevitanum *in epiſt. ad Innocentium Papam*, relatâ apud Sanctum Auguſtinum *Epiſt. 92.* Concilium Chartaginenſe *in Epiſt. ad Innocentium Papam, epiſt. 90. apud Auguſtinum.* Concilium Epheſinum *ad Cæleſtinum Papam.* Quibus

61. ex hac ipsâ Synodo Epheſinâ primâ ſequentia de omnibus retrò ſæculis atteſtantia verba ſuperaddo: *Nulli dubium eſt, imò omnibus ſeculis notum eſt, quod ſanctus, beatiſſimuſque Petrus Apoſtolorum caput, fideiquè columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino noſtro Ieſu Chriſto claves regni accepit, qui ad hoc uſque tempus & ſemper in ſucceſſoribus vivit & judicium exercet.* Vides igitur Vedroſi, ſanctam Antiquitatem in Papâ claves regni, & authoritatem Capitis ac fundamenti Eccleſiæ taliter agnoviſſe, ut beatus Petrus omnibus ſæculis in ipſo vixerit, imò ſemper judicium exerciturus ſit.

Reſp. 2. Vedroſium nimis imperitum in ſemitâ virtutum ſe prodere.

62. Aliud enim eſt, contra veritatem velle refutare ſupremam in Eccleſiâ authoritatem: aliud verò eſt, contra virtutem humilitatis eam vel ambitiosè affectare, vel etiam legitimè obtentam faſtu quodam ſæculari ac prophano jactare, & non Chriſti honorem, oviumquè commiſſarum ſalutem in humilitate quærere, ſed univerſis ſe prælatum ſuperbè ſentire. At hoc poſterius Gregorius Magnus in ſe ac vero univerſalis Eccleſiæ Paſtore ita volebat repreſſum, ut inprimis in ſpiritu lenitatis per judicij Divini timorem cuperet Conſtantinopolitani Patriarchæ primatum ambientis faſtum reduci ad veritatis ac humilitatis debitæ agnitionem. Verum ubi paterna admonitio non profuiſſet, ad cenſuram progrediendo, eum prohibuit, ne Miſſarum ſolemnia celebraret. *Ex ejuſd. lib. 4. Indict. 13. cap. 65. epiſt. ad Ioannem Conſtantinopolit.* At iſta cenſura apertam præfert clavium Petro conceſſarum juriſdictionem. Quam proinde Sedis Romanæ authoritatem reſpectu Eccleſiæ Con-

ſtantinopolitanæ teſtatus etiā fuit *lib. 7. indict. 2. cap. 63. ad Joannem Syracuſanum* reſcribens: *Quis dubitat, eam* (ſcilicet Conſtantinopolitanam Eccleſiam) *ſedi Apoſtolicæ eſſe ſubjectam, Quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater noſter Euſebius ejuſdem civitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur.* Vides igitur Vedroſi, Gregorium Magnum ita humilitatis ſemitam fuiſſe ingreſſum, titulum univerſalis Sacerdotis de jure alioquin ſibi competentem refugiendo, ut tamen veritatem non deſereret in tuendâ & aſſerendâ supremâ Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romanæ Cathedræ authoritate, velut hoc ipſum manifeſtè quoquè conſtat ex ejus *lib. 4. Epiſt. 52. ad Epiſcopus Galliæ.*

Ad *octavam* Reſp. Quid ais Vedroſi, Bonifacium III. primùm emendaſſe ut Romana Eccleſia eſſet Caput omnium Eccleſiarum? At Juſtinianus *in Edicto ad Ioannem* eam jam prius vocabat *Caput omnium Eccleſiarum.* Et hoc antecessor Martianus *in Epiſt. ad Leonem Pontificem Romanum*, dicit, *poſſidere in Epiſcopatu Divinæ fidei principatum.* Valentinianus Martiano etiam antiquior *in Epiſt. ad Theodoſium* ait, *quòd principatum Sacerdotij ſuper omnes Romano Epiſcopo antiquitas contulerit.* Theodoſius *in Novellis tit. 14. de Epiſc.* ita loquitur de Romano Pontifice: *Tum demum Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat univerſitas.* Conſtantinus Magnus *in Edicto relato to. 1. Concil. edit. Colon. fol. 322.* col. 2. ait: *Romæ principatum Sacerdotum & Religionis Caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſſe.* Legitur porrò hic Imperator ſubſcripſiſſe Concilio II. Romano ſub Sylveſtro I. in cujus 20. capite ita decernitur: *Nemo judicabit primam Sedem, quoniam omnes ſedes à primâ Sede juſtitiam deſiderant temperari.* En igitur Vedroſi, quam apertis teſtimonijs retundatur tuus mendacij ſpiritus. Hoc igitur tantum egit Phocas Imperator, ut faſtum Conſtantinopolitani Patriarchæ titulum illum illegitimè ambientis, reprimeret, illumquè adeò ceu Eccleſiæ Romanæ proprium vindicaret. 63.

Ad *nonam* Reſp. In aperto eſſe, quòd Æneas Sylvius multa ſcripſerit, quæ tandem retractârit, veluti probet ejus tunc Pij II. Bulla Retractationum 64.
relata *in tomo 4. Concil. p. 1. edit. Colon. 1618. pag. 738. ac ſeq.* Quam proinde Bullam priorum errorum correctivam eſſe attendendam, in quibus authoritatem Papæ tanquam univerſalis Capitis omni poſt Petrum tempore in Eccleſiâ agnitam, validis argumentis probatam videre licet. Eadem Papæ authoritas in præadducti Æneæ Sylvij *Epiſt. 301.* (non verò, uti Vedroſius falsò citat, 188.) ad Martinum Mayr apertis verbis adſtruitur, tanquam Divinitùs inſtituta, nec aliud *ibi* dicit, niſi quòd propter perſecutiones continuas non potuerint olim Romani Pontifices eam liberè exercere. In quo etiam puncto in quantum Æneas prætactus plus æquo ſcripſiſſe deprehenditur, oportet, id præallegatâ Bullâ Retractationum tegi. Cur igitur tu Vedroſi, exemplum Æneæ

Sylvij

Sylvij adhuc errantis ſecutus, non ſequeris exemplum ejuſdem pœnitentis ac retractantis?

65. Ad *decimam* Reſp. Me non ſatis mirari poſſe, quòd Vedroſius ſui adeò immemor ſit in producendâ Epiſtolâ 102. Sancti Auguſtini. Nam priùs, *argut. ſcilicet 2.* aſſerebat, appellationes tranſmarinas ab Auguſtino ac reliquis Epiſcopis Africanis fuiſſe exploſas. At Divus Auguſtinus eas claris verbis adſtruit *in cit. Epiſt. 162.* Deinde hic ipſe Sanctus Doctor *ibidem* apertè ait, in Romanâ Eccleſiâ ſemper viguiſſe Apoſtolicæ Cathedræ principatum. Et inferiùs laudat Melchiadem Papam, ejuſque ſententiam in causâ Cæciliani Epiſcopi Aphri prolatam. Verum quidem eſt, eâdem *Epiſt.* tandem dici, quòd, *ſi judicium* Epiſcoporum, qui Romæ judicabant, *non placuiſſet, ſuperfuiſſe plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut, ſi male judicâſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* In hoc tamen nihil agitur adversùs Papæ authoritatem, cùm plenarium Concilium non ſubſiſtat abſque hujus interventu & approbatione. Neque verò dubium eſt, quin cauſa judicata à Pontifice in Concilio particulari poſſet juxta antiquum Eccleſiæ morem denuò agitari in Concilio univerſali, in quo tamen ſententia definitiva ſit ipſius Pontificis Concilio aſſentientis, ejuſque deciſionem approbantis.

66. Ad *undecimam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius, ſucceſſionem, qualem in Romanis Pontificibus agnoſcit Auguſtinus, magnifaciendam eſſe, ſi ei, quemadmodum illâ ætate, juncta ſit fidei confeſſio. At ex ipſomet Sancto Auguſtino *proximè* adducto, cæteriſque Patribus & Concilijs Oecumenicis *ſuprà ſec. 1. c. 3. n. 16.* adductis patet, talē illis ſæculis fuiſſe ſucceſſionem Romanorum Pontificum, ut in his agnoſceretur Sedis Apoſtolicæ Principatus, & ſuprema judiciariæ in cauſis ſacris poteſtatis erga omnes cæteras Eccleſias authoritas. Quia erga ſucceſſio Romanorū Pontificum illis ætatibus habuit conjunctam fidei confeſſionem, evidenter ſequitur, illum principatum non pugnare cum verâ fide. Adhæc iſtius

67. Principatûs ad ligandum & ſolvendum reſpectu totius Eccleſiæ authoritas eſt ſecundùm Chriſti Domini promiſſionem connexa cum petrâ, ſuper quam eſt fundata. At hæc ipſa petra eſt perpetua, utpote adversùs quam, & Eccleſiam in eâ fundatam portæ inferi prævalere non valeant. Ergo illius Pontificij principatûs authoritatem ita oportet, eſſe perpetuam, ut ejus ſucceſſio non poſſit ſejungi à ſucceſſione fidei. Ergo quia iſte principatus manet in Petri ſucceſſore, atque adeò Romano (uti *ſuprà* oſtenſum eſt) Pontifice, non poteſt in hoc non ſtare fidei petra, ita ut quà Pontifex definiens ex Cathedrâ ad univerſalem Eccleſiam, in dogmatibus fidei errare non poſſit, &, ſi ut perſona privata deficiat à fide, eo ipſo decidat authoritate Pontifi-

ciâ,

tiâ, utpote ceu membrum abſciſſum, non potens ampliùs ſubire rationem Capitis Eccleſiæ. Unde omninò verum probatur illud adagium: *Non habet Cathedram Petri, qui non habet fidem Petri.* Sed de hoc plura inferiùs *ſect. 5.*

Ad *duodecimam* Reſp. Sic argumentando: Illa Chriſti Domini verba: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; Et tibi dabo claves regni cœlorum,* ſecundum Divum Auguſtinum *citatum*, aſſentiente Vedroſio, dicta ſunt Petro, quà totius Eccleſiæ figuram ſeu typum gerenti. At Capitis ſeu principis eſt proprium, ita gerere figuram regni, ut iſtud ſit in ipſo *repræſentativè.* Ergo quia illa Chriſti Domini verba dicta ſunt Petro quà totius Eccleſiæ figuram gerenti, oportet, Petro iiſdem verbis fuiſſe promiſſum Eccleſiæ principatum, vi cujus eſſet in ipſo *repræſentativè* tota Eccleſia, Divo Auguſtino *Tractatu 124. in Ioannem circà medium* ita diſſerente: *Eccleſia Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figuratâ generalitate perſonam.* Deinde ex Sancto Auguſtino (non quidem loco per Vedroſium malè *citato*) ſed *tract. præallegato* ita licet argumentari. Id, quod per proprietatem in Chriſto eſt Eccleſia, hoc per ſignificationem eſt Petrus in petrâ. At iſtâ ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia. Unde iſtis verbis: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, Eccleſia, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id eſt poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata. Atqui Petrus ſignificatur Eccleſia propter Apoſtolatûs ſui primatum. Ergo Eccleſia accepit claves regni cœlorum in Petro propter Apoſtolatûs ipſius primatum. Atqui ex hoc infertur, claves regni cœlorum in Petro ita eſſe datas Eccleſiæ, ut in Petro eſſet illa poteſtas tanquàm in principe ſeu Capite, ſive præpoſito univerſæ Eccleſiæ, uti apertis verbis loquitur iſte Sanctus Doctor *Lib. quæſt. veteris & novi Teſtamenti, & lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1.* At hic ipſe Apoſtolicæ Cathedræ principatus, teſte eodem Auguſtino *Epiſt. 162. & alibi ſæpè*, ſemper viguit in Romanis Pontificibus, ceu Petri ſucceſſoribus. Planum igitur eſt, illa verba: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves*, ita eſſe dicta Petro, quà Eccleſiæ figuram gerenti, ut tota Eccleſia *repræſentativè* ſit in Petro, ejuſque ſucceſſore propter Apoſtolatûs ſeu Cathedræ Apoſtolicæ principatum, atque adeò Eccleſia in hoc Principe ſuo acceperit poteſtatem indefinitam ligandi & ſolvendi. Hinc denique patet, Vedroſij ineptas eluſiones omninò evaneſcere: eo ipſo enim, quòd claves collatæ ſint Petro quà Principi ſeu Capiti Eccleſiæ, oportet, eſſe datas Eccleſiæ in primario ejus membro. At hæc ipſa poteſtas clavium eſt data Petro, quatenùs ſuper ipſum, eximiam ſuam de Chriſto confeſſionem edentem, non quidem *primariò*,

ſed

68.

69.

70.

ſed *ſecundariò* foret ædificanda Eccleſia, quæ in Chriſto eſſet ſecundùm proprietatem, in Petro autem per ſignificationem ſeu repræſentationem vicariæ duntaxat poteſtatis. Hinc autem non ſequitur, Eccleſiam fore ædificandam ſuper ſe ipſam, ſed ſuper membrum ſuum primarium Chriſti in terris vicem gerens. Non igitur Auguſtino *Serm. 5. in Feſto Petri & Pauli* apertiùs ſignificanti, Petrum eſſe petram ſeu Eccleſiæ fundamentalem lapidem, imputanda eſt illa per Vedroſium deducta illuſio, ſed in hujus ceu authoris ſui caput retorquetur, ut ita in ipſo verificetur illud Proverb. 9. *Si autem illuſor fueris, ſolus portabis malum.*

71. Ad *decimamtertiam* Reſp. Ex proximè ac præcipuè *cap. 3. prob. 3.* dictis manifeſtum eſſe, quòd gloſſa illa, quâ ſub Petrâ intelligitur Petrus, non ſit detorta, ſed genuina Sanctorum Patrum expoſitio, cum quâ nullatenùs pugnent ſacræ Litteræ. Nam ipſe quoquè Petrus, quà confeſſionem illam edens, ac poteſtatem clavium reciprocè accipiens, ſuper Chriſtum ceu fundamentum eſt ædificatus; *Fundamentum* quippe *aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus*, uti argumentatur Sanctus Auguſtinus *cit. Tract. 124. in Ioannem.* Atqui hoc non obſtante, Divus Auguſtinus *cit. ſerm. 5.* ita diſſeruit de Petro: *Solus inter Apoſtolos meruit audire: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. dignus certè, qui ædificandis populis in domo Dei lapſis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum.* Authoritas ergo ſacræ Scripturæ ſolum Chriſtum eatenùs ſtatuit fundamentum ac lapidem Eccleſiæ, ut ſuper hoc tamen fundamento detur aliud, ſeu lapis fundamenti ſuperſtructus, cui conveniat, eſſe petram ſeu fundamentum Eccleſiæ non *primarium* & *abſolutè* inſtar Chriſti, ſed *vicariè*

72. duntaxat ac *ſecundariò*, ſeu *participativè*. Et verò quæro ex Vedroſio *in Frontiſpicio ſui Manual.* præferente titulum Orthodoxi apud Curienſes Paſtoris, an Curienſes ita paſcat veritate, ut ſit Paſtor bonus animam ſuam poſiturus pro ovibus ſuis? Si neget, convincitur ſanè, falsò gloriari illo ſpecioſo titulo. Si affirmet, arguendus venit, eò quòd Chriſti ſit proprium, eſſe Paſtorem ovium Orthodoxarum. Ne ergo titulum Chriſti proprium arrogâſſe videatur, utique diſtinguet, aſſerendo, ſe non *abſolutè*, ac *primariò*, ſed *vicariè* & *participativè* duntaxat cum ſubordinatione ad Chriſtum, eſſe Paſtorem Orthodoxarum ovium. At hac diſtinctione poſitâ, rursùs quæro, quâ fronte audeat, ſalvâ Scripturâ ſibi arrogare titulum Paſtoris & Vicarij ovium orthodoxarum, dum tamen contendat, ſacris Litteris contradicere illos, qui Sanctum Petrum cum Divo Auguſtino vocant Eccleſiæ fundamentum non *primariò* & *abſolutè*, ſed *vicarè* & *participativè*.

73. Ad *decimamquartam* Reſp. Sic argumentando. Secundùm Patres *ibi* alie-

allegatos ſub petrâ, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, intelligitur confeſſio Petri, quâ dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* At eo ipſo, quòd iſtud Eccleſiæ ædificium ſit perpetuum & adeò firmum, ut portæ inferi non ſint adverſus illud prævalituræ, oportet, etiam petram, ceu fundamentum, ſtare inconcuſſam non tantùm in perſonâ Petri, ſed pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu uſque ad conſummationem ſæculi. Illa ipſa autem verba ſunt dicta Petro, quà totius Eccleſiæ figuram gerenti propter Apoſtolatûs primatum, ex Sancto Auguſtino *ſuperiùs citato.* Oportet igitur, illam fidei confeſſionem ceu petram Eccleſiæ ita ſtare inconcuſſam pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu, ut conſequenter etiam Apoſtolatûs primatus, ratione cujus Petro ſunt dicta illa verba, ſit perpetuus, habeatque perpetuò ſecum connexam fidei firmitatem, ceu petram Eccleſiæ. Atqui iſta in Apoſtolatûs principatu perpetuitas, ejuſque cum fidei firmitate connexio non ſubſiſteret, niſi tranſiiſſet in ſucceſſores uſque ad conſummationem ſæculi futuros. Quare admiſſis & ponderatis illis per Vedroſium allegatis Patrum ſententijs, conſequens eſt, uſquè ad extremum judicij diem fore ſucceſſionem in primatu Apoſtolatûs connexam cum fidei firmitate. Quamvis proinde Auguſtino *lib.* 1. *Retract. cap.* 21. advertente, duæ jam pro tunc extiterint illorum verborum *ſuper hanc petram*, Patrum expoſitiones, ita ut aliqui per *petram* Petrum, alij fidei confeſſionem à Petro editam intelligerent; conſtat tamen, ambas reincidere in idem, ac æquè efficaces eſſe ad probandam Apoſtolici primatûs in Eccleſiâ cum fidei firmitate connexam ſucceſſionem. Unde hoc tantùm diſcriminis eſt, quòd expoſitio prior conſideret illum textum *formaliter* ſecundùm id, quod eſt formale, poſterior autem *ſubjectivè* ac *materialiter*, ſecundùm ſubjectum ſcilicet, in quo illa fidei firmitas eſſet connexa cum Apoſtolatûs primatu ac poteſtate clavium.

Ad *decimamquintam* Reſp. Bellarminum non *cap.* 17. (uti falsò citat Vedroſius) ſed *cap.* 12. habere illa verba, peſſimè tamen & malitioſè applicata ab illo Curienſi Miniſtro. Nam Bellarminus *citatus* diſtinguit in Romano Pontifice ſucceſſionem & rationem ſucceſſionis, ita ut ſucceſſio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ſit ex inſtituto Chriſti, non autem ratio ſucceſſionis, quâ Romanus Pontifex potiùs, quàm alius ſuccedit, ſed hanc ait ex facto Petri initium habuiſſe; ſiquidem Petrus potuiſſet nullam ſedem particularem eligere: in quo caſu, moriente Petro, nequè Romanus, neque Antiochenus Epiſcopus ſucceſſurus fuiſſet, ſed is, quem Eccleſia ſibi elegiſſet. Quibus adeò poſitis, verborum Bellarmini à Vedroſio adductorum ſenſus legitimus ſequenti argumentatione declaratur. Ex ſacris Litteris evidenter deducitur paſtorale munus Petro à Chriſto com-

 miſ-

miſſum eſſe perpetuum, atque adeò tranſire ad ſucceſſorem. At licèt non ex jure Divino, ſed ex facto Petri ortum ſit, ut Romanus Pontifex eſſet Petri ſucceſſor, attamen iſtud Petri factum eſt adeò evidens in Eccleſiâ, ut Sancti Patres ſucceſſionem Romanorum Pontificum à Petro numeratam ſtatuerint tanquàm prudentiale credibilitatis argumentum, vi cujus continerentur intrà Romanam Eccleſiam, atque hujus Pontificem agnoſcerent totius Eccleſiæ Caput ac principem, veluti cui in Petro ſint promiſſæ claves cum indefinitâ poteſtate ligandi ac ſolvendi. Eo ipſo autem, quòd aliqua veritas taliter ſit conſtituta, ut ſub prudentiali credibilitatis argumento per ipſoſmet præſertim Sanctos Patres, imò & Concilia approbata reduci poſſit in ſacri alicujus textûs ſenſum legitimum, oportet, talem veritatem credere fide Divinâ & Catholicâ. Cùm igitur res ita ſe habeat circa Romanum Pontificem, ut ſub credibilitatis prudentialis argumento per Sanctos Patres unanimiter, imò & Conciliorum Oecumenicorum decreta, ipſiuſque Eccleſiæ ſucceſſionem Romanorum Pontificum à Petro ſemper numerantis, conſenſum approbato, poſſit reduci in Chriſti, claves ac poteſtatem ligandi & ſolvendi, & in univerſas ſuas oves paſtorale munus Petro promittentis & committentis verba, conſequens eſt, talem articulum, quòd Romanus Pontifex ſit Eccleſiæ univerſalis Caput ac princeps, ſit de fide, licèt non ex jure Divino, ſed facto Petri ortum ſit, ut Romanus Pontifex quà talis, ſit Petri ſucceſſor. En igitur Vedroſi, niſi tenebras amares, apertam Veritatis lucem.

76. Ad *decimamſextam* Reſp. Hanc non niſi putri imaginario ac deceptorio filo Vedroſiano contextam eſſe. Ubi enim Bellarminus ait, primatum Papæ non eſſe de jure Divino? Certè contrarium apertè aſſerit tam decimoſeptimo per te citato, quàm duodecimo capite. Sed audiamus Vedroſium denuò cavillantem; ait enim Bellarminum *lib. 4. de Eccleſ. milit. cap. 8.* fateri, *Non neceſſariò ibi eſſe Eccleſiam, ubi eſt ſucceſſio.* Verùm te Vedroſi, ſi integrâ fide procederes, oportuiſſet advertere, Bellarminum *in principio capitis citati* allegatis Tertulliani *in lib. de præſcript.* Euſebij *in hiſt. & Chron.* Hieronymi ac Proſperi *Chronicon iſtud continuantium.* Epiphanij *hæreſ.* 27 Optati Milevitani *lib. 2. contra Parmenian.* Auguſtini *in epiſt. 167. ad Generoſum, & in Pſalm. 36. contra partem Donati, item cap. 4. item contra epiſt. fundamenti* teſtimonijs probare, quòd ex ſucceſſione à Petro numeratâ oſtendatur vera Eccleſia. Exinde procedit ad oſtendendum, quòd, ubi non eſt ſucceſſio, veluti in Eccleſijs Reformatis, utpote in quibus Lutherus Epiſcopus Wittenbergenſis, Zvvinglius Epiſcopus ſeu Antiſtes Tigurinus, Oecolampadius in ipſo ſepulchri ſui epitaphio Epiſcopus Baſileenſis primus abſquè, ullâ ſucceſſione.

Digitized by Google

ceſſione vocatus fuerit, ibi non poſſit ſubſiſtere vera Eccleſia. Tandem aſſerit quidem, Eccleſiam non eſſe ibi neceſſariò, ubi eſt ſucceſſio, loquitur tamen de ſucceſſione in abſtracto, non verò de ſucceſſione eo modo qualificatâ, quo modo ſe tenet in Cathedrâ Romanâ, ſiquidem iſta taliter deſcendat à Petro, ut in hoc ejus ſucceſſoribus unà cum paſtorali ovium Chriſti munere, ſit Divinitùs promiſſa firmitas Eccleſiæ à portis inferi nunquàm ſuperandæ. Unde Sanctus Auguſtinus *cit. cap. 4. contrà epiſt. fund.* ex ſucceſſione taliter qualificatâ deſumpſit argumentum prudentiale, quo aſſeruit, ſe teneri in Eccleſiâ: Vides igitur Vedroſi, Bellarminum confodere caput tuum, ſi integrâ fide ipſum alleges.

Ad *decimamſeptimam* Reſp. Compellando omnes Reformationis hodiernæ ſtudioſos, ut ſui Miniſterij falſitatem in allegandis Patribus notent, itaquè advertant, quàm periculoſum ſit, talibus ſuæ Reformationis Miniſtris adhibere fidem. Nam 1. Sanctus Hieronymus *loco* per Vedroſium infideliter allegato, nempè *lib. 1. ad Iovinianum cap. 14.* ita habet: *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia: licet id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* En igitur unum ex Apoſtolis eſſe conſtitutum Eccleſiæ Caput, nempè Petrum, veluti diſertis verbis aſſerit idem Hieronymus *in Pſ. 13.* Hinc Epiſt. *54. ad Marcellam* ait: *Petrum eſſe, ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam.* Et in *Matt. cap. 16. Secundùm Metaphoram petræ,* inquit, *rectè dicitur ei* (nempè Petro) *ædificabo Eccleſiam ſuper te. Et dabo tibi claves regni cælorum.* Unde in *Epiſtolâ ad Damaſum de hypoſt.* vocans hunc Romanum Pontificem Piſcatoris ac Diſcipuli Crucis ſucceſſorem, eum ſic affatus eſt: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super hanc petram ædificatam Eccleſiam ſcio &c. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Videte igitur & attendite omnes Reformationi hodiernæ addicti, quòd ſpargat, qui non colligit cum Petri ſucceſſore Pontifice Romano, nec adeò ſit Chriſti, ſed Antichriſti. 2. Sanctus Cyprianus *loco* per Vedroſium infideliter *citato*, nempe *de unit. Eccleſiæ* taliter diſſerit: *Probatio eſt ad fidem facilis, compendio Veritatis loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cælorum.* En igitur, probatio ad fidem facilis eſt ex illo veritatis compendio, quo Petro dictum eſt: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.* Unde etiam *lib. 1. epiſt. 8.* ait: *Unam eſſe Eccleſiam, & Cathedram unam, ſupra Petrum, Domini voce fundatam.* Hanc autem Cathedram *cit. lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium*

77.

78.

Digitized by Google

nelium Papam agnoſcit in Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo pro tempore exiſtente. Undè cùm Reformati moderni iſtud veritatis compendium deſeruerint, ipſi jam viderint, quomodò teneant probationem ad fidem in illo Veritatis compendio fundatam. Sed pergit Cyprianus: *Eidem* (ſcil. Petro) *poſt reſurrectionem ſuam dixit, Paſce Oves meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Et: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit.* En igitur in Petro, ac cæteris Apoſtolis ita erat paritas poteſtatis, ut ſuper unum tamen Petrum Chriſtus ædificaret Eccleſiam ſuam, eiquè oves ſuas paſcendas mandaret. Ex hoc autem factum eſt, ut una Cathedra conſtitueretur, & unitatis ejuſdem origo ab uno (Petro) inciperet. At iſta Cathedræ unius, Paſtorale in oves Chriſti Officium importantis, conſtitutio cum Eccleſiæ ædificio ſupra petram fundato, adeòque perpetuò connexa non poteſt non importare ordinarium, in ſucceſſores proinde transferibile officium, cùm econtrà poteſtas cæteris Apoſtolis per modum miſſionis, adeòque perſonalis legationis conceſſa cum ipſis eſſet exſpiratura. Planum igitur eſt ex Cypriano, in Apoſtolis ita fuiſſe parem poteſtatem, ut hæc tamen ſub diverſo jure tum Officij ordinarij in Petro, tum Legationis perſonalis in cæteris Apoſtolis conſtituta, in

80. Petro importaret Cathedram, eamque unam, ſicque ab uno Petro inciperet unitatis origo, eò quòd ſuper illum unum ædificata ſit Eccleſia. Unde pergit Cyprianus: *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datus, ut una Eccleſia & Cathedra monſtretur.* En igitur Apoſtoli ita erant pari honoris, & poteſtatis conſortio præditi, ut exordium tamen (quod unà cum ſequentibus doloſè omiſit Vedroſius) ab unitate proficiſceretur. Hoc autem fit, quatenùs Petro ita datus eſt primatus, ut una Eccleſia & Cathedra monſtretur. Atqui primatus Cathedræ importat poteſtatem ordinariam in ſucceſſores transferibilem. Inde ipſe quoquè Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 3. ad Cornel. Papam* agnoſcit unum in Eccleſiâ ad tempus ſacerdotem, & ad tempus Iudicem vices Chriſti agentem, cui ita obtemperandum eſſe ait, ut non aliundè hæreſes obortas eſſe aſſerat, niſi quòd ipſi non obtemperetur. Hunc ipſum verò Sacerdotem *loco cit.* ita agnoſcit in Romanâ Eccleſiâ, ut hanc dicat Cathedram Petri, & Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta ſit. Et hinc *in Epiſt. 73. ad Iubaſianum* ait: *Nos unius Eccleſiæ Caput Iudicem tenemus.* Conſtat igitur, Cyprianum ita agnoſcere

in

Digitized by Google

in cæteris Apoſtolis æqualem reſpectu totius Eccleſiæ, extraordinariam tamen per modum legationis perſonalis poteſtatem, ut uni tamen Petro, ejuſque ſucceſſori collatam contendat primatûs poteſtatem ordinariam, ſuper quâ erigenda foret Cathedra, in ſucceſſores adeò transferibilis. Videte igitur, & attendite modernæ Reformationi addicti, hæreſes ſecundum Cyprianum ex eo oboriri, quòd iſtius Cathedræ Sacerdoti uni, ceu Capiti & Iudici vices Chriſti agenti non obtemperetur. 3. Divus Am- 81
broſius *de Incarnat.* (non 14. *cap.* uti falsò *citatur* à Vedroſio) *ſed 4.* ait: *Petrum, quando de Chriſto confeſſus eſt, eſſe Filium Dei, egiſſe primatum confeſſionis, non honoris, fidei, non Ordinis.* En igitur fallaciam Vedroſij inducentis Ambroſium, quaſi *abſolutè* negaret, primatum Petri eſſe *Honoris & Ordinis*, cùm tamen iſte Sanctus Doctor ſolùm dicat, ſub illâ confeſſione egiſſe Primatum fidei, non *Honoris & Ordinis.* At totum hoc libenter dant Pontificij; neque enim dum edebat iſtam Confeſſionem Petrus, adhuc obtinebat principatum Apoſtolatûs, licèt ex eo, quòd per revelationem æterni Patris tunc conſecutus ſit Primatum fidei, Chriſtus exinde promiſerit ipſi Honoris & Ordinis primatum, vi cujus nimirum eſſet petra, ſuper quam fundanda eſſet Eccleſia, cuiquè dandæ forent claves regni cælorum cum poteſtate ſolvendi ac ligandi. Audiamus ipſum Ambroſium *Serm.* 47. ſic diſſe- 82
rentem: *Petrus tanquàm bonus Paſtor tuendum gregem accepit, ut, qui ſibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum; denique pro ſoliditate durationis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.* En igitur curam Paſtoralem Gregis Chriſtiani Petro tanquàm Eccleſiæ Petræ commiſſam. At iſta cura eatenùs importat Primatum Honoris & Ordinis, ut propterea dixerit idem Ambroſius *ad cap. 1. Galat. Dignum erat* (inquiens) *ut cuperet* (Paulus) *videre Petrum, qui primus erat inter Apoſtolos, cui delegaverat Salvator curam animarum.* Et hinc *ibid. ad cap. 2.* dicit: *Chriſtum nominare & ſibi comparare Petrum ſolum, quia primatum ipſe acceperit ad fundandam Eccleſiam.* Et infrà: *Soli Petro*, ait, *gratia Primatûs inter Apoſtolos eſt commiſſa.* Qui proinde Honoris, & Ordinis, utpote Iuriſdictionem & Curam Eccleſiæ importans Primatus in ipſo etiam Petri ſucceſſore Romano Pontifice eſt agnitus ab Ambroſio *in cap. 3. ad Timoth. 1.* ſic ſcribente: *Cùm totus mundus Dei, tamen ejus domus Eccleſia dicitur, cujus rector eſt Damaſus.* Et *Orat. in Satyrum: Percontatus Epiſcopum eſt, ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romanâ Eccleſiâ convenerit.* Videte proin & attendite hodiernæ Reformationi addicti, Divum Ambroſium in Petro, ejuſque ſucceſſore ita agnoviſſe Primatum cum animarum Curâ, ſive cum Rectoratu Eccleſiæ ſuprà Petram fundatæ, ut perinde ſit, convenire cum Eccleſiâ Romanâ, atque cum Epiſcopis Catholicis. Redeant

igitur

igitur ad Eccleſiam ad Romanam, ut cum Epiſcopis Catholicis, atque adeò verâ Eccleſiâ conveniant. 4. Nihil adversùs Pontificios probat Vedroſius ex Clemente Romano, dum Iacobum Apoſtolum Rectorem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, imò omnium Eccleſiarum vocat. Ita enim erat conſtitutus Ordinarius cum jure ſucceſſionis Epiſcopus Hebræorum, ut ſimul tamen per modum perſonalis in ſucceſſores non transferibilis Legationis haberet poteſtatem erga omnes Eccleſias. Cum quo tamen optimè ſtat, unum Petrum, ejuſque adeò ſucceſſores obtinuiſſe ordinarium Eccleſiæ univerſæ Rectoratum, ſeu Primatum, uti ex ſacris Litteris & Patribus, atquè Concilijs fusè probatum eſt. Quibus conſonat ipſe etiam Clemens Romanus *in citatâ Epiſt. ad Iacobum* ita ſcribens: *Simon Petrus &c. fundamentum Eccleſiæ eſſe, definitus eſt: quâ de causâ Domini etiam ore cognominatus eſt Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apoſtolorum primus.* En igitur falſum eſſe, quòd eadem elogia, vel æquivalentia à primâ vetuſtate tribuantur Petro ac cæteris Apoſtolis.

83.

84.

85. Ad *decimamoctavam* Reſp. 1. In eo, quòd Romana Eccleſia dicatur fundata ſuper Petro ſimul & Paulo, ſubeſſe æquivocationem ex Sanctis Patribus, ac ipſiſmet ſacris Litteris elucidandam. Nam unus ſenſus eſſe poteſt, quòd non Petrus duntaxat, ſed etiam Paulus Verbi Divini prædicatione ac martyrio ſuo fundârit & firmârit Romanam Eccleſiam. Alter verò ſenſus eſſe poteſt, quòd Eccleſia Romana exiſtat fundata ſuper authoritate Apoſtolicâ, per mortem Apoſtolorum minimè extinctâ, ſed cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu conjunctâ, adeoquè in ſucceſſores uſque ad conſummationem ſæculi futuros transferibili. At prior ſenſus omninò tenendus eſt, adſtipulante Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo *in Epiſt. ad Rom.* ubi ſic habetur: *Ambo* (Apoſtoli Petrus & Paulus) *cùm & noſtram Corinthi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundâſſent, & ejuſdem doctrinæ præceptis tum noſtros animos, tum veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter Martyrium ſubjerunt.* In quem ſenſum Sanctus quoquè Irenæus *lib. 3. cap. 1.* ait: *Matthæus in Hebræis ipſorum linguâ ſcripturam edidit Evangelij, cùm Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Eccleſiam.* At hanc à Petro & Paulo annunciatam Romanæ Eccleſiæ fundatricem fidem, idem Irenæus *lib. 3. cap. 3.* ait, ad ſua uſque tempora perveniſſe per ſucceſſiones Epiſcoporum, & hinc *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſſe, ad Romanam Eccleſiam convenire omnes Eccleſias.* Eſt autem ſuperiùs ex ſacris Litteris, ſanctiſquè Patribus, ac Oecumenicis Concilijs demonſtratum, iſtam potentiorem principalitatem ita fuiſſe collatam Petro, ut non tranſiret in alios, niſi in Petri Succeſſores: authoritate Apoſtolicâ in Paulo, cæteriſque Apoſtolis ſe habente ſolùm ad inſtar Legationis perſonalis. Quare eatenùs verum eſt, quòd Eccleſia Romana

Digitized by Google

quoad fidem ac Evangelium æquè à Paulo, atque à Petro ſit fundata, ut tamen fidei illius perpetuitas conjuncta ſit cum principalitate, ſeu Authoritate Apoſtolicâ, quæ ex ſolo Petro, ceu Ordinario per Chriſtum conſtituto Eccleſiæ Paſtore, tranſeat in ſucceſſores.

Reſp. 2. Vedroſium iterum iterumquè ſe nimis inertem in viâ virtutum exhibere, dum ea, quæ Sanctus Bernardus *citatus* ad Eugenium Papam ſui Ordinis olim diſcipulum ſcripſit, ad Humilitatis virtutem in eo firmandam, trahere nititur ad Authoritatis Apoſtolicæ ab ipſomet mellifluo Doctore in Romano Pontifice agnitæ præjudicium. Audiamus enim Bernardum ad eundem Eugenium *Epiſt. 238.* ſic ſcribentem: *Peremptoriam dare ſententiam ad depoſitionem Epiſcoporum, ſolius Romani Pontificis noſcitur eſſe, pro eo nimirùm, quòd, etſi alii multi vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſolus ipſe Plenitudinem habeat Poteſtatis.* Audiamus iterum Bernardum hoc ex ſacris Litteris probantem *lib. 3. de Conſid. ad Eugen. Papam*: *Nec modò ovium,* ait, *ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiã Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas Petre, paſce oves meas. Quos? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non plànum, non deſignâſſe aliquas, ſed aſſignâſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil, &c.* Unde infrà ſic concludit: *Aliorum poteſtas arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt, &c. Stat ergo inconcuſſum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.* Quid clarius Vedroſi? Deſine ergo verba ad humilitatem & ambitionis in ſupremâ dignitate abjectionem hortantia, in præjudicium Veritatis trahere, nè tam Virtutis, quàm Veritatis violatæ reum te oſtendas. 86.

Ad *decimamnonam* Reſp. 1. Sic argumentando ex Sancti Cypriani allegatis verbis. Epiſcopatus eſt unus. Ergo oportet, Eccleſiæ univerſæ unum eſſe Epiſcopum, ſive unum ad tempus Sacerdotem, & ad tempus Judicem Chriſti Vicarium, cui ſecundùm Magiſteria Divina debeat obtemperare fraternitas univerſa. Ex eodẽ Cypriano *lib. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium Papam.* At illius Epiſcopatûs pars à ſingulis in ſolidum ita tenetur, ut oporteat tamen omnes cognoſcere Eccleſiæ Catholicæ Matricem & Radicem, Petri nimirũ Cathedram, & Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt. Ex *eiuſd. lib. 1. epiſt. 3. lib. 2. epiſt. 10. & lib. 4. epiſt. 8. ad Cornelium Papam.* Hanc ipſam verè Petri Cathedram & Eccleſiam principalem Catholicæ Eccleſiæ Matricem & Radicem *locis citatis* Cyprianus agnoſcit ipſam Romanam Eccleſiam. Hæc igitur, ceu Epiſcopatus unus & univerſalis ita complectitur totam Eccleſiam Catholicam, ut in eâ ſit unus ad tempus Sacerdos & Judex Chriſti Vicarius, cui ſecundùm Magiſteria Divina debeat obtemperare fraterni- 87.

terni-

ternitas univerſa Epiſcoporum, partem illius Epiſcopatûs in ſolidum quidem, dependenter tamen à Romano Epiſcopo tenentium.

88. Reſp. 2. Sic argumentando, Sanctus Hieronymus *loco hic citato*, ita agnoſcit in poteſtate Ordinis Sacerdotalis ac Epiſcopalis (uti verba clarè præſeferunt) inter Romanum ac cæteros Epiſcopos paritatem, ut tamen, ſi ſermo ſit de poteſtate Juriſdictionis, ſolum Petrum, ejuſquè ſucceſſorem Romanum Pontificem agnoſcat Caput Eccleſiæ, ita ut, qui cum ipſo non colligit, ſpargat, nec adeò Chriſti ſit, ſed Antichriſti, ex locis *ſuprà à n. 77.* allegatis. Atqui quæſtio in præſenti non eſt de poteſtate Ordinis, ſed Juriſdictionis. Conſequens proinde eſt, illum Sancti Hieronymi locum ita impertinenter allegari à Vedroſio, ut frivolè & inſulſè eum trahendo ad impugnandam univerſalem Romanæ Cathedræ Juriſdictionem, non jam Chriſti ſit, ſed Antichriſti.

89. Ad *vigeſimam* Reſp. 1. SanctumChryſoſtomum *loco poſteriori* per Vedroſium *citato* nihil horum dicere, loco autem priori aſſerere, quòd civitas Antiochena univerſo orbi reſpondeat, ſiquidem illi totius orbis terrarum Doctor (cui ſucceſſit Ignatius) præfectus fuerit Petrus, cui Deus claves Cœlorum dederit, & cujus arbitrio cuncta permiſerit. At hiſce verbis clarè adſtruitur univerſalis in totam Eccleſiam Petri poteſtas, ut adeò idem Sanctus Eccleſiæ Doctor *in Pſalm. 40. & hom. 11. in Matth.* item *hom. u 1. in Ioan.* illum vocârit columnam Eccleſiæ, Fidei baſin, Apoſtolici Chori Caput, Eccleſiæ Paſtorem & Caput, ac totius orbis Magiſtrum. Quam proinde poteſtatem *Epiſt. ad Innocentium Papam* agnovit etiam in Romano Pontifice, cujus judiciariam authoritatem adversùs nocentes Epiſcopos Græcos in defenſionem inſontium pro decernendâ in Eccleſijs ſuis reſtitutione imploravit. 2. Ni-

90. hil horum, quæ Vedroſius de Juſtino Imperatore allegat, loco per ipſum allegato, vel toto etiam Titulo de ſacroſanctis Eccleſijs extat. Viderit ergo, an non falſi crimen commiſerit. Quo verò jure cenſuerint Imperatores Romanam Eccleſiam, ejuſque Pontificem, videre licet ex dictis *ſuprà* . Quibus ſuperaddo duntaxat *Authent. 1. de Eccleſiaſticis Titulis*, ubi Imperator ſic loquitur: *Sancimus ſecundùm earum* (Synodorum ſcilicet Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ I. & Chalcedonenſis) *definitiones Sanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ Romæ, ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ ſedem.* 3. Sanctum Baſilium ita laudâſſe Athanaſium de omnium Eccleſia-

91. rum curâ per fidei Catholicæ, ſeu conſubſtantialitatis Filij defenſionem exhibitâ, ut tamen *Epiſt. 52. ad Athanaſium* ſcripſerit: *Viſum eſt mihi conſentaneum, ſcribere ad Epiſcopum Romanum, ut videat res noſtras, & judicij ſui decretum interponat.*

Vides

Vides igitur Vedroſi, aliud eſſe curam omnium Eccleſiarum ex zelo fidei; aliud verò eſſe, talem habere curam ex Officio judiciariæ & Paſtoralis univerſalis poteſtatis. At prius ita agnovit Baſilius in Athanaſio, ut tamen cum eo pro judiciariâ poteſtate implorandâ cenſuerit recurrendum ad Romanum Pontificem. Neque 4. Sidonij Apollin. verba movere poſſunt. Vel enim 92.
vera ſunt, quæ allegantur, vel falsa? Si prius, ſequitur contra intentionem Vedroſij, in Eccleſia dari unum primum Epiſcopum. Si poſterius, ut quid ea Vedroſi allegas? At dices, Sidonium intellexiſſe Lupum primum Epiſcopum non dignitate ac Juriſdictionis præeminentiâ, ſed merito fortaſſis & ſapientiâ. Sic ergo Sidonius iſtam prærogativam cedit alteri, nempè Romano Pontifici, quem nôrit, Patres & Concilia ex ſacris Litteris probare primum, præeminentiâ Capitis, Paſtoris, & Judicis erga univerſam Eccleſiam.

Ad *trigeſimam primam* Reſp. Opus imperfectum, nomine Chryſoſtomi 93.
venditatum, eſſe ſuppoſititium. Quiſquis tamē ſit ejus author, conſtat verbis per Vedroſiū allegatis retundi ambitionem primatus, nullatenùs verò refutari authoritatem primariam ſedis Apoſtolicæ, ſeu Cathedræ Romanæ, utpotè apertis verbis aſſertam à Chryſoſtomo & Patribus communiter *ſupra* adductis. Sed quid coronidis loco producit ex Sancto Auguſtino? Hic 94.
Sanctus Doctor *in Pſalm. 9.* ait, ſub iſto verſiculo: *Conſtitue legiſlatorem ſuper eos* intelligi Antichriſtum. Quid ergo? An ex iſto particulari licet inferre, ergo omnis legiſlator ſit Antichriſtus, is præcipuè, cui ex ſententijs Patrum ac definitionibus Conciliorum ipſemet Chriſtus definivit poteſtatem ligandi ac ſolvendi, adeòquè leges in cauſis Eccleſiaſticis ferendi? Vides, quò tuæ tergiverſationes te perducant Vedroſi, ut, dum cauſam Divinæ Veritati diſſentaneam foves, in ipsâ tandem argumentandi formâ deficias, dignuſquè à pueris Dialectices ſtudioſis illudi.

C O R O L L A R I U M.

EX dictis infertur. Nullum ex Georgij fundamentis à Vedroſio ſolidâ vel 95.
refutatione, vel reſponſione elidi, ſed in ſuo robore firma permanere, imò Vedroſium non ſyncerâ fide Patrum verba allegantem, ſuæ Reformationis cauſam facere longè deteriorem. Ex quo ita licere argumentari. Non poteſt eſſe vera Eccleſia, quæ non eſt fundata ſupra petram, adversùs quam portas inferi non prævalituras, Chriſtus Dominus promiſit. At cum hac ipſa petrâ, ex ejuſdem Chriſti Domini apertâ promiſſione, eſt annexa, atque adeò cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu duratura poteſtas clavium ac juriſdictio judicandi ſolvendi, Petro ſub Paſtoralis in omnes Chriſti oves Officij mune-

H h re com-

re commiſſa. Hæc ipſa verò poteſtas perpetuo Eccleſiæ ſtatui annexa, eo ipſo non potuit exſpirare in Petro, adeòquè juxta expreſſa ſanctorum Patrum, imò & Conciliorum teſtimonia perſeverat in ejus ſucceſſore Romano Pontifice. Unde ſecundùm expoſitiones Patrum & Conciliorum nequit illa Eccleſia eſſe fundata ſupra petram, quæ communionem cum Romano Pontifice averſatur. Hic autem eſt primus Reformationis hodiernæ ſcopus, ut adeò Eccleſia Reformata vel hinc apertè probetur non eſſe fundata ſupra petram. Viderit ergo ipſa, an non portæ inferi circa eam prævaluerint?

SECTIO III.

An Romanæ Eccleſiæ authoritas ſit jacturam paſſa ex doctrinæ diſſonantiâ cum Vetere Eccleſiâ?

CAPUT I.

Referuntur Georgij fundamenta.

1. HIc Author *ſua Fact. Rat. 30.* pluribus deducit, hoc eſſe diſcrimen inter Romanam & Reformatam Eccleſiam, quòd Eccleſiæ Romanæ Doctores interrogati, utrùm penes Patres ac puram Orthodoxam antiquitatem viguerit doctrina de Petri, ejuſque ſucceſſorum primatu, de ſeptem Sacramentis, de inſitâ Sacramentis virtute, de Baptiſmi neceſſitate ad ſalutem, de Pœnitentiæ Sacramento, de Sacroſancto Altaris Sacrificio, de Quadrageſimâ, de ſigno Crucis de Juſtificatione, de Libero arbitrio, de Monaſterijs, de Sanctorum invocatione, de Purgatorio, & id genus pluribus eſſentialibus inter Romanam & Reformatam Eccleſiam controverſijs, id liberè affirmare non dubitent, probentquè luculenter ex
2. Patribus, imò & Reformatorum ſcriptis. Econtrà verò Reformatos Miniſtros de illis dogmatibus, an penès Patres, vel puram Antiquitatem extiterint, interrogatos, author *citatus* probat, diverſis jocari artificijs. Et primò quidem abſolutè negare, mox verò Patrum teſtimonijs convictos, more Calvini *Inſtit. lib. 3. cap. 5. ſect. 10.* excipere, quòd longum de ijs rebus ſit veteris & hodiernæ Romanæ Eccleſiæ diſcrimen. Verum iſto etiam præſumpti diſcriminis velo claris Patrum verbis è medio ſublato, juxta exemplum Molinæi *cap. 24. §. Clypeus fidei Chryſoſtomi* rurſus excipere, falſata eſſe & depravata Patrum ſcripta. Quia tamen huius exceptionis nullam probatio-

bationem adducere poſſint, eâ legitimè eliſâ, tandem eò devenire, ut omni erga piam & ſanctam vetuſtatem veneratione ſepoſitâ, denuò excipiant, Patres homines fuiſſe, erráſſe, ac enormiter quidem, non hæreticè ſolùm, ſed Idololatricè ac ſatanicè, veluti iſtud ſit oſtenſum exemplis *ſupra Rat.* 5. deductis.

Ex quibus inordinatis de ſanctiſſimâ illâ vetuſtate Reformatorum judicijs Georgius *citatus* concludit, talis Reformationis Miniſtros adeò in errore ſuo obfirmatos eſſe, ut illam potiùs vetuſtam Sanctitatem, in ſacræ Scripturæ expoſitione & dogmatum recognitione à Veritate aberrare velint, quàm Reformatam ſuam lubricitatem, utpote à veteri hæreticâ pravitate (veluti *Ratione* 3. oſtenſum ſit) emanatam. 3.

Idem Author *Rat.* 31. ad refutandam Reformatorum exceptionem, quâ Romanæ Eccleſiæ obijciunt defectionem ab antiquâ doctrinâ, inducit Reformationis prædictæ Doctorum in hoc paſſu diſcrepantiam & contradictionem. Nam Bullingerus *adverſ. Brent. c.* 7. *part. prioris*, ait, per integra & multò plura ſæcula ab Apoſtolorum temporibus veterem ſanctam illam, & Orthodoxam Eccleſiam conſenſu unanimi & Catholico conſerváſſe ſynceram inviolatamque doctrinam. 4.

Breitingerus *Opuſc. de ſect. pag.* 27. *Ital. verſ.* ad quadringentos circiter annos talem in Eccleſiâ doctrinæ puritatem reſtringit. Hottingerus *in Frontiſpicio, & Epiſt. dedicatoriâ Operis* Wegweiſer *inſcripti* ad annos trecentos à nativitate Chriſti. Calvinus *Inſtit. lib.* 4. *cap.* 15. *ſect.* 19. tradit, inter ipſa Evangelij exordia ſtultâ mundi credulitate abſque negotio ferè receptas fuiſſe in Eccleſiâ ſathanicas impoſturas & craſſa ludibria. In quo tamen Calvinus ſibimet contradicere deprehenditur, utpote qui *inſtit. lib.* 1. *cap.* 11. *ſect.* 13. docet, quingentis circiter annis magis in Eccleſiâ floruiſſe Religionem, & ſinceriorem doctrinam. Cui adſtipulantur Reformati in Rhætiâ Miniſtri Schucanus & Danzius à Georgio *cit. Rat.* 31. *n.* 3. *&* 4. citati. 5.

Ex quibus tandem concludit iſte author. Si cum ſexcentis annis, quibus ſecundum Bullingerum in Eccleſiâ viguit vera & Orthodoxa doctrina, computentur mille, ducenti, ſexaginta anni, quibus ſub Papatu ſecundùm Breitingerum latuit Reformatæ Eccleſiæ doctrina, exurget numerus mille octingentorum, ſexaginta annorum. Si verò cum ijſdem mille, ducentis, ſexaginta annis computentur anni quadringenti, quibus Breitingero aſſerente, viguit doctrinæ puritas, reſultabunt mille, ſexcenti, ſexaginta anni. Quomodo igitur factum eſt, ut Reformatio ſæculo præterito circa annum viceſimum è tenebris revocata, adimplêrit illum myſterioſum mille, ſexcentorum ac ſexaginta ſuæ occultationis annorum numerum Apocalypticum? 6.

Digitized by Google

7. cum? Hoc videtur ſubodoratus Hottingerus, qui proinde puritatis in Eccleſiâ primitivâ vigentis trecentos circiter annos duntaxat ponendos cenſuit. At quo fundamento? Sanè ex proprio tantùm cerebro cum graviſſimâ Patrum ulterioribus adhuc ſæculis illibatè viventium ac docentium injuriâ, nec non cum apertâ adversùs reliquos Reformationis Doctores contradictione. Siccinè Reformatio illa in hoc etiam puncto agitatur contradictionis ſpiritu; ut vel ex hoc capite Georgius *in fine cit. Rat. 31.* aſſerat, ſe permotum ad deſerendam Eccleſiam taliter Reformatam.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

8. Hic Miniſter Reformatus *ſua Antiquit. ſect. 4. in exam. Rat. 3. in init.* arguit 1. Capita, in quibus Georgius probat Romanæ Eccleſiæ cum primitivâ conformitatem, non eſſe omnia, ſed producendam fore Eccleſiam quatuor, aut quinque primorum ſæculorum, quæ crediderit ex permiſſione Bibliorum in linguâ vulgari plus detrimenti, quàm utilitatis oriri. Proinde, qui abſque veniâ ea legere, vel habere præſumpſerit, niſi Biblijs Ordinario redditis, abſolutionem peccatorum percipere non poſſe, ex *Indice lib. prohib. auth. Concilij Tridentini Reg. IV.*

9. Arguit 2. Producendum quoquè eſſe Doctorem Eccleſiæ, qui ſcripſerit in hæc verba: *Hujus ſcriptura* (ſubintelligendo Traditiones Romanæ Eccleſiæ) *præſtantia multis partibus ſuperat ſcripturas, quas nobis in membranis reliquerunt Apoſtoli.* Ex Coſter. *Ench. cap. 1.* Item: *Scriptura arcano Dei judicio eſt velut lapis offenſionis, & in tentationem pedibus inſipientium, ut, qui velint eâ ſolâ niti, facillimè impingant, & errent.* Ex Gregor. de Valent. *lib. 4. Analyſ. cap. 4.*

10. Arguit 3. Producendum porrò eſſe Concilium, quòd Traditiones humanas pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipiendas ac venerandas, quâ Scripturas canonicas docuerit cum Concilio Tridentino *ſeſſ. 4.*

11. Arguit 4. Producendam eſſe Eccleſiam memoratorum ſæculorum, quæ cultum ſacrum peregerit, & orare docuerit cum linguâ populo incognitâ. Quæ ſanctiſſimam Trinitatem picturâ & ſculpturâ effinxerit. Quæ beatiſſimam Virginem Dominam noſtram, cui Deus regni ſui ſemiſſem tribuerit, nuncupârit. Quæ demortuis ab Epiſcopo Romano per Apotheoſin canonizatis demandârit officia; alteri tutelam hujus, illius alteri, curam hujus morbi, alius alteri.

12. Arguit 5. Producendam inſuper eſſe Eccleſiam, quæ docuerit Papam poſſe regna auferre & conferre, & ſubditos juramento ſuo ſolvere. Quæ docu-

docuerit, Papam reliquias ſatisfactionum hominum demortuorum, qui plus perpeſſi, quam eorum peccata commeruerint, in remiſſionem pœnæ aliorum diſtribuere poſſe. Quæ Agni figuræ ceræ impreſſæ, virtutem frangendi peccata, ut ſanguini Chriſti aſcripſerit, juxta Urbanum V. Imperatori Græcorum ſcribentem: *Peccatum frangit ut Chriſti ſanguis, & angit.*

Arguit 6. Producendam porrò eſſe Eccleſiam, quæ habuerit Taxam Cancellariæ Apoſtolicæ, quâ viliſſimo pretio redimi potuerint atrociſſima ſcelera, cædes matris, fratris, ſororis, uxoris: commiſtio carnalis cum matre, ſorore, conſanguineâ, vel affine ſuâ. Videri de hoc poſſe Claud. Eſpenſ. Sorboniſtæ *digreſſionem 2. ad cap. 1. epiſt. ad Titum*, ubi poſt multa cum horrore propoſita, ita exclamet: *Habeat jam Roma pudorem, & tam nullius frontiæ nundinarum omne genus catalogum proſtituere deſinat.* Videri inſuper poſſe Æneam Sylvium poſtea Pium II. *Epiſt. 60. ad Ioannem Peregallum* ita diſſerentem: *Nihil eſt, quod abſque argento Romana Curia dedat: nam & ipſa manûs impoſitiones & Spiritus ſancti dona venduntur, nec peccatorum venia, niſi numiſmatis impenditur.* Denique Jugurtam Saluſtianum Scholiaſten Regularum Innocentij VIII. dicere: *quod omnia ſint Romæ venalia.* 13.

Arguit 7. Producendam eſſe Eccleſiam, quæ Sacramentum cultu adoraverit latrevtico, & dixerit, creaturam creare ſuum Creatorem. Quæ docuerit, Sacramentum gratiam conferre ex opere operato, & Sacramentorum exiſtentiam abſolutè ex Miniſtrorum pendere intentione, uti ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 11.* quam crudelem veræ pietatis eſſe carnificinam. Equidem mirum eſſe, quantum commentum hoc favorabile ſit ad exaltandum Clerum; verùm per id, utpote cujus nulla poſſit eſſe certitudo, omnia manere dubia & incerta. 14.

Arguit 8. Ex prætactâ Romanæ Eccleſiæ doctrinâ ſequi, quòd nemo certâ & indubiâ fide poſſit adorare Hoſtiam, quæ quotidie adoranda proponitur, propter intentionis defectum, non modò in Presbytero conſecrante, ſed in Epiſcopo, qui ipſum ordinavit. Inſuper ſequi, quòd nemo certus ſit, Clementem IX. hodie ſedentem eſſe legitimum Papam, cui ſe debeat ſubjicere ad ſalutem conſequendam, cùm ſciri non poſſit, eum vel eſſe baptizatum, vel eſſe ordinatum legitimè. Deniquè ſequi, quòd nemo certus eſſe poſſit, Concilij Tridentini definitiones, quæ pro articulis fidei ſint habendæ, eſſe legitimas, cùm neſciatur, an Epiſcopi, qui ad illud convenerunt, verè fuerint Epiſcopi, utpote quorum Baptiſmus & ordinatio ex hominum incertâ intentione pependerit. 15.

Arguit 9. Neque Apoſtolum ullum, neque primogeniam Eccleſiam inſtar Romanæ Eccleſiæ ſacram Cœnam celebrâſſe pro equis, porcis, ſegetibus, 16.

Digitized by Google

bus, litibus, morbis, prælijs, itineribus; vel circumferri juſſerit contra inclementiam cœli, ventos, tonitrua, fulmina, pruinam, rubiginem. Hæc eſſe Ambarvalia Gentilium, de quibus Virgilius *Georg. lib. 1.*

17. Arguit 10. Producendam eſſe Eccleſiam, quæ Epiſcopum Romanum ab errandi periculo in rebus fidei cenſuerit immunem, & docuerit, Papam *ſecundùm Plenitudinem poteſtatis, de jure ſupra jus diſpenſare poſſe.* Item *Contra Apoſtolum, & contra vetus Teſtamentum.* Ex Innocentio III. *Decretal. De Conceſſ. Præbend. tit. 8. cap. Propoſuiſti.* Item *De Iuſtitiâ poſſe facere injuſtitiam.* Ex Gloſsâ *ad 1. lib. Decretal. Gregorij IX. tit. 7. cap. Quantò pars.* Neque hoc obſcurè tradi ab Andrad. *lib. 2. defenſ. fid. Trident.* & Bellarmino *lib. 4. de Pontif. c. 5.*

18. Arguit 11. Producendam eſſe Eccleſiam, quæ ſacroſanctam Domini Cœnam celebrârit abſque communicantibus. Quæ populum Chriſtianum à Calicis participatione excluſerit, & in hæc, vel ſimilia verba proruperit. *Nunquàm ſe pharmaci loco populo propinaturam poculum toxico refertum, ſatiuſquè eſſe, ut planè exſpiret, quàm ut remedia adeò vitioſa exhibeat.* Verba hæc eſſe Cardinalis ſancti Angeli in Concilium Tridentinum ad Oratorem Gallicum, Calicis reſtitutionem urgentem.

19. Arguit 12. Producendam denique eſſe Eccleſiam, quæ hæc & ſimilia verba expungi juſſerit: *Credis, non proprijs meritis, ſed Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute ac merito ad gloriam perveniri. Credis, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro noſtrâ ſalute mortuus ſit, & quòd ex proprijs meritis, vel alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi in merito paſſionis ipſius.* Verba hæc Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ conſentanea, quibus fundamentum ſalutis continetur, deleri juſſiſſe Indicem expurgatorium Madrit. ex libro, qui inſcribitur, *Ordo baptizandi cum modo viſitandi,* impreſſo *Venetijs Anno 1575.*

CAPUT III.

Oſtenditur, Eccleſiam Romanam in nullo unquàm dogmate fidei jacturam feciſſe, vel facere potuiſſe.

Probatio prima. De Eccleſiâ Romanâ quà particulari.

20. NAm Eccleſia Romana dupliciter ſpectari poteſt, nempe quà particularis & univerſalis. Cùm enim Pontifex Romanus, præterquàm quòd ſit Paſtor, & Caput univerſalis Eccleſiæ, ſibimet conſtituerit Diœceſeos, imò & Archidiœceſis, atque Patriarchalis prærogativæ limites, idcirco Romana Eccleſia urbis & confinium limitibus circumſcripta ſe habet ad inſtar particularis Eccleſiæ. At de hoc non eſt quidem meum inſtitu-

tum

tum in præſenti dicere; viſum tamen eſt, hic exprimere aliquot Patrum ſententias, e quibus ſcire liceat, quo in reſpectu penès ipſos fuerit Eccleſia Romana etiam quà particularis. Etenim Sanctus Cyprianus *lib. 1. epiſt. 3.* ſic ait: *Navigare audent ad Petri Cathedram & Eccleſiam principalem &c. nec cogitant, eos eſſe Romanos, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Sanctus Hieronymus *lib. 3. apolog. contra Ruffinum: Scito, Romanam fidem Apoſtolicâ voce laudatam ejuſmodi præſtigias non recipere: etiamſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli authoritate munitam non poſſe mutari.* Sanctus Gregorius Nazianzenus *in carmine de vitâ ſuâ ante medium. Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet urbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere.* Ex quibus adeò infertur, ſingulos quidem in Romanâ etiam particulari Eccleſia poſſe in fide errare, ſecundùm allegatos tamen Patres fieri non poſſe, ut omnes errent ſimul, & tota Romana Eccleſia apoſtatica efficiatur.

Probatio ſecunda. De Eccleſiâ Romanâ quà univerſali.

NAm quia Pontifex Romanus ex ſucceſſione Petri Paſtorale in omnes Chriſti oves munus obtinet cum indefinitâ clavium ad ligandum & ſolvendum poteſtate: idcircò Eccleſia univerſalis ex ſuo Capite Romæ præſidente dici ſolet Romana, non quòd urbis Romæ limitibus circumſcripta ſit, ſed quòd ejus Caput Romæ teneat ſedem & Cathedram à Petro ibi fixam. De hac igitur Eccleſiâ promiſit Chriſtus, eſſe fundandam ſuprà petram, adverſus quam portæ inferi non eſſent prævalituræ, *uti in præcedentibus eſt demonſtratum.* Atqui Eccleſia ſupra petram ex promiſſione Chriſti taliter fundata, ut portæ inferi non poſſint adversùs eam prævalere, in dogmatibus fidei omnino errare non poteſt, uti *ſuprà Diſſert. præc. ſect. 3. Cap. 3. & 4. probatum eſt.* Tantum igitur abeſt, quòd Eccleſia Romana ob doctrinæ cum veteri Eccleſiâ diſſonantiam, fidei jacturam fecerit, ut nè errare quidem poſſe dicenda ſit. 21.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Nullam legem, quantumvis videatur eſſe nova, pugnare cum primitivâ Eccleſiâ, ſi procedat tum à juriſdictione ab hujus Eccleſiæ Doctoribus agnitâ, tum ex ratione ejuſdem Eccleſiæ Patribus probatâ. Atqui Patres & Doctores primitivæ Eccleſiæ agnoviſſe in Romano Pontifice indefinitam ligandi & ſolvendi, atque adeò leges ferendi poteſtatem, conſtat *ex præced. ſect.* Hanc verò legislativam 22.

Juriſ-

Juriſdictionem tum Apoſtolus, tum Patres præfati agnoſcunt, debere eſſe
in ædificationem, & non in deſtructionem. Atqui ex indifferenti ſacrarum
Scripturarum lectione, diſcretionis ac intelligentiæ vel expoſitionis ſale non
condita, plures ſuperbire ad ſuam deſtructionem, & tandem reſolvi in con-
tradictionis & contemptus ſpiritum, jam pridem agnovit Sanctus Hierony-
mus *in Dan. 11.* conqueſtuſq; eſt Lutherus *in ſuis Colloquijs Menſalibus cap. 1. fol. 5.*
teſtaturquè Waldenſis *lib. 2. cap. 70. & 73.* Cochlæus *lib. 1. & 4. hiſtor. Huſſiticæ,*
& in actis Lutheri *An. 1522.* paterquè ex diverſitate materiarum, aliquas iſta-
rum ſacris Litteris contentarum non omnibus paſſim congruere. Adhæc
cùm inter Reformatos ipſos tot ſibimet contradicentes jactentur Biblio-
rum verſiones Germanicæ, quomodò ſimplices genuinam à falſis interpre-
tationibus diſcernent? An non igitur expediens fuit, ut ſummus Eccleſiæ
23. Paſtor invigilaret, qualiter cum ſale diſcretionis ac intelligentiæ pabulum
ſacrarum Litterarum ſimplicioribus apponeretur? At hæc ex rationibus
præallegatis in primitivâ etiam Eccleſiâ apud Sanctum Hieronymum agni-
tis, fit ſub illâ lege, quâ Biblia in linguâ vernaculâ Laicis non abſolutè, ſed
abſque licentiâ Ordinarij, de ſale præinſinuato proviſuri, interdicuntur. Ni-
hil ergo ab Eccleſiâ primitivâ alienum continet iſta lex, ſed *virtualiter* ſal-
tem tum in poteſtate legislativâ, tum in rationibus eam ſuadentibus poteſt
dici antiqua.

24. Ad *ſecundam* Reſp. Gloſſam Vedroſij ſub Traditionibus cum Verbo Dei
ſcripto æquiparatis humanas Eccleſiæ Romanæ Traditiones exponentis, non
effugere notam criminis falſi. Nam Pontificiorum alia mens non eſt, niſi
quod præter Verbum Dei ſcriptum extet non ſcriptum, quod in ſub-
ſtantiâ ſit ejuſdem cum Scripturâ ſacrâ authoritatis. Quia tamen iſta ve-
rum Spiritûs ſancti ſenſum ſub cortice litteræ continet adhuc clauſum,
quem Verbum traditum, & ſub vivâ fide in cordibus fidelium propagatum
inſtar nuclei ex putaminibus jam extracti exponit ac elucidat, idcircò iſtud
Dei traditum Verbum non in *ſubſtantiâ*, ſed *ſub circumſtantiâ claritatis* verum
ſcripturæ ſenſum exponentis, præferunt Pontificij Doctores. At hæc omnia
primitivæ Eccleſiæ conformia eſſe, patet ex dictis ſuprà *Diſſert. 1. ſect. 1. per to-*
25. *tam.* Adhæc oportuiſſet Vedroſium, niſi aperto errandi in fide periculo ver-
ſari mallet, diſtinguere inter Divinam ſacræ Scripturæ authoritatem Theolo-
gicæ fidei ſpecificativam, ac prudentialis credibilitatis evidentiam, ſub quâ
verus Divinæ Veritatis ſenſus, ejuſquè adeò authoritas applicetur ad fidei
actum prudenter eliciendum. At hanc prudentialis credibilitatis eviden-
tiam deſtruunt, qui contra Eccleſiæ primitivæ ſenſum clamitant ſoli ſcrip-
turæ privato cujuſque ſenſui ſubijciendæ inſiſtendam eſſe, uti patet ex *cit.*
diſſert.

Diſſert. 1. cap. 2. Ex quo adeò Reformatorum proprio ab antiquis hæreticis mutuato principio varias oriri hæreſes jam pridem antiquatas, & contradictiones mirum in modum inter ſe pugnantes, conſtat, ex *diſſert. 2. ſect. 1.* Conſtat proinde, non Pontificios, ſed Reformatos pugnare cum primitivâ Eccleſiâ, dum iſti ſolam Scripturam jactitando, prudentialem credibilitatis & [illegible] ab antiquis Doctoribus agnitam expungunt.

Ad *tertiam* Reſp. Vedroſium reum ſe exhibere aperti criminis falſi. Ubi enim Concilium Tridentinum ait, Traditiones humanas pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipiendas eſſe, quâ Scripturas Canonicas? Nunquid iſtud ſacrum Concilium *loco per te citato* apertis verbis teſtatur, Veritatem Evangelicam ipſomet Chriſto Domino primitùs promulgatam, & poſteà ab Apoſtolis prædicatam contineri in libris canonicis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt? Annè igitur Traditiones ipſius Chriſti ore acceptæ, & à Spiritu ſancto dictatæ, ſunt humanæ? Has igitur Divinas, non humanas Traditiones pari cum Scripturis ſacris affectu & reverentiâ ſuſcipiendas, Sacrum Concilium *cit. ſeſſ. 4.* decrevit, ita ut in hoc, ipſorum primitivæ Eccleſiæ Patrum Orthodoxorum exemplum ſequeretur, prout etiam videre licet ex *citat. Diſſertat. 1. ſect. 1. cap. 2. probat. 6.* 26.

Ad *quartam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ* apertis verbis teſtari, ſuo tempore fuiſſe in Eccleſiâ Pſalmos in linguâ Latinâ cantatos. Et *in lib. de dono perſeverantiæ cap. 13. circà finem* ait, in præfatione Miſſæ verbis Latinis à Sacerdote *Surſum corda*, & *Gratias agamus Domino Deo noſtro &c.* à populo verò *Habemus ad Dominum*, item *Dignum & juſtum eſt*, verbis Latinis in Africâ cantatum fuiſſe. At in Africâ non linguam Latinam, ſed Punicam eo tempore fuiſſe vulgo cognitam, teſtatur idem ſanctus Doctor *in expoſit inchoat. epiſt. ad Rom.* & Sanctus Hieronymus *lib. 2. in epiſt. ad Galat.* Vides igitur Vedroſi, tempore primorum etiam ſæculorum fuiſſe in Eccleſiâ verâ uſurpatum, ut officia Divina celebrarentur in linguâ Latinâ, vulgo incognitâ. 27. Deinde *Dan. 7. v 9. & 13.* 28.
Deus Pater in viſione ſe exhibuit Prophetæ ſub figurâ & imagine antiqui dierum, ad quem videbatur etiam venire quaſi filius hominis. Et *Matth. 3. v. 16.* vidit Ioannes Baptiſta Spiritum Sanctum deſcendentêm, ſicut columbam. En igitur ipſamet Veritas Divina intra veram antiquam Eccleſiam repræſentavit Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis ſub rerum corporearum figuris & imaginibus. Sed de hoc plura inferiùs. Sanctus porro Epiphan. *de laudib. S. Deiparæ.* Gregorius Nazianzenus *in trag.* Chryſoſto- 29.

 mus

mus *in Liturgiâ*, & Patres paſſim Beatiſſimam vocant Reginam & Dominam noſtram, Mediatricem humani generis. At ſub hac ipsâ Mediatricis prærogativâ (de quâ infrà) ſecundùm figuralem locutionem intelligitur ipſi tributum dimidium regni Chriſti ceu Mediatoris noſtri. Vides igitur Vedroſi, in Eccleſiâ etiam antiquâ celebratam eſſe talem beatiſſimæ Virginis venerationem, qualis hodie apud Pontificios in uſu eſt. Sed quid Vedroſi ſcandalizaris, quòd in ſenſu *ſequenti ſect.* explicando dicamus, Deum Beatiſſimæ Virgini tribuiſſe dimidium regni ſui, cùm tamen in oratione Dominicâ tu ipſemet ores, ut Dei regnum non in *ſemiſſe tantùm*, ſed

30\. *abſolutè*, tibi adveniat. Deniquè Sanctorum Invocationem, eorumquè pro nobis orationes & patrocinia fuiſſe primitivæ Eccleſiæ familiaria, teſtantur Origenes *hom. 16. in Ioſue.* Euſebius Alexandrinus *hom. de Sanctis colendis.* Euſebius Cæſar. *lib. 6. Eccleſ. hiſt. cap. 5.* Athanaſius *Epiſt. ad Felicem Papam.* Cyrillus Hieroſolymit. *cath. Myſtag. 5.* Baſilius Magnus *hom. 20. in 40. Martyres.* Gregorius Nazianz. *Orat. funeb. in Athanaſ.* Epiphanius *in vitâ Iſaiæ.* Ioannes Chryſoſtomus *laudat. in S. Pelagiam.* Cyprianus *epiſt. 57.* Ambroſius *lib. de viduis.* Hieronymus *lib. adversùs Vigilantium.* Auguſtinus *lib. de Baptiſ. contra Donat. cap. 1. & alibi ſæpè* Et verò cùm Danielis 10. (junctâ Hieronymi, aliorumque Patrum expoſitione) legatur inter Angelos alius conſtitutus princeps regni Perſarum, alius verò Synagogæ ſeu Eccleſiæ Iudæorum, cur non liceat unum ex Sanctis in hujus, alterum in alterius regni Tutorem, & coram Deo Patronum recipere? Nè proinde in hoc Sanctorum cultu aliquid inordinatè accidat, cur ſupremo Eccleſiæ Paſtori non incumbat providere, ut nihil niſi ex rectâ fidei religione accidat? En igitur Vedroſi, quoties jam confundaris ex more & praxi antiquæ Dei Eccleſiæ.

31\. Ad *quintam* Reſp. Ex *4. Reg. 11. & 2. Paralipom. 23.* erui, quòd, cùm Athalia tyrannicè occupâſſet regnum, & foviſſet cultum Baal, Iojada Pontifex vocatis centurionibus & militibus juſſerit, ut ipſam interficerent. Inſuper *2. Paralip. 26.* legi, quòd Ozias rex cum ſacerdotis officium uſurpâſſet, à Pontifice fuerit è templo ejectus, & propter idem peccatum leprâ à Deo percuſſus, indequè extra urbem ejectus, & regno privatus. At hoc indubiè accidit ex illâ lege *Levitici 13. Quicunque maculatus fuerit leprâ, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, ſolus habitabit extra caſtra.* Si ergo ex leprâ ceu figurâ hæreſeos, & pravitatis vitæ, ob ejus utique contagionem licuit Sacerdoti Aaronico Regem ſeparare, ſive extra caſtra eijcere, ut conſequenter regno veniret privandus, an non ex univerſali in Eccleſiam paſtoralis muneris poteſtate ob periculum Religionis ex malo Rege

peri-

periclitantis, accedente præſertim hæreſi, vel erga ſedem Apoſtolicam inobedientiâ, ita licet providere Eccleſiæ, ut tum in modum pœnæ, tum in modum proviſionis publici Eccleſiæ boni, liceat Pontifici Maximo talem regem eijcere. & ſic indirectè regno privare, in aliumque adeò transferre? An enim Vedroſi credis, poteſtatis ſacerdotij Aaronici majorem fuiſſe juriſdictione Paſtoris univerſalis in terris Chriſti vices agentis? An credis, minùs jam proviſum eſſe Eccleſiæ de eijciendo rege leprâ hæreſeos, vel pravi, ac ergà Eccleſiam pernicioſi regiminis infecto, quàm olim erat proviſum Eccleſiæ legis Moſaicæ, circa regem leprâ duntaxat corporali infectum? Crede igitur, in illis ipſis verbis, quibus Petro, ejuſque ſucceſſori eſt commiſſa univerſalis Paſtoralis officij cura, contineri indefinitam à primitivæ Eccleſiæ Orthodoxis *præced. ſect.* adductis Patribus agnitam Eccleſiæ providendi poteſtatem, ex quâ legitimè inferatur, quòd ob publicam Eccleſiæ neceſſitatem liceat Pontifici transferre
regna. Deinde ſatisfactiones Martyrum carceribus adhuc detentorum po- 34
tuiſſe ab his applicari pœnitentibus ad pœnarum ſuarũ remiſſiones, conſtat ex Sancto Cypriano *lib. 3. epiſt. 15. & ſerm. de lapſis.* At ſi ſatisfactionum reliquiæ alijs pœnitentibus ſint applicabiles, cur talis applicatio non ſit in Papæ poteſtate, cui ceu univerſali ovium Chriſti Paſtori claves cælorum cum indefinitâ ſolvendi authoritate ſunt commiſſæ? En igitur iſtam alienæ ſatiafactionis reliquiarum applicationem non eſſe alienam tum à more primitivæ Eccleſiæ, tum à poteſtate Papæ ab ipſomet Chriſto conceſsâ.

Denique rebus per Crucem, & ſanctas Eccleſiæ preces benedictis in-
eſſe virtutem agendi ſeu depellendi dæmones, eorumque machinationes, 35
ac utentibus impetrandi gratiam contritionis peccatorũ remiſſivæ, factâque culpæ commiſſione, impetratoriè expiandi reatum pœnæ temporalis adhuc extantis, alioſque mirabiles effectus patrandi, patet ex Dionyſio Areopagitâ de *Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. pa. 2.* Concilio Nicæno *can. 69. tranſlato ex Arabico.* Gregorio Nazianzeno *in Orat. funeb. patris.* Epiphanio *hæreſ. 30. fol. 60. col. 2.* Palladio *in hiſt. Lauſiac. c. 19. & 20.* alijſque paſſim tum Patribus, tum hiſtoricis Eccleſiaſticis. Sub ejuſmodi proinde formulâ fuiſſe jam antiquitùs benedictas figuras cereas Agni Dei, ex vetuſtis monumentis probat Beyerlinck *to. 1. pag. 404.* Patet igitur, primitivæ Eccleſiæ ſententiam fuiſſe, quòd rebus juxta Pauli *1. Timoth. 4.* monitionem benedictis, atque adeò figuræ Agni Dei conſecratæ (ſi ſano ſenſu ſuperiùs explicato loqui libeat) inexiſtat virtus (quanquàm illius verſiculi inſcriptio citrà omne fundamentum adſcribatur Urbano VI.) tum angendi dæmones, tum dicto modo frangendi peccata.

Digitized by Google

34. Ad *ſextam* Reſp. Vedroſium nihil hîc ſpirare, niſi graviſſimas injurias & craſſiſſima mendacia. Ubi enim & quando Eccleſia Romana poſuit Taxam Cancellariæ, quâ viliſſimo pretio redimi poſſent atrociſſima ſcelera? Verum quidem eſt, Eccleſiam Romanam in pœnas ſcelerum tum parricidij, tum inceſtûs ſtatuiſſe, impedimenta Matrimonij partim dirimentia, partim impedientia: quæ proinde pœnæ ſtarent, culpâ licèt per pœnitentiam remiſsâ; adeò ut diſpenſatione Pontificiâ poſt obtentam culpæ remiſſionem, ac pœnitentiæ exhibitionem tolli debeant. Cujuſmodi equidem diſpenſationes jam antiquitùs fuiſſe à Romanis Pontificibus conceſſas, conſtat ex Gelaſij quinto ſæculo degentis *Epiſt.* 1. Annè hoc igitur eſt, viliſſimo pretio redimere atrociſſima ſcelera, ſi nimirum pro expeditione talium diſpenſationum à Cancellariâ exigatur aliqua moderata taxa Miniſtrorum ſuſtentationi congrua? An non Apoſtolus dixit, operarium eſſe dignum mercede ſuâ? At Claudium Epſenſem Sorboniſtam,
35. & Aeneam Sylvium, ait Vedroſius, graviter invehi in mores Romanæ Curiæ. Sed quid poſtea? Hoc enim, cùm antiquitùs quoquè feciſſent hæretici, Sanctus Auguſtinus *lib. 2. contra litteras Petil. cap. 51.* refutando, diſtinxit inter Cathedram Eccleſiæ Romanæ, & mores perſonarum eidem inſervientium, ut ex his, nullatenùs cenſeret, coinquinari poſſe Apoſtolicam Cathedram, *veluti ſeq. ſect. fuſiùs dicetur.* Unde nihil efficis Vedroſi, poſitâ licèt, non tamen conceſsâ Romanæ Curiæ depravatione per illos ſcriptores exaratâ: quanquam Æneas Sylvius *in Epiſtolâ per Vedroſium citatâ* Poetam agens, poſteà *in Bullâ Retract.* faſſus ſit, ſe deceptum in ijs, quæ de Curiæ Romanæ pravis moribus ſibi eſſent falsò enarrata.

36. Ad *ſeptimam* Reſp. Quòd Patres in antiquâ Eccleſiâ Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ realiter præſentem cultu latreutico adorandum docuerint, ac exemplo ſuo probaverint, eſſe indubitatum illi, qui ſyncerâ fide eos, ſpeciatim Gregorium Nazianzenum *in Orat. de obitu Gorgoniæ ſororis*, Chyſoſtomum *hom. 3. in epiſt. ad Epheſ. & hom. 61. ad populum Antiochenum*, Theodoretum *in Dialogo*, & alios *infrà diſſert. 7. ſect.* 4. *cap.* 3. citandos
37. perlegerit. Quòd autem Gabriel Biel non ex ſuâ, ſed Patrum ſententiâ aſſeruerit, Filium Dei manibus ſacerdotis velut incarnari & creari, hoc ita accipiendum eſt, ut neque ſecundùm Divinitatem, neque ſecundùm humanitatem intelligatur Chriſtus creari *ſtrictè*, ſed ſecundùm realem præſentiam, Divinâ, ſacerdoti conſecranti aſſiſtente virtute, poni in Euchariſtiâ. At hoc totum eſſe conforme ſenſui primitivæ Eccleſiæ, conſtabit ex dicendis *infra diſſert. 8.* ubi demonſtrabitur, Patres illis loquendi formulis utentes nihil aliud intendiſſe, quàm ut clariùs exprimerent realem Chriſti in Eu-

chari-

charistiâ præſentiam. Deinde Sacramentis eſſe vim conferendi gratiam, ex ſacris apertè litteris probant Patres & Concilia primitivæ Eccleſiæ, prout patebit *infrà diſſert. 5. ſect. 2. cap. 3.* At iſta virtus non eſt niſi ex meritis Chriſti, *juxtà perpetuum Eccleſiæ etiam primitivæ ſenſum.* Hoc autem inſinuatur per illam loquendi formulam, quâ dicitur, Sacramenta *ex opere operato* conferre gratiam. Conſtat igitur, Eccleſiæ etiam primitivæ *ſecundùm rem ipſam* fuiſſe familiarem doctrinam, quâ dicitur, Sacramenta *ex opere operato* conferre gratiam. Adhæc ex claris ſacræ Scripturæ verbis conſtat, Sacramentorum confectionem juxtà Chriſti Domini inſtitutionem fieri debere per actiones humanas. Atqui actionis humanæ proprium ac eſſentiale eſt, quòd procedat ex intentione aliquâ. Quis autem neget, intentionem in actione Sacramentali neceſſariam debere eſſe conformem inſtitutioni Chriſti? En igitur ex ipsâmet ſacris Litteris probatâ inſtitutione Sacramentorum erui, quòd Sacramentorum valor pendeat ex intentione Miniſtri, quà conformabili ad Chriſti inſtitutionem. Unde hoc non eſt veræ pietatis carnificina, ſed humilis Chriſti doctrinæ confeſſio. Neque verò hinc Sacramenta eatenus redduntur dubia, quin moralem de eorum valore certitudinem habere poſſimus; licèt verum ſit, neminem poſſe fidei certitudine ſcire in particulari, hunc, vel illum Chriſtianum eſſe juſtum, uti hoc poſterius ex ſacris Litteris efficaciter probat Bellarminus, à Vedroſio ſui duntaxat cerebri commentis niti ſolito, nè in minimo quidem argumento refutatus. 38. 39.

Ad *octavam* Reſp. Apertum fidei articulum inferiùs probandum eſſe, quòd Hoſtia conſecrata ſit cultu latriæ adoranda. At verò de Hoſtiæ ſub particularibus circumſtantijs ſpectatæ adorabilitate haberi poſſe certitudinem prudentialem & ſupernaturalem, probatur ſequenti argumento. Etenim Prudentiæ infuſæ, ſeu doni Conſilij certitudo moralis ſive *immediatè*, ſive *mediatè* reducitur in fidei, vel Intellectûs, ſeu Sapientiæ & Scientiæ Spiritûs Sancti donorum veritates, tanquàm prima principia. At iſta reductio circa Euchariſtiam adorandam taliter fit, ut primum principium, ſeu Major in formam ſyllogiſticam redacta ſit veritas realis in Euchariſtiâ Chriſti præſentiæ, ejuſque adeò adorabilitatis per fidem Theologicam credita. Exinde ſub rationibus ex circumſpectione & conſultatione circumſtantiarum particularium adinventis, per Gnomen, ſeu ſyneſin ceu virtutes prudentiæ annexas, eatenùs fit judicium de ſpeciebus hîc & nunc exhibitis tanquàm ritè conſecratis, ut iſtud judicium ſubeat locum *Minoris præmiſſæ.* Ex quâ tandem & illâ majori, ceu primo fidei principio infertur prudentialis concluſio de realis ſub hiſcè ſpeciebus Chriſti 40.

præ-

præſentiâ, ejuſque adeò latricâ adorabilitate. Sub quâ proinde concluſione (ad quam in animâ fideli, dum à Spiritu Sancto, cujus operatio neſcit tarda molimina, movetur, nullâ opus eſt morâ, ſeu labore arduo) latet omnimoda practica de morali etiam ſupernaturali Religionis infuſæ certitudine, *uti fuſiùs demonſtro in Refutatorijs Diſſert. 10. n. 1. contra Synodales Heideggeri Diſſertationes.* Deinde indubitatum eſt, omnem Veritatem fide Divinâ Theologicâ credendam eſſe, quæ ſub prudentialis credibilitatis ab ipſis etiam Patribus Orthodoxis agnitis argumento reducitur in dogma Divinitùs revelatum. At fidei Divinæ dogma eſt, quòd Petro ita ſit conceſſa indefinita Clavium poteſtas, ac paſtorale in univerſas Chriſti oves munus, ut oporteat, iſtud eſſe connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, atque adeò eſſe transferibile in ſucceſſores. Ex ipsâ verò Romanorum Pontificum à Petro numeratâ, & à fidelibus receptâ ſucceſſione deſumit Sanctus Auguſtinus *cap. 4. cont. Epiſt. fund.* argumentum prudentialis credibilitatis. Unde cùm iſta ſucceſſio ex conſenſu fidelium fuerit penes Clementem IX. apertè ſequitur, iſtam propoſitionem: *Clemens IX. ceu Petri ſucceſſor eſt univerſalis Eccleſiæ Paſtor*, ſub prudentialis credibilitatis argumento ita reduci in prætactum fidei dogma, ut conſequenter cadat ſub fidem Theologicam.

41\. (margin, at "Heideggeri Diſſertationes. Deinde")

42\. Denique fidei dogma eſt, Conciliorum Oecumenicorum in dogmatibus fidei definitiones eſſe fide Divinâ credendas. At conſenſio Epiſcoporum in Concilio Tridentino congregatorum, & Papæ ſubſecuta approbatio validum præbent prudentialis credibilitatis argumentum, ſub quo definitiones illius ſacri Concilij prudenter reducantur ad præallegatum fidei dogma, poſſintque adeò, imò debeant (Vedroſianis argutijs tam in hoc, quàm in præcedenti articulo minimè obſtantibus) recipi tanquàm veritates fide Theologicâ credendæ.

43\. Ad *nonam* Reſp. Falſum eſſe, quòd Eccleſia Romana *directè* offerat Miſſæ Sacrificium pro animalibus, ac rebus inanimatis, ſed *indirectè* duntaxat, quatenùs cedunt in hominum neceſſitates. At hoc in antiquâ Eccleſiâ fuiſſe uſurpatum, teſtatur Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *Cath. 5. Myſtag.* ſic diſſerens: *Obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro ægrotis & afflictis, & in ſummâ pro his omnibus, qui egent auxilio &c. cùm hoc ſacrificium offerimus.* Sanctus inſuper Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. circa medium* recenſet, *qualiter Miſſæ ſacrificio ſubventum ſit illi, qui cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti, comperiſſet.* Taceo aliorum Patrum teſtimonia *alibi* fortaſſis tractanda.

44\. Sed quid reſpondebit Vedroſius in eo, quòd Euchariſtiam Romana Eccleſia cum publicâ ſolemnitate circumferri ſoleat contra

ſtra neceſſitates etiam ſpirituales? Nunquid *Ioſue cap. 6.* legitur, hunc Iſraeliticipopuli ductorem pro urbe Hiericho expugnanda per ſacerdotes ex mandato Dei curaſſe Arcam circumferri? Nunquid *2. Reg. 6. & 1. Paralip. 15.* legitur, David Arcam Dei ex domo Obededom cum ſeptem choris, alijſque publicæ ſolemnitatis ſignis intuliſſe in tabernaculum ab ipſo extructum? Quid ergo Vedroſi? An publici honoris genus, quod in figura fuit Deo exhibitum, non liceat ipſi vero Chriſto in Euchariſtiâ realiter præſenti deferre? An Arca Dei ceu figura Euchariſtiæ fuit Divinæ virtutis inſtrumentum ad proſternendos muros Hiericho, ipſe verò Chriſtus in Euchariſtiâ realiter præſens publico proceſſionum cultu imploratus, non poſſit noſtris temporalibus neceſſitatibus ſubvenire?

Ad *decimam* Reſp. Vedroſium gravi falſi crimine ſe obſtrictum probare, dum allegando canonem Innocentij III. *Propoſuiſti. de Conced. præbend.* 45
ait, à Pontificijs doceri, poſſe Papam diſpenſare contra Apoſtolum, & contra vetus Teſtamentum. Verum quidem eſt, in *citato Canone* dici, Papam ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſe ſuprà jus diſpenſare. At cùm ſermo ibi ſit de jure Eccleſiaſtico, non eſt, cur quiſquam ſuccenſeat, cum ipſo lumine naturali notum, & inter ipſos etiam Reformatos receptum ſit, poſſe Principem in ſuis ac inferiorum legibus diſpenſare. Sed quid eſt Vedroſi, quòd gloſſam à te citatam mutiles? Ait enim: 46
Papam poſſe de injuſtitiâ facere juſtitiam, corrigendo (quod omiſiſti) *jura, & mutando.* Adverſus quam proinde gloſſam integrè poſitam, edic, ſi aliquid proferre poſſis. Nunquid mutatio jurium Eccleſiaſticorum in ejus eſt poteſtate, cui jura ejuſmodi ex poteſtate Chriſti vicariâ ſubijciuntur? Nunquid autem juribus mutatis, incipit eſſe juſtum, quod alioquin foret injuſtum? En igitur Vedroſi, quo ſpiritus tuus malignandi te pertrahat, quem prodis etiam in Bellarmino, nihil enim eorum, quæ profers, *loco per te citato* habet.

Ad *undecimam* Reſp. Ex Sancto Chryſoſtomo *homil. 3. in cap. 1. ad Epheſ.* 47
conſtare, quòd celebratio Miſſæ abſque alijs ultrà ſacerdotem communicantibus fuerit frequentata in antiqua Eccleſiâ. Quoad communionem verò ſub una tantùm Corporis Chriſti ſpecie in Eccleſiâ antiquâ fuiſſe ita obſervatum, indicant Origenes *hom. 13. in Exod.* Dionyſius Alexandrinus *in Epiſt. ad Fabium Antiochen.* Hieronymus *Apolog. pro libris contra Jovinianum ad Pammach.* Auguſtinus *lib. 50. Homil. homil. 26, & alij.* Sed de hoc alibi ex inſtituto.
Verba Cardinalis Angel. (qui tamen in catalogo Legatorum Concilij Tridentini non habetur) in eo ſenſu accipi poſſunt, non quod Sanguinis Chriſti poculum *in ſe*, & *abſolutè loquendo* ſit toxico refertum, ſed quòd Reforma- 48

torum

torum ejus neceſſitatem, ceu fidei dogma jactantium doctrina ſit toxicum, quo refertum foret illud poculum, ſi contendentibus iſtis, ſub tali falsâ, Chriſti inſtitutioni contrariâ doctrinâ, populo propinaretur.

49. Ad *duodecimam* Reſp. Eccleſiam antiquam merita Chriſti pro nobis mortui ita commendâſſe, ut admitteret tamen propria aliqua merita ſuper hiſcè, & gratiâ juſtificante, nec non actuali gratiâ, Deiquè per Chriſtum acceptatione ſundata, veluti cum alijs Patribus putat Sanctus Auguſtinus *lib. 3. contra Epiſt. 3. Pelagianorum cap. 7. circa finem. lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 6. Epiſt. 105. epiſt. 106. & alibi.* Quòd igitur illa verba, Antiquam primitivæ Eccleſiæ, imò Apoſtolorum de juſtorum meritis doctrinam expungentia ab Indice librorum prohibitorum Madritenſi jubeantur expungi, in hoc agitur conſentaneè ad Doctrinam Chriſti. Velut *inferius diſſert. 11. ſect. 3. cap. 3.* oſtendetur.

COROLLARIUM.

50. EX dictis infertur. Illationes Georgianas *ſupra cap. 1. n. 3. & 5.* deductas nullâ Vedroſij ſolutione tactas, manere integras, poſſequè adeò talem formari argumentationem. Etenim non eſt vera, ſed falsò jactata Reformatio, quæ ex tenebris in lucem ſe reproductam aſſerens, antiquam, ſucceſſione à Patribus approbatâ nixam Eccleſiam Romanam arguit quidem diſſonantiæ cum veteri primitivæ Eccleſiæ doctrinâ, ſed tamen in nullo prorsùs articulo probare valet iſtam diſſonantiam. At ex dictis manifeſtè conſtat, rem ita ſe habere, ut Reformatio moderna arguat quidem Romanam Eccleſiam diſſonantiæ cum primitivâ Eccleſiâ, ſed tamen ex ipſiſmet Patribus probatur, quoad omnes articulos à Reformatis objectos, conſonantia cum Eccleſiâ antiquâ. Ergo non tam Reformatio, quàm deformatio eſt, quæ huic conſonantiæ cum veteri Eccleſiâ, apertè convincitur repugnare.

SECTIO IV.

Utrùm ſummi Pontifices aliquandò errârint, vel errare poſſint in rebus fidei, ſeu morum? Et an ipſi, vel Reformati potiùs Miniſtri veniant nomine Antichriſti?

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc author *ſuæ Facis Rat. 27.* aſſerit, ex eo etiam argumento ſe inductum eſſe ad Romanam Eccleſiam amplectendam, ac Reformatam deſe-

deſerendam, quòd Protoreformatores fingant ab illâ doceri, Pontificem Romanum eodem prorsùs modo Caput eſſe Eccleſiæ, quo eſt, & eſſe poteſt ſolus Chriſtus, à nobis tanquàm Deum adorari, ipſiquè concedi poteſtatem condendi novos fidei articulos, ac efficiendi, ut ſcripta, quæ per ſe Canonica non ſunt, reddantur Canonica. Quæ & alia quàm plura *loco citato* deducta capita abſurdiſſima, cùm Reformati falsò imputent Romanæ Eccleſiæ, Georgius *citatus* ait, ſe facilè intellexiſſe, Reformationis illius ſpiritum imitari ſathanam, cui mos ſit, ſub ejuſmodi ementitis coloribus doctrinæ puritatem contemptui ac ludibrio exponere.

Quia porrò Reformatio prætacta ex eodem fine, Romanam Eccleſiam ludibrio exponendi, contendit, Romanum Pontificem vocari Antichriſtum: 2.
ideo idem Auctor *Rat. 8. n. 52.* iſtam calumniam retorquet in Reformatæ Eccleſiæ Doctores ſic argumentando. Ipſemet Spiritus Dei Antichriſtum ejuſquè crimina deſcribit *Apocalypſ. 13. v. 6. Et aperuit*, inquiens, *os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus. & tabernaculum ejus, & eos, qui in cælo habitant &c.* In quæ poſtrema verba Divus Ambroſius, vel quicunque ex Orthodoxâ vetuſtate fuerit author illius libri, ait: *Blaſphemabit & eos, qui in cælo habitant, id eſt Martyres & cæteros ſanctos, dicens, nihil prodeſſe eos poſſe cuiquam, falſumquè eſſe, quicquid de eis à fidelibus aſſeritur &c.* Atqui hanc ipſiſſimam eſſe Reformatæ Eccleſiæ ſibi & Vigilantio jam dudum proſcripto hæretico communem vocem, nemo eſt, qui hodie neſciat. Viderint ergo ipſi Reformati Doctores, an non in ipſis vigeat Antichriſti ſpiritus.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

Iſte Pſeudoreformatus Miniſter *Antiq. ſua rat. 8. in exemplo 30.* arguit 1. Cui convenit Antichriſti ab Apoſtolis *2. Theſſalon. 2. 1. Ioann. 4. 1. Timoth. 4.* 3.
Apocalypſ. *7. 9. & 13. cap.* exhibita definitio, is eſt Antichriſtus. At iſta definitio convenit Papæ Romano, qui à multis ſæculis in Antichriſtum degeneravit. Ergo &c. Majore ceu indubitatâ ſuppoſitâ, Vedroſius Minorem probare nititur ſequentibus argutijs.

Arguit igitur 2. Antichriſtum eſſe Ducem & Caput Apoſtaſiæ *2. Theſſ. 2.* 4.
At talem eſſe Pontificem Romanum non in eo duntaxat, quòd Clerum ſuum imperio civili ſubduxerit, & partem Imperij Romani, Romam adeò ipſam, donationem neſcit, quam mentiendo, ad ſe rapuerit, verùm hac potiſſimum de causâ, quòd à Chriſto & doctrinâ ejus defecerit, dum non tantùm cære-

Digitized by Google

monias Eccleſiaſticas ſubinde mutavit, ſed rejectâ doctrinâ Apoſtolicâ, novum errorum capitalium corpus condiderit.

5. Arguit 3. Hos errores ex triplici Papæ diademate cum Magno Theologo Iohanne Rudolpho Stukio ſe tripertiri in tyrannicos, idololatricos, & Magicos, quibus magna illa à fide apoſtaſia abſolvatur. Et quidem tyrannicos Pontificum Romanorum errores eſſe in eo, quòd triplex Chriſti Mediatoris noſtri munus Propheticum, Sacerdotale, ac Regium impetant.

6. Arguit 4. Prophetico Chriſti muneri in Papatu adverſari blaſphemias de Verbi Dei ſacris Litteris comprehenſi incertitudine, imperfectione, obſcuritate: Traditionum econtrà humanarum ac Verbi inprimis Papalis certitudine, perfectione, & claritate.

7. Arguit 5. Adverſus ſacerdotale Chriſti munus in Papatu arietare ſacrificium novum Miſſaticum, æquè ac illud Chriſti propitiatorium: novas item ſatisfactiones, & infinita merita Sanctorum applicanda per indulgentias & interceſſiones cœlitum, ad levandos ignis purgatorij cruciatus.

8. Arguit 6. Regium Chriſti munus Papiſticam tyrannidem invaſiſſe cum Chriſto Domino Capite, ac Rege unico, ſedente ad dexteram Patris; legibus regni fundamentalibus, quæ Scripturis ſacris continentur, auſu Cyclopico ſpretis. Papam porrò velut in demortui Chriſti locum Regem & Monarcham Eccleſiæ, Judicem ſupremum, & ſupremi judicij normam conſtitui, regno gratiæ derogando liberi arbitrij viribus, ſeu naturæ tribuendo.

9. Arguit 7. In hac tyrannide, etſi Verbo Dei, merito, & regno Chriſti locus quidam relinqui videatur, tamē ita ſuggillari & deprimi; econtrà inventiones humanas ita adornari & comi, ut qui ex myſterio hoc ſpeciali Spiritûs ſancti illuminatione ſe extricare neſciunt, in præſentiſſimo ſalutis æternæ diſcrimine hæreant.

10. Arguit 8. Per errores idololatricos opprimi cultum Dei ſpiritualem. Hos eſſe duûm generum. Aut enim, quod Deus non eſt, pro Dèo vendicari, aut quod pro Numine habetur, in imagine coli. Prioris exemplum eſſe Artolatriam, nempe Hoſtiæ in Miſsâ adorationem, cujus fundamentum ſit tranſubſtantiatio in Concilio Lateranenſi IV. Anno 1215. primùm ſtabilita, & à Monachis Mendicantibus avidiſſimè arrepta. Artolatriam primùm ſanxiſſe Honorium Papam III. auxiſſe Urbanum IV. inſtituto Corporis Chriſti feſto. Sub hoc intelligi non illud ex Virgine natum Chriſti Corpus, ad dexteram Patris ſedens glorioſum, ſed à ſacrificulo ex farinâ triticeâ factum conopœo incluſum, murium ac vermium morſibus obnoxium, prout doceat Thomas *3. p. q. 80. a. 3.* & communis Scholæ ſententia apud Ioſephum Anglum florum ſcholaſticorum collectorem *q. de ſuſcip. Euch. a. 3.* Videri etiam de-

Digitized by Google

de hoc poſſe Hottingerum in *Apolog. Euchar. pag. 109.* Quin etiam novitatem hujus dogmatis evinci ex hymno, quem in feſto illo decantet Eccleſia Romana: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum novo cedat ritui.* Etenim Tranſubſtantiationem & Artolatriam à nemine veterum eſſe creditam, niſi ab Eutychianis forſan, qui apud Theodoretum *Dial. 2.* à tranſmutatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini fuerint argumentati ad mutationem Corporis Domini in Divinam Eſſentiam. Adversùs quos excipere Theodoretum *lib. 1.* ſic diſſerentem: *Chriſtus viſibilia ſigna appellatione Corporis & Sanguinis honoravit, non tranſmutans ſymbolorum naturam, ſed naturæ ſymbolorum adjiciens gratiam.* Idem eſſe confirmatum à Gelaſio Papâ *lib. de duabus in Chriſto naturis,* ubi doceat, panem & vinum ita tranſire in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Domini, ut tamen non deſinat eſſe ſubſtantia, vel natura panis & vini. Et hanc eſſe Patrum tranſmutationem, non eſſentialem illam, ſed relativam, ſacramentorum congruam.

Arguit 9. Poſterioris exemplum eſſe Iconolatriam ſitam in imaginum 11.
cultu. Diu quidem manus abſtinuiſſe à fabricâ imaginum Dei, ſed tandem (uti Baronius ad annum 726. aſſerat) *uſuveniſſe, ut pingatur in Eccleſia Deus.* Uſu nempè & conſuetudine hanc idolomaniam obrepſiſſe, eandemquè univerſæ ſuperſtitionis Romanæ rationem eſſe.

Arguit 10. Magicos Romanorum Pontificum errores eſſe, quibus & 12.
Verbum Dei profanatur, & Sacramenta polluuntur. Verbum Dei profanari Exorciſmis & benedictionibus ſuperſtitioſis. Exorciſmos adhiberi vel ad dæmonia ex hominibus obſeſſis, vel ad inſecta & infeſta quævis animalia ex agris & fluminibus pellenda. Per Exorciſmos in Eccleſiâ Apoſtolicâ & Apoſtolorum ætate proximè ſecutâ pro imperio & poteſtate in ſpiritus immundos Divinitùs conceſsâ *Lucæ 10. v. 19.* Dæmonia ejecta fuiſſe, neminem negare. At quia Chariſma iſtud non amplius vigeat in Eccleſiâ, exorciſmos in preces piè converti. Eos, qui hodie in hanc arenam deſcendunt, etſi primâ fronte ſeverè, comminatoriè, & cum dignitate agere videantur, tamen ſi omnia penitiùs conſiderentur, ad callidi ſerpentis dicta & facta ſe accommodare. Ad verba Exorciſtæ dæmone ſe contremiſcere ſimulante, ea ſæpius repeti, cauſam ingreſſùs rogari, ut à ſimilibus peccatis alij caveant, & eo vitato & expiato, faciliùs ſanetur energumenus, quaſi hæc perfido curæ eſſent. Rogari etiam ſignum egreſſionis, ut conſtet, jam verè liberatum ægrum, perinde ac ſi dæmon fallendi artem dedidiciſſet. Aurea eſſe hac de re verba Heinrici de Haſſiâ apud Delrium *lib. 2. q. 27. ſect. 2.* fallacias diaboli deſcribentia.

Arguit 11. Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 12.* Exorciſtis Papiſtis tantam 13.

 cum

cum dæmone quotidie neceſſitudinem intercedere, ut penè colludere videantur. Neque enim aliam ob cauſam tot in ipſis obſeſſos ſathanæ fieri ludibrium, quàm quia is dulci eo conſortio trahatur. Quod per Dei ineffabilem gratiam in Eccleſijs ſuis non accidere. Ieſuitam Delrium abſtinere non potuiſſe, quin multas Magiæ ſuſpectas in Papatu graſſantes ſibi Reformatis proderet non tantùm formulas, cæremonias, actiones, ſed & periculoſas multorum Canoniſtarum, Legiſtarum, Theologorum &c opiniones.

14. Arguit 12. Vedroſius. Ad inſecta & infeſta quævis animalia ex agris & fluminibus eijcienda adhiberi in ſpeciem actus judiciarios. Exempla eſſe paſſim obvia. in his nihil improbandum contineri, aſſerere Delrium, niſi fortè actus judiciarios vanos & ſuperfluos. Hi verò cum placeant, non videre ſe, qua fronte damnentur muliercularum adjurationes, quibus hominum, vel beſtiarum morbi ſanentur. Utrinque enim verba adhiberi optima, ex Scripturis petita, ad uſus verò tales neque à Deo, neque à natura inſtituta. Quo tempore obrepſerint, facilem eſſe conjecturam. Faſciculum temporum Venetijs editum Anno 1480. mira narrare de ſæculo decimo, ubi ſic haberi: *Tempus effaminatum incœpit circa annos Dom. mille, in quo fides Chriſtiana valde cœpit deficere; & declinare à priſtinâ virilitate, ut patet ex prophetiâ Sanctæ Hildegardis. Et in multis regionibus Chriſtianitatis, nec Sacramenta, nec Eccleſiaſtici ritus ſervabantur, Augurijs & Maleficijs intendentes.*

15. Arguit 13. Præfuiſſe illis temporibus Sylveſtrum II. de quo idem Faſciculi author aſſerat: *Iſte Sylveſter factus eſt Papa auxilio diaboli, cui homagium fecit, ut cuncta ei ad votum ſuccederent.* Cæterùm Heideggerus *ſupracitatus* addit, Gregorium VII. Benedictum IX. Ioannem XIII. Sergium IV. &c. Magiæ cultores, diaboli quoquè interventu ſucceſſiſſe in Cathedram Petri.

16. Arguit 14. Heideggerus *citat. n. 12.* Ex ſacro Ordine veneficos & magos plures, Ioannem ſcilicet Teutonicum, Palumbum Presbyterum, Necromanticum Romæ potentem, Dominicanos Bernæ exuſtos, alios memorari à Delrio *Diſq. Magic. lib. 2. q. 30.* Pontificios amuletis & periaptis uti de more Gentilium & Iudæorum, uti fateatur Nicolaus Remigius Papiſta *dæmon. lib. 3.* Extitiſſe in Papatu quoquè Miriones & Thaumaturgos, qui revelationes à diabolo exceperint. Ex Cornelio à Lapide *in Comment. ad 2. Corinth. 11. v. 15.* & alijs. Notiſſimum eſſe Petrum Cottonum Ieſuitam Magum decantatiſſimum, qui ex diabolo aliquot quæſtiones petierit. Hermolaum Barbarum Patriarcham Aquilegienſem teſte Monlorio, conſuluiſſe dæmonem, *quid eſſet Ariſtotelis Entelechia.* Si quis attentè legerit nupera Exorciſtarum ſcripta, ut Monachi Michaelis, hiſtoriam Ludovici, Gaufridi, & obſeſſarum mulierum, non ſatis mirari poſſe impietatem & ſtoliditatem homi-

hominum, qui judicium controverſiarum fidei à dæmonibus expoſcant, eos fingant pœnitentiæ prædicatores, eos adigant, ut preces ad Deum fundant, & omnia Religionis & Pietatis externa munia obeant.

Arguit 15. Vedroſius. Errores Magicos, quibus Sacramenta polluuntur, varios eſſe. Sacroſanctum Baptiſmum diverſis contaminari exorciſmis. Salem, aquam, oleum, uti fiat in Magicis adjurationibus, ijs deſtinari uſibus, quos nec à naturâ habeant, nec à Deo acceperint. In Eucharistiâ (Exorciſmos ſalis, aliaſquè Baptiſmatis cæremonias *infra Diſſert 7. ſect. 3.* examinabo) longè graviùs peccari: Aquæ enim Baptiſmi ſubſtantiam relinqui, panem verò & vinum Euchariſtiæ deificari: atquè deificationem iſtam, quam vocabulo monſtroſo Tranſubſtantiationem vocent Papiſtæ, exemplis illuſtrari Magicis, uti probent verba Gabrielis Biel *in Can. Miſſæ lect.* 4. & Ludovici Cœlij Rhodigini *lib. 16. ant. lect. cap. 14.* ita diſſerentis: *Princeps ille rerum, ac ſummi Patris filius ex utero verus Deus, præfatione ſacerdotis breviſſimâ, ſevocatur, eliciturquè à cœleſti ſede.* Hic non eſſe mentionem Tranſubſtantiationis, ſed fieri expulſionem panis, & in ejus locum Corporis Chriſti ſucceſſionem. Sic malè Auguſtinum dixiſſe: *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Rectius juxta hos dicturum fuiſſe: *Expellit verbum elementum.* Sic ex triplici hac errorum ſerie conſtare Pontificis apoſtaſiam, & à Chriſti Apoſtolorum fide fœdam defectionem, ipſorum Pontificiorum proditam authoritatibus. 17.

Arguit 16. Antichriſtum eſſe hominem illum peccati *2. Theſſal. 2. v. 3.* qui & ipſe ex vitijs ſit conflatus, & homines ad peccandum inducat. Talem eſſe Pontificem Romanum, de quo Stapletonius *Relect. princip. ſid. cont. 1. q. 5.* fateatur: *Vix ullum peccatum (ſolâ hæreſi exceptâ) nominari poſſe, quo illa ſedes turpiter maculata non fuerit.* Sixtum IV. nobile lupanar Romæ inſtituiſſe pro utraque Venere, nè Ioanni de la Caſa Archiepiſcopo Benev. ſodomiam commendanti temerè quicquam, & invitâ Romanâ ſede, excidiſſe videretur. Hinc Mantuanum: *Vivere, qui ſanctè cupitis, diſcedite Româ. Omnia cùm liceant, non licet eſſe pium.* Addi poſſe Epitaphium Sannazarij Poetæ Neapol. *Alex. VI. Sacrum. Nomen Alexandri nè te fortaſſe moretur, hoſpes abi, jacet hic ſcelus & vitium.* 18.

Arguit 17. Antichriſtum eſſe illum filium perditionis *2. Theſſal. 2. v. 3.* Talem verò eſſe Papam Romanum exitio devotum, ſecumquè exitio dantem infinita hominum millia, tum pernicioſâ doctrinâ, tum cruentis, quibus per aliquot ſæcula orbem Chriſtianum commoverit, & involverit, turbis, quæ innumeras hominum abſorpſerit myriades. 19.

Arguit 18. Antichriſtum eſſe, qui ſe Chriſto opponit, *ex cit. cap. 2. Theſſal.* Talem verò eſſe Papam Romanum, qui ſe opponat Chriſto non quidem 20.

apertè-

Digitized by Google

apertè, uti Iudæos, ſed Vicarium ejus mentiendo tectè in *vitâ*, cùm mores Chriſti & Papæ toto, ut ajunt, cœlo diſcrepent. *In regimine*, cùm Chriſti regimen fuerit ſpirituale & cœleſte, Papæ verò terreſtre & mundanum. *In Religione*, utpote quæ à Chriſti dogmate ita variet, ut ſacras Litteras hujus inſtrumentum omni conatu ſuppreſſum cupiat, & litis materiam appellitet.

21. Arguit 19. Antichriſtum efferre ſe *ſupra omne id, quod Deus dicitur & Numen*, non quidem palàm & ex profeſſo, hoc enim non poſſe conſiſtere cum myſterio iniquitatis, & cornibus agni ei adaptandis, ſed *indirectè* & clam, juxta Chryſoſtomum *in hoc loco*. Nempè filium perditionis adinſtar Iudæ oſculo prodere debere filium hominis. At hoc facere Papam Romanum, Reges, Principes & Magiſtratus, qui Dij ſint, in his terris *Pſal. 82. v. 6. Ioan. 10. v. 34.* Antichriſtiano faſtu ad oſcula pedum ſuorum, ceu Beneficiarios & feudatarios ſuos adigentem, & ſupremam in omnes Reges univerſæ terræ poteſtatem ſibi vendicantem. *Ex Bullâ Sixti V. adversùs Regem Galliæ.* In Angelos etiam imperium ſibi ſumere, ſiquidem Clemens VI. in Bullâ Angelis mandet, ut Romam Iubilæi gratiâ petentes, & in itinere morientes à nunc in cælos transferant. Verbi Divini authoritatem ex ſuâ ſuſpendere, & ſe Judicem controverſiarum infallibilem aſſerere. Edicta ſua Divinis præferre, dum contra ea diſpenſat. Sacramenta, non obſtante Chriſti inſtitutione, mutare, truncare, nova inſtituere. Poteſtatem Symbolo addendi, vel novum edendi ſibi tribuere. Ex *Concil. Florentino ult. ſeſſ.* Thomâ *10. 2. q. 1.*
22. *a. 10. 22.* In Bullâ *Exurge* Leonis X. ſubjectâ Concilio Lateranenſi inter errores Lutheri referri, quòd ſtatuerit, in Papæ manu non eſſe, condere fidei articulos. Andradium *lib. 2. defenſ. fidei Tridentinæ* dicere: *Romanos Pontifices multa definiendo, quæ latitabant ante, Symbolum fidei augere conſueviſſe. Quin & Dei nomen Herodis ad inſtar à ſuis adulatoribus oblatum admittere, ſequè pro Numine adorandum exhibere.* Bellarminum *reſp. ad Patro. Cauſæ Venetæ* ita habere: *Teneant puſilli & ſimplices, Papam Deum quendam eſſe, & poteſtatem habere omnem in cælo & in terrâ.* Hunc ipſum tamen authorem non obſcurè fateri de Romano Pontifice *lib. 2. cap. 31.* quòd fieri poſſit hæreticus. Alphonſum à Caſtro *lib. 1. adverſ. Hæret. cap. 4.* aſſerere: *Quòd omnis homo poſſit errare in fide, etiamſi Papa ſit.* Probari id exemplo Liberij, Anaſtaſij II. Cæleſtini. Hinc patere, qualis hic Deus ſit, quale hoc Numen, uti Stapletonius eum vocet *Epiſt. ad Papam operibus ſuis præfixâ.*

23. Arguit 20. Antichriſtum *ſedere in templo Dei tanquàm Deum, præ ſe ferentem, ſe eſſe Deum. 2. Theſſal. 2. v. 4.* Non in templo Hieroſolymis, quod febricitantium Jeſuitarum ſomnium ſit: hoc enim ſecundùm deſtructum, & juxtà

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti pronunciatum, æternæ deſolationi devotum eſſe *Matth. 23. v. 38.* Idem inſinuari Dan. *9. v. 27.* Conſentire Galat. *lib. 5. de Arian. Verit. cath. c. 10.* Cornelium à Lapide *ex Ierem. 7. v. 4.* Sed in Eccleſiâ Dei, quam erat invaſurus, & in eâ ſedem ſuam collocaturus, quæ per templum Dei in ſcripturâ Novi Teſtamenti ſignificetur. Agnoſcere id Auguſtinum *lib. 20. de Civit. Dei. cap. 19.* Hieronymum *q. 11. ad Algaſiam.* Theodoretum, Ambroſium, Chryſoſtomum ad hunc *locum Pauli.* At verò in hoc templo Dei, id eſt in Eccleſiâ ſedem ſuam collocâſſe Papam Romanum, tanquàm Deum, qui omnes judicet, à nemine judicandus, cujus judicium à nemine ſit retractandum, cui accinatur: *Oraclo vocis mundi moderatur habenas: Et meritò in terris crederis eſſe Deus.*

Arguit 21. Antichriſtum eſſe illum Exlegem; facere quod lubet *2. Theſſal. 2. v. 8.* Talem verò eſſe Papam. De Nicolao quippe Papâ ſic olim 24.
conqueſtos eſſe Germaniæ Præſules apud Aventinum *Annal. 4. Tu Pontificis quidem perſonam prætefers, & tyrannidem agitas, ſub habitu & cultu Paſtoris lupum ſentimus: titulus parentem mentitur, tu te factis Jovem oſtentas; cùm ſis ſervus ſervorum, Dominus Dominorum eſſe contendis, juxtà diſciplinam Chriſti Servatoris noſtri infimus & omnium Miniſtrorum Templi Dei: tu verò libidine dominandi in principem abis; quicquid tibi libet, licet, ſinus factus es Chriſtianis.*

Arguit 22. Adventum Antichriſti eſſe *ex efficacitate ſathanæ cum omni poteſtate & ſignis & prodigiis mendacibus, fraudibuſquè injuſtitiæ. 2. Theſſal. 2. v. 9. & 10.* 25.
Atqui hos eſſe tibicines, quibus Papa Romanus tum ſuam in Eccleſiâ tyrannidem ſtatuminet, tum & ſuperſtitionem & idololatriam propaget. Mendacia quædam ſigna & prodigia, utpote Tranſubſtantiationem, ſudorem, lachrimas, riſum, ſermonem, inceſſum ſtatuarum, apparitiones, ſanationes ægrorum, per Sanctorum Reliquias & interceſſionem, & alia ſive mira, ſive miracula ultimorum temporum Peiraſtyria, Pſeudoprophetarum, & Pſeudodoctorum eſſe characteres *Matth. 24. v. 24.*

Arguit 23. Antichriſtum non confiteri Ieſum Chriſtum in carnem 26.
veniſſe. *1. Ioan. 4. v. 3.* Hoc facere Papam Romanum tum *directè*, quoad Officium mediatorium, quod penitùs enervet, uti *ſuprà ſit demonſtratum*: tum *obliquè* quoad perſonam: etenim proprietates humanæ naturæ, ipſam adeò ejus ſubſtantiam in Tranſubſtantiatione deſtruere, retinere innumeras ceremonias, ac umbras Judaicas, quæ Chriſti mortem evacuent.

Arguit 24. Antichriſtum defendere doctrinas dæmoniorum *1. Timoth.* 27.
4. v. 1. 2. 3. & 4 prohibendo conjugium, & imperando ciborum delectum. At Pontificem Romanum prohibere conjugium Sacerdotum, & inſtituere delectum ciborum, tum eſu carnium & lacticiniorum certis temporibus interdicere, idquè cum inſigni hypocriſi, ſiquidem apex fermè ſanctitatis

in Cle-

Digitized by Google

in Clericorum cælibatu, & ciborum quæratur, nec non cum vacuitate conſcientiæ, dum ſcortationes faciliùs tolleret, quàm conjugium.

28. Arguit 25. Tandem Papam Romanum ſedem Antichriſto deſtinatam obtinere ut propriam, in eaquè dominatum ordinariè exercere *Apoc. 17. v. 5. 9. & 18.* Eam myſticè Babylonem illam magnam eſſe, non utique Chaldaicam, quæ jam cum ipſius Monarchiæ axiomate defecerit, ſed Italicam, urbem ſepticollem Romam, nec priorem & paganam, quæ nullos reges populoſvè idololatriâ ſuâ corruperit, nec ulla ad confirmandam Religionem ediderit miracula, ſed Papanam in Antichriſtianiſmum prolapſam, quæ utrumquè hoc ſtigma in fronte gerat.

CAPUT III.

Oſtenditur, Papam, quatenùs munus Paſtoralis à Chriſto ſibi commiſſæ poteſtatis erga univerſam Eccleſiam exercet, in rebus fidei, imò & Decretis morum errare non poſſe.

29. EXplicatur. Oportet enim pro Veritatis ſemitâ illibatè tenendâ, diſtinguere inter Officium paſtorale Romanæ Cathedræ, & inter perſonam in iſtâ cathedrâ ſedentem. Ex D. Auguſtino *lib. 2. contra epiſt. Petilian. cap. 51.* Hæc autem diſtinctio in eo ſe tenet, quòd errores ac vitia perſonæ nullatenùs redundare poſſint in Cathedram Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ. Ex Sancto Auguſtino *cit. cap. 51.* Unde non tam hîc laborandum de particularibus ſummorum Pontificum perſonis, quàm de Cathedrâ Paſtoralis erga univerſalem Eccleſiam officij; *An ſcilicet, quando Pontifex Romanus loquitur ex Cathedrâ, ſive ex officio ſuo Paſtorali erga univerſalem Eccleſiam, poſſit facere Decretum fidei, vel bonis moribus contrarium.*

Probatio prima. Ex illis Chriſti Domini ad Petrum prolatis verbis Lucæ 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

30. ETenim hac oratione Chriſtus Dominus duo impetravit privilegia, alterum Perſonale, ut Petrus ſcilicet haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perfectiſſimamquè voluntatem. Ex Sancto Auguſtino *lib. de corrept. & gratiâ. cap. 8.* Alterum Reale Paſtorali erga univerſam Eccleſiam muneri annexum: Chriſtus enim ita oravit pro Petro, ut converſus aliquando confirmaret fratres. Unde iſta à Chriſto impetrata fidei firmitas non debebat ſe continere intrà perſonam Petri, quin erga fratres curæ ipſius Paſto-

Paſtorali committendos ſe diffunderet. Ex quo ſequitur, illam fidei firmitatem eſſe privilegium Petri quà univerſalis erga Eccleſiam Paſtoris. Atqui privilegium ex Chriſti Domini voluntate annexum iſti Paſtorali muneri, eo ipſo eſt perpetuum, quòd habeat reſpectum ad perpetuum ſtatum Eccleſiæ, à portis inferi nunquàm ſuperandæ. Chriſtus igitur Dominus illâ ſuâ oratione impetravit fidei firmitatem, quà connexam cum paſtorali munere, Eccleſiæ *perpetuò uſque ad finem ſæculi* duraturæ coextituro. At ſicuti paſtorale 31.
perpetuo Eccleſiæ ſtatui annexum munus, Petro per Martyrium ſublato, debuit perſiſtere in ſucceſſoribus, ſic fidei firmitas ſecundùm efficaciam orationis Chriſti connexa cum iſto paſtorali officio, debet conſequenter ad Succeſſores quoquè transferri. Conſtat igitur, ex efficaciâ Chriſti orationis, Petri in Paſtorali erga univerſam Eccleſiam munere ſucceſſoribus competere fidei firmitatem. At iſta fidei firmitas eo ipſo deficeret in tali Paſtorali munere, ſi Papa utens poteſtate ejuſmodi erga univerſalem Eccleſiam conderet decreta fidei adverſantia. Ex illâ igitur Chriſti Domini orationis efficaciâ concluditur, fieri nullatenùs poſſe, quòd Romanus Pontifex, ſi loquatur ex Cathedrâ ſui Paſtoralis officij ergà univerſalem Eccleſiam, condat decreta fidei repugnantia. In quem adeò ſenſum Theophylactus *in cap. 21. Lucæ* ait: *Quia te* (ſcilicet Petrum) *habeo principem diſcipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es & fundamentum.* Vides igitur, fidei firmitatem, quà Petrus confirmaret cæteros, eſſe ex eo, quòd eſſet princeps diſcipu- 32.
lorum. At eo ipſo, quòd iſte in Eccleſiâ principatus ex Chriſti Domini promiſſione ſit connexus cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, non potuit in Petri perſonâ extingui, ſed tranſire debuit ad ſucceſſores. Ergo illa fidei firmitas Petro impetrata ita ſtat in ejus ſucceſſoribus, ut proptereà Petrus Chryſologus *in Epiſt. ad Eutychetem* relatâ *to. 1. Concil. ante Concil. Chalcedon.* ita ſcripſerit: *Hortamur te Frater honorabilis, ut his, quæ à beatiſſimo Papâ Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quia B. Petrus, qui in propriâ ſede vivit, præſtat quærentibus fidei Veritatem.* En igitur non tam perſonam, quàm ſedem Petri hodie viventem attendi debere, utpote cui annexa ſit fidei veritas, adeò, ut Divus Bernardus *in Epiſt. 190. ad Innocentium*, ubi aſſeruiſſet, *in Cathedrâ Romanâ non poſſe fidem ſentire defectum*, exclamet: *Cui enim Sedi dictum eſt aliquando: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua?*

Confirmatur. Nam ex prætactâ Chriſti Domini orationis efficaciâ 33.
firmitatem fidei in Romanâ Cathedrâ ſeu Eccleſiâ concludunt Pontifices primorum duorum, ſeu trium ſæculorum, Lucius I. *in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ & Galliæ.* Felix I. *in Epiſt. ad Benignum.* Illius enim prioris verba ita ſe habent: *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apo-*

 ſtolicâ

ſtolicâ traditione nunquàm erràſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te. Poſterior porrò Pontifex ita ſcripſit de Eccleſiâ Romanâ: *Ut in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata manet, juxta illud: Ego rogavi pro te.* At verò ipſimet Reformati Doctores ſpeciatim Polanus *l. 66. c. 18. ſymph. pat. 13.* & Schirpius *Curſ. Theolog. III. de cap. Eccleſ. milit. q. 5. reſp. 1. ad ob. 1.* fatentur, primis tribus, imò ulterioribus ſæculis Eccleſiam Romanam, ejuſque Pontifices fuiſſe Orthodoxos & ſynceros in fide Apoſtolicâ, adeò ut Breitingerus *Opuſc. de ſect. pag. 28. Ital. verſ.* ſcripſerit: *Si poſſet oſtendi priſtina Roma (uti nimirum fuerit ante duodecim & tredecim ſæcula) eſſemus experturi, quòd ipſi* (Reformati ſcilicet) *ex corde amarent Catholicum nomen, & Catholicam pariter doctrinam.* Quia ergo ex præadductis ſummorum Pontificum ante duodecim, vel etiam tredecim ſæcula viventium epiſtolis demonſtratum eſt, ex Chriſti Domini promiſſione & oratione ita firmatam eſſe Romanam Cathedram, ſeu Eccleſiam Apoſtolicam, ut illibata maneat, neque verò illa Chriſti Domini promiſſio ullo unquàm tempore poſſit evacuari, conſequens eſt, hodieque iſtam Cathedram ita ſtare illibatam, ut, ſi Breitingerus pacto per ſe ſtatuto jam poſſet inſiſtere, certò amare deberet Catholicum in Eccleſiâ Romanâ nomen & doctrinam.

34. *Probatio ſecunda. Deſumpta ex illis Chriſti Domini verbis Matth. 16.* Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.

NAm iſta Chriſti verba eſſe accipienda de Petro, ita ut ſuper ipſum ceu petram eſſet ædificanda Eccleſia, docent Tertullianus *de præſcript. hæret. cap. 22.* Cyprianus *Epiſt. 40. & de Unit. Eccleſ.* Baſilius Magnus *ad cap. 2. Iſaiæ.* Gregorius Nanzianzenus *art. 2. de Moderat. in orat. habendâ.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 12.* Ambroſius *Serm. 47.* Hieronymus *in cap. 16. Matth.* Auguſtinus *Serm. 5. in feſto Petri & Pauli, & alibi ſæpe.*
35. At eo ipſo, quod Eccleſia ſuper hanc petram ita ædificanda foret, ut ſimul Chriſtus eidem Petro contulerit poteſtatem clavium, oportet, iſtam poteſtatem ex Chriſti Domini promiſſione connexam eſſe cum fidei petrâ, in Petro ſemperuſque ad conſummationem ſæculi duraturâ, nec à portis inferi unquàm vincendâ. Hinc autem ſequitur, talem Clavium poteſtatem cum petrâ fidei connexam minimè exſpiràſſe in Petri perſonâ, ſed hujus ſedem utpote cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexam, ita vivere in ſucceſſoribus, ut his competat paſtoralis erga univerſam ſuper petrâ fundatam Eccleſiam Officij primatus, uti expreſſè ſtatuunt Concilium Nicænum *1. Can. 6.* Epheſ.

Cyril-

3. ſub verbis Philippi Presbyteri. Chalcedonenſe *Act. 1. 2. 3. & 16.* aliæquè generales Synodi; nec non ex Patribus Polycarpus *apud Sanctum Hieronymum de viris illuſtr.* Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Athanaſius *in Epiſt. ad Felicem Papam.* Baſilius Magnus *in Epiſt. 52. ad Athanaſ.* Chryſoſtomus *in Epiſt. ad Innocentium Papam.* Cyrillus *in lib. Theſ.* Cyrillus Alexandrinus *in Epiſt. ad Cæleſtinum Papam.* Hieronymus *Epiſt. 57. ad Damaſum Papam.* Auguſtinus *lib. 2. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 1. & alibi ſæpè.* Cùm igitur Petri primatus cum Petrâ ſeu fidei firmitate inſeparabiliter connexus vigeat in Romanâ Cathedrâ, oportet, Romanum Pontificem, dum ex iſtâ Cathedrâ, id eſt ex munere ſuo Paſtorali ad univerſam Eccleſiam, fidei, vel morum decreta condendo, loquitur, errare non poſſe: quomodò enim aliàs portæ inferi non eſſent prævalituræ?

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

AD *primam* Reſp. Illum Vedroſianum ſyllogiſmum non tam quoad 36.
rationem formæ, cùm in minori ponat concluſionem, quàm ratio-
ne materiæ eſſe prorsùs ineptum, pugnareque cum ipſiſmet Refor-
matis Doctoribus. Ex his enim quæro, à quonam tempore Papa Romanus
incœperit degenerare in Antichriſtum? An fortè illis temporibus, quibus
fingunt, ſuam Reformationem latitâſſe in Papatu? At iſta Reformatio de-
cimo quinto ſæculo venditata, non potuiſſet mille, ducentis, ſexaginta annis
latitâſſe ſub Antichriſtiano Papatu, niſi iſte ſecundo, aut tertio ſæculo jam
degenerâſſet in Antichriſtianiſmum. Ipſimet autem Reformati Doctores à
Georgio *Rat. 2. & 4.* adducti agnoſcunt, primis tribus, imò quinque, vel etiã
ſex ſæculis fuiſſe in Eccleſiâ Romanâ illibatam Orthodoxiam, ejuſquè Pon-
tifices fuiſſe Orthodoxos & ſynceros in fide Apoſtolicâ. Conſtat inſuper 37.
ex Lucij I. & Felicis I. ſecundo, vel tertio ſæculo Romanæ Eccleſiæ præſi-
dentium epiſtolis, fidem Apoſtolicam tunc omninò illibatam (ex ipſiuſmet
Chriſti Domini promiſſione perpetuum Eccleſiæ ſtatum complectente) in
illâ Cathedrâ ſtetiſſe, hodiequè adeò, (nè Chriſti Domini promiſſio eva-
cuata dicatur) adhuc ſtare. En igitur, quomodò Reformati ex ipſiſmet ſuis
Doctoribus arctentur in deſignando tempore, quo Eccleſia Romana degene-
rârit in Antichriſtianiſmum.

Ad *ſecundam* Reſp. Rogando ex Vedroſio, an, dum ait, Antichriſtum 38.
eſſe Ducem, & Caput Apoſtaſiæ, iſtam vocem *Tò Ducem* ſumat in *ſenſu diviſo*,
vel in *ſenſu compoſito* cum voce Apoſtaſiæ? Si primum, ſequitur, tot jam eſſe
Antichriſtos, quot ſunt Duces. Si ſecundum, ſequitur, ineptam prorsùs eſ-

Digitized by Google

39. ſe ejus argumentationem. Ait enim 1. Pontificem Romanum eſſe Ducem & Caput apoſtaſiæ, quia Clerum ſuum imperio civili ſubduxerit. At Concilium Chalcedonenſe hoc ipſum ſtatuit *can. 9.* Agathenſe *can. 32.* Carthaginenſe III. *can. 9.* Milevitanum *can. 13.* Toletanum III. *can. 13.* Matiſconenſe
40. *can. 8.* Annè igitur iſta Concilia erant Duces & Capita Apoſtaſiæ? Ait 2. Romanum Pontificem eſſe Ducem & Caput Apoſtaſiæ ſeu Antichriſtum, quòd magnam imperij partem, ipſam etiam Romam, ementitâ quâdam donatione ad ſe rapuerit. At iſtud Romani Pontificis in res temporales jus eſſe firmum, oſtendunt tum ea, quæ *in 1. tom. Concil. edit. Colonienſ. pag. 253. & 254.* habentur, tum pacifica ab Imperatoribus etiam poſteris agnita poſſeſſio. Quis autem ex uſu ac poſſeſſione talium jurium arguat Romanos Pontifices Antichriſtianiſmi, niſi dixerit, Eccleſiaſticum principatum, ſeu Pontificatum ſtare non poſſe cum regno ſeu regimine temporali? At hoc ipſum contrariatur ſacræ Scripturæ *Gen. 14. Exodi 18. & 32.* juncto *cap. 40. & Levit. 8.*
41. velut infrà explicabitur. Quinimò dum Vedroſius ſuprà contendit, Clericos eſſe ſubjectos Magiſtratui politico, fatetur eo ipſo, regnum ſpirituale ſimul ac temporale poſſe ſtare in unâ perſonâ. Veriùs igitur Vedroſi, tuæ Reformationis Miniſtros redituum Eccleſiaſticorum pro Divino inter Pontificios conſueto officio notoriè fundatorum uſurpatores ex illo capite arguiſſes de Antichriſtianiſmo, quàm Pontificem Romanum legitimo in Romam jure potiuntem.

42. Ait 3. Papam à Chriſto, ejuſque doctrinâ deficiendo, degenerâſſe in Antichriſtum; eò quòd Cæremonias Eccleſiaſticas ſubindè mutârit, & rejectâ doctrinâ Apoſtolicâ, novum errorum capitalium corpus condiderit. At Reformationis Confeſſio Helvetica *cap. 28.* ita habet: *Et nos hodiè ritus diverſos in celebratione Cœnæ Domini, & in alijs nonnullis rebus habentes in noſtris Eccleſijs, in doctrinâ tamen & fide non diſſentimus.* Quid ergo Vedroſi? Annè rituum in veſtris Eccleſijs circà Cœnam Domini variatio importat defectionem à doctrinâ Chriſti? Cave igitur, nè ex propriâ tuæ Reformationis confeſſione jam reus ſis Antichriſtianiſmi. Et verò Confeſſio illa Helvetica pergit: *Semper Ec-*
43. *cleſiæ in hujuſmodi ritibus, ſicut medijs, uſa ſunt libertate. Id quod nos hodiè quoquè facimus.* Vides Vedroſi, non Pontificios ad Matricis Eccleſiæ Romanæ normam uniformiter intentos, ſed tuæ Reformationis Eccleſias pro libertate ſuâ mutare Cæremonias. Iudica igitur ex propriâ confeſſione, an non tua Reformatio degenerârit in Antichriſtianiſmum, maximè cùm fatearis, eam non eſſe immunem ab erroribus circa ipſa etiam fidei fundamenta? An non igitur hæc tua Reformatio, non verò Eccleſia Romana cum antiquorum Patrum Orthodoxorum doctrinâ omninò conformis (uti partim ex antecedencedenden-

Digitized by Google

cedentibus, partim ex ſubſequentibus conſtat) condidit novum errorum capitalium corpus?

Ad *tertiam* Reſp. Illud à Stukio confictum diadema inſervire pro coronâ hujus Pſeudo-Theologi ex puris calumnijs & mendacijs conſertâ. Cui equidem cum Sancto Auguſtino *lib. 2. contra litt. Petilian. cap. 51.* dici poſſet: *Et hæc non vides, non eſſe aliqua documenta, ſed vana convitia &c. Dicis enim iſta nihil probans.* Nihilominùs nè hinc vacuus abeat Vedroſius, in memoriam ipſi revoco argumentationem Georgianam *ſuprà cap. 1. n. 1.* deductam, & adhuc inſolutam, imò ex præſenti argutiâ Vedroſianâ magis firmatam. Ajebat enim Georgius, ſpiritui ſathanico eſſe proprium, per falſitatis imputationem calumnioſam imponere veræ & Orthodoxæ Doctrinæ. Atqui Reformati Doctores imponunt Eccleſiæ Romanæ, ac ſi Papa impeteret triplex Mediatoris Chriſti munus, dicendo ipſum eo modo, quo Chriſtum, eſſe Caput Eccleſiæ, eumque adorando, ac tribuendo poteſtatem ad novos fidei articulos condendos, Scripturaſquè Canonicas noviter faciendas. Hæc autem omnia ceu impoſturas & calumnias falſas rejecit Georgius, nec in ullo puncto eſt refutatus, ſed eorundem duntaxat convitiorum repetitionem mendacijs craſſioribus gravidam fecit Vedroſius. Viderit ergo iſte Miniſter, an non demonſtrârit ſe turgidum ſpiritu ſathanico. 44. 45.

Ad *quartam* Reſp. Falſam eſſe calumniam Vedroſij Pontificijs imponentis, ac ſi ipſi Dei Verbo ſacris Litteris contento, impingerent incertitudinem ac imperfectionem. Sed hoc dicimus, Verbi Divini ſcripti ſenſum nec in ſe, nec in Deo atteſtante evidentem, debere intellectui lumine fidei inſtructo applicari, mediante prudentiali credibilitatis evidentiâ. Hanc verò ita obfuſcari, ſi ex proprio cujuſque inſtinctu pendere debeat, ut conſequenter ſacra Scriptura non in *ſe* & *abſolutè*, ſed *comparatè in ordine ad noſtrum* intellectum ſit obſcura, ita ut hæc obſcuritas pariat incertitudinem ac imperfectionem ſe tenentem ex parte noſtri intellectûs, ſublevandam adeò non ſolo fidei infuſæ habitu, ſed prudentiali credibilitatis evidentiâ ad hoc inſerviente, ut voluntas non *temerè*, ſed *prudenter* captivet intellectum in obſequium fidei. Quam proinde credibilitatis prudentialem evidentiam argumentis per ipſoſmet Sanctos Patres, præſertim Auguſtinum *cap. 2. contra Epiſt. fund.* deductis innitentem, cùm negligant, imò contemnant hodierni Pſeudoreformatores, proprij inſtinctûs ſpiritu inflati, mirum non eſt, ipſos opprimi à Verbi Divini ſuperinmenſâ luce, ita ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant, excæcatis, ac fidei Divinæ luce omninò deſtitutis eorum oculis, ſeu intellectibus. Quòd 46. 47.

por-

porrò Vedroſius Pontificios arguat blaſphemiæ in Traditionum, non (uti mentitur) humanarum, ſed Divinarum deprædicatione, ex hoc adverſùs primitivæ Eccleſiæ Patres Orthodoxos ſe reum facit Verbi Divini, à Chriſto ſeu Spiritu Sancto traditi, & ſub fide vivâ in mentibus fidelium propagati, à ſuâ verò Reformatione blaſphemè violati, *uti patet ex dictis ſuprà Diſſert. 1. ſect. 1. præſertim cap. 1.*

48. Quòd denique verbi Papalis claritatem aſſerat, à Pontificijs præferri ſacris Litteris, in hoc *ſophiſticè* procedere dignoſcitur. Oportet enim, illud Papæ ex Cathedrâ loquentis, ſeu fidei dogma ex Verbo Divino definientis verbum conſiderare vel *formaliter*, vel *objectivè*. Et quidem iſto poſteriori modo ſpectatum, eſt ipſummet Dei Verbum ſacris Litteris ſaltem *virtualiter* contentum: modo autem priori ſumptum fundat prudentialis credibilitatis argumentum, ſub quo veritas Divina applicata poſſit movere ad Theologicæ fidei actum. Hinc ſi Verbum Papale non quodcunque, ſed dogmatis fidei ex Cathedrâ definitivum ſumatur *concretè*, tunc Verbo Dei ſuperaddit claritatem prudentialis credibilitatis, infinitè inferiorem luce veritatis Divinæ fidé Theologicam ſpecificantis, *veluti ſuperiùs dictum eſt.*

49. Ad *quintam* Reſp. Retorquendo argumentum. Etenim ille arietat adverſùs Sacerdotale Chriſti munus, qui negat ſacrificium ab ipſomet Chriſto Domino ceu Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech inſtitutum. Atqui ex ſacris Litteris infrà deducendis, nec non Sanctis Patribus, ſpeciatim ex Lyturgiâ Hieroſolymitanâ Sancti Jacobi, Lyturgiâ Baſilij, Lyturturgiâ Syriæ, Lyturgiâ Sancti Chryſoſtomi Conſtantinopolitanâ, Clemente Romano *lib. 6. Conſtit. Apoſtol. cap. 30.* Dionyſio Areopagitâ apud Damaſcenum *Serm. de operat. Miſſæ Sacrificij.* Iuſtino Martyre *in Dialogo cum Tryphone.* Origine *hom. 13. in cap. 23. Levit.* Tertulliano *lib. ad Scapulum cap. 2.* Cypriano *in ſermone de Cœnâ Domini.* Cyrillo Hieroſolymitano *Cath. 5. Myſtag.* Athanaſio apud Damaſ. *in ſerm. de defunctis circa medium.* Hieronymo *in cap. 1. Epiſt. ad Titum.* Chryſoſtomo *lib. 6. de Sacerdotio.* Nazianzeno *to. 2. p. 4. Theolog. cath.* Ambroſio *in Epiſt. ad Fauſtinum.* Auguſtino *lib. 3. quæſt. in ult. Teſtam. & alibi ſæpe* conſtat, Miſſæ ſacrificium eſſe verum, in Eccleſiâ nunquàm intermiſſum, à Chriſto Domino inſtitutum pro peccatis, alijſque neceſſitatibus, ac temporalibus tum vivorum, tum demortuorum in purgatorio detentorum pœnis (in vi applicationis meritorum in Cruce Chriſti conſummatorum) propitiatorium ſacrificium. Non igitur Pontificij iſtud Sacrificium retinentes, ſed Pſeudoreformati illud abolentes, arietant adverſùs ſacerdotale Chriſti munus.

50. Adhæc qui prædicat merita Chriſti infinita nunquàm conſummanda, adeòque in theſauro Divinæ acceptationis

tionis repoſita, & ex his per gratiam Divinam derivatas non quidem (uti falsò dicit Vedroſius) infinitas, ſed ſuperabundantes Sanctorum ſatisfactiones ſubeſſe facultati diſpenſatoriæ Paſtoralis muneris, cui ab ipſomet Chriſto commiſſæ ſunt claves cum indefinitâ ſolvendi & ligandi poteſtate, non arietare adversùs ſacerdotale Chriſti munus, probatum eſt *in præcedentibus.* Atqui hoc ita tenent Pontificij, ut contrà illud nullis vel rationibus, vel authoritatibus, ſed ſolis clamoribus & vociferationibus calumnioſis impetant hodierni Pſeudoreformatores. Ergo iſti, non illi arietant adversùs ſacerdotale Chriſti munus. Idem deniquè eſſe de interceſſionibus Sanctorum conſtat partim ex dictis *præced. ſect. cap. 4. n. 30.* partim ex *dicendis infrà diſſert. 14.*

Ad *ſextam* Reſp. Eam non niſi mendacibus calumnijs niti. Qui enim exercet munus vicarium Capitis ac Iudicis ab ipſomet Chriſto in Eccleſiâ relictum, cum ſubordinatione tamen ac ſubjectione ad ipſummet Chriſtum ceu primarium Eccleſiæ Caput & Iudicem, ejuſque Divinum ſacris Litteris contentum Verbum, nequit niſi calumnioſè dici, tyrannicè & cum ſacrarum Litterarum contemptu invaſiſſe Chriſti ad Patris dexteram ſedentis regnum. Atqui ex ſacris Litteris, Oecumenicis Concilijs, & Patribus *ſuprà diſſert. præced. ſect. 2. cap. 3. & 4.* demonſtratum eſt, Papæ ex ipsâ Chriſti Domini inſtitutione Vicarium Chriſti in Eccleſiâ caput, Chriſto tamen Domino, ejuſque Verbo Divino ita ſubjectum eſſe, ut, licèt habeat poteſtatem paſcendi oves Chriſti per fidei dogmatum prædicationem ac definitionem, in ejuſmodi tamen definitione procedere debeat non ex ſuo (inſtar Reformatorum) inſtinctu, ſed ex ſacris Litteris, ſeu Verbo Dei, Divinam Spiritûs Sancti aſſiſtentiam à Chriſto promiſſam, eruere verum ſenſum. Non igitur Papa, ſed Pſeudoreformatores ſacram Scripturam ſuo cujuſque privati ſpiritûs inſtinctui nefariè ſubijciendo, ſuumque adeò ex proprio cerebro excogitatum ſenſum ſub Divinâ authoritate, more Donatiſtarum, Arianorum, aliorumque jam pridem damnatorum hæreticorum blaſphemè jactitando, tyrannicè invadunt regnum Chriſti. Sed quid ulteriùs calumniaris Vedroſi, Pontificios regnum gratiæ derogare, id tribuendo viribus liberi arbitrij, ſeu naturæ? Hoc enim in nullius Papiſtæ ſenſum veniſſe, patebit ex dicendis *infrà de Meritis Differt. 11.* 51. 52.

Ad *ſeptimam* Reſp. Non ſuggillari, nec deprimi Chriſti meritum, ſi ipſa etiam opera bona noſtra ita reducantur in Chriſti meritum, ut ex actuali gratiâ ex hiſcè profluente procedere, ex gratiâ ſanctificante per Chriſtum, ejuſque meritum vi Sacramentorum conceſsâ dignificari, & ab æterno 53.

terno

terno Patrē ex vi eorundem Chriſti meritorum acceptari dicantur. At hanc eſſe Pontificiorum doctrinam in ſacris Litteris ac Verbo Dei, juxtâ primitivæ Eccleſiæ Patrum & Conciliorum expoſitiones ſeu definitiones
54. fundatam, patebit ex dicendis infrà *cit. Diſſert. 11. ſect. 4.* Econtrà verò Pſeudoreformatores negant in Sacramentis operatum Chriſti meritorum opus, ac virtutem inde reſultantem conferendi gratiam, negant gratiam ſanctificantem infuſam, à Chriſto pro nobis promeritam, negant actualem ſupernaturalem gratiam operum ſupernaturalium in homine effectricem, atque juſtificationem & gloriam æternam ſoli fidei à ſe jactatæ, ſuoque proprio inſtinctu nitenti, ac in ipſis licèt fundamentis (uti patet ex Vedroſio *cit.*) erranti attribuunt. Iudicet ergo, quiſquis velit, an Pontificij vel Pſeudoreformati detrahant Chriſti merito, ejuſque adeò regno, ſuorumque inſtinctuum humanis adeò adinventionibus innitantur.

55. Ad *octavam* Reſp. 1. Chriſtum verum Deum ac Dominum noſtrum adorare, non eſt Artolatria. Atqui Patres, *præced. ſect. 3. cap. 4. n.36.* allegati ex veræ fidei fundamentis probant, Chriſtum verum Deum in Euchariſtiâ realiter præſentem ita eſſe adorandum, ut hoc ipſum exemplo ſuo firmârint. Ergo illa adoratio non eſt Artolatria, ſed ejus negatio eſt
56. perfida à verâ fide ac Religione defectio. 2. Tranſubſtantiatio quoad rem ipſam ex ſacris Litteris probata, & à primitivæ Eccleſiæ Patribus, ſpeciatim Iuſtino *Apolog. 2. ad Antonin. Pium.* Irenæo *lib. 4. contra hæreſ.* Tertulliano *lib. 4. cap. 6.* Cypriano *de Cœnâ Domini.* Auguſtino *Serm. 28. de verbis Domini, & alijs infrà adducendis* aſſerta, eſt fundamentum realis in Euchariſtiâ Chriſti præſentiæ. Atqui actio illa, vi cujus Chriſtus realiter ponitur in Euchariſtiâ, eſt verum fundamentum latrevticæ Chriſti in hoc Sacramento adorationis. Ergo fundamentum iſtius adorationis fuit in Eccleſiâ Chriſti ſemper pro vero habitum, nec adeò dici poteſt, quoad rem ip-
57. ſam in Concilio Lateranenſi IV. *Anno 1215.* primùm ſtabilitum. 3. Proinde intolerabilis calumniæ & blaſphemiæ ſe reum probat Vedroſius, dum perfidè mentitur, ſub Corpore Chriſti intrà Euchariſtiam præſente non intelligi illud ex Virgine natum Chriſti Corpus ad dexteram Patris ſedens, ſed à ſacrificulo ex farinâ triticeâ factum, conopæo incluſum, ex Thomæ *3. p. q. 80. a. 3.* doctrinâ, murium ac vermium morſibus obnoxium. Etenim ut ab hoc poſtremo exordiar, falſi crimen Vedroſi commiſiſti, cùm Sanctus Thomas *loco per te citato ad 3.* neget, murem, aut canem, mordendo ſpecies Sacramentales, tangere Corpus Chriſti ſecundùm propriam ſpeciem. Quâ igitur fronte ſcribere auſus es, quòd Corpus Chriſti in Euchariſtiâ præſens à nobis Pontificijs, ſpeciatim Thomâ Aquinate dicatur muri-

injurium morſibus obnoxium? Deinde blaſphemæ calumniæ reus es, dum ais, Corpus Chriſti in Euchariſtiâ eſſe factum ex farinâ triticeâ. Sanè niſi calumniandi libido, tuæquè pertinaciæ ſpiritus inveteratus te perverteret, ex Sanctorum Patrum verbis partim *ſuperiùs* allegatis, partim *inferiùs* exprimendis, ipſiſque ſacris Litteris doceteris, quòd in Euchariſtiâ per tranſubſtantiationem conſtituatur præſens ipſummet verum Chriſti Corpus, de Virgine natum, & glorioſum ad dexteram Patris ſedens. Hujus igitur, non illius à te ficti Corporis Chriſti feſtum inſtitutum eſt ab Urbano IV. in finem cultûs & adorationis, ipſimet Chriſto exhibendæ, conformiter ad primitivæ Eccleſiæ Patrum inferiùs allegandorum doctrinam. Sed quo jure dicis, novitatem hujus dogmatis evinci ex iſtis per Romanam Eccleſiam decantari ſolitis verſiculis: *Antiquum documentum novo cedat ritui.* En ineptum caput tuum. Si veritas tibi cordi eſſet, ex antecedentibus facile advertiſſes, ſub antiquo documento veteris Teſtamenti Agnum paſchalem, ſub novo verò ritu Sacramentum, Corporis & Sanguinis Chriſti realiter contentivum, ceu novi Teſtamenti myſterium, ac fundamentum intelligi. Sed ais: Tranſubſtantiationem à nemine veterum eſſe creditam, niſi ab Eutychianis forſan, qui apud Theodoretum *Dialog. 2.* à tranſmutatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini fuerint argumentati ad mutationem Corporis Domini in Divinam eſſentiam. O impudens caput tuum! En ipſemet Theodoretus *loco per te citato* ſub nomine *Orthodoxi* apertis verbis tradit, poſt ſanctificationem panis & vini appellari Corpus & Sanguinem Chriſti, ſeque adeò credere, quòd per ſumptionem (hujus ſcilicet Sacramenti) quis fiat particeps Corporis & Sanguinis Chriſti. Vides igitur, hunc Sanctum Doctorem, dum argumentatur contra Eutychianos, adſtruere veritatem Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtiâ ſub ſymbolo myſtico ſpecierum, quarum figura & forma tangi quidem poſſint, ſub his tamen intelligi, imò & credi, & adorari debeant, quæ facta ſunt, nempè Corpus & Sanguis Chriſti, *uti locum præallegatum expendenti patebit.* Verùm quidem eſt, Theodoretum exinde movere objectionem Eutychianorum *ſuperiùs* expoſitam, huic tamen reſpondet, aſſerendo, illa ſigna myſtica quoad figuram, formam, & circumſcriptionem manere in ſuâ naturâ. Sub his verò ſignis ita adorandum eſſe Dominum ipſum, ut ejus Corpus vivificum, potentius omni interitu & corruptione, ſit illud ipſum, quod ſeſſione à dexterâ Patris dignatum, ab omni creaturâ debeat adorari, poſſequè vocari Dominicum, ad demonſtrandum, non eſſe commune, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Deus & homo. Quæ proindè reſponſio, ſi ad punctum objectionis reducatur, ita retorquetur

58. 59. 60. 61. 62.

adverſùs Eutychianos, ut ex ſymbolorum myſticorum ſub eâdem formâ
& figurâ permanentium, & Corporis Chriſti omninò incorrupti, & Pa-
tris dexterâ dignati, ab omniquè creaturâ adorandi veritate, videatur à pa-
ri inferre veritatem Divinæ & humanæ naturarum in Chriſto abſque ul-
lâ inter ſe confuſione, ſed ſub reali inter ſe diſtinctione in Chriſto ſub-
ſiſtentium, *uti Theodoretus citatus mox probat Patrum authoritatibus.* Vides igitur
Vedroſi, te ipſâmet Theodoreti à tè allegati authoritate & ratione confodi.
63. Sed dicis: Theodoretum in *Dial. 1. adverſùs Eutychianos* excipiendo ita diſſerere:
*Chriſtus viſibilia ſigna appellatione Corporis & Sanguinis honoravit, non tranſmutans ſym-
bolorum naturam, ſed naturæ ſymbolorum gratiam adjiciens.* Quid Vedroſi ex hoc con-
tendis probare, nempè Tranſubſtantiationem, & Corporis Chriſti in Eucha-
riſtiâ præſentiam non eſſe à veteribus agnitam, niſi ab Eutychianis. At Theo-
doretus *loco mutilè & infideliter per te citato*, apertis verbis aſſeruit, in Eucha-
riſtiâ id, quod ſecundùm naturam eſt Corpus, jure vocari Corpus, & itidem
Sanguinem. Poſtea verò addit, Servatorem quidem noſtrum nomina commu-
tâſſe, & Corpori impoſuiſſe nomen ſymboli, ſymbolo autem nomen Cor-
poris. Exindè rationem hujus reddendo aſſerit, quòd per hoc voluerit Chri-
ſtus, ut ij, qui ſunt Divinorum myſteriorum participes, non attendant na-
turam eorum, quæ videntur, ſed propter nominum mutationem, mutatio-
ni, quæ fit ex gratiâ, credant. Tandem quænam hæc per gratiam muta-
tio ſit exponens, dicit, Dominum, cùm accepiſſet ſymbolum, ita dixiſ-
ſe: *Hoc eſt Corpus meum*, ut hinc probetur, Dominum habuiſſe Corpus. En
igitur mutationem, cui ſecundùm Theodoretum credere debeamus, eſſe
talem, vi cujus verum Chriſti Corpus probetur. At ex iſtâ mutatione non
probaretur verum Chriſti Corpus, niſi panis tranſiret in hoc ipſum Do-
mini noſtri Corpus, hocquè adeò realiter exiſteret ſub ſymbolo formæ, ſeu
ſpeciei Euchariſticæ. Conſtat proinde, Theodoretum adſtruxiſſe veram
64. tranſmutationem panis in Corpus Chriſti. Sed pergis Vedroſius, à Gelaſio
Papâ *lib. de duabus in Chriſto naturis* doceri, quòd *Panis & vinum ita tranſeant
in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Domini, ut tamen non deſinant eſſe ſubſtantia, vel
natura panis & vini.* Verùm oportuiſſet, illum Pſeudoreformatum Miniſtrum
advertiſſe, Gelaſium ſe ſtatim explicare, quòd ſub nomine ſubſtantiæ,
ſeu naturæ panis & vini intellexerit proprietatem talis naturæ. *Ex contex-
tu.* At hanc ita permanere dicit in Sacramento Euchariſtico Chriſti, ut ta-
men panem & vinum, adeòque horum ſuppoſita aſſerat, tranſire in Cor-
65. pus & Sanguinem Chriſti. Unde circà myſterium Verbi Divini incarnati,
& Sacramentum Sanguinis & Corporis Chriſti ponit ſimilitudinem in eo
ſe tenentem, quòd, ſicuti in myſterio Euchariſtico realiter permanent ea,

ex

ex quibus conſtat hoc Sacramentum, nempè natura, id eſt proprietas naturæ panis & vini, & ipſum Chriſti Corpus & Sanguis, ſic in myſterio principali Verbi incarnati realiter permaneant, ex quibus conſtat, nempè Humanitas & Divinitas. *Ex contextu.* At verò ſi panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutatio eſſet tantùm relativa & myſtica, non phyſica & eſſentialis, ſeu realis, tunc illa Gelaſij ſimilitudo exinde petita non ſubſiſteret, ſiquidem in myſterio Euchariſtico non æquè realiter exiſteret proprietas naturæ panis, & ſubſtantia Corporis Chriſti tanquàm conſtitutiva illius Sacramenti. Quomodò igitur Gelaſius ex illâ ſimilitudine adversus Eutychianos argumentando validè concluderet, in Verbi incarnati myſterio pariter permanere Divinitatem & Humanitatem, ex quibus conſtat? Vides proinde Vedroſi, tuas argumentationes niti ſolo fuco & fumo falſarum allegationum.

Ad *nonam* Reſp. Si Vedroſius Baronium ad Annum 726. ex integro legiſſet, vel integrè perlecto, ſe bonum virum exhibere voluiſſet, non prætermiſſurum fuiſſe, quæ *ibidem* ex Sancto Germano Conſtantinopolitano Epiſcopo adversùs Iconoclaſtas ſcripſerat de Imaginibus Chriſti. Nempè *Ex quo Chriſtus in formâ noſtrâ ad nos acceſſit, Patres in terrâ ac Doctores, quorum ſumma virtus fuerit, venerandarum imaginum cultum nobis perſpicuè tradidiſſe. Poſt Chriſti enim Aſcenſionem in cœlos mulierem illam, quæ ſanguinis profluvio laborabat, ab eo ſanitati reſtitutam, ipſius imaginem, veluti acceptum beneficium referendo, exſculpſiſſe. Ac prius etiam ab ipſomet Chriſto ipſiſſimâ Patris imagine Divino linteo faciem ejus impreſſam eſſe, Toparcho Abagaro id poſtulanti, Edeſſam fuiſſe miſſum. Demum ab Evangeliſtâ Lucâ pictam eſſe, quæ ab Hieroſolymis Virginis Dei Genitricis imago miſſa ſit, ob eamque cauſam Divina & ſacroſancta Concilia varijs temporibus ac locis coacta, non ut ea calcarentur, ſed ut adorarentur* (cultu ſcilicet Reſpectivo & Tranſitivo) *dixiſſe.* 66.

Verum quidem eſt, Baronium poſteà referendo Dialogum Gregorij Papæ ad Imperatorem Leonem Iſauricum, in margine aſſerere, *poſtea uſuveniſſe, ut in Eccleſiâ pingeretur Deus Pater & Spiritus ſanctus.* At cur Vedroſius fraudulenter prætermiſit valida pro imaginibus ſacris in prætacto Dialogo deducta argumenta? Cur ipſam Baronij Gloſſam ita mutilatam poſuit? Mox enim ſubjecit, imagines Dei Patris & Spiritûs ſancti pingi in Eccleſiâ, *non quòd ſub aſpectum cadant, ſed uti apparuiſſe in Divinis Scripturis leguntur, ſub formâ ſenioris, & ſub imagine columbæ, cùm ſit eadem ratio ſtyli nimirum, & penicilli.* En igitur Vedroſi, niſi malles fraudulenter ac perfidè agere, poſſes ex ipſiſmet tuis allegationibus convinci. An enim idololatria fuit, quòd Deus Pater ſe ipſum *Dan. 7.* exhiberet in formâ Antiqui dierum, & Spiritus ſanctus *Luca 3.* in formâ Columbæ? At eadem eſt ratio ſtyli & penicilli. Quarè *formaliter & quoad rem* 67. 68.

ipſam longè antiquior ab ipſomet Deo approbatus eſt ſtylus formandi Divi-
nas perſonas ſub figuris corporalibus, licèt *materialiter quoad penicillarem artis
pictoriæ expreſſionem* poſterioribus temporibus uſuvenerit.

69. Ad *decimam* Reſp. Sic argumentando. Nam 1. Quod eſt vera pietas,
non eſt magicus error. At Divus Auguſtinus *de Civit. Dei. cap.* 22. ait: Verâ
pietate homines Dei aëream poteſtatem, inimicam, contrariamquè pietati,
exorcizando eijcere. Ergo expulſio dæmonis per exorciſmos non tantùm
ab Apoſtolis, ſed in poſterioribus, Deo ſacris hominibus non fit per Magiam,
ſed per veram pietatem, ut adeò Eccleſia Reformatorum carens iſtâ poteſta-
te & virtute exorcizandi, conſequenter ſecundùm Divum Auguſtinum de-
ſtituta ſit poteſtate eijciendi aëream poteſtatem pietati contrariam & ini-
70. micam. 2. Gratia gratis data, quæ ætate Apoſtolis poſteriori adhuc du-
ravit, non erat perſonalis, ad Apoſtolorum nempe perſonas reſtricta, ſed ad
inſtar gratiarum à Paulo *1. Corinth.* 12. *v.* 8. *& ſeqq.* enumeratarum, erat realis,
pro ſtatu Eccleſiæ à Chriſto inſtitutæ conceſſa. Atqui Chriſtus *Lucæ* 10. *v.* 19.
ita conceſſit Apoſtolis poteſtatem in ſpiritus immundos, ut Vedroſius, ne-
mine prorsùs negante, fateatur, eam non eſſe extinctam cum perſonis Apo-
ſtolorum, ſed ætate Eccleſiam Apoſtolicam proximè ſubſequente adhuc du-
ráſſe. Ergo iſta poteſtas non erat perſonalis ad Apoſtolorum perſonas reſtri-
cta, eratquè adeò realis pro Eccleſiæ à Chriſto inſtitutæ, nequè ſolùm per
Apoſtolos, ſed ipſorum quoquè ſucceſſores propagandæ ſtatu. At hic ſta-
tus eſt perpetuus: Gratia verò à Deo pro perpetuo ſeu durabili Eccleſiæ
ſtatu conceſſa, æquè eſt durabilis. Ex illo ipſo igitur per Vedroſium poſito
principio fit conſequens, illam exorcizandi, dæmoneſquè expellendi pote-
ſtatem duraturam cum pepetuo Eccleſiæ ſtatu, uſque ad conſummationem
71. ſæculi. 3. Modus exorcizandi non eſt modus ſe accommodandi ad ver-
ba & dicta dæmonis, ſed hunc compellendi. Unde Divus Auguſtinus *cita-
tus* aſſerit, in Eccleſiâ hominibus Dei eſſe poteſtatem eijciendi dæmones ex-
orcizando, non placando, nec adeò ſe ad nutum dæmonis accommodan-
do. Quamvis proinde cauſa ingreſſûs, vel etiam ſignum egreſſionis exorci-
zando à dæmone exigatur, hoc tamen cùm non fiat eâ ſam liaritate, quâ
Lutherus *ſuprà Diſſert.* 3. *ſec.* 5. *c.* 2. *n.* 23. adductus ſe dixit uſum fuiſſe, non unum
tantùm ſalis modium comedendo cum diabolo, ſed fiat authoritate &
virtute Divinitùs conceſſâ, idcircò ſpiritus alioqui fallax & mendax ad ve-
ritatem ſibi inimicam, ſuiquè expulſioni conducibilem, invitus licèt ac re-
luctans exorciſmis compellitur.

72. Ad *undecimam* Reſp. Impoſturam & calumniam Heideggeri eſſe, quòd
Papiſticis Exorciſtis ſit neceſſitudo & colluſio cum dæmone, non enim fa-
mili-

Digitized by Google

miliariter, eum *placando*, ſed authoritativè *Exorcizando* agere cum ipſo aſſerit Sanctus Auguſtinus *præcitatus*. Sed cur gloriaris Heideggere, quòd in tuæ Reformationis Eccleſijs non ſit tanta frequentia obſeſſorum, ac in Eccleſijs Papiſticis? An neſcis, Sanctum Auguſtinum *Serm. 83. de Tempore pro feriâ 2. poſt 3. Quadrag. Dominicam* ſcribere ſequentia: *Hoc tamen ſcitote fratres, quia diabolus non perſequitur niſi bonos. Malos enim, luxurioſos, cupidos & ſuperbos perſequi diabolus non conſuevit. Amici enim ſunt ſui, & ſemper voluntates illius faciunt.* Sed quid Heideggere Religioni Romanæ Eccleſiæ commune eſt cum privatis quorundam de ſuperſtitione ſuſpectis formulis, cæremonijs & opinionibus? Nunquid ipſarum quoquè hæreſum, quantò magis ſuperſtitionum privatarum zizania cum veræ Religionis & Catholicæ doctrinæ tritico ſinuntur creſcere uſque in diem meſſis? Nunquid verò triticum in die meſſis ex illâ zizaniorum commixtione impurius reperitur? En igitur tuam argutiam non magis coinquinare veram Eccleſiæ Romanæ Religionem, quàm triticum deterioretur ex zizanijs. Verùm iſta particulatim diſcutientur *inferiùs*, una cum cæteris ex Delrio deſumptis argutijs. 73

Ad *duodecimam* Reſp. Negari non poſſe, quin dæmon utatur quandoque inſectis, alijſquè infeſtis animalibus ad nocendum hominibus. At in Eccleſiâ eſſe virtutem exorcizandi, ad dæmonis vim frangendam, patet ex Sancto Auguſtino *ſuperiùs citato*. Quam porrò exorcizandi poteſtatem antiquioribus Sancto Auguſtino temporibus fuiſſe in uſu, conſtat ex Beati Ignatij *Epiſtolâ ad Antioch. Epiſt.* Cornelij Papæ *ad Fabianum apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 35.* Firmiliani *ad Cyprianum lib. 4. epiſt. 7.* Clemente Romano *epiſt. ad Iacobum.* Anacleto *Epiſt. 3.* Cajo *Epiſt. ad Felicem Epiſcopum.* Concilio Romano ſub Sylveſt. *can. 3.* Antiochenâ Synodo *can. 10.* Concilio Carthaginenſi 4. *can. 4. ac ſeq.* Cùm igitur vis dæmonis per exorciſmos in Eccleſiâ ſemper uſurpatos frangatur, cur non liceat eis uti, non quidem *directè* contrà inſecta, aliaque infeſta animalia, ſed contrà dæmonem ijs utentem, ad damna hominibus inferenda. In cujuſmodi tamen exorcizatione duo eſſe præcavenda, rectè monet Delrius *lib. 6. Diſq. Magic. in fine Monit. 10. & 11.* nempè præſumptionem quorundam abſquè legitimâ poteſtate ſe intrudentium, non abſque ſuſpicione occulti cum dæmone pacti, nec non ſuperſtitioſis aliquorum formulis ab Eccleſiâ non præſcriptis, actibus v. g. judiciarijs utentium. Qui proinde abuſus ſi præſcindatur, ex *ſuperiùs* adductis conſtat, exorciſmos à nemine poſſe rejici, niſi qui antiquis Patribus, & Concilijs in ipſo Dei Verbo (uti patet ex dictis *n. 69. præced.*) fundatis reluctari præſumat. Unde facilè concluditur, quâ cenſurâ dignum ſe fecerit Vedroſius, dum exorciſmos, præciſis etiam abuſibus, legitimè factos æquiparat muliercularum 74 75

larum

larum adjurationibus. Conſtat etiam, Vedroſium de falſitate convictum eſſe, dum ex Faſciculo temporum libro apocrypho, per meram tamen conjecturam ac præſumptionem ſanè temerariam nititur probare, exorcizandi uſum obrepſiſſe decimo primùm ſæculo.

76. Ad *decimamtertiam* Reſp. Vedroſium ex præaddućto Faſciculo temporum non niſi fabulam decantare. Nam in Eccleſiâ Lateranenſi adhuc extat ſepulchrum Sylveſtri II. cum Epitaphio per Sergium IV. omnium præſertim vetuſtiorum ſcriptorum conſenſu virum ſanctum, nec niſi annis quinque poſteriorem poſito, in quo Sylveſter laudatur tanquàm optimus Pontifex. Cæterùm illi de Magiâ Sylveſtri fabulæ occaſionem dedit, quòd fuerit peritiſſimus Geometriæ, ita ut de hac etiam libros ſcripſerit. At ſæculo illo nono, quo vix unquàm indoctius fuit, vulgò creditus eſt magus; qui Philoſophiæ, aut Mathematicæ peritiorem ſe oſtendebat. Videri poteſt

77. Onuphrius *in Annotat. ad Platinam.* Sed audiamus Heideggerum, qui Gregorium VII. Benedictum IX. Ioannem XIII. Sergium IV. Magiæ inſimulat. Verùm Gregorium VII. ab illâ impoſturâ per malevolos ex occaſione ſeverioris, juſti tamen adversùs Heinricum Imperatorem proceſsûs, excogitatâ abſolvunt Leo Hoſtienſis *lib. 3. hiſt. Caſſin. circa Annum 180.* Marianus Scotus *lib. 3. Chronici ab Anno 175. uſque ad Annum 183.* Lambertus Schaffnaburgenſis *in hiſt. Germ. propè finem.* Sanctus Anſelmus Cantuarienſis *in Epiſt. 8. & initio libri de Azymâ.* Sanctus Anſelmus Lucenſis *in Epiſt. ad Guibertum apud Abbatem Urſpergenſem.* Stephanus Halberſtattenſis *in Epiſt. ad Walramum apud Dodechinum in addit. ad Marian. Scotum.* Bernardus Corbeienſis *in Apolog. pro Gregorio apud Trithemium in Catal. Scriptorum.* Suitmundus *lib. 1. & 3. de Sacram. Eucbariſt.* Paulus Bernrietenſis, & Gerochus Reichenſpergenſis *apud Ioan. Aventinum lib 5. Annalium Bojorum.* Quibus Gregorium adhuc viventem defendentibus, ſi addere lubeat alios, in promptu ſunt Trithemius *in Chron.* Otto Friſingenſis *lib. 6. hiſt. cap. 32. 34. & 36.* Krantius *in Metrop. lib. 5. cap.* 20. Nauclerus *in Chron generat. 37.* Abbas Urſpergenſis, dum meminit Anſelmi Gregorium defendentis. Dodechinus Abbas *Anno 185. & 190.* En igitur Heideggere, quot teſtibus omni exceptione majoribus ſis con-

78. victus. Deinde falsò calumniaris, dum Benedictum IX. aſſeris diaboli operâ in Cathedram Petri ſucceſſiſſe, niſi ſub diabolicâ ope non tam Magiam, quàm ſimoniam & avaritiam intelligas, uti patet ex Scabro illius temporis ſcriptore totum rei ſucceſſum vidente, ac ingemiſcente apud Baronium *An. 1033.* Sed nunquid ex hoc juſtè convitiaris Apoſtolicam Eccleſiæ Romanæ Cathedram? Sanè vel in hoc te alienum probas à pietate, quam commendavit Sanctus Auguſtinus *lib. 2. contrà Epiſt. Petiliani cap. 51.* ubi exemplo

Chri-

Chriſti probat, Cathedram Eccleſiæ Romanæ, utpotè Apoſtolicam non
ſine blaſphemiâ impeti calumnijs propter homines pravos ipſam quando- 79.
què obtinentes. Porrò Ioannem XIII. hactenùs nemo accuſavit de Ma-
giâ. Quinimò vitæ integritate eximium fuiſſe hunc Papam, præter alia mo-
numenta probat ejus epitaphium in Baſilicâ ſancti Petri expreſſum. Unde
totum ex ineptiâ æquè ac malitiâ hæreticorum objectum crimen eſt, in quo
Centuriatores Magdeburgenſes *Cent. 10. cap. col. 294.* ipſum arguunt, quòd
contrà Chriſti inſtitutionem cœperit baptizare campanas. At inepta eſt
iſta criminatio; non enim campanæ re verâ baptizantur, ſed ſolùm bene-
dicuntur ac dedicantur Divino cultui, cujuſmodi benedictionum in Eccle-
ſiâ frequentatarum uſum omninò licitum eſſe, *infrà diſſert. 5. ſect. 3. cap. 3.* de-
monſtrabitur. De Sergio IV. jam *ſuprà* dixi, quòd omnium ſcriptorum 80.
conſenſu habitus fuerit pro viro ſancto. Unde Heideggerum provoco,
ut impoſturam huic Pontifici à ſe imputatam vel probet, vel calamum à ca-
lumnijs deinceps contineat.

Ad *decimamquartam* Reſp. 1. Delrium *lib. 2. Diſq. Magic. q. 30. ſect. 2.* me- 81.
miniſſe quidem Ioannis Teutonici. At figmentum Heideggeri eſſe, quòd
cit. q. 30. meminerit Dominicanorum Bernæ combuſtorum, imò & Palum-
bæ Presbyteri, aliorumquè de ſacro Ordine magorum. Quia tamen Hei-
deggerus pro ſe Delrium, licèt falsè, jactavit, oportet, ut æquo jam animo
audiat eundem in proloquio ita diſſerentem: *Nihil per Angliam, Scotiam,*
Franciam, Belgium hanc, Magiæ ſcilicet, peſtem, celeriùs & uberiùs propagavit, quàm
Calviniſmi lues &c. Quinimò Danæus Calvinianus Miniſter narrat Strigum
Conventum Genevæ ordinarium eſſe propè ſummam ædem, &c. Vide
Creſpetum *de Odio ſath. lib. 1. diſc. 19.*

2. Verum quidem eſt, Remigium Lotharingum *lib. 3. cap. 3.* illos, qui 82.
inter Catholicos utuntur amuletis neque medicorum arte, neque Eccleſiæ
approbatione commendatis, pari cum Gentilibus ac Judæis ſuperſtitionis
notâ afficere. At ejuſmodi amuletorum genus in Romanâ Eccleſiâ ſub gra-
vibus pœnis ac cenſuris prohiberi, conſtat *ex can. 1. 4. & ultimo 24. q. 5.* Falsò
igitur Heideggerus imputat Romanæ Eccleſiæ, quòd in hac ſeveriſſimè
prohiberi conſtat. Quoad amuleta verò benedictionibus Eccleſiæ conſe-
crata, conſtat ex Patribus & Concilijs *præced. ſect. 2. cap. 4. n. 33.* nihil in eis
ſuperſtitionis committi. 3. Heideggerus denuò deprehenditur ex- 83.
trà veritatis ſemitam deambulans in allegando Cornelio à Lapide. Hic
enim *loco peripſum citato* nullam facit mentionem Hieronis Monachi, alio-
rumquè Mirionum & Thaumaturgorum, revelationes à diabolo expeten-
tium. Verum quidem eſt, Cornelium *ibidem* recenſere plures Anachoretas

ac

ac Eremitas, quibus dæmon in Angelum lucis transformatus apparuerit, ab iiſdem tamen ſigno Crucis fugatus fuerit. Meminit tandem etiam Valentis Monachi à dæmone, qui Angelum lucis, tandem Chriſti figuram præſeferebat, decepti, à Patribus tamen Monachis in vincula & compedes ferreos idcircò dejecti. Vides igitur Heideggere, quàm Eccleſia Romana horreat ejuſmodi fucatas apparitiones, cùm econtra neque Zwinglius horruerit illum Monitorem, quem neſciebat, albuſnè, vel ater fuerit, neque Lutherus abſtinuerit à familiaritate dæmonis ſibi adeò noti, ut plus uno ſalis modio cum ipſo comederit. Hinc tandem 4. Spiritus Heideggeri ita
84. jam innotuit, ut opus non ſit immorari ijs, quæ deinceps tum ex libris apocryphis, tum ex hiſtoriis ad falſum ſenſum traductis, & authoribus abſque ullo ſynceritatis candore expoſitis, ſed atro Monitoris Zwingliani carbone tinctis adducit.

Ad *decimamquintam* Reſp. 1. Exorciſmos in adminiſtratione Sacra-
85. menti Baptiſmatis adhiberi ſolitos, fuiſſe ab Eccleſiâ antiquâ & Orthodoxâ probatos & uſurpatos, uti præter alios Patres teſtatur Sanctus Auguſtinus *lib. 1. c. 34. de Peccat. merit. & remiſſ. lib. 2. c. 40. de Grat. Chriſti contra Pelag. & Caleſtin. lib. 1. c. 20. de nuptijs & concupiſ. cap. 31. de Eccleſ. dogmat. lib. 6. cap. 2. cont. Julianum.* Ex quibus Georgius ſuæ *Facis Rat. 3. n. 62.* infert, hodiernos Pſeudoreformatores reijciendo illos exorciſmos, imitari hæreticos jam olim proſcriptos. Quid ergo Vedroſi ex hac tuâ argutiâ obtinuiſti, niſi quòd te aſperſeris notâ hæreleos jam antiquatæ? Reſp. 2. Ex ipſiſmet ſacris Lit-
86. teris juxta genuinam & veram Patrum & Conciliorum *ſupra n. 53.* adductorum ſenſum evinci Tranſubſtantiationem Eucharisticam. At vi hujus eatenùs fit totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti tranſmutatio, ut ſub ſpeciebus panis & vini verè realiter ſit præſens Chriſtus; uti ex veritate verborum inſtitutionis Euchariſtiæ efficaciter probant Patres *ſuprà à n. 53.* allegati, & *infrà diſſert. 7. ſect. 2. cap. 3. n. 16.* adducendi. Eo ipſo autem, quòd Chriſtus ſit Filius Dei, verum eſt, ſummi Patris Filium, conſecratoriâ Sacerdotis præfatione ita ſevocari à ſolio cœleſti, ut quoad Divinitatem omninò immutatus, maneat ubique præſens, quoad Humanitatem verò *circumſcriptivè* in cœlo, *ſacramentaliter* autem, ſed *realiter* quoad ſubſtantiam & quantitatem, non quoad extenſionem localem ſit præſens ſpeciebus panis. Ex quâ proinde præſentiâ dicuntur ſpecies panis & vini eatenus Deificari, ut omninò expellatur, ſeu potiùs deſtruatur ſubſtantia panis & vini, uti hæc omnia ex genuino ſacræ Scripturæ ſenſu, junctâ legitimâ Patrum expoſitione inferiùs, *diſſert. 4. ſect. 1.*
87. *cap. 3. & 4.* fusè deducendâ probantur. Quid ergo Vedroſi habes in hac Veritate

ritate Patribus antiquis ſemper probatâ, quod cavilleris? An quia verbum Sacramenti non tam videtur accedere ad elementum, quàm iſtud expellere? Sed noſſe debes, illam Auguſtini ſententiam eſſe prolatam de Sacramento Baptiſmatis unicè conſtantis Elemento propriè dicto: trahi tamen ad cætera Sacramenta in ſenſu cujuſquè Sacramenti naturæ proportionato, poſſeque adeò bene intelligi: Verbum conſecratorium prolatum ſuper pane & vino, ita accedere ad iſta latè dicta elementa, ut eo ipſo fiat Sacramentum, quòd vi iſtorum verborum fiat conſecratio panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti tranſmutativa. Sic proinde meris calumnijs & 88.
blaſphemijs impetijſti diadema Pontificium, ac in te ipſum, utpote à vero Patribus antiquis approbato ſacræ Scripturæ ſenſu alienum retorquetur fœda illa à Chriſti & Apoſtolorum ſide defectio & Apoſtaſia. 89.

Ad *decimamſextam* Reſp. 1. Retorquendo argumentum. Quid Vedroſi? An omnes Pontifices Romanos vocitas homines peccati? At in hoc tibi contradicunt tuimet Reformati Doctores Calvinus, Bullingerus, Polanus, Scharpius, Scultetus, Breitingerus à Georgio *ſuæ Facis Rat. 2. à n. 7.* citati. An ergo aliquos tantùm vocitare intendis homines peccati? At tua tunc demonſtratio non procedit de Pontifice Romano ut ſic, ſed de certis perſonis Cathedram Romanam obtinentibus. Sed quomodò tunc de hiſcè ſtabit tua argumentatio, nè ex puris particularibus concludat? Nonnè oportebat, ut majorem faceres univerſalem? Tunc verò ita procederet Syllogiſmus: *Omnis homo peccati eſt Antichriſtus.* Atqui Lutherus *in Epiſt. ad Iacobum* 90.
Presbyterum Eccleſiæ Bremenſis Doctorem ita ſcripſit: *Mihi ſatis eſt omnium infæliciſſima mea iſta beatitudo: Beatus vir, qui non abijt in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Zvvinglianorum, nec ſedit in Cathedrâ Tigurinorum.* Annè igitur Zwingliani Cathedræ Tigurinorum inſidentes ſecundùm Lutherum ſint Antichriſti? Reſp. 2. *Directè.* Nam Antichriſtus dicitur homo peccati per An- 91.
tonomaſiam, qui & ipſe ex vitijs totus quantus conſtatus ſit, & homines ſtudioſè ac ex intentione inducat ad peccata non quævis, ſed *directè* contra Deum pugnantia. At quantumvis acciderit aliquando, ut Cathedræ Romanæ præeſſent Pontifices in ſuis Perſonis proprijs ſcelerati, de hac tamen Cathedrâ Sanctus Auguſtinus *lib. 2. contrà Epiſt. Petiliani cap. 51.* ſcripſit: *Si Pontifices tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ Petrus ſedit? Si propter homines? &c. Nunquid Dominus Ieſus propter Phariſæos Cathedræ, in quâ ſedebant Phariſæi, ullam fecit injuriam?* Ait enim: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* En igitur Romano Pontifici etiam ſcelerato ſecundùm Sanctum Auguſtinum propter honorem Cathedræ Apoſtolicæ deferendum eſſe, ut, quæ dicit, facere oporteat, licèt facienda non ſint,

quæ ipſe fecerit. At homo peccati per Antonomaſiam, qui eſt Antichriſtus, non eſt ille, cui propter honorem Cathedræ ſit deferendus honor, ita ut, quæ dicit; oporteat facere. Ergo Romanus Pontifex quantumvis ſceleratus, ſecundùm Divum Auguſtinum non eſt Antichriſtus. Reſp. 3 Ea

92. porrò, quæ ex Mantuano, Sannazario Poetâ & alijs referuntur, non niſi poeticam merentur fidem: quam malignandi ſuo ſpiritu, deteriorem facit Vedroſius. Ut ut tamen circà lupanaria res ſe habeat conſtat, Pontifices Romanos ea *poſiture* nunquàm approbâſſe, ſed permiſiſſe ex fine præcavendi majora mala: hinc enim in deteſtationem iſtius ſceleris meretrices omnibus Sacramentis deſtitutas privant Eccleſiaſticâ ſepulturâ, & publicâ infamiâ notatas poſt mortem in abjectum locum projci curant. Atqui ex ipſo lumine naturæ notum eſt, licere permittere minus malum ex fine gravioris mali evitandi. Nihil ergo de illâ turpitudine redundat in Romanos Pontifices.

93. Ad *decimamſeptimam* Reſp. Vedroſium in Minore ſupponere multa calumniosè dicta, ſed nihil probare. Ait enim, Papam non tantùm eſſe devotum ſuo exitio, ſed perniciosâ ſuâ doctrinâ infinita hominum millia trahere ſecum in perditionem. Ubi huius probàtio? Sanè contrarium efficaciter probatum, conſtat ex præcedentibus. Rem tamen hìc nonnihil contemplemur. Ideo enim Papiſtica doctrina proclamatur pernicioſa à Pſeu-

94. doreformatoribus, quòd prætenſæ eorum Reformationi adverſatur. Atqui Simon Magus veterum Gnoſticorum teſte Epiphanio *hæreſ. 21.* Patriarcha inſignis, æquè prætendebat Eccleſiæ Reformationem. Ex S. Irenæo *lib. 3. cap. 20.* De ejuſmodi adeò prætensâ ſuâ Reformatione convenio Vedroſium, eum rogando, an eam credat, eſſe factam in ſubſtantialibus fidei dogmatibus, vel tantùm in accidentalibus? Si prius aſſerat, oportet ſanè, Eccleſiam ante illam Reformationem fuiſſe deſtructam, cùm nihil ſine ſuâ eſſentiâ ſubſiſtere poſſit. Unde erit conſequens, evacuatàm eſſe promiſſionem Chriſti *Matth.* 20. aſſerentis: *Ecce ego vobiſcum* (cum fidelibus ſcilicet in

95. unitatem Eccleſiæ aggregatis) *ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Quòd ſi proinde Vedroſius dicat, non in eſſentialibus, ſed in accidentalibus duntaxat fuiſſe Eccleſiam à ſuo Miniſterio Reformatam, ſequitur, ante hanc Reformationem viguiſſe vera fidei dogmata in Eccleſiâ. At iſta dogmata in pleriſquè pugnant cum hodierna Reformatione. Oportet igitur, hanc defeciſſe à veræ Eccleſiæ dogmatibus etiam eſſentialibus, adeòque carere Ec-

96. cleſiæ eſſentiâ, eritquè proinde ſimilis Reformationi per Simonem Magum jactatæ. Sed articulatim videamus iſtam conformitatem. Nam 1. Simon Magus apud Sanctum Irenæum *lib. 1. cap. 20.* contendebat, ad ſalutem non pro-

prodeſſe bona opera: item expugnabat liberum hominis arbitrium, ex *Clem. 2. Recognit.* At in aperto eſt, hiſce duobus erroribus quaſi columnis inniti univerſam ſanè carnalem Reformationis unitatem. 2. Simon Magus apud Epiphanium *hæreſ. 21.* & Auguſtinum *hæreſ. 1.* impugnabat Sacerdotum cælibatum. At totis viribus in hoc intendunt Pſeudoreformatores. 3. Simon Magus apud Irenæum *cit. cap. 20.* negabat à Chriſto communicatam Eccleſiæ poteſtatem faciendi miracula, eaque Magiæ diabolicæ accepta referebat. At hoc ipſum prætendit illa Reformatio. 4. Simon Magus apud Epiphanium *hær.* 21. ſuis erroribus prætexebat Spiritum ſanctum ſibi aſſiſtentem. At Reformati moderni ita jactitant Spiritûs ſancti aſſiſtentiam, ut hanc in proprio judicio, ceu unicâ expoſitionis ſacrarum Litterarum regula conſtituant. 5. Simon Magus apud Auguſtinum *hær. 1.* negabat reſurrectionem mortuorum. At quid de hac ſenſerit Calvinus, audi ex Epiſt. Gulielmi Farelli *inter Calvinianos 78. ad Calvinum* ita ſcribentis: *Quòd vero vobis incredibilis videtur, hujus carnis reſurrectio, non mirum &c.* 6. Simon Magus apud Epiphanium *hæreſ. 20.* ſpoliabat Deum dignitate Legislatoris. At Reformatio hodierna tollit legis Divinæ authoritatem. Audiamus de hac re Calvinum *lib. 3. Inſtit. cap. 19. §. 2.* ita diſſerentem: *Chriſtiana libertas in tribus, ut ego quidem ſentio, partibus ſita eſt. Primò ut fidelium conſcientiæ, dum fiducia ſuæ coram Deo juſtificationis quærenda eſt, ſe ſe ſuprà legem erigant, atque efferant, &c.* Iam 97.
jam igitur convenio te Vedroſi An Reformationis tuæ cum prætensâ Simonis Magi Reformatione conformitas non magis ſapiat imperium magicum, quàm Pontificatus Romanus? An illa libertas ſuprà legem Dei ſe erigens ac efferens non magis ſapiat & faciat filios perditionis, quàm ſpiritus humilitatis in Eccleſiâ Romanâ ſe legi Divinæ ſubjectum profitens? An Reformatio tua doctrinam Pontificiam evertens, Simonis tamen Magi ſpiritui ſe conformans, non inducat doctrinam, ex quâ Reformatores & ſe & ſectatores ſuos trahant in perditionem? Sed ait Vedroſius, Papam ex hoc 98.
probari filium perditionis, quòd cruentis, quibus per aliquot ſæcula orbem Chriſtianum involverit, turbis innumeras abſorpſerit hominum myriades. At in aperto eſt, turbas ejuſmodi commotas eſſe à tempore prætenſæ Reformationis. Quam porrò harum non fuiſſe duntaxat occaſionem, ſed cauſam poſitivâ ex hiſtorijs hujus, ac præteriti ſæculi in aperto eſt, faneturque Calvinus *ſuprà differt. 2. ſect. 2. cap. 3. n. 47.* adductus. Videritigitur Vedroſius, an non filius perditionis in ſuâ Reformatione locum inveniat.

Ad *decimamoctavam* Reſp. Sic argumentando. Non ille opponit ſe Chri- 99.
ſto, qui Chriſti Vicarium ſe profitetur ex poteſtate Paſtoralis Officij per ipſummet Chriſtum erga ſuas oves inſtituti, ſed qui hanc poteſtatem Divini-

tûs inſtitutam perſequitur. Atqui Papæ Romani poteſtatem eſſe ex Paſtoralis, erga univerſas Chriſti Oves Officio per ipſummet Chriſtum inſtitutum ex ſacris Litteris, Patribus, atque Concilijs Oecumenicis ſuprà *diſſert. præſ. ſect. 1. cap. 2. & 3.* demonſtratū eſt. Non igitur Papa, ſed Pſeudoreformatores illam vicariam Chriſti poteſtatem perſequentes ſe opponunt Chriſto.

100. Sed Vedroſius excipit 1. Papam ſe opponere Chriſto in vitâ, cùm mores ejus & Chriſti diſcrepent. At imprimis pleroſquè Papas fuiſſe viros ſanctos, veros adeò Chriſti imitatores, probant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, fatenturque de pluribus Reformati Doctores à Georgio *cit. Rat. 2.* allegati. Quòd ſi aliqui moribus non reſponderint vitæ Chriſti, cujus in terrâ vices gerebant Sanctus Auguſtinus contrà *Epiſt. Petili. lib. 2. cap. 51.* ait, ex hac morum diſſonantiâ nullatenùs labefactari Cathedram Apoſtolicam. Verùm quid putas Vedroſi, poſſe Chriſti Humilitatis ac Obedientiæ eſſe imitatorem, qui ex doctrinâ Calvini *ſuprà n. 45.* expreſsâ ſuprà Dei legem ſe erigunt ac efferunt? Vide igitur, nè tua Reformatio in moribus ſe opponat vitæ Chriſti.

101. Excipit Vedroſius 2. Papam ſe opponere Chriſto in regimine, cùm Chriſti regimen fuerit ſpirituale, Papæ verò terrenum. At quæro ex te, an putes, regimen Eccleſiæ ſpirituale compati ſecum regnum temporale, vel non? Si affirmes, ex regno Papæ temporaneo malè infers, Papæ non eſſe aliud, idquè ſpirituale Eccleſiæ regimen, fundatum ſuper poteſtate ab ipſomet Chriſto in ejus oves acceptâ. Si neges, tunc contradicis ſacræ Scripturæ: conſtat enim ex *Exodi 18. 32. & 40. Levit. 8. 2. Paralip. 28. 1. Reg. 1. & 4.* in Moyſe, ac poſtea in Heli ſimul ſtetiſſe regimen Politicum & Sacerdoticum, atque poteſtatem ſpiritualem. En igitur Vedroſi quam frivola ſit tua exceptio, quâ vel unicè probes te regiminis à Chriſto in Eccleſiâ ſuâ inſtituti contradictorem, atque adeò inſignitum illo Antichriſtiano charactere.

102. Excipit 3. Papam opponere ſe Chriſto in Religione, eò quòd in Chriſti dogmate ita variet, ut ſacras Litteras hujus inſtrumentum omni conatu ſuppreſſum cupiat, & litis materiem appellitet. At mentiris Vedroſi, ſacras enim Litteras non ſupprimit Papa, ſed ſpiritui cujuſque privato ita negat ſubjectum eſſe ſacræ Scripturæ ſenſum, ut hunc ex aliis eruendum doceat mediante regulâ per ipſummet Chriſtum inſtitutâ, nec ipſam adeò in ſe, ſed quà ſpiritui cujuſquè privato à Pſeudoreformatoribus ſuppoſitam, appellitet litis materiam. Unde non Papa, ſed Reformationis tuæ Doctores ſacram Scripturam ſuo ſenſui & arbitrio ſubjicientes, in Religione diſcrepant à Chriſto ac vero ſacrarum Litterarum ſenſu, uti patet ex præcedentibus.

Ad *decimamnonam* Reſp. 1. Eum qui permittit, vel procurat in ſe re-
cognoſci poteſtatem Divinitùs traditam, cum relatione ad Deum ſeu
Chriſtum, cujus vices in terris gerit, minimè efferre ſe ſuprà omne id, quod
dicitur Deus. At ex ſacris Litteris, Sanctis Patribus, & Concilijs ſuprà de-
monſtratum eſt, Poteſtatem Pontificiam eſſe illam ipſam, quam Chriſtus
Dominus Petro cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum, ejuſque adeò
ſucceſſori indefinitè ad ligandum & ſolvendum unà cum clavibus regni
cælorum promiſit, *Matth. 16. & poſtea Ioan. 21.* contulit ſub ratione Paſtoralis
illimitatæ in ſuas oves & agnos Officij curâ. Eo ipſo autem, quòd iſtud Pa-
ſtorale Officium complectatur indefinitè omnes Chriſti oves, oportet, Re-
ges quoquè ipſi ſubeſſe, niſi Vedroſius iſtos expungere velit è cenſu Chriſti
ovium. Conſtat proinde, Pontificem Romanum ex ipſo jure Divino Chri-
ſti vendicare ſibi in omnes Reges fideles ſupremam Paſtoralis Officij pote-
ſtatem, ut adeò hanc meritò faciat in ſe recognoſci cum relatione tamen ad
Chriſtum, ſiquidem non quà Dominum *Abſolutè*, ſed quà Vicarium Chriſti
in terris ſibi curet deferri honorem & obedientiam conformiter verbis
Chriſti *Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit &c.* Et verbis Apoſtoli *Rom. 13. v. 2. Qui
poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Calumnioſa igitur blaſphemia eſt Vedro-
ſij, audacter ac mendaciter aſſerentis, Romanum Pontificem inſtar Anti-
chriſti ſe efferre ſuprà omne id, quod eſt Deus, & tanquàm filium perditio-
nis inſtar Iudæ prodere Filium hominis, dum ſupremam in Reges fideles
poteſtatem vice Chriſti ſibi vendicat.

2. Gravis Vedroſij calumnia eſt, dum in Pontifice preces ad San- 103
ctos Angelos, ut Romam Jubilæi causâ petentes, ſuâ aſſiſtentiâ tutela-
ri protegant ad inſtar ſenioris Tobiæ *cap. 5. v. 21.* fundente, arguit,
quaſi imperium ergà Angelos ſibi arroget. 3. Cuivis æquitatem aman-
ti committitur, ut judicet, an is potiùs ſacram Scripturam ex ſuâ au-
thoritate ſeu judicio ſuſpendat, qui contendit, ſenſum ipſius ex proprio
ſpiritus ſui, ſeu conſcientiæ privatæ arbitrio pendere, vel ille, qui ex Pa-
ſtoralis Officij curâ Divinitùs conceſsâ, ceu petrâ fidei, ſacras Scripturas
non jam ex privato ſuo ſpiritu, ſed ex Verbo Dei intrà fidelium mentes
ſub vivâ fide propagato in Concilijs præſertim œcumenicis ita inter- 104
pretatur, ut ſuam tamen authoritatem ſuprà Paſtoralis Officij curâ, ceu fidei
petrâ Divinitùs inſtitutâ fundatam non adæquet authoritati Divinæ, ſed
eam ſtatuat duntaxat, ceu prudentialem credibilitatis Divinæ ex ſacris Litte-
ris erutam regulam. At hoc poſterius facit Papa Romanus, & quidem
ex Officio ſuo Divinitùs inſtituto, prius autem ex ſuo proprio ſen-
ſu arrogant ſibi Reformati. Quiſquis ergo æquitatis amans eſt, judicet,

an Pa-

105. an Papa Romanus, vel potiùs Reformati Doctores authoritatem Verbi Divini ſuſpendant ex ſui privati judicij ac ſensûs authoritate. 4. Falſum eſt, quòd Pontifex in jure Divino *abſolutè* ſpectato diſpenſet, ſed diſpenſationes, quas facit in votis, cadunt ſuper obligatione radicatâ in ſpontaneâ voventis promiſſione. At eo ipſo, quòd iſta promiſſio ceu actus hominis ſubſit abſolutæ ac illimitatæ ad ligandum & ſolvendum Divinitùs conceſſæ Pontificiæ poteſtati, oportet, quoquè obligationem inde ortam non aliter tenere, niſi cùm ordine ad iſtam Pontificiam poteſtatem. Id autem, quod ex ipſamet Chriſti Domini inſtitutione ſubeſt Pontificiæ poteſtati, eatenus ſolvi poteſt, ut Chriſtus ipſemet promiſerit, fore ſolutum & in cœlis. Vides igitur Vedroſi, Papam in diſpenſationibus ejuſmodi non efferre ſe ſupra omne id, quod eſt Deus, ſed exercere poteſtatem ſibi ab ipſomet Chriſto conceſſam. Quare iſta elatio in tuam potiùs Reformationem retorquetur, utpote quæ ex nulla authoritate ſolvat quæcunquè etiam ſolemnia vota. 5. Quid porrò calumniaris Ve-
106. droſi, quaſi Pontifex Romanus mutet, truncet, & nova inſtituat Sacramenta? En Romana Eccleſia illibatè tenet ſeptenarium Sacramentorum Divinitùs (*uti ſeq. Diſſert. 5. ſect. 1.* probabitur) inſtitutum numerum. At tua Reformatio iſtum mutilavit, truncavit, & mutavit. En Romana Eccleſia retinet Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub realis Divinitùs (*uti Diſſert. 1. ſect. 1.* oſtendetur) inſtitutæ præſentiæ Chriſti confeſſione. At tua Reformatio novum finxit Cœnæ Domini Sacramentum, eliminatâ reali Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiâ. Ubi ergo eſt Sacramentorum in Eccleſiâ Romanâ vel mutatio, vel truncatio? An quia communionem non ſub utrâquè ſpecie Laicis permittit? At hoc citrà ullam Juris Divini læſionem fieri probatur tum ſuprà tum infrà *citat. diſſert 7.*
107. *ſect. 3.* 6. Concilium Florentinum *ſeſſ. ult.* Divus Thomas *2. 2. q. 1. a. 10.* ac cæteri Pontificij Doctores dicunt, Papam poſſe addere ſymbolo, vel novum fidei ſymbolum edere ex Verbo Divino per Papæ authoritatem Divinitùs conceſſam explicato. At hoc minimè Antichriſtianum eſt, ſed in Eccleſiâ primitivâ circà editionem Symboli Nicæni, & Symboli Athanaſiani ad reprimendas hæreſes frequentatum. Antichriſtianum igitur eſt, ſi fiat additio, vel editio, ſeu mutatio Symboli ex proprio capite, ſeu proprij ſensûs inſtinctu & arbitrio. A ex Confeſſione Belgicâ compertum eſt, Pſeudoreformatorum Synodum Dordracenam Anno 1578. judicaſſe ex Symbolo Apoſtolorum expungendum eſſe articulum Deſcensûs Chriſti ad inferos. Quem porrò articulum non eſſe de fide, tradidit Calvinus *Diſſert. 10. ſect. 21.* cit. In ſymbolo etiam Athanaſij habetur, non poſſe quemquam ſalvari,

vari, niſi Catholicam fidem ex integro crediderit. At Reformatores
hodierni contendunt, diſtinguendos eſſe articulos fidei Fundamentales &
non Fundamentales, atquè hos non eſſe neceſſarios ad ſalutem, ſed cu-
juſque arbitrio relinquendos: imò Eccleſiam viſibilem tradunt in ipſis fi-
dei fundamentis errare poſſe, & tamen omnes ex ſuâ Reformatione ſal-
vandos ſe jactant. Vides igitur Vedroſi, tuam Reformationem ex proprio
ſenſu ſibi arrogaſſe ad inſtar Antichriſti poteſtatem immutandi fidei arti-
culos, & ſymbola œcumenica. En igitur Vedroſi, illum Antichriſtia-
num ſpiritum in te retorqueri. 7. Circa id, an Papa erráre poſſit in fi- 108.
de: *ſuperius* dixi, diſtinguendum eſſe inter privatam Papæ perſonam, &
qua Papam ex Cathedrâ definientem. Etſi verò ex argumentis probabi-
libus dici poſſit, Papam etiam ut privatam perſonam ita ſemper præſer-
vari à Deo, ut nunquàm acciderit, ipſum erraſſe in fide, in hoc tamen
Pontificij nullam vim ponunt; ſed in eo, quòd errare non poſſit, ſi ad u-
niverſalem Eccleſiam loquatur ex Cathedrâ ut Pontifex. Cujus ex ſacris
Litteris, Patribus & Concilijs demonſtrationem & probationem vide ſu-
perius *n. 34. & 35.* 8. Denique Vedroſius cavillando ait, Stapletonium 109.
vocaſſe Papam Deum & Numen. At ipſemet Vedroſius in ſuâ præſenti
Argutiâ dicit, omnes Reges, & Magiſtratus ex *Pſalm. 82. & Ioan. 10.* vo-
cari Deos terræ. Quid ergo Vedroſi ſuccenſes Stapletonio, ſi Papæ Chri-
ſti Vicario ſupremam ſolvendi ac ligandi ex paſtorali in omnes Chriſti
oves Officio poteſtatem habenti, tribuat nomen Dei, non quidem *Abſolu-
tè*, ſed *Participativè*, & *Analogicè*? En igitur Vedroſi, tuas Argutias nihil ſpi-
rare, niſi calumnias & blaſphemias.

Ad *vigeſimam* Reſp. Cauſam expediendo ex SS. Auguſtino *lib. 20. de* 110.
Civit. cap. 19. Hieronymo *q. 11. ad Algaſiam.* Thedoreto, Ambroſio & Chry-
ſoſtomo *ad 2. Theſſal. 2. v. 4.* Æquum enim eſt, ut, quia Vedroſius ad hos
Eccleſiæ Doctores hìc provocavit; eorundem ſubeat judicium & ſenten-
tiam. 1 Igitur Patres allegati *ubi ſuprà* ſecundùm propriam & aliorum ſen-
tentiam ex dictâ Pauli Epiſtolâ *c. 2.* probant, Antichriſtum non venturum,
niſi circà conſummationem hujus ſæculi poſt excidium Romani Imperij.
At nunquid Vedroſi, tam protervus fores, niſi alij reſpectus ac rei evi-
dentia te continerent, ut ad intentionem tuam firmandam diceres, Roma-
num Imperium jam exciſum? Quomodò igitur adverſùs manifeſtam ve-
ritatem ab ipſomet Paulo & Patribus præallegatis firmatam, ſtante ad-
huc Imperio Romano, præſumis aſſerere, Antichriſtum jam dudum ve-
niſſe, eſſeque Papam Romanæ Eccleſiæ? 2. Sanctus Paulus Apoſtolus *cit.* 111.
cap. 4. dixit, jam veniſſe Myſterium iniquitatis. Nunquid autem Vedro-

ſi præ-

ſi præſumis aſſerere iſtud myſterium tempore Pauli fuiſſe Romanum Pontificem? Quinimò Reformati Doctores Bullingerus *Decad. 5. ſerm. 1. §. Poſterius.* & *Serm. 2. §. liberi.* Item *cap. 10. 1 par. reſp. adverſ. Brenz.* Polanus *ob. Theſ. 18. cap. ſymp. Pat.* Scharpius *Curſ. Theolog. tit. de Cap. Eccleſ. Milit. q. 5. reſp. 1. ad object. 1.* Sculterus Medullæ Patrum *c. 16. ſynt. Doct. Athanaſ.* Breitingerus *opuſc. de ſecl. pag. 27.* Peucerus *lib. 4. Chron. Car. de reb. Eccleſ. pag. 14.* Kekerm. *lib. 3. c. 14 Syſt. legat,* & tandem Calvinus ipſe *inſtit. lib. 1. cap. 11. ſect. 13.* fatentur, primis duobus, aut tribus, ſeu quinque, vel etiam ſex ſæculis viguiſſe in Romanâ Eccleſiâ ſynceram & puram Orthodoxam doctrinam, Romanoſquè Epiſcopos fuiſſe Orthodoxos & ſynceros in fide Apoſtolicâ. Oportet proinde, iſtis temporibus myſterium iniquitatis neque in Papâ, nequè in Romanâ Eccleſiâ viguiſſe, quòd tamen jam tunc obtinuiſſe teſtatur Apoſtolus, & Patres citati. Unde iſti ſub tali myſterio intelligunt hæreſes ac hæreticos, qui eatenus ſunt *imitativè* Antichriſti, ut verus ac genuinus Antichriſtus poſt exciſum Romanum Imperium venturus, in ipſis jam ſit præſens, non quidem præſentiâ reali corporis, ſed præſentiâ virtutis, cùm enim Antichriſti præſentia ſit futura ſecundum operationem ſathanæ, ideò hæreſes ad ſathanæ operationem ſpectantes, reducuntur ad myſterium iniquitatis in Antichriſto conſummandum, ut conſequenter hæretici jam ſint *imitativè ac præparativè* Antichriſti, *ex præcitatis Sanctis Patribus.* Quia igitur myſterium iniquitatis jam primis Eccleſiæ ſæculis dignoſcitur operatum in hæreticis, videamus Vedroſi, quænam primis quingentis ſæculis graſſatæ ſint hæreſes, ut vel hinc dignoſcere liceat, an in tuâ potiùs Reformatione, quàm in Romanâ Eccleſiâ

112. operetur myſterium iniquitatis. 3. Igitur conſtat, ex Sanctis Athanaſio *Epiſt. ad Epiſc. Cath. relatâ lib. 1. trip. hiſt. c. 13.* Hieronymo *in Matth. 26.* Iudam Iſcariotem primum hæreticum fuiſſe ex eo etiam capite, quòd Chriſti Domini miracula magicis artibus tribuerit. At Calvinus *in præfat. inſtit. ante med.* ea, quæ Chriſtus in ſponſâ ſuâ Eccleſiâ adhuc exhibet, ſathanæ illuſiones temerariè vocitat. Eodem primo Chriſti ſæculo Simon Magus apud Epiphanium *hæreſ. 21.* negabat reſurrectionem mortuorum. At iſtam incredibilem dictam fuiſſe à Calvino, patet ex *Epiſt.* Guillielmi Farelli inter *Calvinianos 78.* Eodem ſæculo Cerinthus apud *Epiph. hær. 28.* edocuit, poſſe hominem abſque Baptiſmo ſalutem conſequi. At hæc ipſa eſt doctrina hodiernæ Reformationis. 4. Circà ſecundum ſæculum vigebat

113. hæreſis Elxaitarum apud *Epiphan. hær. 19.* impugnantium Virginitatem. At quid ſimilius hodiernâ Reformatione? Eodem ſæculo vigebat hæreſis Carpocratis apud *Epiphan. hæreſ. 27.* legem Divinam repudiantis. At quid ſimi-

ſimilius Calvino *lib. 3. inſtit. cap. 19. §. 2.* ſic ſcribenti: ***Prima Chriſtianæ li-***
bertatis pars eſt, ut fidelium conſcientiæ &c. ſe ſe ſuprà legem erigant, atque efferant.
Eodem ſæculo Gnoſtici apud *Epiphan. hæreſ. 26.* nullum judicium futurum
aſſerebant. At Calvinus *Har. in Matth. 27. v. 26.* ita ſcripſit: ***Timendum non***
eſt, ne in Dei judicium ampliùs veniant peccata noſtra. Eodem ſæculo Ptolea-
maitæ apud *Epiphan. hæreſ. 33.* aſſerebant, Deum impoſſibilia præcepiſſe. At
Calvin. *lib. 2. inſtit. cap. 7. §. 5.* abſolute pronunciat: ***Impoſſibilem eſſe legis ob-***
ſervationem. 5. Circà tertium ſæculum Novatiani apud *Euſebium lib. 6. cap. 35.* 114.
non eo ſignabantur Sanctæ Confirmationis ſigillo ad accipiendum Spiri-
tum Sanctum. At hodierni Pſeudoreformatores Sacramentum Confir-
mationis omninò eliminandum contendunt. Eodem ſæculo Ma-
nichæi apud Sanctum Auguſtinum *20. contrà Fauſtum cap. 21.* Venerationem
Sanctorum ac Reliquiarum impugnabant, idola nos ex illis facere deblat-
terantes. Item liberum arbitrium negantes, omnia fato ſeu neceſſitati
abſolutæ in ipſis etiam peccatis tribuebant ex *Prat. v. Manichæi.* At hæc
omnia eſſe dogmata hodiernæ Reformationis, in aperto eſt. Placeat ta-
men audire Calvinum *lib. 3. cap. 33. §. 9.* ſic ſcribentem: ***Reprobi evadere ne-***
queunt peccandi neceſſitatem, præſertim cùm ex Dei ordinatione ſibi injiciatur hujuſmodi
neceſſitas. 6. Circà quartum Donatiſtæ apud Caſtr. *v. Eccleſia h. 1.* cenſe- 115.
bant, nullos eſſe malos in Eccleſiâ. At Calvinus *lib. 4. cap. 1. §. 7.* ait: ***In***
Eccleſia, quæ reverà eſt coram Deo, non eſſe, niſi qui & adoptionis gratiâ filij Dei ſunt,
& Spiritûs ſanctificatione vera Dei membra. Item confundebant Baptiſmum
Chriſti & Ioannis apud Sanctum Auguſtinum *lib. contrà litt. Petil. c. 32.* At
idem cum Calvino *lib. 4. inſtit cap. 17. §. 78.* facit hodie na Reformatio.
Eodem ſæculo Ariani apud Caſtrum v. *Concilium*, contendebant, Con-
cilia generalia etiam legitimè convocata & approbata, ſpecialiter Nicæ-
num errori fuiſſe obnoxia, & erràſſe. At idem prætendi ab hodiernâ Re-
formatione, conſtat ex dictis *ſuprà.* Eodem ſæculo Aeriani apud Augu-
ſtin. *hæreſ. 53.* deſpiciebant jejunia per Eccleſiam præcepta, ſpeciatim Qua-
drageſimæ. At in aperto eſt, idem fieri ab hodiernâ Reformatione. 7. 116.
Circà quintum ſæculum Vigilantius apud *Hieronymum lib. contra Vigilantium*
rejiciebat venerationem Sanctorum & Sacrarum Reliquiarum, eamque
ſimulabat idololatriæ, Virginitatemquè, ac cælibatum Sacerdotum im-
pugnabat. At in hoc totis viribus nituntur Pſeudoreformati.

Eodem ſæculo Pelagiani negantes, infantes naſci in originali peccato,
inferebant, Baptiſmum non eſſe ipſis neceſſarium ad ſalutem, baptizandos
tamen ajebant, ut à bono in melius converterentur. Ex Sancto Auguſti-
no *hæreſi 88.* At Calvinus *lib. 4. c. 15. §. 20. item cap. 16. §. 17. 24. & 26. nec*

Oo non

non in Antid. Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 5. & in form. adminiſt. Baptiſ. alijque Reformati Doctores eatenùs negant, Baptiſmum ad ſalutem eſſe neceſſarium, ut paſſim dicant, infantes fidelium in ipſo utero materno ſanctificari.
117. Quibus proinde ita ſe habentibus, te convenio Vedroſi, ut ipſemet, ſi vel modica ſcintilla de amore Veritatis in te lateat, judices, an non myſterium iniquitatis, quod in præadductis quinque ſæculis, ipſis tuæ Reformationis Doctoribus teſtibus, in Eccleſiâ Romanâ locum non habebat, in præallegatis hæreſibus erat operatum, in tuâ potiùs Reformatione, quàm in Papatu continuetur?

118. Ad *vigeſimamprimam* Reſp. Vedroſium conveniendo, quid arbitretur, an, cùm Papa Divinæ legi per omnia ſe ſubjectum profiteatur, econtrà verò Calvinus *ſupracitatus* ſuos adhortetur ad libertatem, quâ ſe ſe ſuprà legem erigant & efferant, Pontificem Romanum, vel potiùs ſuam Reformationem jure arguat illius præſumptæ adversùs legem Divinam libertatis? Etſi verò Papa *Directè* fortaſſis non obligetur ullis humanis legibus, hiſcè tamen adſtringitur ſaltem *Indirectè*, ratione exempli, & ex vi juris naturalis, ad ſe tanquam Caput cum reliquo corpore conformandum. Falſum igitur eſt, quòd Papa ſit ille Exlex, poſſitque omne id, quod lubet, facere. Quinimò & ipſe de ſuis factis reſpondebit coram tremendo Dei judicio, cùm tamen econtrà Calvinus *ſuprà n. 113.* adductus ſcripſerit: *Ti-*
119. *mendum non eſſe, ut in Dei judicium ampliùs veniant peccata noſtra.* Neque morari quemquam debent, quæ ex Aventino damnato (uti videre eſt in Indice *lib. prohib.*) authore protulit Vedroſius, quinimò illum ipſum Aventini locum facere pro Papâ, facilè conſtabit eum expendenti. Præſules enim Germaniæ indè convincuntur recognoviſſe Pontificiam authoritatem, ac ſolummodò redarguiſſe mores, (in quibus Papæ perſonam poſſe reprehenſibilem eſſe, nemo Pontificiorum negat) nimium faſtum præſeferentes, tametſi nè in hoc quidem fas ſit, magis deferre illis Præſulibus, quàm Pontifici.

120. Ad *vigeſimamſecundam* Reſp. Ipſius Vedroſij judicio rem totam committi, an is potiùs inſerviat Antichriſtiano iniquitatis myſterio, qui veritati verborum Chriſti inſiſtat, vel qui ex horum verborum ſenſu ſcandalum paſſus ea retorquet ad figuram. At Iudas Iſcariotes teſte Sancto Hieronymo *cap. 26.* ex hoc factus fuit hæreticorum anteſignanus, quòd Chriſto pronuncianti: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*; item: *Caro mea verè eſt cibus*, non crediderit, ſed hunc ſermonem durum duxerit. Adversùs quam proinde hæreſin pugnant Tranſubſtantiationis aſſertores Pontificij, veritatem Carnis Chriſti in Euchariſtiâ aſſeverantes; cùm econtrà iſtam verita-

Digitized by Google

item unà cum Tranſubſtantiatione hodierni Pſeudoreformatores negantes, eam vertant in figuram, durum illum de veritate Carnis Chriſti ſermonem aſſerendo. Deinde idem proditor Chriſti hæreticum induit, miracula Chriſti operationi diabolicæ imputando. At miracula etiam poſt Evangelium in orbe prædicatum, in Eccleſiâ per Chriſtum adhuc continuari, teſtatur cum alijs Patribus Orthodoxis, Sanctus Auguſtinus *ſuprà Diſſert. 3. ſect. 5. c. 3. n. 52. adductus.* An non igitur Vedroſi Antichriſtum in ipſo etiam Iudâ Iſcariote videris imitari, qui Tranſubſtantiationem Euchariſticam in ſacris Litteris (uti infrà probabitur) Concilijs Oecumenicis, & Patribus Orthodoxis fundatam, & miracula Chriſti intrà Eccleſiam continuata aſſerentis diabolicæ operationi? 121.

Ad vigeſimam etiam Reſp. Papam non poſſe negare, quòd Chriſtus Ieſus venerit in Carne, ſi eum quoad Corpus, Animam, & Divinitatem in Euchariſtiâ *realiter* præſentem adoret. At tu ipſemet Vedroſi arguis Papam de tali adoratione. Quâ igitur fronte tibimet contradicendo aſſeris, Papam non confiteri, Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe? Sed ais, Papam enervare Officium Chriſti Mediatorium. At merum in hoc calumniatorem te inventum eſſe, patet ex dictis *ſuprà.* Et verò quid ſentis de Calvino *lib. 2. Inſtit. cap. 14. §. 3.* aſſerente: *Ea omnia, quæ ad Mediatoris officium ſpectant, de utrâque ſimul naturâ dici*? Nunquid hoc eſt Divinitatem (prout apertis verbis tradit Muſculus *lib. de concord. diſcipul. Luth.*) facere paſſibilem, adeóque reproducere hæreſin Neſtorianam? Ais porrò, Papam enervare officium Mediatoris quoad perſonam, cùm proprietates humanæ in Chriſto naturæ, ipſamque adeò ejus ſubſtantiam in Tranſubſtantiatione deſtruat. At quid Vedroſi? An in Chriſti humanâ naturâ aliam, quàm Verbi Divini Perſonam adſtruis, ut eam, deſtructâ humanitate, dicere poſſis enervari? Sanè hoc Neſtorianiſmum ſapit. An ex eo, quòd proprietas aliqua ſecundaria Divinitùs impediatur, aſſeris deſtruendam ſubſtantiam rei? Nunquid Deus impedivit in fornace Babylonicâ vim ignis, nè combureret Ananiam &c. Sanè ſi ignis ſubſtantiam oportuit, ſimul fuiſſe deſtructam, enervabitur ſacræ Scripturæ veritas. Nunquid Chriſtus ſuâ virtute impedivit, nè Petrus ſuprà mare deambulans demergeretur in abyſſum? Sanè ſi & aquæ ſubſtantia ex hoc debuit fuiſſe deſtructa, item enervabuntur ſacræ Litteræ. Vides igitur Vedroſi, ineptam eſſe tuam argumentationem, dum ex eo, quòd Corpus Chriſti quoad ſuam ſubſtantiam cum ſuis proprietatibus primarijs, abſque tamen extenſione locali ceu ſecundaria quantitatis proprietate, dicatur in Euchariſtiâ realiter præſens, infers deſtructionem, ſive evacuationem ſubſtantiæ Humanitatis, imò Perſonæ

122.

123.

124.

125. ſonæ Chriſti. Ais deniquè, Papam retinere multas Cæremonias & umbras Iudaicas Chriſti mortem evacuantes. At hæc tua calumnia eſt, nè umbraticâ quidem probatione firmata, in tuumque adeò caput retorquenda. Nam Calvinus *lib. 2. inſtit. cap. 10. §. 5. & lib. 4. cap. 14. §. 13. Circumciſionem exæquat Baptiſmo, & univerſè Sacramenta Iudaica Chriſtianis.* Nunquid autem hoc eſt judaizare exemplo Cerinthi apud Epiphanium *hær.* 28. Circumciſionem miſcentis cum Baptiſmo, legemquè Iudaicam cum Chriſtianâ?

126. Ad *vigeſimam quartam* Reſp. Ex Sancto Auguſtino *lib. 30. contra Fauſtum cap. 6.* ſic differente: *Videtis, multum intereſſe inter hortantes ad Virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo, & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui ſolus propriè nuptialis eſt, vehementiùs accuſando; multùm intereſſe inter abſtinentes à cibis propter ſacratam ſignificationem, vel propter corporis caſtigationem, & abſtinentes à cibis, quos Deus creavit, dicendo, quòd eos Deus non creavit. Proinde illa doctrina eſt Prophetarum & Apoſtolorum, hæc dæmoniorum mendaciloquorum.* Ex quo ita licet argumentari. Doctrina Prophetarum & Apoſtolorum eſt, abſtiner à cibo propter ſacratam ſignificationem, vel propter corporis caſtigationem, ac Virginitatem præferre conjugio ex motivo virtutis. Atqui Pontificij habent ſtatuta jejunia præſertim Quadrageſimalia propter ſacratam jejunij Quadrageſimalis Chriſti ſignificationem, & propter corporis caſtigationem. Neque verò habent delectum ciborum, quaſi de naturâ ſuâ mali eſſent, ſive non creati à Deo, uti Manichæi apud Epiphanium *hæreſ. 66.* contendebant. Neque porrò Eccleſia Romanæ prohibet nuptialem propagationis concubitum ad inſtar Manichæorum nuptias ideo prohibentium, eò quòd crederent, corpora non eſſe à Deo bono; ſed Virginitatem, ceu majus bonum minori nuptiarum bono præferendo, propter ſacratiorem ſignificationem in Sacerdotibus præſertim, Eccleſia Romana intendit, illam virtutem florere. Conſequens igitur eſt, Pontificem Romanum non eſſe ſub illâ cenſurâ Pauli *1. ad Timoth. 4.* ſcribentis contra hæreticos tum Simonianos & Saturninum tempore Apoſtolorum degentes, tum futuros Manichæos, Marcioniſtas, & Encratitas prohibentes nubere & abſtinere à carnibus, eò quòd carnes & corpora eſſent à malo Deo, id eſt, diabolo. Quos proinde hæreticos Apoſtolus *ibidem* refutat ex eo, quòd *Omnis creatura Dei bona ſit*, inſinuando nempè rationem illius, hæreſeos principio *directè* contrariam. Quia ergo Pontificij neque carnes, neque nuptias ſub motivo per Apoſtolum damnato prohibent, ſed ex motivo virtutis per ipſummet Paulum, cæteroſquè Apoſtolos aliàs approbato: manifeſtum eſt, ipſos non niſi calumnioſè impeti à Vedroſio. Imò cùm ejuſmodi ciborum ac nuptiarum ex motivo virtutis abſtinentia teſte, Sancto Auguſtino *ſuperiùs citato*, ſit conformis doctri-

Digitized by Google

ſtæ Prophetarum & Apoſtolorum, oportet conſequenter, Pſeudoreformatores talem abſtinentiam damnantes diſcordare à doctrinis Apoſtolorum & Prophetarum.

Ad *vigeſimamquintam* Reſp. Ineptam prorsùs eſſe Vedroſij argutiam. 127.
Libenter enim admitto, quòd *Apocalyp. 17.* ſub Babylone intelligatur Roma, qualis ſub Ethniciſmo erat tempore Ioannis, eam pro tunc deſcribentis, ejuſque ruinam *prophetice* prædicentis. Hanc proinde Babylonem, ceu meretricem magnam, vidit Ioannes ſedere ſuper beſtiam coccineam, nominibus blaſphemiæ plenam. Hanc verò beſtiam aliqui Patrum intelligunt diabolum, ejuſquè regnum in urbe Româ adhuc Ethnicâ prædominans, alij verò intelligunt ſignificare cœtum impiorum, cui Roma Ethnica tempore Ioannis inſidebat. Falſum proinde eſt, quòd iſtam a Sancto Ioanne deſcriptam ſedem teneat Eccleſia Romana, utpote cujus Cathedra ceu verè Apoſtolica ex ſacris Litteris, Concilijs Oecumenicis, & univerſis Patribus Orthodoxis probetur Divinitus inſtituta, & ſupra firmam fidei Divinæ petram fundata, uti hæc fusè probata reperies *præced. Diſſert.* Vides igitur Vedroſi, ex hac & antecedentibus argutijs tuis nihil aliud te obtinere, niſi quòd ob innumeras tuas calumnias & blaſphemias tibi ad oculum de mon-ſtrates, videaris inſidere ſuper illâ muliere Apocalypticâ, plenâ nominibus blaſphemiarum.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Vedroſium non niſi calumnijs & blaſphemijs procedendo, Georgij fundamenta relinquere omnino intacta & inſoluta. 128.
Unde ſic licere argumentari. Eccleſia, quæ Cathedram Apoſtolicam impetendo, turgere dignoſcitur ſpiritu Donatiſtarum per S. Auguſtinum *lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 51.* jam pridem validè refutato, non poteſt eſſe ex Deo. At ex dictis manifeſtum eſt, Reformatæ Eccleſiæ ſpiritum proprium eſſe, ut ob depravatos quorundam Pontificum mores ſeu fortè errores, junctis quamplurimis falſis calumnijs, mendacijs, ac blaſphemijs, impetat Cathedram Romanam. Hanc verò S. Auguſtinus *citatus*, eatenùs dixit Apoſtolicam, ut ex depravatis quorundam Pontificum moribus, vel etiam erroribus, ceu Antichriſtianam peſtilentiæ Cathedram, impetere ſit ſpiritus Donatiſtarum, jam pridem ab illo S. Doctore validè repreſſus tanquàm Hæreticus. Nequit ergo illius Reformatæ Eccleſiæ ſpiritus eſſe ex Deo.

SE-

SECTIO V.

An ex prætenſâ morum depravatione Romanæ Curiæ argui poſſit ejuſdem Cathedræ in fide defectio?

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *ſuæ Facis Rat. & Exempl. 1.* meminit objectionis adversùs Romanam Eccleſiam à Donatiſtis apud Sanctum Auguſtinum *lib. 2. contrà Epiſt. Petiliani cap. 51.* o, poſitæ in hæc verba: *Si Cathedram vobis miſeri vendicatis, habetis illam profectò, quam David Pſalmographus peſtilentiæ Cathedram pronunciavit: vobis enim juſtè relicta eſt, quia in eâ ſancti ſedere non poſſunt.* Ex quo ita argumentatur Georgius, Miniſtri Reformati hodiequè exprobrare ſolent, Cathedram Romanam eſſe peſtilentem & Antichriſtianam. Planum proinde eſt, ſe in hac exprobratione convenire cum Donatiſtis.

2. Quam proinde objectionem author *citatus* ex eodem Sancto Eccleſiæ Doctore ita refutat: *Dicis quidem iſta, nihil probans, ſed, etſi de aliquibus probares, de his cæteris non præſcriberes. Veruntamen ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ Petrus ſedit, & in quâ hodie Anaſtaſius ſedet &c. Quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas, legem loqui & non facere? Nunquid non Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait: Dicunt enim & non faciunt, Cathedræ, in quâ ſedebant, ullam fecit injuriam? Nonnè illam Cathedram Moyſi commendavit, & illos, ſervato Cathedræ honore, redarguit? Ait enim, ſuper Cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. Sed quid eſt aliud, quàm neſcire dicere, & tamen non poſſe, niſi maledicere?*

3. Ex quo author *citatus n. 7.* ſic argumentatur. Illo ipſo argumento, quo Sanctus Auguſtinus Donatiſtarum hæreticorum calumnioſos in Romanam Eccleſiam morſus repreſſit, poſſent æquè refutari Reformatorum contumelioſæ adversùs eandem Cathedram ſeu Eccleſiam exprobrationes. At illud Auguſtini argumentum locum non haberet, ſi depravatio morum Romanæ Curiæ (falsò tamen ab hæreticis jactata) redundaret in ipſam fidei jacturam. Conſequens igitur eſt, illas Pſeudoreformatorum adversùs Romanam Eccleſiam exprobrationes ita eſſe enervatas, ut hujus Eccleſiæ Cathedra Apoſtolica illæſa & illibata ſubſiſtat.

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

HIc Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 5. §. Haud dubiè*, arguit 1. Pontificem Romanum Adrianum VI. teſtem omni exceptione majorem anno ſuperioris ſæculi viceſimo tertio in Principum conventu Norimbergæ per Legatum ſuum ingenuè confeſſum eſſe: *Plurimis nunc annis graviter, multiſque modis peccatum eſſe Romæ, & inde à Pontificio culmine malum hoc, atque luem ad inferiores omnes Eccleſiarum Præfectos defluxiſſe: neminem enim eſſe, qui ſuum faciat munus, aberrâſſe omnes, & nè unum quidem ex omni numero vacare culpâ: proinde ſoli Deo tribuendam eſſe omnem gloriam, & ſuppliciter ab eo petendam veniam.* 4.

Arguit 2. Franciſcum Sonnium Epiſcopum Buſcodun. *Demonſtrat. Relig. ſuæ lib. 3. tract. 7. c. 6.* ita differere: *Scelus hoc* (indigitando ſodomiam) *ibi regnare ſolet, ubi perfidia, ubi apoſtaſia, ubi idololatria, ubi vivitur, quaſi non ſit Deus: & quo quis longius aberraverit à Deo, eò magis huic nefando malo involvitur.* Uti ſatis lucidenter Apoſtolus tradat *Rom. 1. v. 24.* De quo proinde ſodomiæ ſcelere Alvarum Pelagium *De planctu Eccleſiæ lib. 2. a. 2.* dicere, Italiam imprimis eo ita eſſe obrutam, ut remedium non ſuperſit, niſi ignis de cælo. 5.

Arguit 3. Scelus porro Romæ domeſticum à Ioanne de la Caſa poſtea Archiepiſcopo Beneventano, & Legato de latere poemate Venetijs, apud Troianum Navum edito ita commendari, ut ejus Apoſtaſiam evidenter demonſtret. *Ubi Deus enim non timetur, niſi ubi Deus non eſt? Ubi Deus non eſt, nec veritas ulla eſt.* Ex Tertulliano. 6.

Arguit 4. Nec quod adverſarijs ſolemne ſit, juvare dicere, eſſe hos errores duntaxat in moribus. Non enim magis Chriſtum ſollicitum eſſe de cognitione Veritatis in Eccleſiâ conſervandâ, quàm de morum ſanctimoniâ & integritate. Nam cognitionem eſſe medium, integritatem & ſanctimoniam eſſe finem. Itaque multò commendatiorem eſſe ſanctimoniam ceu Finem, quàm cognitionem, utpote Medium ad Finem; nempe *Evangelium eſſe doctrinam Veritatis ſecundùm pietatem.* 7.

1. Timoth. 6. v. 3.

CA-

CAPUT III.

Oſtenditur, ex prætenſâ depravatione morum Romanæ Curiæ, neque argui defectionem in fide, neq; illam utpote perſonalem imputari poſſe Cathedræ Apoſtolicæ.

Probatio prima. Ex ſacris Litteris.

8. NAm ex fide Divinâ edocti ſumus, eatenùs eſſe diſtinguendum inter Officiù aliquod Divinitùs inſtitutum, & inter perſonas ſub tali Officio deſervientes, ut pravitas iſtorum non debeat redundare in damnum illius. Hinc enim Chriſtus Dominus *Matth. 23.* Cathedram Moyſis pronunciavit honore ac obedientiâ dignam, etiamſi Phariſæi eam obtinentes adeò eſſent moribus depravatis, ut Chriſto hortatore non eſſet tutum ſequi eorum exempla. Sic Apoſtolus *ad Rom. 13.* hortatur ad obedientiam & ſubjectionem, poteſtatibus licèt Ethnicis, ceu à Deo conſtitutis, præſtandam. Planum igitur eſt, poteſtatem Divinitùs ordinatam non coinquinari, vel evacuari depravatis moribus Miniſtrorum. Atqui Cathedræ Romanæ poteſtas indefinita ligandi & ſolvendi, Paſtorali in omnes Chriſti oves Officio annexa, fuit Divinitùs commiſſa Petro, cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum, atquè adeò cum jure ſucceſſionis. Hæc ipſa verò Cathedræ Apoſtolicæ poteſtas ex ipſiſmet Chriſti verbis eſt connexa cum petrâ, ſuper quam Eccleſia perpetua eſt fundata, uti hæc omnia patent ex ſacris Litteris *ſuperiùs fusè* diſcuſſis. Nequit ergo iſta Cathedra cum petrâ ceu firmitate fidei inconcuſsè connexa, ullam pati morum jacturam ex depravatis Miniſtrorum moribus, uti eleganter deduxit Sanctus Auguſtinus *præſenti ſect. cap. 1. n. 2.* adductus.

Probatio ſecunda. Deſumpta ab authoritate S. Auguſtini.

9. NAm hic Sanctus Eccleſiæ Doctor *lib. de Unit. Eccleſ. cap. 18.* obſervat, ita eſſe diſtinguendum inter frumentum Chriſti & paleas, ut ſcelera à Donatiſtis objecta ad paleas pertinerent. Unde infert, etiamſi hæc vera eſſent, non obinde perituram Eccleſiam, quæ ultimo judicio ventilata, iſtorum omnium ſeparatione ſit purganda. At ſi depravati mores Miniſtrorum Romanæ Eccleſiæ, quam Auguſtinus tunc contra Donatiſtas defendebat, arguerent defectionem à fide, ceu eſſentiali Eccleſiæ formâ & notâ, vana eſſet illa exceptio Auguſtini aſſerentis, ex paleis vitiorum non obinde perituram Eccleſiam. In aperto igitur eſt, licèt Romanæ Curiæ vitia per Reformatos objecta eſſent omninò vera, tamen exindè malè argueretur Eccleſiæ ac fidei veræ defectio. Con-

Confirmatur. Nam hic ipſe Sanctus Doctor *loco proximè citato* tradit: *Eccleſiam eſſe requirendam, quæ audiendo verba Chriſti, & faciendo tolerat eos, qui audiendo, & non faciendo ædificant ſuper arenam.* Ex his autem manifeſtè conſtat, Eccleſiam veram eſſe illam, in quâ omnia ejus membra audiant Verbum Chriſti per fidem, non tamen omnes faciant, ſed plures audiendo, & non faciendo, ædificent ſuper arenam. At ſi depravatio morum argueret defectionem & Apoſtaſiam à fide, non ſubſiſteret, omnia Eccleſiæ membra audire Verbum Chriſti per fidem, ut tamen plura audiendo, & non faciendo, ædificent ſuper arenam. Falſum igitur eſt, quòd depravatio morum arguat defectionem à fide. Hinc enim Eccleſia, non niſi Chriſti fideles ſuo ſinu complectens, comparatur agro, ubi triticum, id eſt ſanctum Verbum Chriſti non tantùm audientes, ſed facientes, creſcunt inter zizania, malos ſcilicet Catholicos, audientes, ſed non facientes Verbum Chriſti. 10.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Eam redigendo in formam, ut vel hinc pateat, quàm ſit infirma. Sic enim Vedroſij argumentatio, ſi vel apparentiam aliquam obtineret, formanda eſſet. *Depravatio morum arguit defectionem à fide, & conſequenter Apoſtaſiam à verâ Eccleſiâ. Atqui Adrianus VI. faſſus eſt, graviter & multis modis Romæ, & ab univerſis Eccleſiarum præfectis peccari, neminemquè facere ſuum officium, ut proinde ſoli Deo tribuenda ſit omnis gloria, & ſuppliciter ab eo petenda venia. Ergo ex iſtâ morum depravatione, quam ipſe Adrianus VI. eſt confeſſus, arguitur Romana Eccleſia defectio à fide, & Apoſtaſia à verâ Eccleſiâ.* En Vedroſi tuam argumentationem in formâ jam expreſſam. Quid igitur ſentis de illâ? Nunquid David *Pſalm. 13. v. 4.* cecinit: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Nunquid ex hac ſuâ confeſſione arguit univerſam Eccleſiam tunc inter Iſraelitas vigentem defectionis à fide & Apoſtaſiæ à verâ Eccleſiâ? Nunquid univerſi Reformationis tuæ ſectatores ſe quotidie peccatores pronunciant, orando: Dimitte nobis debita noſtra? Nunquid hæc peccata veſtra, ſanè non merè venialia (ejuſmodi enim culpæ genus apud vos locum minimè habere dicitis) arguunt veſtræ Reformationis à fide defectionem & Apoſtaſiam à verâ Eccleſiâ? Vides, quò te perducat illud Reformationis tuæ falſum principium, ut hanc omninò confodiat. 11. 12.

Ad *ſecundam* Reſp. Ex Franciſco Sonnio plus non evinci, niſi quòd in illâ gente, ubi perfidia, Apoſtaſia, & oblivio Dei &c. magis locum habet, 13.

 ibi

ibi vel maximè regnet nefandum (ſodomiæ ſcilicèt) ſcelus. At Sonnius nihil affirmat ibi de Româ. Nobis igitur cogitandum reliquit, ubi perfidia & Apoſtaſia magis vigeat, ut vel hinc concludamus, an ibi regnet illud
14. nefandum ſcelus. Sed dices, de iſto crimine Italiam coargui ab Alvaro Pelagio. Verum neque hic teſtis facit probationem, neque, ſi id probares Vedroſi, obtineres tuam intentionem. Audi Sanctum Auguſtinum *cit. cap. 18. de unit. Eccleſ.* ita diſſerentem: *Quicquid de peccatis hominum falſum objicitur, conveniatur conſcientia, & non objiciatur. Quicquid de peccatis hominum etiam verum objicitur, & vel probari non poteſt, vel, cum debuit probari, non potuit, non objiciatur. Quicquid de peccatis hominum & verum & probatum objicitur, nec tamen inter frumenta, quæ inter paleam latent, ſed ad ipſam paleam, quæ in fine ſeparabitur, pertinet, non objiciatur. Hæc enim nos multò copioſius & probabiliùs objicere poſſumus non eâ inanitate, quâ illi (ſcilicet Donatiſtæ) ut in eis cauſam noſtram conſtituamus, ſed ut eis oſtendamus, non ideò nos nolle talibus fidere, quia non invenimus talia, quæ dicamus, ſed nè tempus rebus neceſſarijs utile in rebus non neceſſarijs conteramus. Quod propterea illi faciunt, quia robuſta & firmâ veritate ſubnixa documenta, quibus cauſam ſuam tueantur, invenire non poſſunt, & volunt videri aliquid dicere, dum tacere erubeſcunt, & inania loqui non erubeſcunt.*
15. En igitur, Eccleſiam Romanam arguere ex peccatis hominum illius Curiæ, eſt imitari Donatiſtas. At inanitas eſt, talia objicere, ut in eis cauſa conſtituatur, illiquè duntaxat hoc faciunt, qui robuſta & firmâ veritate ſubnixa documenta, quibus cauſam ſuam tueantur, invenire non poſſunt, atque adeò videri volunt aliquid dicere, dum tacere erubeſcunt, & inania loqui non erubeſcunt. Conclude igitur Vedroſi, quam cenſuram apud Sanctum Auguſtinum ſubeas ex tuis inanibus objectionibus?

16. Ad *tertiam* Reſp. Illud Ioannis de la Caſa Poema nullam de Româ facere mentionem, ſed genericè procedere de quibuſcunque verum Dei, non niſi in fide vivâ radicatum timorem abjicientibus. An verò in Vedroſio locum inveniat, relinquo expendendum cuivis Antiquitatis ab ipſo editæ, ac hîc refutatæ lectori. Interea audiamus Divum Auguſtinum *circa fi-*
17. *nem cit. cap.* ita loquentem: *Aut falſa dicitis, aut ſi vera ſunt, non ad frumenta Chriſti, ſed eorum paleam pertinent iſta, quæ dicitis. Non indè perit Eccleſia, quæ ultimo judicio ventilata, iſtorum omnium ſeparatione purgabitur.* En igitur, ex paleis in Eccleſiâ Chriſti cum frumento permixtis non perire Eccleſiam; neque paleas vitiorum ita eſſe attendendas, ut frumentum Chriſti velimus propterea in terram proijcere. Eſto proinde, quòd Romana Curia, ſeu urbs, vel Italia ſcateret paleis, oportuiſſet, Vedroſium cum Sancto Auguſtino perquiſiviſſe frumentum Chriſti, inter ipſas paleas uſquè in finem mundi Romæ vel maximè creſcens, ubi longè plura, quàm in alijs totius ſanè orbis ur-

bibus & locis videre licet hoſpitalia, noſocomia, orphanotrophia, diverſaquè charitatis opera, integraſquè miſericordiæ ſodalitates, eleemoſynas, ac pietatis exercitia propè infinita.

Ad *quartam* Reſp. Verum eſſe, quòd Evangelium ſit doctrina Veritatis ſecundùm pietatem, non eo quidem ſenſu, quaſi fides Evangelij *Formaliter* ſit pietas & ſanctimonia morum, ſed *Radicaliter*. Eſt enim fides radix omnis virtuoſi ſupernaturalis operis. Et hinc ſicuti arboris radice ſublatâ, nullos fructus ampliùs exſpectare licet, tametſi fructuum deficientia non ſtatim arguat radicem perditam ſeu corruptam; ſic fide ſublatâ & deſtructâ, fruſtrà exſpectamus bonos operum virtuoſorum, ſupernaturalium præſertim fructus: hiſcè tamen deficientibus, non licet mox inferre defectionem à fide, ſeu Apoſtaſiam à verâ Eccleſiâ. Hæc enim in aliquibus membris ſuis, audiendo Verbum Chriſti, ita ædificat ſuprà petram, ut toleret tamen eos, qui audiendo per fidem, ſed non faciendo Verbum Chriſti, ædificant ſuper arenam. Unde Divo Auguſtino *ubi ſupra* adhortante, *Requirenda eſt Eccleſia, ubi ſit triticum, quod inter zizania creſcit uſque ad meſſem, non quid fecerint, vel faciant ipſa Zizania. Ubi ſit proxima Chriſti in medio filiarum malarum, ſicut lilium in medio ſpinarum; non quid fecerint, vel faciant ſpinæ; Ubi ſint piſces boni, qui donec ad littus perveniant, tolerant piſces malos pariter irretitos, non quid fecerint, vel faciant piſces mali.* Hanc proinde Sancti Auguſtini doctrinam pondera Vedroſi, ac expende, an triticum inter zizania creſcens & lilium in medio ſpinarum, bonoſquè piſces cum malis irretitos tuis objectionibus quæſieris, vel potiùs quid fecerint & faciant zizania, ſpinæ, & piſces mali. 18.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Georgij fundamenta *præced. cap. 1.* deducta, nè in minimo quidem puncto eſſe tacta, minùs proinde ſoluta à Vedroſio, ſtarequè adeò ſub omnimodâ ſuâ firmitate per ipſummet Sanctum Auguſtinum ſolidata. Hinc proinde ità licere argumentari. Cathedra illa, quæ tempore Sancti Auguſtini erat Apoſtolica, non potuit contaminari ullis hominum vitijs & peccatis. Atqui iſta Cathedræ nullo hominum vitio contaminandæ puritas per eundem ſanctum Doctorem probatur ex authoritate Juri Divini. Hoc autem jus eſt immutabile ac perpetuum. Unde ſpiritus ille, qui ex vitio hominum impugnat illam Cathedram, dignoſcitur apertè pugnare cum jure Divino. Atqui ſpiritus hodiernæ Reformationis ex vitijs prætenſis hominum tum Cathedræ illi inſidentium, tum ſub eâ miniſtrantium nititur, eandem Cathedram eouſquè contaminare, ut ob- 19.

inde impingat ipſi defectionem à fide. Ergo iſte ſpiritus Reformationis apertè pugnat cum jure Divino.

SECTIO VI.

An Romana Eccleſia argui poſſit ex diſſenſione doctrinæ.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc author *ſuæ Facis Rat. 23. cap. 44.* ſuæ ad Romanam Eccleſiam converſionis argumentum ex eo etiam deſumit, quòd penes iſtam non niſi perpetuus in eſſentialibus materijs & uniformis conſenſus, impervertibiliter retineatur; penes Eccleſiam verò Reformatam in ipſis fundamentis & capitibus præcipuis diſſenſum expertus fuerit, veluti ex multifarijs exemplis & documentis *ſuprà* deductis ſit demonſtratum.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

2. HIc prætenſæ Reformationis Miniſter *ſua Antiq. ſect. 7. in exam. Rat. 23.* Arguit 1. Romaniſtas nec cum Capite ſuo, nec inter ſe conſpirare. Archiepiſcopos enim, Epiſcopos, Prælatos, Decretiſtas, Theologos, Magiſtros Lutetiæ congregatos in doctrinâ minimè conſenſiſſe cum Bonifacio VIII. credente, quòd *anima hominis ſit mortalis, & quod aliud gaudium non ſit, niſi vita præſentis*, uti videre ſit apud Mornæum in *Myſterio iniquitatis pag. 424.* ex Kranzij *lib. 8 cap. 37.*

3. Arguit 2. Scholam Pariſienſem non ſemel Pontificibus reſtitiſſe. Impudentiſſimam Clementis VI. Bullam ſuper anno Jubilæo palàm corripuiſſe, aſſeruiſſequè, Papam cum Cardinalibus errare poſſe, & ſæpè erraſſe, per Principes Sacerdotum Eccleſiam profanari, & quicquid eſt Religionis.

4. Arguit 3. Et verò quomodo in Eccleſiâ Romanâ ſtaret unio membrorum cum Capite, cùm Pontificij, ſpeciatim Baronius, Platina, Author Faſciculi temporum, Genebrardus, Onuphrius, Carolus Sigonius apud Hottingerum *hiſt. Eccleſ. ſect. 10.* ſcribant: Sæculo decimo ſedem Romanam occupâſſe Antichriſtos, fures, invaſores, magos, prodigioſos, ſimoniacos, tyrannos, facinoroſiſſimos, monſtra, & portenta, perjuros, graſſatores, trucu-

Digitized by Google

truculentos Divinarum & humanarum legum violatores ſceleſtiſſimos, quorum impietate Eccleſia gravius, quàm ſanguinolentis veterum Imperatorum gentilium decretis ſit preſſa.

5. Arguit 4. Unionem, ſi quæ fuit, ſæpiùs luxatam per plures ſimul graſſantes Antipapas. Tacere ſe ſchiſmata, quorum ipſe Bellarminus viginti ſeptem, Onuphrius triginta enumeret, ubi ſemper plures Cadmæorum inſtar fratrum de diademate Pontificali depugnârint. Schiſma à Clemente Avenione excitatum adversùs Urbanum VI. teſte Bellarmino *n. 23.* durâſſe quinquaginta annos. Cui ſchiſmati Concilium Piſanum voluiſſe mederi, ſed illud auxiſſe, depoſitis duobus Pontificibus, & creato Alexandro V. Inde enim tres Pontifices ſediſſe, Gregorium XII. Benedictum XIII. & Alexandrum V. *Ex Bellarmino.*

6. Arguit 5. Pariter membra Eccleſiæ Romanæ & ejus integras, uti Pontificij loqui ament, Religiones infeſtis inter ſe frequentiſſimè concurrere ſignis. Nolle ſe tangere concertationem veterum de Conceptione B. Virginis, fueritnè à labe originali immunis, inter Dominicanos & Franciſcanos aliquot agitatam ſæculis. Ex memoriâ hominum nullâ ætate deletum iri tragœdiam, quæ Bernæ Anno 1504. in fumos & cineres redegerit quadrigas Dominicanorum, à quibus optima cauſa peſſimè falſis B. Virginis & Sanctæ Barbaræ apparitionibus, falſis miraculis, pictis, intoxicatiſquè Miſſaticis hoſtiis acta fuerit.

7. Arguit 6. Nolle ſe refricare pervicaciſſima Pontificiorum certamina de fundamentali imprimis fidei articulo, *Quænam ſuprema ſit fidei regula ac norma.* Alijs ſupremam in rebus fidei authoritatem Papæ vindicantibus: alijs Conciliorum dignitatem Papali præferentibus. Hoc diſſidium inter ſuos ſupereſſe, ipſum Bellarminum *lib. 2. de Concil. cap. 13.* teſtari.

8. Arguit 7. Præterire ſe, quòd plurimi in Concilio Tridentino magni nominis viri in primarijs fidei dogmatibus, de ſacræ Scripturæ Canone, textu authentico, ſenſu; de Prædeſtinationis cauſâ, & immutabilitate; de peccato originali & ejus ſubjecto; de libero arbitrio, & ejus formali; de viribus humanis ad converſionem reliquis; de juſtificatione per ſolam fidem; de operibus abſquè fide editis: de certitudine ſalutis, de numero Sacramentorum, eorum effectis, intentione Sacerdotum, uſu Calicis &c. ſummo cum fervore Reformatarum Eccleſiarum ſententiam propugnârint, qui ut ut numero ſuffragiorum fuerint victi, aſſenſu tamen vinci non potuerint. *Ex hiſt. Concil. Trident.*

9. Arguit 8. Miſſum ſe facere catalogum contradictionum, quem incomparabilis Tigurinorum Polyhiſtor Rudolphus Hoſpinianus *hiſt. Ieſuit. lib. 4.*

Digitized by Google

lib. 4. cap. 3. à pag. 229. ad 240. contexuerit ex demonſtrationibus ſexaginta & pluribus, de præcipuis fidei capitibus, in quibus Ieſuitæ tum ſibi, tum alijs Romanæ Eccleſiæ Doctoribus è diametro repugnent. Sic Theologum graviſſimum Davidem Paræum bellum Papaliſticum ſecundùm principales fidei articulos ex Bellarmino, & alijs Romanæ ſynagogæ ſcriptoribus in *Irenico ſuo cap. 25.* fusè pertexuiſſe, & antiphraſes ducentas, triginta novem ſtitiſſe. Quinimò eò uſque diſſentientium in Papatu creviſſe ſtudia, ut ſuo jam tempore Bellarminus plus, quàm trecentas variantes ſociorum fidei enarrârit ſententias: Catherinus verò ducentos & octo errores exhibuerit Cardinalis Cajetani. Nuper admodùm Franciſcum Geringium *Tractatu ſuo, Gladius Goliath inſcripto*, aliquot centenis contradictionum exemplis ex graviſſimis Romanæ Eccleſiæ authoribus collectis probatum dediſſe, non tantoperè inter ſe olim confuſos fuiſſe turris Babylonicæ ſtructores, quantoperè Hierarchiæ Romanæ conditores.

10. Arguit 9. Non alienum fore aſpergere relationem Alphonſi de Vargas *de Stratag. Ieſuit. cap. 57.* ſic diſſerentis: *Quintum infidelitatis ipſorum erga Pontificem & ſedem Apoſtolicam documentum eſt, non jam aliqua Curiæ deuteroſis, aut humana traditio, ſed Eccleſiæ Romanæ doctrina ab omnibus Catholicis omni tempore & loco credita. cum ſermonibus & libris, tum etiam factis multipliciter expugnata, ut jam non magis Ieſuitis, & eorum in Hiſpaniâ aſſeclis, ac ſubſcriptoribus, quàm Germaniæ proteſtantibus, Galliæ Hugonottis, aut Angliæ Puritanis Sacroſancta ſit ſedis Apoſtolicæ & ſucceſſoris Petri authoritas. Quâ de re, qui exploratò, quod verum eſt, ſtudet cognoſcere, legat ſedis Apoſtolicæ cenſuram adversùs omnes Iohannis Baptiſtæ Pozæ libros, quà manu, quà formis aneis deſcriptos: inſpiciat etiam hæreſeos actionem, quam vir ſummâ innocentiâ, & ſingulari Divinarum, humanarumquè litterarum ſcientiâ præditus Franciſcus Roalis, non uni modò Pozæ, ſed univerſæ etiam Societati, non jam Ieſu, ſed Judæ, palàm in totius orbis conſpectu intentavit, cujus etiam proſequendæ causâ ad S. Inquiſitionis tribunal ſe ſtitit cum obligatione ad talionem, ſupplicium nempè in hæreticos capite perſoluturus, niſi rebus maximè neceſſarijs vincat, planumquè faciat, Ieſuitas eſſe hæreticos quovis Ariano, Lutherano, Anabaptiſtâ, aut Calviniano deteriores & peſtilentiores.*

11. Arguit 10. Iſtam hujus de Vargas invectivam non miraturum, qui animum adverterit ad fervidum & acre certamen Thomiſtas inter & Ieſuitas de Prædeterminatione phyſicâ, uti vocent; id eſt, an in negotio converſionis noſtræ præcedat gratiæ Divinæ operatio adeò efficax, ut eâ poſitâ, infallibiliter ſequatur effectus à Deo prædefinitus aut prædeterminatus. Hos negantes, illos verò ajentes, litem detuliſſe ad Clementem VIII. Pontificem Maximum Anno 1597 quem morte, uti perſuadere conentur, præventum, non tuliſſe definitivam. Eo è vivis ſublato, recruduiſſe controver-

ſiam

ſiam ſub Paulo V. quem tandem decreviſſe, ut utrique ſententiam ſuam, citrà ullam tamen contrariæ partis cenſuram deferderent, donec aliquid hac de re vel ab ipſo, vel ejus ſucceſſoribus ſtatueretur. Verùm nec ipſum, nec ſucceſſores ejus hactenùs auſos fuiſſe decretoriâ ſententiâ dirimere hæc ambigua fata; quàvis contentio ſit non de lanâ caprinâ, ſed de re graviſſimâ, & quæ ad fundamentum ſalutis ſpectet. Contendi enim de gratiâ & arbitrio voluntatis creatæ, & quæſtionem eò incidere, an gloria noſtræ converſionis tribuenda ſit Deo, an homini? An homo vires ſuas debeat facere Deum ſuum, an potius virtutem gratiæ Divinæ habere pro ſcuto & præſidio ſuo?

Arguit 11. Cùm Ieſuitæ Anno hujus ſæculi 1661. 12. Decembris Pariſijs in Collegio Claremontano defenderent iſtam theſin: *Chriſtus, poſtquàm in cælos abiit, primùm Petro, deinde ſucceſſoribus ejus regimen Eccleſiæ commiſit, & eandem, quam habuit ipſe, infallibilitatem conceſſit, quoties ex Cathedrâ loqueretur.* Hanc eorum ſententiam ſcripto publico ad omnes Galliæ Epiſcopos delatam fuiſſe, tanquàm non duntaxat hæreticam, ſed quæ horribilem contineat impietatem, & ſpeciem idololatriæ, quâ ex Papâ fiat Deus, & verbum ejus Verbum Divinum. 12.

Arguit 12. His addi poſſe Ianſeniſtarum à Cornelio Ianſenio Yperis in Flandriâ Epiſcopo denominatorum, & Moliniſtarum Ludovici Molinæ Ieſuitæ ſequacium bellum doctrinale, juxta & caſuiſticum, truculentiſſimum. Non ſatis dici poſſe, quàm infeſtis hi concurrerint armis, nullâ Theologiæ parte non tentatâ. Nec deſcribi poſſe, quot utrinque edita ſint ſcripta, quibus conſenſum manifeſtè ſuum proſtituerint in fidei capitibus graviſſimis de naturâ corruptâ, de gratiâ Dei, de Sacrificio Chriſti. 13.

Arguit 13. Ianſeniſtas contendere: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis & volentibus ſecundum præſentes, quas habent vires, parvas ſcilicet & infirmas, eſſe impoſſibilia, deeſſe quoquè ijs gratiam, quâ poſſibilia fiant.* Econtrà Ieſuitas aſſerere: *Omnia præcepta juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires eſſe ſemper poſſibilia per gratiam eorum libero arbitrio ſubjectam. Nec unquàm ipſis deeſſe gratiam ad operandum, vel ſaltem ad orandum proximè neceſſariam, quâ poſſibilia fiant.* 14.

Arguit 14. Ianſeniſtas contendere: *Quòd interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtatur, ita ut effectu, ad quem à Deo proximè datur, fruſtretur.* Econtrà Ieſuitas affirmare, quòd *Gratia Chriſti ad ſingulos pietatis actus &c. neceſſaria, in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtatur,* hoc eſt, *quòd illa aliquando effectu, ad quem proximè à Deo datur, fruſtretur.* 15.

Arguit 15. Ianſeniſtas contendere: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri in homine libertatem à neceſſitate infallibilitatis, ſed ſufficere libertatem à coactione.* Econtrà Ieſuitas affirmare: *Ad merendum & demerendum* 16.

in ſtatu

in ſtatu naturæ lapſæ, requiri in homine libertatem à neceſſitate infallibilitati, ſed neceſſariam eſſe indifferentiam proximam agendi & non agendi, quâ voluntas inſtructa omnibus ad agendum prærequiſitis, pro ſuo nutu modo ſe flectat in unam partem, modo in oppoſitam.

17. Arguit 16. Ianſeniſtas contendere: *Semipelagianos admiſiſſe gratiæ prævenientis interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc fuiſſe hæreticos, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet voluntas humana reſiſtere, vel obtemperare.* Econtrà Ieſuitas affirmare: *Semipelagianos non admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus imperfectos, nec ad initium fidei, nec in hoc erráſſe, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, ut ex ſe efficax non eſſet.*

18. Arguit 17. Ianſeniſtas contendere, quòd *Semipelagianum ſit, dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe eo ſenſu, ut omnibus, nemine excepto, per mortem ejus oblata ſit gratia, quam conſequi in nutu arbitrij ſit poſitum ſine gratiæ ex ſe efficacis adjutorio.* Econtrà Ieſuitas aſſerere: *Non eſſe Semipelagianum, ſed Catholicum, dicere, quòd Chriſtus morte ſuâ omnibus omninò hominibus, ſeu nemine excepto, communicarit gratiam ad operandum, aut ſaltem ad incipiendum & orandum.*

19. Arguit 18. Ex prætactis inferri, quòd membra Romanæ Eccleſiæ in dogmatibus fidei inter ſe non magis conveniant, quàm Iudæi & Chutæi, Phariſæi & Saducæi. Unde inter Pontificios neque Doctorum omnis ætatis & Religionis circà fidei capita conſenſionem, neque controverſiarum omnium per infallibilem Iudicem ſummum Pontificem cum Concilio facilem terminationem ſubſiſtere. Clamitare quidem Ieſuitas, quòd Ianſeniſtæ definitione Innocentij X. ſint damnati. Hos tamen ſe damnatos conſtanter negare, & à Papâ malè informato (qui ſe Theologum eſſe diſertè negârit) ad meliùs informandum, imò ad ipſum Concilium animosè provocare, & ſententiam ſuam propugnare, Ieſuitis non deſiſtentibus, ipſos appellitare Pelagianos & Semipelagianos Gratiæ Dei deſtructores.

20. Arguit 19. Non jam dici poſſe à Bellarmino, conflictum ſuorum aut non eſſe de fide, aut ſi de fide ſit, nondum eſſe de fide definitâ. Nec dici poſſe in verbis potiùs, quàm in rebus diſſenſiones eſſe, conciliatione faciles; vel partes diſſidentes judicio Eccleſiæ, id eſt, Papæ ſe ſubijcere.

***

CAPUT III.

Oſtenditur, tantam eſſe Eccleſiæ Romanæ in dogmatibus fidei conſenſionem, ut hæc nullatenùs labefactari poſſit ex quâcunque Doctorum diſſenſione.

Probatio prima, petita ex ipsâ naturâ fidei ac evidentia credibilitatis ad credendum obligantis.

NAm dogmata fidei ex ſuâ naturâ ita continentur ſub Verbo Dei, ut hoc tamen ex ſe non habeat evidentiam Dei atteſtantis: quis enim vidit Deum ſibi aliquando loquentem? Quare hoc Verbum *formaliter* ac *Reduplicativè* quà Divinum ſub ænigmatico obſcuræ revelationis Divinæ velamine involutum, applicari debet per prudentialia evidentiam credibilitatis fundantia argumenta, uti *ſuperiùs eſt demonſtratum*. Hæc verò prudentialia credibilitatis argumenta ſunt diverſæ rationis; alia enim ita fundant prudens de vero alicujus ſacri textûs ſenſu ſeu fidei myſterio prudentialem credibilitatem, ut non temerè quis complectatur tale myſterium ceu Divinitùs revelatum. Ejuſmodi verò ſunt argumenta, vel ex propriæ, ſobriæ tamen, ac devotis ad Dei gratiam implorandam precibus ſtipatæ inquiſitionis induſtriâ, vel ex authoritate Doctoris in lege Divinâ periti, ſive Paſtoris legitimè inſtituti. Ejuſmodi proinde prudentialia credibilitatis argumenta non ſemper ita conſtringunt, quin rationes prudentiales in contrarium admittant. Unde ſub talium prudentialium rationum latitudine fieri poteſt, ut diverſæ ſtent Doctorum ſententiæ de aliquâ Veritate, an ſcilicet verè contineatur ſub Verbi Divini legitimo ſenſu. 21.

Alia igitur ſunt credibilitatis prudentialia argumenta, quæ Divinam conteſtationem ita apertè præſeferunt, ut, quiſquis myſterio fidei ejuſmodi prudentiali credibilitate veſtito ſcienter, adeòque temerè ac pertinaciter diſſentit, eo ipſo dignoſcatur reus læſæ authoritatis Divinæ, ſeu Primæ Veritatis revelantis. At ejuſmodi argumentum eſt conſenſio, fidelium ac Eccleſiæ Patrum, myſterium aliquod ceu Divinitùs traditum ſub vivâ fide propagantium, & ad poſteros illibatè transfundentium; item miraculum adeò evidens, ut Divinæ virtutis proprium, Divinæque adeò conteſtationis ſit certò expreſſivum: item definitiones Conciliorum Oecumenicorum & approbatorum, nec non Summorum Pontificum ex Cathedrâ loquentium. Sub hiſcè enim prudentialibus argumentis ita applicatur myſterium aliquod ceu Divinitùs revelatum, ut conſequenter is, 22.

Digitized by Google

qui tali veritati contrariatur, reus ſit violatæ Veritatis Divinæ. Eo ipſo autem, quòd quis Veritati Divinæ eatenùs adverſetur, ut ipſam adeò Primæ Veritatis authoritatem in ſe *Affectivè* ac *Moraliter* deſtruat, oportet, Motivo fidei taliter deſtructo, in ejuſmodi homine perire infuſum fidei Divinæ habitum. At iſto habitu ceu eſſentiali Eccleſiæ formâ interna aliquem hominem deſtructo, nequit hic ampliùs eſſe membrum Eccleſiæ. Unde impoſſibile eſt, ut, qui ſub præallegatis credibilitatis argumentis authoritativis diſſentit alicui dogmati fidei, maneat verum Eccleſiæ membrum. Evidenter
22 igitur infertur, non poſſe inter veræ Eccleſiæ membra eſſe diſſenſionem quoad dogmata definita, habentia authoritativam, adeòque conſtringentem credibilitatis prudentialem evidentiam.

Probatio ſecunda, petita ex authoritate Patrum.

23 NOn enim poteſt in dogmatibus fidei eſſe diſſenſio membrorum Eccleſiæ tum inter ſe, tum cum Capite, ſi univerſi ita reſpicere debeant ad Eccleſiæ Caput, ut huic ex Cathedrâ loquenti ac definienti diſſentiendo, deſinant eſſe membra Eccleſiæ. Atqui cum Capite Romano Pontifice in dogmatibus fidei ita neceſſaria eſt communio, ut propterea Sanctus Hieronymus *Epiſt. ad Damaſ. de Hypoſtaſis nomine* ſcripſerit in hæc verba: *Ego Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio &c: quicunque tecum non colligit, ſpargit, id eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Hinc Divus quoquè Ambroſius *in Orat. de obitu Satyri* exquirere volens, an quis ſentiret cum Epiſcopis Catholicis, rogavit, *An cum Eccleſiâ Romanâ conſentiret.* Evidens igitur eſt, conſenſionem cum Romanâ Eccleſiâ, ejuſque Capite ita neceſſariam eſſe, ut neque Eccleſiæ membrum eſſe dignoſcatur, qui in fidei dogmatibus diſſentit. Unde Sanctus Auguſtinus *in Pſalm. contrà partem Donati* ſic ſcripſit: *Venite fratres, ſi vultis, ut inſeramini in vite: dolor eſt, cùm vos videamus præciſos ita jacere: numerate Sacerdotes ab ipsâ Petri ſede in ordine illo Patrum, quis, cui ſucceſſerit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperba inferorum portæ.* Cùm igitur non ſint membra veræ Eccleſiæ, niſi quoad fidei dogmata habeant unionem cum Romano Pontifice, ea verò, quæ ſunt eadem uni tertio, oporteat, eſſe eadem inter ſe, uti *habet lumine naturæ notum axioma*; conſequens eſt, inter membra Eccleſiæ non poſſe non eſſe unionem quoad fidei dogmata.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Eam nihil aliud ſpirare, quàm commenta Ve- 24
droſij, uti ex ſequentibus patebit. Falsò enim allegat Kranzium,
quaſi *lib. 8. cap. 37.* ſcripſerit de Bonifacio VIII. non credidiſſe a-
nimæ immortalitatem, ac vitam æternam. Nihil namque iſtorum habe-
re hunc authorem, paratus ſum ad oculum demonſtrare, patebitque cui-
vis legenti allegatum caput trigeſimum ſeptimum. Quarè Vedroſius cum
ſuo Mornæo illam Sancti Auguſtini *cap. 18. de unit. Eccleſ.* increpationem
audiat, ita ſcribentis: *Quicquid falſum objicitur, conveniatur conſcientia, & non ob-
jiciatur.*

Ad *ſecundam* Reſp. Non quamcunque diſcrepantiam à Pontifice Ro- 25
mano ſolvere unitatem & communionem fidei ac Religionis, & Charita-
tis. Nunquid enim Paulus reſtitit Petro in faciem? At iſtam Pauli incre-
pationem eâ humilitate ſuſcepit Petrus ob *Facti* (non *Juris*) merè venia-
lem et culpabilem errorem, ut neque ejus primatui, neque unitati fidei de-
rogaret. Unde Sanctus Auguſtinus *lib. 2. de Baptiſ. contrà Donatiſtas cap. 1.*
ita ſcribit: *De quo* (Petro) *Cyprianus ad Quintum loquitur: Nam nec Petrus,
quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum
Paulus de circumciſione diſceptaret, poſtmodùm vendicavit ſibi aliquid inſolenter, aut
arroganter aſſumpſit, ut diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari à novellis & po-
ſterius ſibi potiùs debere.* Sanctus porro Irenæus *apud Euſebium lib. 5. cap. 26.* Victo- 26
rem Papam, Aſiæ Paræcias ob Paſchatis quartadecimâ lunâ celebrationem
excommunicantem, redarguit de indiſcretione, licèt malè, cùm non ſci-
ret, ibi latere occultam quandam hæreſin, ipſo eventu poſteà probatam.
Ex hoc tamen Sanctus Irenæus nec charitate ſejunctus eſt à Romano Pon-
tifice, ſed hujus authoritatem eatenùs agnovit, ut *lib. 3. cap. 3.* ſcripſerit:
*Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſſe, omnem conve-
nire Eccleſiam, id eſt, omnes undique fideles.* Tunc igitur duntaxat ſolvitur unio
fidei cum Romano Pontifice, ſi in dogmate fidei per authoritativam ejus
ex Cathedrâ loquentis definitionem, ad credendum univerſali Eccleſiæ
propoſito diſſentiatur. Hinc proinde convenio Vedroſium, an Scholæ Pa- 27
riſienſi intendat imputare talem cum Romano Pontifice diſſenſionem, vel
non? Si prius aſſerere contendat, totam hanc Scholam, ejuſque univer-
ſos ac ſingulos Doctores experietur ſibi adverſari & conqueri de graviſſi-
mâ ſibi illatâ injuriâ. Si poſterius dicat, ex Sancto Auguſtino *ubi ſuprà*,

 redar-

redarguendus venit de inanitate verborum ideò objectâ, *quòd, dum firma &*
robuſta documenta invenire non poteſt, tacere quidem erubeſcat, inania tamen loqui
28. *non erubeſcat.* De Clemente VI. conſtat, quòd annum Iubilæi ſæcularem
reduxerit ad annum quinquageſimum, Bullâ deſuper editâ de Anno 1342.
Quam conſtitutionem univerſus orbis Catholicus, Iubilæo poſtea Anno
1350. Romæ celebrato, approbavit, copioſiſſimâ undique peregrinantium
multitudine ad urbem confluente. Neque Schola Pariſienſis in hoc ſtatu-
to poteſtatem & jus Pontificis unquàm redarguit, neque Vedroſius docu-
mento valido probat, factum improbâſſe. Etſi verò ex circumſtantijs Fa-
cti minùs circumſpectè ponderatis, id diſplicuiſſet, atquè Papæ non ex
Cathedrâ *definitivè* & *authoritativè* loquenti, in ipſis præſertim, quæ *Facti*
ſunt, errabilitatem imputâſſet, nè hinc quidem fidei unitatem ſolviſſet,
ſed quæſtionem ex Cathedrâ necdum deciſam moviſſet, *An ſcilicèt Papa in*
ſolo Cardinalium Conſiſtorio extrà Oecumenicum Concilium loqui poſſit ex Cathedrâ,
29. *veluti infrâ elucidabitur.* En igitur Vedroſi, te non tendere ad punctum quæ-
ſtionis in eo ſe tenentis, *An quoad fidei articulos ex Pontificia Cathedræ authori-*
tate pro universâ Eccleſiâ definitivè deciſos poſſit intrà Romanam Eccleſiam eſſe diſſenſio?
Hoc enim ita negatur à nobis Pontificijs, ut nè ſchola quidem Pariſienſis
manſiſſet intrà gremium Romanæ Eccleſiæ, ſi in articulis taliter deciſis diſ-
ſentiret. Unde fit etiam conſequens, non poſſe in Eccleſiâ Romanâ ta-
lem ſubſiſtere diſſenſionem, cùm eo ipſo ſit ab Eccleſiâ ſeparatus, quiſ-
quis ex tali diſſenſione ſe reum facit violatæ Divinæ Veritatis, *veluti ſu-*
prà cap. 3. prob. 1. oſtenſum eſt.

30. Ad *tertiam* Reſp. Hujus conſequentiæ robur in eo ſe tenere, ut ex facinoroſâ quorundam Pontificum vitâ inferatur rupta unio membrorum cum Capite Romano Pontifice. Verùm iſtius illationis vim oportet, eo ipſo evaneſcere, ſi ex ipſo Divino per Chriſtum fundato jure probetur, Pontificis Romani authoritatem Apoſtolicam non tantùm non contaminari ex depravatis ejus moribus, ſed ipſomet Chriſto jubente, ſit cum ipſo tenenda communio fidei & obedientiæ. At Sanctus Auguſtinus *lib. 2. contrà Epiſt. Petil. cap. 51.* probat, Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ Cathedram ex depravatis Pontificum eam tenentium moribus eatenùs non contaminari, ut ipſemet Chriſtus præceperit, eos, quantumvis depravatos, in doctrinâ fidei audire, eiſque facto ipſo obedire. Falſum igitur eſt, quòd ex facinoroſâ quorundam Pontificum vitâ ſit rupta unio membrorum cum Capite, ſiquidem illâ non obſtante, integra maneat obligatio communionis fidei ac obedientiæ erga Romanum Pontificem, quà ex Cathedrâ, ſeu Officio ſuo Paſtorali loquentem.

Ad

Digitized by Google

Ad *quartam* Reſp. Illam argutiam nullius prorsùs eſſe efficaciæ. Vel 31
enim in ſchiſmate erat aliquis legitimè deſignatus in ſucceſſorem Petri, ejuſ-
que Cathedræ Apoſtolicæ: At tunc Antipapa Pontificiam authoritatem
nullo jure ſibi arrogans, non potuit præjudicare legitimo Petri ſucceſſori.
Vel ſchiſma talis aliquando erat conditionis, ut nullus legitimo jure fu-
erit vocatus ad Cathedræ Romanæ ſucceſſionem. At tunc Cathedra erat
vacans. Eſt autem aperti & manifeſti juris, quòd ex tali vacantiâ mini-
mè derogetur Cathedræ Apoſtolicæ, ſeu Paſtorali ergà univerſas Chriſti
oves cum reſpectu ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum Divinitùs inſtituto Of-
ficio, quin per aliquem legitimè creatum Papam deinceps poſſet ac de-
beret ex ipſo Divino omninò immutabili jure provideri. Vel in ſchiſma- 32
te alteruter ſaltem ita fuit pro tempore Antipapa, ut legitimo Pontifice
poſteà defuncto, ex univerſalis Eccleſiæ conſenſu ac recognitione recipe-
retur in verum Papam. At hæc ipſa alicujus ex communi fidelium ta-
cito ſaltem conſenſu in Papam receptio, eſt ſufficiens ejus in Petri & Apo-
ſtolicæ Cathedræ ſucceſſorem deſignatio, mediante quâ ex ipſo Divino
ſucceſſionis Iure in eum transferatur Pontificia Chriſti vicaria poteſtas. Vi-
des igitur Vedroſi, ex ſchiſmatibus ſedem Romanam quandoque turban-
tibus minimè ſolvi fidei communionem in eo ſe tenentem, ut non niſi in
legitimo Petri ſucceſſore agnoſcere oporteat illimitatam erga univerſas
Chriſti oves ligandi ac ſolvendi poteſtatem. Quod proinde fidei dogma
ex univerſalis Eccleſiæ aliquem in Papam recipientis conſenſu, eatenùs
contrahitur ad perſonam particularem, ut ex ſchiſmate tamen conſensûs
ejuſmodi turbari, atque adeò defectus aliquis intervenire poſſit, non ex
parte Iuris ad fidei dogma pertinentis, ſed ex *parte Facti* ſpectantis ad pru-
dentialem credibilitatis evidentiam, ſub quâ jus illud ad actualem fidei con-
ſenſum applicari deberet.

Ad *quintam* Reſp. Hanc tuam argutiam non facere ad rem. Quæſtio- 33
nis enim punctum, ut ſæpè dixi, in eo ſe tenet, *An dogma in Verbo Divino fun-
datum mediante authoritativâ, & conſtringente credibilitatis ratione applicatum poßit
eatenùs controverti, ut intrà ipſam Eccleſiam Romanam poßit vigere talis diſſenſio?* At
licèt Franciſcani ex ſacris Litteris, Deiquè adeò Verbo conati ſint proba-
re immaculatam Beatiſſimæ Virginis Conceptionem, nullâ tamen authori-
tativâ per Pontificis ex Cathedrâ loquentis definitionem conſtringente ra-
tione hactenùs patefactum eſt, quòd ſacer aliquis Textus à Franciſcanis alle-
gatus in ſenſu Divinitùs tradito procedat de Beatiſſimâ Virgine immacu-
latè conceptâ. Ejuſmodi proinde definitione authoritativâ ſubſiſtente, ne-
ceſſum foret, huic per conſenſum vel ſe ſubjicere, vel è gremio veræ Ro-
manæ

Digitized by Google

manæ Eccleſiæ ejectum eſſe. Vides igitur Vedroſi, noſtram Romanam Eccleſiam minimè æquiparari tuæ Reformationi, privatum cujuſque conſcientiæ ſpiritum ac ſenſum proprium pro unicâ fidei regulâ eatenus ponenti, ut omninò neceſſum ſit, in ſubſtantialibus à primitivâ Eccleſiâ ad noſtra uſque tempora propagatis dogmatibus diſcordando, in diverſas abire ſectas, quòd nullam, in quâ oporteat fideles omnes convenire, ad verum ex ſacris Litteris eruendum ſenſum, prudentialem credibilitatis regulam admittat. Quæ porrò de Dominicanorum Bernenſi tragœdiâ calumniatur inanis ſanè cavillatio eſt, Divo Auguſtino ubi *ſuprà* docente, ejuſmodi inanitatem nunquàm Eccleſiæ Romanæ objiciendam fore, ſi adverſarijs robuſta & firmâ veritate ſubnixa documenta non deficere t.

Ad *ſextam* Reſp. Calumniam Vedroſij eſſe, *quòd Pontificij concertent de*
34. *fundamentali fidei articulo, quænam ſcilicet ſuprema ſit fidei regula ac norma?* Nam 1. fidei articulus eſt, quòd definitiones Conciliorum Oecumenicorum, Capitis Romani nimirùm Pontificis interventu, ſeu authoritate approbatorum, ſint indubitata fidei regula. At de hoc articulo, ex quo intrà Eccleſiam Romanam fidei unitas vel maximè conſiſtit, nemini, qui fidem Orthodoxam profitetur, dubitare licet, cùm econtrà Reformati hanc fidei regulam cujuſque privato ſenſui ac ſpiritui ſubijcientes, non poſſint non eſſe obnoxij erroribus circà ipſa fidei (uti Vedroſius *ſect. 5. pag. 120.* fatetur) fundamenta. Articulus quidem fidei eſt, Romano Pontifici ceu Petræ, ſuper
35. quam fundata ſit Eccleſia, independenter à Concilio eſſe poteſtatem ſupremam in cauſis Eccleſiaſticis. An verò iſtâ Divinitùs ſibi traditâ poteſtate, cum omnimodâ infallibilitate in decidendis fidei dogmatibus uti poſſit ſine interventu Concilij Oecumenici, Eccleſiam univerſalem repræſentantis, non extat de hoc definitus fidei articulus. Unde ſententia hujus à Concilio independentis illimitatè deciſivæ poteſtatis eſt quidem inter Pontificios Theologos ferè communis, validiſquè ex ſacrâ Scripturâ petitis argumentis probari ſolet, tum quòd Petro, ejuſquè ſucceſſori independenter à cæteris Apoſtolis, adeòque Epiſcopis, ſit commiſſa illimitata Paſtoralis ergà univerſas Chriſti oves Officij cura, tum quòd eidem ſoli à Chriſto dictum ſit, eſſe Petram, ſuper quam foret ædificanda Eccleſia; tum deniquè, quòd Chriſtus pro ipſo ſolo rogârit, ut fides ejus non deficeret, cum ordine ad fratres ſuos confirmandos. Nihilominus in comperto etiam eſt, extare
36. aliquos, præſertim Pariſienſes Doctores, qui illam in decernendis fidei dogmatibus infallibilitatem non concedant Papæ, niſi unà cum Concilio; ſiquidem Eccleſiæ in Concilio Oecumenico *Repræſentativè* congregatæ præroga-

Digitized by Google

rogativa ſingularis ſit, quòd ipſi ceu fidei columnæ ac firmamento Divinitus promiſſa infallibilis Spiritûs ſancti aſſiſtentia. Quæ proindè poſterior opinio ad ſacros ex Divinis Litteris pro priori ſententiâ allegatos textus reſpondebit, illam Paſtoralis Petro, ejuſquè ſucceſſori illimitatè collati Officij poteſtatem *Formaliter* & *Subjectivè* eſſe quidem in ſolo Papâ, attamen in ſuo uſu habere reſpectum ad Eccleſiam. At eo ipſo, quòd Eccleſia ita ſit ſubjecta Pontificiæ poteſtati, ut ab ipſomet tamen Chriſto obtinuerit illam prærogativam infallibilis aſſiſtentiæ Spiritûs ſancti, idcireò non eſſe ſubjectam *quaſi Deſpoticè*, ſed (liceat hoſce terminos pro regimine alioquin Civili ab Ariſtotele uſurpatos ad res etiam ſacras ſuo modo applicare) *quaſi Politicè*, ita nimirum, ut quemadmodùm in regno Politico ſtatus in ordine ad leges Pragmaticas ſtatuendas habent jus ſuis votis concurrendi, itaquè regulandi Regiam, ſupremam licèt poteſtatem; ſic Antiſtites & Patres univerſam Eccleſiam repræſentantes in Concilio Oecumenico circa fidei cauſas habeant jus ſuis per Spiritûs ſancti Divinitùs promiſſam aſſiſtentiam authorizatis votis regulandi, infallibilitatequè ſuâ juvandi Pontificiam de ſe licèt ſupremam Eccleſiaſticam poteſtatem. Quemadmodùm proinde domus non ſolo nititur fundamento, ſed etiam columnis, ſic Papam eſſe quidem petram ſeu fundamentum Eccleſiæ: quia tamen hujus forma eſſentialis ſit fides Veritati Divinæ unicè innitens, oportere, eam ſuſtentari etiam columnâ Veritatis. Unde cùm Eccleſia ab Apoſtolo pronuncietur columna & firmamentum Veritatis, eſſe conſequens, quòd Concilij univerſam Eccleſiam ex Divinâ inſtitutione repræſentantis authoritas intervenire debeat, ut Eccleſiæ ædificium ex fidei dogmatibus *Formaliter* conſtans ſub infallibili Veritatis firmitate ſubſiſtere dignoſcatur. En igitur Vedroſi, circà priorem de Capitis unà cum Concilio in cauſis fidei concurrentis infallibilitate extare definitum fidei articulum: ſecùs verò eſſe de authoritate Pontificiâ circa fidei dogmata in nullâ antehac Oecumenicâ Synodo definitam ſtatuente. Quamvis enim talis Pontificia decifio non niſi temerè, cum aperto ſalutis diſcrimine, ex proprio ſpiritûs privati ſenſu reijci poſſit, necdum tamen extat definitus fidei articulus, vi cujus damnata ſit opinio quorundam Pontificiorum Doctorum aſſerentium, certam fidei regulam non ex ſolo Papâ, ſed ex Concilio Oecumenico (Papam ceu Caput includente) conſtare. Manet proinde illud *ſuperiùs* poſitum principium, quòd in Romanâ Eccleſiâ non poſſit circà definita fidei dogmata eſſe diſſenſio, cùm eo ipſo extrà Eccleſiam eſſe dignoſcatur, quiſquis articulum fidei definitum, ſeu ab univerſali Eccleſiâ receptum ſcienter ac pertinaciter impugnat.

37.

38.

Ad

39. Ad *ſeptimam* Reſp. Vedroſi, vix me reſolvo, an iſtam tuam argutiam dixerim potiùs ineptiam, vel malitiam. Nunquid Apoſtoli *Act. 15* leguntur in Concilio Hieroſolymitano magnam habuiſſe inter ſe conquiſitionem de legalibus Cæremonijs, priuſquàm facerent aliquam definitionem? An ergo dixeris, Apoſtolos talem conquiſitionem facientes propugnâſſe illos, qui erant de hæreſi Phariſæorum pro Gentilium circumciſione pugnantium? An porrò dixeris, aliquos Apoſtolorum licèt numero ſuffragiorum eſſent victi, aſſenſu tamen vinci non potuiſſe? Ex eo proinde, quòd Patres Concilij Tridentini de dogmatibus à tuâ Reformatione excitatis conquiſitionem fecerint, minimè probas (ſed tuam duntaxat, eamquè calumnioſam imputationem oſtendis) quòd eorum aliquis vel ante, vel poſt definitionem Concilij illis dogmatibus aſſenſum præbuerit.

40. Ad *octavam* Reſp. Vedroſium verſari extrà centrum quæſtionis. Hæc enim in eo ſe tenet, an poſſit in verâ Eccleſiâ eſſe contradictio dogmatum fidei definitorum, atque adeò ſub certâ & indubitatâ credibilitatis prudentiali evidentiâ applicatorum. At in Eccleſiâ Romanâ pro tali, fidei certam & indubitatam credibilitatis prudentialis evidentiam fundante regulâ habetur, tum dogmatum ab Apoſtolis acceptorum ſub vivâ Patrum ſeu Doctorum antiquioribus etiam ſæculis ſcribentium teſtimonijs probatâ fide ad nos uſque propagata traditio, tum authoritativa cujus Concilij Oecumenici ab Eccleſiæ Capite Romano Pontifice approbati definitio. Quiſquis proinde dogmati fidei taliter tradito ſeu definito diſſentit, eatenùs fide, perditâ, eſt extra Eccleſiam, ut conſequenter inter Doctores Romanæ Eccleſiæ (manendo nimirùm intrà hujus gremium) nequeat de illis eſſe diſſenſio. Quarè ſententiæ inter Pontificios diſcordantes minimè ſunt de dog-
41. matibus quà *Formaliter* definitis. Econtrà verò Doctores hodiernæ Reformationis prædictam tum Traditionis Apoſtolicæ ac Divinæ, tum Conciliorum Oecumenicorum definitionis authoritatem è medio tollunt, illam negando, hanc verò proprio cujuſque inſtinctui ac ſpiritui ſubijciendo. Et hinc in dogmatibus jam definitis, ac per Patres antiquiorum etiam ſæculorum traditis, eatenùs dignoſcuntur inter ſe congredi, ut mutuis contradictionibus in ipſâ fidei ſubſtantiâ ſe invicem confodiant, totiquè adeò mundo ad oculum demonſtrent, non tantoperè inter ſe olim confuſos fuiſſe turris Babylonicæ ſtructores, quantoperè hodiernæ Pſeudoreformationis conditores, *uti hæc fuſiùs probata ſunt ſuprà Diſſert. 2. ſect. 2.*

42. Ad *nonam* Reſp. Ex eâ nihil penitùs probari. Nam Alphonſus de Vargas cum Franciſco Roali contendit vel apertè probare, Ieſuitas in dogmatibus fidei jam definitis, & ab univerſali Eccleſiâ receptis diſſentire à Roma-

næ-

Digitized by Google

næ Eccleſiæ doctrinâ; vel ex propriæ ſuæ inquiſitionis argumentis ſanctorum quidem Patrum & Conciliorum, imò & ſacrarum Litterarum (uti ſibi videri poſſent) authoritate firmatis, oſtendere Ieſuiticæ cum Romanæ Eccleſiæ doctrinâ repugnantiam. At licèt neutrum reſpectu totius præſertim Societatis ſit validè præſtiturus, nihilominùs hoc etiam præſtito, non derogaretur unitati & conſenſioni dogmatum in Eccleſiâ Romanâ receptorum, ac definitorum. Si enim hanc ſuam intentionem probaret, tunc, quiſquis ſcienter ac pertinaciter ſuæ inſiſteret opinioni, ac ſenſui proprio, cū dogmatibus jam definitis ac receptis pugnanti ad inſtar modernorum Reformatorum, convinceretur ſanè, defeciſſe à verâ Eccleſiâ, quod tamen eò remotius eſt ab inſtituto Societatis Ieſu, quò arctiori ſpecialis voti vinculo eſt adſtricta Romano Pontifici.

Ad *decimam* Reſp. Punctum acrioris de prædeterminatione phyſicâ Thomiſtas inter ac Ieſuitas agitatæ concertationis ſe tenere in eo, *An efficacia gratiæ ſit independens à conditionali effectûs futuritione, ejuſquè præſcientiâ* (uti Ieſuitæ vocant) *Mediâ*? At in hujus Mediæ ſcientiæ & conditionalis futuritionis aſſertione Societatis Ieſu Doctores adſtruere quandam ſigni prioritatem, antecedentem omne Dei etiam conditionatum præfinitivum Decretum, atquè ex tali futuritione ejuſque pro aliquo ſigno Decretum Dei antecedente præſcientiâ ſtatuere Ieſuitas tum efficacis Dei Decreti cum libero arbitrio concordiam, tum gratiæ efficaciam. Ex quo equidem, videtur Thomiſtis, inferri, tùm quòd noſtra converſio dependens ex conditionali Divinum Decretum antecedente futuritione, arbitrijquè noſtri determinatione non ſolum *ſecundariè*, ſed quaſi *primariè* foret reducenda in arbitrium noſtrum: tum quòd aliqua futuritionis, ſcilicet conditionatæ, formalitas creata foret reducenda in arbitrium noſtrum, etiam antecedenter ad Divini Decreti cauſalitatem, atque adeò ratio primæ cauſæ foret devolvenda in creatum arbitrium. Verùm his omnibus difficultatibus Societatis Ieſu Theologi conantur occurrere per Decretum Dei, uti vocant *Objectivum*, ex quo ita ſpiant, . . endere illam meram objectivam conditionalem futuritionem, ut Divinæ præfinitionis efficacia optimè concilietur cum libero arbitrio, utpote quod non niſi dependenter à Divinâ æterni Decreti cauſalitate priori valeat operari. Quare illa controverſia tandem reducta eſt ad ſubtilitatem ſcholaſticam, quam, circà Theologos ſanctæ Sedis deciſioni pro omni tempore ſubdi utrinque paratos, eo ipſo non erat neceſſarium decidi à Pontifice, quòd ejuſmodi ſcholaſticæ diſputationes, ſi cum ſobrietate debitæ ad Romanam Eccleſiam ſubjectionis teneantur, utiles ſint Eccleſiæ, utpote quæ inſtar cotis exacuere ſoleant ingenia, exindè magis idonea futu-

43. 44. 45. 46.

ra ad hæreticas adinventiones validiùs impugnandas. En igitur Vedroſi, tuam argutiam duntaxat eſſe cavillationem, dum exprobras Pontifici, quòd hactenùs non auſus fuerit decretoriâ ſententiâ illam litem dirimere.

47. Ad *undecimam* Reſp. Si res ita ſe haberet, uti ſcribit Vedroſius, potuiſſe in illâ theſi notari, quòd Ieſuitæ eandem, quam Chriſtus habuerit, infallibilitatem attribuendo Pontifici Romano, viderentur, iſtam non merè *Participativè* ſeu *Analogicè*, ſed *Abſolutè* æquiparare cum infallibilitate Chriſti. In quo equidem ſenſu verba illa *duriùs* & *ſtrictiùs* accepta meritò redarguenda eſſent: quamvis omni livoris affectu ſepoſito, nemo Ieſuitis imputare poſſit talem ſenſum, ut adeò cauſa hæc prolabatur partim ad concertationem verbalem, partim ad illam in nullo hactenùs Concilio deciſam, & Doctoribus Pariſienſibus quandoque familiarem quæſtionem, *An Papa non tantùm in, & unà cum Concilio, ſed etiam extrà Concilium habeat omninò infallibilem & ultimatam dogmatum fidei deciſivā authoritatem.* De quo dictum eſt *ſupra n.35. ac ſeq.* Unde hîc rurſus non agitur de centro præſentis quæſtionis circà definita & approbata fidei dogmata duntaxat verſantis, atque adeò in aperto eſt, Vedroſium ſemper extrà rhombum fruſtrà agitari.

48. Ad *duodecimam* Reſp. Oportere, Vedroſium attendiſſe, an Moliniſtarum & Ianſeniſtarum controverſia fuerit de fidei dogmatibus jam definitis, an verò ita verſaretur circa fidei capita, ut tamen non attingeret *Formaliter* centrum Veritatis definitæ, ſed circumſtantiales duntaxat articulos. Quòd ſi prius acciderit, non premit præſens Vedroſiana argutia: ſi enim alterutra pars ſcienter adverſaretur puncto fidei quà definito, foret eo ipſo excluſa à Romanâ Eccleſiâ, nec adeò dici poſſet, controverſiam ejuſmodi ventilari inter Doctores, qui utrinque eſſent de Romanâ Eccleſiâ. Si poſterius evenerit, tunc quantumvis ex rationibus proprij judicij viſum fuiſſet, alterutrius partis doctrinam non ſubſiſtere cum ſacrâ Scripturâ ac fide Orthodoxâ, quamdiu tamen in ipſo Veritatis controverſæ puncto *Formaliter* ac *expreſſè* non oſtenderetur per Eccleſiæ conſenſum, ſeu definitionem authoritativam, aperta cum Verbo Dei repugnantia, non poſſet dici intrà Romanam Eccleſiam vigere controverſiam de capitibus fidei *Formaliter* ac *expreſſè* definitis.

49. Ad *decimamtertiam* Reſp. Aliquod manuſcriptum Româ allatum, ita expedire præſentem cauſam. Nempè diſtinguendum eſſe inter hanc Calvini & Lutheri *abſolutè* prolatam propoſitionem, *quòd ſcilicet juſtificato lex impoſſibilis ſit*, & inter iſtam Ianſeniſtarum *reſtrictoriè* prolatam enunciationem, *quòd ſcilicet Juſto alicui ſecundùm præſentes, quas habet vires, mandata aliqua ſint impoſſibilia.* Quarè priorem propoſitionem a Concilio Tridentino damnatam nulla-

nullatenùs eſſe aſſertam à Ianſenio. Poſterioris verò enunciationis ex mente Ianſenij eum eſſe ſenſum, ut per illas voces reſtrictivas *ſecundùm præſentes vires*, inſinuetur, poſſe homini etiam juſto deeſſe illud ſpecialis gratiæ auxilium, quod adverſùs Pelagianos Sanctus Auguſtinus, & adversùs Lutheranos Concilium Tridentinum propugnârit. Hoc verò ſpeciale Dei auxilium eſſe illud, vi cujus non tantùm detur poſſe, ſed ipſum perſeverantiæ in Charitate, ſeu Fide, aliavè virtute præceptâ donum, ipſumquè adeò ſalutare velle & operari. Quo proinde auxilio ſpeciali deficiente, præſentes in homine juſto vires non inducturas proximam (intrà lineam ſcilicet actûs ſecundi) potentiam. Hac verò deficiente, fore impoſſibilem præcepti adimpletionem, ut tamen iſta utpote non *Abſoluta* (ex parte virium in actu primo ſaltem remotè ſufficientium ſe tenens) & *Antecedens*, ſed *Hypothetica* & *Conſequens* (ex parte actûs ſecundi ſive operationis quà actualiter ponendæ ſe tenens) impoſſibilitas neque pugnet cum libero arbitrio, ſufficientem in actu primo vim operandi ſaltem remotam involvente, neque adeò excuſet mandati Divini tranſgreſſionem ex libero arbitrio taliter ſe habente promanantem. Quibus proinde ita ſe habentibus, aliud ſanè, à Vedroſij intentione longè diverſum, judicium oportebit formare circa præſentem Moliniſtarum & Ianſeniſtarum controverſiam.

Ad *decimamquartam* Reſp. Ex prætacto manuſcripto manifeſtum eſſe, 50
quòd Ianſeniſtæ aſſerendo, *interiori gratiæ nunquàm reſiſti*, contenderint, debere cum Sancto Auguſtino adversùs Pelagianos agente admitti gratiam interiorem, quâ ipſum Velle & Operari ſalutare ex Divinæ prædeſtinationis efficaciâ præparatum, miſericorditer à Deo donetur; voluntate tamen noſtrâ, quatenùs eſt ex ſe, liberè & contingenter, quatenùs verò eſt ex parte Divinæ prædeſtinationis ac donationis, invictiſſimè & infallibiliter cooperante. Quam proinde gratiam non tantùm ex *parte actûs primi* ſeu potentiæ operativæ, ſed ex *parte actûs ſecundi*, ſive ipſius actualis operationis ſe tenentem, aſſerebant Ianſeniſtæ, ejus eſſe naturæ, ut ipſi nunquàm reſiſtat voluntas, liberè licèt cooperans. Econtrà Moliniſtæ contendunt, dari gratiam ex 51
parte actûs primi ſe tenentem, ac merè ſufficientem, cui voluntas quandoquè reſiſtat. At verò Ianſeniſtæ in præſenti articulo abſtrahunt ab iſtâ gratiâ, quæ ſe teneat ex *parte actûs primi*, prætactam ſuam propoſitionem reſtringendo ad gratiam ipſius velle ex Divinæ prædeſtinationis efficaciâ invictiſſimè collativam. Quibus proindè ita ſe habentibus, in aperto eſt, Moliniſtarum de gratiâ interiori quà gratiam ex *parte actûs primi* ſe tenentem quoquè involvente, univerſaliter loquentium, & Ianſeniſtarum de gratiâ interiori, quà gratiam ex *parte actûs ſecundi ſe præciſè* habentem importante,

Digitized by Google

reſtrictivè loquentium controverſiam, nihil facere ad intentum Vedroſij.

52. Ad *decimamquintam* Reſp. In iſtâ Ianſeniſtarum propoſitione ſubtiliter eſſe advertendum, quòd Neceſſitas *Coactionis* non *abſolutè* ſpectetur, ſed prout opponitur Neceſſitati *Infallibilitatis*. At iſta Neceſſitas *Infallibilitatis* à Sancto Anſelmo in *Concord. Praſc. & Pradeſt.* ſolet vocari Neceſſitas Conſequens, quæ nimirum certitudinem ac efficaciam Divinæ Prædeſtinationis ac Præſcientiæ ita ſit conſequens, ut tamen non ſe teneat in voluntate ex *parte actûs primi*, cum indifferentiâ electivâ ac dominativâ *Completè* inſtructi ad operandum: ſed iſtam electivam indifferentiam ſupponat ac illibatam relinquat. Unde iſta *Infallibilitatis* Neceſſitas Conſequens *ſecundùm Sanctum Anſelmum proximè citatum* deſcribitur, quæ non faciat, voluntatem cogendo, aut voluntati reſiſtendo, ſed in ſuâ illam poteſtate relinquendo. At *Coactionis* foret Neceſſitas, quæ faceret voluntatem cogendo, vel ipſi reſiſtendo, nec adeò in ſuâ illam poteſtate relinquendo. Hanc ipſam verò Neceſſitatem Sanctus Anſelmus eatenùs vocat Antecedentem, ut eam cum libertate cohærere apertè neget, libertatemquè à tali Neceſſitate Antecedente eatenùs dicat ſufficientem ad merendum & demerendum, ut minimè requi-
53. rat libertatem à Neceſſitate Conſequente. Quid ergo Vedroſi? Si Ianſeniſtæ ſub Neceſſitate *Coactionis*, non abſolutè, ſed comparatè (uti ſuprà animadverſum eſt) ſpectatâ intellexiſſent Neceſſitatem Antecedentem, ſub Neceſſitate verò *Infallibilitatis* Neceſſitatem Conſequentem, an non concordarent cum Divo Anſelmo? En igitur, Ianſeniſtarum & Moliniſtarum controverſiam non ita periclitari in fide, quin ſub terminorum congruâ explicatione reduci poſſit ad ſtatum longè alienum à tuæ argutiæ intento.

54. Ad *decimamſextam* Reſp. Præſentis difficultatis punctum ad hoc reduci, *An interiori gratia ad quoſcunque fidei actus requiſita debeat ineſſe efficacia, cui reſiſti non poßit?* At in hoc omnibus Pontificijs convenit, poſſe in ſenſu diviſo eatenùs reſiſti interiori gratiæ, quatenùs ex *parte actûs primi* ſit potentia ad non operandum, quamvis in *ſenſu compoſito* reſiſti non poſſit, ita ut ipſa efficacia gratiæ ſecundùm *ſe formaliter* ſpectata habeat contingentiam cum
55. non actu componibilem. Verùm in controverſia eſt, *An iſta efficacia ſit ex connotatione ſcientia Dei conditionata, ſive futuritionis conditionalis, an verò ex intrinſecâ Divina cauſalitatis ſeu motionis virtute?* Quare Ianſeniſtæ contendebant, Moliniſtas (liceat uti terminis à Vedroſio uſurpatis, cum debito tamen ergà Societatis Ieſu Theologos reſpectu) hanc efficaciam quà motioni Divinæ intrinſecam negantes, eamquè in futuritione ac præſcientiâ conditionali ponentes, atque adeò gratiam ac motionem Divinam intrinſecè indifferentem duntaxat admittentes, ſapere Semipelagianiſmum. Quam proinde

notam.

Digitized by Google

niotam à ſe propellebant Societatis Ieſu Theologi, negando Semipelagianiſmum in eo ſe *Formaliter* tenere, quòd negarent gratiam *ex ſe* ac *intrinſecè* efficacem, ſed quòd initium fidei abſque gratiæ influxu ex ſolius arbitrii viribus adſtruxerint. Vides igitur Vedroſi, tam Moliniſtas, quàm Ianſeniſtas convenire in eo, quòd agnoſcerent pro errore, ſi (quamvis in hoc, *an ſub hiſce formalibus id tenuerint Ianſeniſtæ*, ſit aliqua quæſtio *Facti*, non *Iuris*) dicatur initium fidei, ſeu fundamentum ſalutis, ſubſiſtere poſſe abſque gratiâ Dei, ſed contentionem eſſe, *An iſtam gratiam oporteat, eſſe efficacem efficaciâ provenientе non tantùm ex futuritione ac præſcientiâ conditionali, ſed ſubſiſtenti formaliter in ipsâ motione ſeu cauſalitate Divinâ?*

Ad *decimamſeptimam* Reſp. Ex ipſis Ianſeniſtarum verbis à Vedroſio allegatis patere poſſe, non eſſe quæſtionem, *an Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, ſed an gratia per mortem Chriſti omnibus* (quoad ſufficientiam ſcilicet) *oblata, ita ſit in nutu arbitrij, ut quilibet poſſit eam conſequi ſine gratiæ ex ſe efficacis adjutorio.* Unde controverſia eò reducitur, *An ſcilicet opus ſit gratiâ ab intrinſeco, non verò per ſolam præſcientiæ ſeu futuritionis conditionalis connotationem efficaci?* Etſi verò in hoc ipſo puncto graviter inter ſe concertent Thomiſtæ ac Ieſuitæ, quia tamen illa ipſa futuritio conditionata à Societatis Ieſu Theologis reducitur in Decretum Dei *Objectivum*, Thomiſtis econtrà pugnantibus pro Decreto Dei (uti vocant) *Subjectivo*; idcirco patet ex dictis *ſuprà*, præſentis controverſiæ punctum tandem reduci ad ſubtilitatem ſcholaſticam à ſummis Pontificibus hactenùs indeciſam. 56

Ad *decimamoctavam* Reſp. Eam non niſi calumnijs Vedroſij turgere. Falſum enim eſt, quòd fidei controverſiæ in Romanâ Eccleſiâ nè quidem per ſummum Pontificem unà cum Concilio ſint facilè terminabiles: quinimò eatenùs oportet, omnes Pontificios eſſe paratos ad ſtandum ejuſmodi deciſioni, ut, qui ſecùs faceret, eo ipſo foret extra gremium Romanæ Eccleſiæ. Verum quidem eſt, Ieſuitis articulos præallegatos ab Innocentio X. damnatos clamitantibus, opponi ex parte Ianſeniſtarum, quòd illi articuli ſub formalibus per Papam damnatis verbis ac ſenſibus non reperiantur in ſui Anteſignani Ianſenij libris, ex hoc tamen fatentur, ita ſe ſubjectos Pontificiæ deciſioni, ut ejus neque verbis, neque ſenſui præſumant ſe opponere, ſed moveant duntaxat quæſtionem *Facti* (quæ utpotè fidei doctrinam non concernens, per ſe ac primariò non attendebatur in Pontificiâ deciſione.) *An ſcilicet articuli ab Innocentio X. damnati ſub formalibus verbis ac ſenſu per Pontificem intento ſint de doctrinâ Ianſenij?* Vides proindè Vedroſi, in ijs, quæ fidei ac Iuris Divini ſunt, Pontificios ita convenire in unâ regulâ Divinitus inſtitutâ, definitione ſcilicet ſummi Pontificis, intrà Concilium 57 58

præſertim Oecumenicum editâ & approbatâ, ut impoſſibile ſit, quoad articulos taliter definitos ſcienter ac pertinaciter diſcrepare Doctores, & tamen utrinque manere intrà veram Eccleſiam.

59. Ad *decimamnonam* Reſp. Illam Bellarmini exceptionem omninò ſubſiſtere, *uti pateat ex dictis*. Unde Romanam inter & tuam Reformatam Eccleſias diſcrimen quoad præſens punctum in eo ſe tenere, quòd Eccleſia tua Reformata Divini Verbi in mentibus fidelium ſub ipsâ Fide ſupernaturali *principaliter*, & ſub Patrum Orthodoxorum ſcriptis *inſtrumentaliter* propagatam Traditionem, nec non Oecumenicorum Conciliorum in Fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem eatenùs neget, ut ex neutrâ iſtarum contendat, deſumi poſſe certam Fidei regulam, verorum ſacræ Scripturæ ſenſuum declaratoriam ac deciſoriam; ſed tam Verbum Dei ſcriptum, quàm Conciliorum definitiones cujuſque propriæ conſcientiæ ſenſui ac ſpiritui privato ſubijciat. At ex hoc impoſſibile eſt, retineri Fidei unitatem, ſed opus eſt, eſſe tenebras Ægyptiacis denſiores, ſub quibus frater

60. non agnoſcat fratrem, ejuſdem licèt fraternæ Reformationis. Econtrà verò Romana Eccleſia pro legitimis ſacrorum Textuum ſenſibus ac dogmatibus fidei non tantùm ſub ſacrâ Scripturâ ceu mortuâ membranâ, ſed ſub vivâ fide illibatè retinendis habet tum Traditiones Divinas, tum deciſiones ſacrorum Conciliorum, quibus omnes & ſinguli Romanæ veræ Eccleſiæ ſubjecti ita tenentur ſe accommodare; ſuum adeò intellectum ſeu ſenſum proprium captivando in Fidei ac Chriſti ſeu Primæ Veritatis obſequium, ut, quiſquis illis contradicit, eo ipſo extrà Dei Eccleſiam ſit ejectus. At ex hoc non poteſt non eſſe talis circà Fidei dogmata unitas, ut impoſſibile ſit, quoad articulos fidei per Traditionem ejuſmodi receptos, ſivè à Concilio Oecumenico definitos poſſe ſcienter ac pertinaciter diſceptari. Conſtat proindè, in Romanâ Eccleſiâ non poſſe non ſubſiſtere Fidei unitatem, cùm hanc econtrà impoſſibile ſit, obtineri à proprio Reformationis prætenſæ ſpiritu.

COROLLARIUM.

61. EX dictis infertur. Vedroſium ita declinare rationem Georgij *cap. 1.* inſinuatam, ut ſuæ Reformationis infirmitatem *ex hoc* vel maximè prodat, dum ſuorum in fundamentalibus diſſenſionem contendit enervare ex diverſitate ſententiarum inter privatos duntaxat Doctores, Pontificiæ tamen in Oecumenicis præſertim Concilijs editæ definitioni ſe ſe ſubijcientes, citrà ullam fidei & charitatis læſionem ex ſubtilitatibus ſcholaſticis ſe tenente. Unde ſic licere argumentari. Ille ſpiritus ſanè non eſt Divinus, qui

qui Conciliorum Oecumenicorum definitiones quorumlibet privatis ſenſibus ſubjectas proclamando, nullam jam agnoſcit certam & fixam, ſed innumeris contradictionibus obnoxiam Fidei Regulam. At ita ſe habet Reformata Eccleſia, quæ ex illâ Fidei Regulâ amiſsâ, jam contendit Romanæ quoquè Eccleſiæ impingere talem, qualem in ſe manibus attrectat, Dogmatum Fidei diſſenſionem: at fruſtra, dum, quæ privatorum ſunt Controverſiæ ſcholaſticæ, nequeunt eo ipſo in ipſam Eccleſiam Romanam redundare, quòd omnes ex indubitato Chriſti pronunciato teneantur ſtare articulis in Concilio præſertim Oecumenico definitis. Conſequens igitur eſt, talem Reformationis Modernæ ſpiritum eo ipſo non eſſe Divinum, quòd ſuam ex ſuo privato ſpiritu ob certæ univerſalis Regulæ defectum in Dogmatibus Fidei ſtabilitatē non jam valeat excutere, ſed eam ſimilis, at falſæ, de Pontificiorum diſſenſione objectionis fumo nitatur duntaxat obfuſcare.

SECTIO VII.

Utrùm Eccleſia Romana veras Eccleſiæ notas præſeferat.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc Author *ſua Facis Rat. 2. n. 3.* inducit Paulum ad Romanos *cap. 1. v. 8.* ſic ſcribentem: *Gratias ago Deo meo &c. quòd fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* At hanc ipſam Romanæ Eccleſiæ ceu Orthodoxam, poſterioribus etiam temporibus agnitam fidem, Romanamquè adeò ſedem ceu Cathedram Apoſtolicam cultam fuiſſe, *n. 4. ac ſeq.* probat tum ex teſtimonijs ſanctorum Patrum Cypriani *lib. 1. Epiſt. 3.* Hieronymi *Epiſt. ad Damaſum Papam.* Auguſtini *lib. 2. cap. 8. de gratiâ Chriſti*; tum ex propriâ Doctorum Reformatorum confeſſione, Calvini, Bullingeri, Polani, Scharpij, Sculteti, Breitingeri, *ibidem citatorum.*

Idem Georgius *Rat. 31.* Reformatorum, puritatem Orthodoxæ doctrinæ in Eccleſiâ defeciſſe, contendentium exceptioni occurrit, hanc enervando proprijs eorundem contradictionibus. Nam Bullingerus *adverſùs Brentium cap. 7. partis prioris* talem doctrinæ puritatem extendit ad integra ſex, vel etiam plura ſæcula. Breitingerus *Opuſ. de ſect. pag. 27. Bal. verſ.* reſtringit illam puritatem ad quadringentos; Hottingerus *in Epiſt. Dedicatoriâ operis* Wegweiſer ad trecentos annos. Calvinus verò *Inſtit. lib. 4. cap. 15. ſect. 19.* ait: inter ipſa Evangelij exordia ſtultâ mundi credulitate abſque negotio ferè receptas eſſe ſathanæ impoſturas & craſſa ludibria. Et *Inſtit. lib.*

lib. 4. cap. 13. ſect. 17. negat, *Eam ætatem ab omni vitio liberam fuiſſe, ut pro regulâ habendum ſit, quicquid tunc factum eſt.*

3. Author citatus *Rat. 16.* ſic argumentatur. Ipſimet Reformati cum Zachariâ Urſino *Proleg. gener. 4. arg. 12. in cath.* fatentur, eam Religionem, quæ facit homines ſanctos, Deoquè placentes, debere ſanctiſſimam & Divinam eſſe. At primorum quinque ſæculorum Religio Chriſtiana fecit plurimos ſanctos, inter quos ſunt Eccleſiæ ſanctæ Doctores præcipui tam Græci, quàm Latini, ſpeciatim Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, uti tradit Confeſſio Helvetica *cap. 2. ſect. 2. cap. 5. ſect. ult. cap. 18. ſect. penult. & alibi.* Oportet proinde, primorum quinque ſæculorum Religionem Chriſtianam fuiſſe Divinam & ſanctiſſimam, atquè adeò puram & Orthodoxam, fatentibus Calvino *Inſtit. lib. 1. cap. 11. ſect. 13.* Breitingero *Opuſc. de ſect. pag. 27.* Danzio *pag. 5. Epiſt. ad Georgium.* Philippo Melanchtone *lib. 3. Chron. Car. in vitâ Theod. 1.* Bullingero *cap. 7. primæ partis adversùs Brentium.* Peucero *lib. 4. Chron. Car. de reb. Eccleſ. pag. 145.* Kechermanno *lib. 3. cap. 14. ſyſtem. logici.* At primorum quinque ſæculorum Religio, quam Eccleſiæ ſanctæ Doctores præcipui, ſpeciatim Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus profeſſi ſunt, hodie colitur in Eccleſiâ Romanâ. Ergo Eccleſiæ Romanæ

4. Religio facit ſanctos, eſtquè adeò ſanctiſſima & Divina. Minor hæc ſubſumpta probatur inductione per Redingium in ſuis Heideggerianæ Diſputationis Refutatoriis *Diſſert. 8. n. 3.* deductâ. Nam 1. Eccleſia Romana profitetur Miſſæ ſacrificium. At iſtud ſacrificium eſſe fundatum in verâ & Orthodoxâ fidei doctrinâ, teſtantur non tantùm ſancti Patres, ſpeciatim Ambroſius *præpar. ad Miſſam.* Chryſoſtomus *lib. 6. cap. 4. de ſacerd. dignit.* Hieronymus *in cap. 1. ad Titum.* Auguſtinus *q. 57. in Levit. & cap. 109. item cap. 110. Ench. ad Laurent. ac ſerm. 34. de verb. Apoſt.* Sed ipſemet Zwinglius *Epich. de Can. Miſſæ.* Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 18. ſect. 11.* Bullingerus *Decad. 5. ſerm. 9.* §. *Pro mortuis.* Confeſſio Helvetica *cap. 21.* fatentur, veterem Eccleſiam credidiſſe, Miſſam verum eſſe, & propriè dictum pro vivis & mortuis ſalubre ſacrificium. 2. Eccleſia Romana profitetur, ſacram communionem eſſe

5. frequentandam, præmiſsâ Sacramentali Confeſſione. At hoc veteris Eccleſiæ Orthodoxæ doctrinæ conforme eſſe, teſtantur præter alios Patres non tantùm Sanctus Cyprianus *Serm. 5. de lapſ.* & Sanctus Auguſtinus *cap. 10. de pænit.* ſed etiam Calvinus *Inſtit. lib. 3. cap. 4. ſect. 7.* Bullingerus *ſerm. de dignè & indignè manducant.* diſſerens in hæc verba: *Agnoſco quidem, in veteri Eccleſ. â re-*

6. *ceptum fuiſſe, ut communicaturi confiterentur priùs ſacerdoti pænitentiario.* 3. Romana Eccleſia frequentat ſuffragia pro defunctis, ſeu animabus in purgatorio detentis. At Zwinglius *Epich. de Can. Miſſæ.* Bullingerus *Decad. 4. ſerm.*

9. §.

9. §. *Pro mortuis. & ſerm. 10. §. Hi ipſi.* Calvinus *Inſtit. lib. 3. cap. 5. ſect. 10* Petrus Molinæus *cap. 24. de purgatorio. Clyp. fid. pag. 202.* teſtantur, Patres veteris Eccleſiæ, præſertim quarti & quinti ſæculi, in quibus ſecundùm Reformatorum Doctorum confeſſionem vigebat vera, Orthodoxa, & integra fides, tradidiſſe doctrinam de purgatorio & oblationibus, ſeu ſuffragijs defunctorum. 4. Romana Eccleſia profitetur Sanctorum, Beatiſſimæ præ- 7.
ſertim Virginis invocationem ſeu interceſſionem. At iſtam in veteri Eccleſiâ à ſanctis Patribus, ſpeciatim Sancto Hieronymo cultam eſſe, conſtat ex ipsâ quoquè Reformatorum Doctorum, Zwinglij *Epich. de Can. Miſſa.* Bezæ *adverſ. 3. p. lib. Brent. in fine.* Molinæi *cap. 24. de invocat. Sanct. Clyp, fid. pag. 252.* confeſſione. 5. Romana Eccleſia colit Religioſam Profeſſio- 8.
nem cum votis Monaſticis. At Calvinus *lib. 4. cap. 13. ſect. 9. 16. & 17.* fatetur, Monaſticam vitam cum votis eidem annexis frequentatam fuiſſe antiquitùs, ac ſpeciatim probari à Sancto Auguſtino. 6. Romana Eccleſia ag- 9.
noſcit pro Capite ſummum Pontificem ſibi præſidentem. At certam Paſtorum Romanorum ſucceſſionem magni in primitivâ Eccleſiâ fuiſſe, veterem què Romanam Eccleſiam ſeu doctrinam jam ipſorummet Apoſtolorum ætate, ac per quingentos ab eo tempore, vel etiam plures annos per totum terrarum orbem non claram ſolùm, conſpicuam, & illuſtrem fuiſſe, verùm Orthodoxam etiam, Catholicam, & Apoſto'icam, ejuſquè Pontifices fuiſſe Orthodoxos & ſynceros in fide Apoſtolicâ, teſtantur Bullingerus *Decad. 5. ſerm. 1. §. Poſterius. & ſerm. 2. §. Liberè.* Polanus *Theſ. 66. cap. 18. Sym. Pat.* Scharpius *Curſ. Theolog. lib. de Capit. Eccleſ. Milit. q. 5. reſp. 1. ad object. 1. & lib. de S. ſcript. cont. 8. cap. de interp. S. Script. reſp. 1. ad object. 17.* Sculterus *Medullâ Pat. cap. 16. Synt. doct. Athanaſij.* Breitingerus *Opuſc. de ſect. Ital. verſ. pag. 29.* Danzius *Epiſt. ad Georg. pag. 17.*

Ex quibus proinde conſtat, fidem, quam hodie profitetur Romana 10.
Eccleſia, fuiſſe cultam à Patribus antiquis, ipſorum etiam Reformatorum judicio ſanctiſſimis. Cùm igitur fidem, quæ gignit Sanctos, oporteat, eſſe Divinam & ſanctiſſimam; illa ipſa verò fides, quam coluerunt Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, alijquè veteres Patres, hos in ſummum ſanctitatis apicem evexerit, iſta autem fides conſtet iiſdem dogmatibus, quæ hodierna profitetur Eccleſia Romana, evidenter ſequitur: Fidem Romanæ Eccleſiæ Divinam & Sanctiſſimam eſſe.

***

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

11. VEdroſius ſuæ *Antiquitatis ſect. 3. circà finem* arguit 1. Se Reformatos minimè invidere veteri Romæ laudes, à Paulo ac veterib s imò & ſuis Reformatis Theologis tributas, à Georgio *præf. Rat. 2.* ſolicitè conquiſitas; ſiquidem ejus & Antiſtitum ipſius fides ac prima opera meruerint tales laudes. Verùm heroum iſtorum filios nunc eſſe novos. Priores illos condemnâſſe hæreſes, poſteriores commendâſſe. Primis ſæculis ſuam in fide conſtantiam bonis omnibus probâſſe, hæreſes conſtanter & fortiter repuliſſe. Quam eſſe cauſam, cur monente Calvino, tanti facti fuerint, ut alij unionem & conjunctionem cum ijs requiſierint. At temporum lapſu, remoto candelabro, fidem cum perfidiâ, lucem cum tenebris commutâſſe; poſteriores cum prioribus nihil commune habere, non vitam, non labores, non prædicationem, non doctrinam.

12. Arguit 2. De neceſſarijs enim & principalibus, quæ ad ipſum Eſſe Fidei pertineant (uti ſint articuli de ſacrâ Scripturâ, de Trinitate, de hominis lapſu, de Perſonâ & Officio Chriſti, de Iuſtificatione, de Regeneratione, de Sacramentis) Doctores Romanæ Eccleſiæ cum reliquarum Eccleſiarum Antiſtitibus primis illis & fælicioribus ſæculis ita ſenſiſſe, ut, quamvis remotiores eſſent à ſæculo Apoſtolorum, eò magis fuerint paſſi aliquid humani; prout Euſebius *Eccleſiaſt. hiſt. lib. 3. cap. 26. & 32.* intemeratam Eccleſiæ Virginitatem vix ultrà ſæculum extendat: ſtatim enim ab Apoſtolorum exceſſu doctrinam falſam nudo, ut ajunt, capite, ſyncero Veritatis ſermoni ſe opponere auſam fuiſſe. Hieronymum de *vitâ B. Malchi captivi Monachi* ſuo tempore Eccleſiæ fæcem, & Clerum Romanum ſenatum appellare Phariſaicum. Attamen neminem ab illorum communione diſcedendi cauſam ſatis idoneam habuiſſe. Atque huc digitum intendere Danzium ſuum, cùm ait, primis quingentis annis ſecundùm Verbum Dei eſſe traditum verum de Deo ſenſum, & pium in Deum cultum.

13. Arguit 3. Illis temporibus fuiſſe Monachos, Epiſcopos, nominari altaria, ſacrificia, non omni quidem defectu carentia, nondum tamen idololatricis ſuperſtitionibus ita inquinata & perdita, ut fundamentum ſalutis eliſerint, quæquè fœnum, ſtipulæ, lignum appellari potuerint, cùm nullâ neceſſitatis lege, quæ contrà ſentientes anathematis fulmine percuteret, introducta fuerint. Exortum eſſe novum Regem ſuper Ægyptum

rum, qui Ioſephum non noverit. Secutam eam rerum faciem, de quâ Petrus de Aliaco *Serm. 1. de S. Ludovico* in Concilio Conſtantinop. Anno 1417, habito affirmet: *Eccleſiam Romanam ſummoperè opus habere, ut in fide & moribus reformetur.*

Arguit 4. Quando verò Eccleſia Romana abominationi deſolationis locum dederit, teſtes ſe habere non de domo productos, quorum fides ſuſpecta Pontificijs eſſe poſſit: ſed notas eſſe querelas, in quas effundantur Baronius, & Genebrardus, fatentes, monſtra & propudia hominum in Papatum intruſa, pueros infartos, fœdos, ambitu, largitionibus, prenſationibus, armis, proſtibulorum etiam pudendis artibus ad faſtigium illud graſſatos, ſecum invicem ſæpè commiſſos, periuros, hæreticos, ſchiſmaticos, Conciliorum voce renunciatos apoſtatas, qui per annos centum & quinquaginta non per oſtium, ſed per poſticum, furum & latronum inſtar ingreſſi ſint. *Ex Gilbert. Genebr. Chronol. lib. 4. An. 901.* 14.

Arguit 5. Inter Simoniacos fuiſſe Alexandrum VI. qui ſuffragia Cardinalium, nemine neſciente, mercatus ſit, teſte Gaiâ *hiſt. Ital. lib. 1.* Quales fuiſſe longè plures, teſte Alvaro Pelagio *de planctu Eccleſ. lib. 2. a. 15.* Inter magiæ deditos fuiſſe Sylveſtrum II. teſte Platinâ, & Faſciculo temporum. Inter hæreticos numerari non paucos, teſte Alphonſo de Caſtro *lib. 1. adverſ. hæretic. cap. 2. &* Lyrano *in Matth. c. 16.* dicente: *Quòd multi principes & ſummi Pontifices, & alij inferiores inventi ſint apoſtataſſe à fide.* 15.

Arguit 6. Hos apoſtatas jure à Baronio vocari monſtra, cùm Antichriſtus variam, multiplicemque habeat naturam: cornua gerat ſimilia Agni, ſed loquatur, ſicut Draco. Iniquitatem enim ejus quibuſdam fidei & Pietatis adumbratæ radicibus niti. Ideò regimen ejus myſterium iniquitatis dici *Theſſalon. 2. v. 7. Qualesnam veris* (aſſerere Baronium ad Annum 912.) *delectos ab hiſcè monſtris Presbyteros & Diaconos Cardinales fuiſſe putemus?* 16.

Arguit 7. Reſtituendam proinde Romam illam, cujus fides deprædicata fuit in toto orbe, & tunc ſe Reformatos ejus communionem non aſpernaturos. De hodiernâ enim Româ locum habere effatum Concilij Rhemenſis ſub Hugone Capeto, Præſide Arnulpho Epiſcopo Aurelianenſi, celebrati, ubi Arnulphus inter alia dicat: *O Roma lugenda, quæ noſtris majoribus clara Patrum lumina protuliſti, noſtris temporibus monſtroſas tenebras, futuris ſæculis famoſas effudiſti.* 17.

Cæterum quia *præced. cap. à n. 4.* allatæ ſunt plures partim ex Sanctis Patribus, partim ex Doctoribus Reformatis deſumptæ, ac per Redingium in *ſuis Heideg. Synodal. Diſſertationis Refutatory* deductæ demonſtrationes, quibus oſtenditur, quoad dogmata fidei à Reformato Miniſterio hodie 18.

in controverſiam tracta, Romanæ Eccleſiæ convenire cum antiquâ Orthodoxiâ, idcircò operæpretium viſum eſt, hîc attexere, quid adversùs eos excipiat Heideggerus in *ſuis Theologorum Reformatorum Vindicijs.*

19. Hic igitur Tigurinus Miniſter *in cit. Vindic. n. 10.* arguit 8. Ab adverſario Redingio induci Zwinglium, Bullingerum, Calvinum, imò ipſam Confeſſionem Helveticam, confitentes, in Eccleſiâ veteri extitiſſe Miſſæ ſacrificium. At Confeſſionem Helveticam *cap. 21.* iſta verba habere: *Miſſa, qualis aliquando apud veteres fuerit, tolerabilis, an intolerabilis, modò non diſputamus.* Ex quibus audaculum illum Redingium incognitâ quâdam conſequentiæ trochleâ inferre, quòd Confeſſio Helvetica fateatur: *Veterem Eccleſiam crediдiſſe, Miſſam eſſe verum & propriè dictum ſacrificium.* At contrà iſtam illationem ſtare, quòd Veterum Confeſſio ſub Miſsâ intellexerit Euchariſtiam, non theatricum & ſacrificalem illius luſum, qui veræ Euchariſtiæ vice apud Pontificios fungatur, & ad veri Sacramenti deriſionem potiùs, quàm honorem pertineat.

20. Deinde Redingium ex Zwinglij *Epichereſi* probare, Veteres oblationem à Chriſti morte diſtinctam agnoviſſe. At verum quidem eſſe, quòd agnoverit: attamen errorem hunc Patrum *pag. 183.* caſtigâſſe, aſſerendo: *Errori Patrum occaſionem dediſſe Verbi Dei neglectionem.* Cui tamen taxationi & caſtigationi Patrum mox ſubjeciſſe, quòd nonnulli Patrum, ſpeciatim Chryſoſtomus ſub illâ oblatione non aliud intellexerint, quàm *Rememorationem.*

21. Porrò circà Bullingeri allegatum locum *Decad. 5. ſerm. 9.* mirâ aſtutiâ Redingium convertiſſe ſermonem Hypotheticum in Categoricum, ſiquidem Bullingeri verba ita ſe habeant: *Si veteres ſentiunt, Cœnam eſſe ſacrificium, &c. non recipimus eorum ſententiam, utpote ſcripturis non congruam.* Deniquè Calvinum ter in hanc ſententiam citari à Redingio, ſed loca allegata planè non extare, vel præſens argumentum nè uno quidem apice attingere. Imò *Inſtit. 4. 18. 10.* verba Redingio è diametro oppoſita legi.

22. Heideggerus reſponſione ad Redingij exceptionem ſuprà *cap. 1. n. 5.* expoſitam penitùs omiſsâ, arguit 9. *in cit. ſuis Vindicijs n. 17.* Redingium conari Zwinglij in *Epichereſi.* Bullingeri *Decad. 4. ſerm. 9.* Calvini *inſtit. 3. 5. 10.* Molinæi *Clyp. fidei pag. 292.* teſtimonijs probare, orationes & oblationes pro defunctis in purgatorio laborantibus viguiſſe quarto, quintovè poſt Chriſtum natum ſæculo. At illos Reformatos Doctores fateri quidem omnes, quòd in veteri Eccleſiâ obtinuerint orationes pro Defunctis, neminem tamen profiteri, quòd ſuſcepti ſint pro defunctis; apertè refutari à Calvino *inſtit. 3. cap. 10.*

23. Idem Doctor Tigurinus *n. 7.* arguit 10. Redingium conari, teſtimonijs

Digitized by Google

niis Zvvinglij, Bezæ, & Molinæi aſtruere, quòd interceſſiones Sanctorum, Deiparæ præſertim Virginis à Veteribus Eccleſiæ Doctoribus probatæ fuerint. At dato, quòd Sancti Cælites virtute communionis & Charitatis fraternæ Deo Eccleſiæ Militantis ſtatum, quem luctuoſum eſſe haud ignorent, precibus ſuis commendent, non ideò effici, noſtros eſſe illos apud Deum Mediatores, atque eo nomine invocandos eſſe; vel regnorum, provinciarum, urbium, pagorum, templorum, clauſtrorum, artium &c. tutelarem curam pro arbitrio hominis Itali ijs committendam eſſe.

Præfatus Tigurinus Profeſſor *n. 16.* arguit 11. A Redingio allegari teſtem Calvinum, quòd vota Monaſtica ſint antiquitùs frequentata, & ſpeciatim à Sancto Auguſtino probata. At ſi Redingius vel Sanctum Auguſtinum *de morib. Eccleſ. Cath. cap. 31. nec non de opere Monach.* vel Calvinum *Inſtit. 4. 13.* obiter legiſſet, reperturum fuiſſe haud dubiè talia, quæ in ruborem ipſum dediſſent. Intellecturum nempè fuiſſe, quòd Cucullati hodierni tum quoad Profeſſionem ipſam, tum quoad mores non minùs differant à Veteribus Monachis, quàm ſimiæ ab hominibus. 24.

Heideggerus deniquè *n. 24.* arguit 12. Circà Papatum, id eſt Petri & Papæ Romani primatum, quòd veteribus agnitus fuerit, à Redingio teſtes allegari Reformatos Doctores, ſpeciatim Bullingerum *Decad. 5. ſerm. 2. §. Turpiter.* Calvinum *Inſtit. 4. 6. 6. & 7. 5.* quaſi nolentes volentes fateri debuerint, tum quòd veteres Eccleſiæ ſcriptores ſint teſtificati de Primatu Petri, tum quòd verba illa: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam,* ex ſenſu Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum accipienda ſint de Petro: tum denique, quòd nullum fuerit tempus, quo non Romana ſedes imperium in alias Eccleſias (ex ipſo ſcilicèt, uti Sancti Patres probent, Iure Divino) appetiverit. Quinimò & Papam eſſe ſucceſſorem Petri, fatentes ab eodem Redingio introduci Alſtedium *Chronol. cap. 24.* & Calvinum *Inſtit. 4. 7. 5.* At primatum Ordinis & Honoris, quem Patres vocent præſidentiam, B. Petro detuliſſe nonnullos; atque hoc fateri ſuos Reformatos. Primatum verò Imperij & Iuriſdictionis, aut potiùs Papalem omnipotentiam à nemine tribui. Verba Chriſti: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* à nonnullis Patribus exponi de Petro, concedi à Calvino: ſed ipſos à Papiſtarum ſententiâ eſſe alieniſſimos. Agnoſcere Patres, Petrum eſſe appellatum petram ſive ratione fidei & confeſſionis: aliàs propria & eſſentialia petræ prædicata ſoli Deo competere. Quoad Epiſcopos Romanos fateri Calvinum, nullum tempus fuiſſe, quo in alias Eccleſias imperium Romana ſedes non appetiverit. At jure

Divi-

Divino debitum appetijſſe, Redingij gloſſam, non Calvini eſſe aſſe
nem. De Papæ in locum Petri ſucceſſione ne gry quidem *loco citato*
bere Calvinum. Aliteſium concedere quidem, quòd Petrus Ro
venerit, at negare, quòd ibidem 25. annos conſederit &c. Patres pro
nitate Romani Epiſcopi argumento à ſucceſſione petito uſos quidem
iſſe, ſed intellexiſſe cum locali & perſona i ſucceſſione conjunctam
petuam ejuſdem doctrinæ & fidei, quaſi per manus ſibi ſuccedentium
coporum traditionem.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſoli Romanæ Eccleſiæ convenire notas veræ Ec ſiæ expreſſas in ſymbolo Nicæno, profitente Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.

Probatio prima, deſumpta ex Unitate fidei ac doctrinæ Orthodoxæ.

27. NAm Unitatem Fidei eſſe propriam Eccleſiæ, patet ex illo Ap
li *ad Epheſ. 4. Unum Corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in u*
vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. Eſt i
Eccleſia unum Corpus, cujus membra ſunt fideles. At Corporis
myſtici forma eſſentialiter conſtitutiva, eſt Fides. Sicut ergo eſt un
cleſia, ſic hujus eſt propria Unitas fidei, ceu formæ Eccleſiam eſſenti
conſtituentis. At verò Unitas fidei ſubſiſtere non poteſt, ubi myſte
dei privato cujuſque jactatæ conſcientiæ ſpiritui ſubijciuntur: ut pa
dictis *ſuprà diſſert. 2. ferè per totam.* Oportet igitur, pro unitate fidei co
vandâ admittere fidei regulam, cui utpotè Divinitùs inſtitutæ, a
tâ promiſſionem Divinam Chriſti & Spiritûs Sancti aſſiſtentia firm
omnes ſuum judicium proprium humiliter ſubijciant. At ejuſmodi
la eſt definitio Romani Pontificis in Concilio præſertim Oecumeni
dita & firmata. Quâ proinde regulâ contemptâ, neceſſum eſt, ſcindi
ac Eccleſiæ Unitatem: Sancto Cypriano *Epiſt. 55. ad Cornelium Papa*
28. *med.* ita ſcribente: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſch*
quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad temp
cerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm Magiſteria
obtemperaret fraternitas univerſa, nemo poſt Divinum judicium, poſt populi ſu

gitized by Goo

tur, poſt Coepiſcoporum conſenſum, Iudicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris hæreſim novam conderet. Conſtat proinde ex iſto Sancto Patre (reliquos enim in idem præſens punctum uno ſpiritu conſpirantes, ſuperiùs *diſſert. 3. ſect. 4. c. 3. n. 20. & alibi* videre licet) ad unitatem Eccleſiæ tenendam oportere agnoſcere, ac obtemperare uni Sacerdoti tanquàm Iudici Chriſti Vicario. 29.
At hunc ſacerdotem idem Sanctus Cyprianus *eâd. Epiſt.* apertis verbis ait, eſſe Romanum Pontificem obtinentem Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta ſit. Cùm igitur ex hoc natæ ſint hæreſes, quòd iſti Sacerdoti Dei, ceu Iudici Chriſti Vicario non obtemperetur, conſequens eſt, non poſſe in illis, qui ſibi placentes ac tumentes, proprium ſuum jactatæ conſcientiæ inſtinctum definitioni Pontificiæ in Concilio præſertim Oecumenico ſtabilitæ præponunt, eſſe unitatem fidei. Hæc igitur ceu propria Eccleſiæ nota, eo ipſo convenit Romanæ Eccleſiæ, quòd teneat illam fidei regulam Divinitus inſtitutam, ita ut quiſque proprium ſuum judicium teneatur ei ſubijcere, itàque intellectum captivare in obſequium Chriſti.

Probatio ſecunda, deſumpta ex Sanctitate.

NAm iſta Eccleſiæ Sanctitas *Radicaliter* eſt puritas fidei, eos, in quibus 30.
per Charitatem ſeu dilectionem Dei operatur, ſanctos efficientis. Unde Divus Paulus *ad Rom. 1. v. 17. & Galat. 3. v. 11.* ait *Iuſtum vivere ex fide*, tanquam primâ ſcilicet Iuſtitiæ radice. At ubi deeſt Motivum fidei *eſſentiale* ſpecificativum, nequit locum habere puritas fidei, imò fides ſecundum ipſammet ſuam ſubſtantiam ſpectata. Eſt autem fidei Motivum Prima Veritas revelans. Ubi verò cujuſque propriæ jactatæ conſcientiæ ſibi placens ac tumens ſpiritus ita prævalet, ut vel hinc ſint errores circa dogmata fidei, imò in ipſo ſalutis fundamento, ibi impoſſibile eſt, eam haberi Primæ Divinæ Veritatis reverentiam, ut in ejus obſequium captivetur intellectus, oportebitque adeò, ſub tali ſpiritûs proprij tumore deſtrui Motivum fidei ſpecificativum, utpote exigens humilem intellectus proprij ſubmiſſionem ergà ſupremam Veritatis Divinæ reverentiam. 31.
At [illegible]edroſius ipſemet fatetur, in Eccleſiâ (ſcilicet ſuâ Reformatâ) non eſſe talem puritatem, quin extent in eâ errores circà dogmata fidei, imò in Eccleſiis viſibilibus (ſuis nimirùm) circà ipſum fundamentum ſalutis. Quorum proinde errorum radicem & originem Sanctus Cyprianus [illegible] *citatus* reducit in hoc, quòd ſibi placentes ac tumentes defecerint à humili ergà Iudicem, Chriſti vices in terris agentem ſubjectione ac obe-

præſertim Oecumenicum editâ & approbatâ, ut impoſſibile ſit, quoad articulos taliter definitos ſcienter ac pertinaciter diſcrepare Doctores, & tamen utrinque manere intrà veram Eccleſiam.

59. Ad *decimamnonam* Reſp. Illam Bellarmini exceptionem omninò ſubſiſtere, *uti pateat ex dictis.* UndeRomanam inter & tuam Reformatam Eccleſias diſcrimen quoad præſens punctum in eo ſe tenere, quòd Eccleſia tua Reformata Divini Verbi in mentibus fidelium ſub ipsâ Fide ſupernaturali *principaliter*, & ſub Patrum Orthodoxorum ſcriptis *inſtrumentaliter* propagatam Traditionem, nec non Oecumenicorum Conciliorum in Fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem eatenùs neget, ut ex neutrâ iſtarum contendat, deſumi poſſe certam Fidei regulam, verorum ſacræ Scripturæ ſenſuum declaratoriam ac deciſoriam; ſed tam Verbum Dei ſcriptum, quàm Conciliorum definitiones cujuſque propriæ conſcientiæ ſenſui ac ſpiritui privato ſubijciat. At ex hoc impoſſibile eſt, retineri Fidei unitatem, ſed opus eſt, eſſe tenebras Ægyptiacis denſiores, ſub quibus frater
60. non agnoſcat fratrem, ejuſdem licèt fraternæ Reformationis. Econtrà verò Romana Eccleſia pro legitimis ſacrorum Textuum ſenſibus ac dogmatibus fidei non tantùm ſub ſacrâ Scripturâ ceu mortuâ membranâ, ſed ſub vivâ fide illibatè retinendis habet tum Traditiones Divinas, tum deciſiones ſacrorum Conciliorum, quibus omnes & ſinguli Romanæ veræ Eccleſiæ ſubjecti ita tenentur ſe accommodare; ſuum adeò intellectum ſeu ſenſum proprium captivando in Fidei ac Chriſti ſeu Primæ Veritatis obſequium, ut, quiſquis illis contradicit, eo ipſo extrà Dei Eccleſiam ſit ejectus. At ex hoc non poteſt non eſſe talis circà Fidei dogmata unitas, ut impoſſibile ſit, quoad articulos fidei per Traditionem ejuſmodi receptos, ſivè à Concilio Oecumenico definitos poſſe ſcienter ac pertinaciter diſceptari. Conſtat proindè, in Romanâ Eccleſiâ non poſſe non ſubſiſtere Fidei unitatem, cùm hanc econtrà impoſſibile ſit, obtineri à proprio Reformationis prætenſæ ſpiritu.

COROLLARIUM.

61. EX dictis infertur. Vedroſium ita declinare rationem Georgij *cap. 1.* inſinuatam, ut ſuæ Reformationis infirmitatem *ex hoc* vel maximè prodat, dum ſuorum in fundamentalibus diſſenſionem contendit enervare ex diverſitate ſententiarum inter privatos duntaxat Doctores, Pontificiæ tamen in Oecumenicis præſertim Concilijs editæ definitioni ſe ſe ſubijcientes, citrà ullam fidei & charitatis læſionem ex ſubtilitatibus ſcholaſticis ſe tenente. Unde ſic licere argumentari. Ille ſpiritus ſanè non eſt Divinus, qui.

Digitized by Google

qui Conciliorum Oecumenicorum definitiones quorumlibet privatis ſenſibus ſubjectas proclamando, nullam jam agnoſcit certam & fixam, ſed innumeris contradictionibus obnoxiam Fidei Regulam. At ita ſe habet Reformata Eccleſia, quæ ex illâ Fidei Regulâ amiſsâ, jam contendit Romanæ quoquè Eccleſiæ impingere talem, qualem in ſe manibus attrectat, Dogmatum Fidei diſſenſionem: at fruſtra, dum, quæ privatorum ſunt Controverſiæ ſcholaſticæ, nequeunt eo ipſo in ipſam Eccleſiam Romanam redundare, quòd omnes ex indubitato Chriſti pronunciato teneantur ſtare articulis in Concilio præſertim Oecumenico definitis. Conſequens igitur eſt, talem Reformationis Modernæ ſpiritum eo ipſo non eſſe Divinum, quòd ſuam ex ſuo privato ſpiritu ob certæ univerſalis Regulæ defectum in Dogmatibus Fidei ſtabilitatē non jam valeat excutere, ſed eam ſimilis, at falſæ, de Pontificiorum diſſenſione objectionis fumo nitatur duntaxat obfuſcare.

SECTIO VII.

Utrùm Eccleſia Romana veras Eccleſiæ notas præſeferat.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

Hic Author *ſuæ Facis Rat. 2. n. 3.* inducit Paulum ad Romanos *cap. 1. v. 8.* ſic ſcribentem: *Gratias ago Deo meo &c. quòd fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* At hanc ipſam Romanæ Eccleſiæ ceu Orthodoxam, poſterioribus etiam temporibus agnitam fidem, Romanamquè adeò ſedem ceu Cathedram Apoſtolicam cultam fuiſſe, *n. 4. ac ſeq.* probat tum ex teſtimonijs ſanctorum Patrum Cypriani *lib. 1. Epiſt. 3.* Hieronymi *Epiſt. ad Damaſum Papam.* Auguſtini *lib. 2. cap. 8. de gratiâ Chriſti*; tum ex propria Doctorum Reformatorum confeſſione, Calvini, Bullingeri, Polani, Scharpij, Sculteti, Breitingeri, *ibidem citatorum.*

Idem Georgius *Rat. 31.* Reformatorum, puritatem Orthodoxæ doctrinæ in Eccleſiâ defeciſſe, contendentium exceptioni occurrit, hanc enervando proprijs eorundem contradictionibus. Nam Bullingerus *adverſus Brentium cap. 7. partis prioris* talem doctrinæ puritatem extendit ad integra ſex, vel etiam plura ſæcula. Breitingerus *Opuſ. de ſect. pag. 27. Bal. verſ.* reſtringit illam puritatem ad quadringentos; Hottingerus *in Epiſt. Dedicator à operis* Wegweiſer ad trecentos annos Calvinus verò *Inſtit. lib. 4. cap. 15 ſect. 19.* ait: inter ipſa Evangelij exordia ſtultâ mundi credulitate abſque negotio ferè receptas eſſe ſathanæ impoſturas & craſſa ludibria. Et *Inſtit.*

lib. 4. cap. 13. ſect. 17. negat, *Eam ætatem ab omni vitio liberam fuiſſe, ut pro regulâ habendum ſit, quicquid tunc factum eſt.*

3. Author citatus *Rat. 16.* ſic argumentatur. Ipſimet Reformati cum Zachariâ Urſino *Proleg. gener. 4. arg. 12. in cath.* fatentur, eam Religionem, quæ facit homines ſanctos, Deoquè placentes, debere ſanctiſſimam & Divinam eſſe. At primorum quinque ſæculorum Religio Chriſtiana fecit plurimos ſanctos, inter quos ſunt Eccleſiæ ſanctæ Doctores præcipui tam Græci, quàm Latini, ſpeciatim Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, uti tradit Confeſſio Helvetica *cap. 2. ſect. 2. cap. 5. ſect. ult. cap. 18. ſect. penult. & alibi.* Oportet proinde, primorum quinque ſæculorum Religionem Chriſtianam fuiſſe Divinam & ſanctiſſimam, atquè adeò puram & Orthodoxam, fatentibus Calvino *Inſtit. lib. 1. cap. 11. ſect. 13.* Breitingero *Opuſc. de ſect. pag. 27.* Danzio *pag. 5. Epiſt. ad Georgium.* Philippo Melanchtone *lib. 3. Chron. Car. in vitâ Theod. 1.* Bullingero *cap. 7. primæ partis adversùs Brentium.* Peucero *lib. 4. Chron. Car. de reb. Eccleſ. pag. 145.* Kechermanno *lib. 3. cap. 14. ſyſtem. logici.* At primorum quinque ſæculorum Religio, quam Eccleſiæ ſanctæ Doctores præcipui, ſpeciatim Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus profeſſi ſunt, hodie colitur in Eccleſiâ Romanâ. Ergo Eccleſiæ Romanæ

4. Religio facit ſanctos, eſtquè adeò ſanctiſſima & Divina. Minor hæc ſubſumpta probatur inductione per Redingium in ſuis Heideggerianæ Diſputationis Refutatorijs *Diſſert. 8. n. 3.* deductâ. Nam 1. Eccleſia Romana profitetur Miſſæ ſacrificium. At iſtud ſacrificium eſſe fundatum in verâ & Orthodoxâ fidei doctrinâ, teſtantur non tantùm ſancti Patres, ſpeciatim Ambroſius *præpar. ad Miſſam.* Chryſoſtomus *lib. 6. cap. 4. de ſacerd. dignit.* Hieronymus *in cap. 1. ad Titum.* Auguſtinus *q. 57. in Levit. & cap. 109. item cap. 110. Enchir. ad Laurent. ac ſerm. 34. de verb. Apoſt.* Sed ipſemet Zwinglius *Epich. de Can. Miſſæ.* Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 18. ſect. 11.* Bullingerus *Decad. 5. ſerm. 9. §. Pro mortuis.* Confeſſio Helvetica *cap. 21.* fatentur, veterem Eccleſiam crediſſe, Miſſam verum eſſe, & propriè dictum pro vivis & mortuis ſalubre ſacrificium. 2. Eccleſia Romana profitetur, ſacram communionem eſſe

5. frequentandam, præmiſsâ Sacramentali Confeſſione. At hoc veteris Eccleſiæ Orthodoxæ doctrinæ conforme eſſe, teſtantur præter alios Patres non tantùm Sanctus Cyprianus *Serm. 5. de lapſ.* & Sanctus Auguſtinus *cap. 10. de pænit.* ſed etiam Calvinus *Inſtit. lib. 3. cap. 4. ſect. 7.* Bullingerus *Serm. de dignè*

6. *& indignè manducant.* diſſerens in hæc verba: *Agnoſco quidem, in veteri Eccleſ. â receptum fuiſſe, ut communicaturi confiterentur priùs ſacerdoti pænitentiario.* 3. Romana Eccleſia frequentat ſuffragia pro defunctis, ſeu animabus in purgatorio detentis. At Zwinglius *Epich. de Can. Miſſæ.* Bullingerus *Decad. 4. ſerm.*

9. §.

9. §. Pro mortuis. & ſerm. 10. §. Hi ipſi. Calvinus *Inſtit. lib. 3. cap. 5. ſect. 10* Petrus
Molinæus *cap. 24. de purgatorio. Clyp. fid. pag. 202.* teſtantur, Patres veteris
Eccleſiæ, præſertim quarti & quinti ſæculi, in quibus ſecundùm Reforma-
torum Doctorum confeſſionem vigebat vera, Orthodoxa, & integra fi-
des, tradidiſſe doctrinam de purgatorio & oblationibus, ſeu ſuffragijs de-
functorum. 4. Romana Eccleſia profitetur Sanctorum, Beatiſſimæ præ- 7.
ſertim Virginis invocationem ſeu interceſſionem. At iſtam in veteri Ec-
cleſia à ſanctis Patribus, ſpeciatim Sancto Hieronymo cultam eſſe, con-
ſtat ex ipsâ quoquè Reformatorum Doctorum, Zwinglij *Epich. de Can. Miſ-
ſæ.* Bezæ *adverſ. 3. p. lib. Brevi. in fine.* Molinæi *cap. 24. de invocat. Sanct. Clyp, fid.*
pag. 212. confeſſione. 5. Romana Eccleſia colit Religioſam Profeſſio- 8.
nem cum votis Monaſticis. At Calvinus *lib 4. cap. 13. ſect. 9. 16. & 17.* fatetur,
Monaſticam vitam cum votis eidem annexis frequentatam fuiſſe antiqui-
tus, ac ſpeciatim probari à Sancto Auguſtino. 6. Romana Eccleſia ag- 9.
noſcit pro Capite ſummum Pontificem ſibi præſidentem. At certam Paſto-
rum Romanorum ſucceſſionem magni in primitivâ Eccleſiâ fuiſſe, vete-
remquè Romanam Eccleſiam ſeu doctrinam jam ipſorummet Apoſtolo-
rum ætate, ac per quingentos ab eo tempore, vel etiam plures annos per
totum terrarum orbem non claram ſolùm, conſpicuam, & illuſtrem fuiſſe,
verum Orthodoxam etiam, Catholicam, & Apoſto'icam, ejuſquè Ponti-
fices fuiſſe Orthodoxos & ſynceros in fide Apoſtolicâ, teſtantur Bullinge-
rus *Decad. 5. ſerm. 1. §. Poſterius. & ſerm. 2. §. Liberè.* Polanus *Theſ. 66. cap. 18. Sym.*
Pat. Scharpius *Curſ. Theolog. lib. de Capit. Eccleſ. Milit. q. 5. reſp. 1. ad object. 1. &*
lib. de S. Script. cont. 8. cap. de interp. S. Script. reſp. 1. ad object. 17. Sculterus *Medullâ*
Pat. cap. 16. ſynt doct. Athanaſij. Breitingerus *Opuſc. de ſect. Ital. verſ. pag. 29.* Dan-
æus *Epiſt. ad Georg. pag. 17.*

Ex quibus proinde conſtat, fidem, quam hodie profitetur Romana 10.
Eccleſia, fuiſſe cultam à Patribus antiquis, ipſorum etiam Reformatorum
judicio ſanctiſſimis. Cùm igitur fidem, quæ gignit Sanctos, oporteat, eſſe
Divinam & ſanctiſſimam; illa ipſa verò fides, quam coluerunt Auguſtinus,
Hieronymus, Ambroſius, alijquè veteres Patres, hos in ſummum
ſanctitatis apicem evexerit, iſta autem fides conſtet iiſdem dogmati-
bus, quæ hodierna profitetur Eccleſia Romana, evidenter ſe-
quitur: Fidem Romanæ Eccleſiæ Divinam &
Sanctiſſimam eſſe.

***

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

11. VEdroſius ſuæ *Antiquitatis ſect. 3. circà finem* arguit 1. Se Reformatos minimè invidere veteri Romæ laudes, à Paulo ac veteribus ipſis & ſuis Reformatis Theologis tributas, à Georgio *præf. Rat. 2.* felicitè conquiſitas; ſiquidem ejus & Antiſtitum ipſius fides ac prima opera meruerint tales laudes. Verùm heroum iſtorum filios nunc eſſe novos. Priores illos condemnâſſe hæreſes, poſteriores commendâſſe. Primis ſæculis ſuam in fide conſtantiam bonis omnibus probâſſe, hæreſes conſtanter & fortiter repuliſſe. Quam eſſe cauſam, cur monente Calvino, tanti facti fuerint, ut alij unionem & conjunctionem cum ijs quæſierint. At temporum lapſu, remoto candelabro, fidem cum perfidiâ, lucem cum tenebris commutâſſe; poſteriores cum prioribus nihil commune habere, non vitam, non labores, non prædicationem, non doctrinam.

12. Arguit 2. De neceſſarijs enim & principalibus, quæ ad ipſam [illegible] Fidei pertineant (uti ſint articuli de ſacrâ Scripturâ, de Trinitate, de hominis lapſu, de Perſonâ & Officio Chriſti, de Iuſtificatione, de Regeneratione, de Sacramentis) Doctores Romanæ Eccleſiæ cum reliquarum Eccleſiarum Antiſtitibus primis illis & fælicioribus ſæculis ita ſenſiſſe, ut, quamvis remotiores eſſent à ſæculo Apoſtolorum, eò magis fuerint expoſiti aliquid humani; prout Euſebius *Eccleſiaſt. hiſt. lib. 3. cap. 26. & 32.* intemeratam Eccleſiæ Virginitatem vix ultrà ſæculum extendat: ſtatim enim à Apoſtolorum exceſſu doctrinam falſam nudo, ut ajunt, capite, ſyncero veritatis ſermoni ſe opponere auſam fuiſſe. Hieronymum de *vitâ B. Malchi captivi Monachi* ſuo tempore Eccleſiæ fæcem; & Clerum Romanum ſenatum appellare Phariſaicum. Attamen neminem ab illorum communione diſcedendi cauſam ſatis idoneam habuiſſe. Atque hoc digitum intendere Danzium ſuum, cùm ait, primis quingentis annis ſecundùm Verbum Dei eſſe traditum verum de Deo ſenſum, & pium in Deum cultum.

13. Arguit 3. Illis temporibus fuiſſe Monachos, Epiſcopos, nominata altaria, ſacrificia, non omni quidem defectu carentia, nondum tamen idololatricis ſuperſtitionibus ita inquinata & perdita, ut fundamentum ſalutis everterint, quæquè fœnum, ſtipulæ, lignum appellari potuerint, cum nulli neceſſitatis lege, quæ contrà ſentientes anathematis fulmine perc uteret, introducta fuerint. Exortum eſſe novum Regem ſuper Ægyp-

tum

tum, qui Ioſephum non noverit. Secutam eam rerum faciem, de quâ Petrus de Aliaco *Serm. 1. de S. Ludovico* in Concilio Conſtantinop. Anno 1417. habito affirmet: *Eccleſiam Romanam ſummoperè opus habere, ut in fide & moribus reformetur.*

Arguit 4. Quando verò Eccleſia Romana abominationi deſolationis locum dederit, teſtes ſe habere non de domo productos, quorum fides ſuſpecta Pontificijs eſſe poſſit: ſed notas eſſe querelas, in quas effundantur Baronius, & Genebrardus, fatentes, monſtra & propudia hominum in Papatum intruſa, pueros infantos, fœdos, ambitu, largitionibus, prenſationibus, armis, proſtibulorum etiam pudendis artibus ad faſtigium illud graſſatos, ſecum invicem ſæpè commiſſos, periuros, hæreticos, ſchiſmaticos, Conciliorum voce renunciatos apoſtatas, qui per annos centum & quinquaginta non per oſtium, ſed per poſticum, furum & latronum inſtar ingreſſi ſint. *Ex Gilbert. Genebr. Chronol. lib. 4. An. 901.* 14.

Arguit 5. Inter Simoniacos fuiſſe Alexandrum VI. qui ſuffragia Cardinalium, nemine neſciente, mercatus ſit, teſte Gaiâ *hiſt. Ital. lib. 1.* Quales fuiſſe longè plures, teſte Alvaro Pelagio *de planctu Eccleſ. lib. 2. a. 15.* Inter magiæ deditos fuiſſe Sylveſtrum II. teſte Platinâ, & Faſciculo temporum. Inter hæreticos numerari non paucos, teſte Alphonſo de Caſtro *lib. 1. adverſ. hæretic. cap. 2.* & Lyrano *in Matth. c. 16.* dicente: *Quòd multi principes & ſummi Pontifices, & alij inferiores inventi ſint apoſtataſſe à fide.* 15.

Arguit 6. Hos apoſtatas jure à Baronio vocari monſtra, cùm Antichriſtus variam, multiplicemque habeat naturam: cornua gerat ſimilia Agni, ſed loquatur, ſicut Draco. Iniquitatem enim ejus quibuſdam fidei & Pietatis adumbratæ radicibus niti. Ideò regimen ejus myſterium iniquitatis dici *Theſſalon. 2. v. 7. Qualesnam veris* (aſſerere Baronium ad Annum 912.) *delectos ab hiſcè monſtris Presbyteros & Diaconos Cardinales fuiſſe putemus?* 16.

Arguit 7. Reſtituendam proinde Romam illam, cujus fides deprædicata fuit in toto orbe, & tunc ſe Reformatos ejus communionem non aſpernaturos. De hodiernâ enim Româ locum habere effatum Concilij Rhemenſis ſub Hugone Capeto, Præſide Arnulpho Epiſcopo Aurelianenſi, celebrati, ubi Arnulphus inter alia dicat: *O Roma lugenda, quæ noſtris majoribus clara Patrum lumina protuliſti, noſtris temporibus monſtroſas tenebras, futuris ſæculis famoſas effudiſti.* 17.

Cæterùm quia *præced. cap. à n. 4.* allatæ ſunt plures partim ex Sanctis Patribus, partim ex Doctoribus Reformatis deſumptæ, ac per Redingium in *ſuis Heideg. Synodal. Diſſertationis Refutatory* deductæ demonſtrationes, quibus oſtenditur, quoad dogmata fidei à Reformato Miniſterio hodie 18.

in controverſiam tracta, Romanæ Eccleſiæ convenire cum antiquâ Orthodoxiâ, idcircò operæpretium viſum eſt, hîc attexere, quid adversùs eos excipiat Heideggerus in *ſuis Theologorum Reformatorum Vindicijs.*

19. Hic igitur Tigurinus Miniſter *in cit. Vindic. n. 10.* arguit 8. Ab adverſario Redingio induci Zwinglium, Bullingerum, Calvinum, imò ipſam Confeſſionem Helveticam, confitentes, in Eccleſiâ veteri extitiſſe Miſſæ ſacrificium. At Confeſſionem Helveticam *cap. 21.* iſta verba habere: *Miſſa, qualis aliquando apud veteres fuerit, tolerabilis, an intolerabilis, modò non diſputamus.* Ex quibus audaculum illum Redingium incognitâ quâdam conſequentiæ trochleâ inferre, quòd Confeſſio Helvetica fateatur: *Veterem Eccleſiam crediiſſe, Miſſam eſſe verum & propriè dictum ſacrificium.* At contrà iſtam illationem ſtare, quòd Veterum Confeſſio ſub Miſsâ intellexerit Euchariſtiam, non theatricum & ſacrificalem illius luſum, qui veræ Euchariſtiæ vice apud Pontificios fungatur, & ad veri Sacramenti deriſionem potiùs, quàm honorem pertineat.

20. Deinde Redingium ex Zwinglij *Epicheresi* probare, Veteres oblationem à Chriſti morte diſtinctam agnoviſſe. At verum quidem eſſe, quòd agnoverit: attamen errorem hunc Patrum *pag. 183.* caſtigâſſe, aſſerendo: *Errori Patrum occaſionem dediſſe Verbi Dei neglectionem.* Cui tamen taxationi & caſtigationi Patrum mox ſubjeciſſe, quòd nonnulli Patrum, ſpeciatim Chryſoſtomus ſub illâ oblatione non aliud intellexerint, quàm *Rememorationem.*

21. Porrò circà Bullingeri allegatum locum *Decad. 5. ſerm. 9.* mirâ aſtutiâ Redingium convertiſſe ſermonem Hypotheticum in Categoricum, ſiquidem Bullingeri verba ita ſe habeant: *Si veteres ſentiunt, Cœnam eſſe ſacrificium, &c. non recipimus eorum ſententiam, utpote ſcripturis non congruam.* Deniquè Calvinum ter in hanc ſententiam citari à Redingio, ſed loca allegata planè non extare, vel præſens argumentum nè uno quidem apice attingere. Imò *Inſtit. 4. 18. 10.* verba Redingio è diametro oppoſita legi.

22. Heideggerus reſponſione ad Redingij exceptionem ſuprà *cap. 1. n. 5.* expoſitam penitùs omiſsâ, arguit 9. *in cit. ſuis Vindicijs n. 17.* Redingium conari Zwinglij in *Epicheresi.* Bullingeri *Decad. 4. ſerm. 9.* Calvini *inſtit. 3. 5. 10.* Molinæi *Clyp. fidei pag. 292.* teſtimonijs probare, orationes & oblationes pro defunctis in purgatorio laborantibus viguiſſe quarto, quintovè poſt Chriſtum natum ſæculo. At illos Reformatos Doctores fateri quidem omnes, quòd in veteri Eccleſiâ obtinuerint orationes pro Defunctis, neminem tamen profiteri, quòd ſuſcepti ſint pro defunctis; apertè refutari à Calvino *inſtit. 3. cap. 10.*

23. Idem Doctor Tigurinus *n. 7.* arguit 10. Redingium conari, teſtimonijs

hijs Zvvinglij, Bezæ, & Molinæi aſtruere, quòd interceſſiones Sanctorum, Deiparæ præſertim Virginis à Veteribus Eccleſiæ Doctoribus probatæ fuerint. At dato, quòd Sancti Cælites virtute communionis & Charitatis fraternæ Deo Eccleſiæ Militantis ſtatum, quem luctuoſum eſſe haud ignorent, precibus ſuis commendent, non ideò effici, noſtros eſſe illos apud Deum Mediatores, atque eo nomine invocandos eſſe; vel regnorum, provinciarum, urbium, pagorum, templorum, clauſtrorum, artium &c. tutelarem curam pro arbitrio hominis Itali ijs committendam eſſe.

Præfatus Tigurinus Profeſſor *n. 16.* arguit 11. A Redingio allegari teſtem Calvinum, quòd vota Monaſtica ſint antiquitùs frequentata, & ſpeciatim à Sancto Auguſtino probata. At ſi Redingius vel Sanctum Auguſtinum *de morib. Eccleſ. Cath. cap. 31. nec non de opere Monach.* vel Calvinum *Inſtit. 4. 13.* obiter legiſſet, reperturum fuiſſe haud dubiè talia, quæ in ruborem ipſum dediſſent. Intellecturum nempè fuiſſe, quòd Cucullati hodierni tum quoad Profeſſionem ipſam, tum quoad mores non minùs differant à Veteribus Monachis, quàm ſimiæ ab hominibus. 24

Heideggerus denique *n. 24.* arguit 12. Circà Papatum, id eſt Petri & Papæ Romani primatum, quòd veteribus agnitus fuerit, à Redingio teſtes allegari Reformatos Doctores, ſpeciatim Bullingerum *Decad. 5. ſerm. 2. §. Turpiter.* Calvinum *Inſtit. 4. 6. 6. & 7. 5.* quaſi nolentes volentes fateri debuerint, tum quòd veteres Eccleſiæ ſcriptores ſint teſtificati de Primatu Petri, tum quòd verba illa: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam*, ex ſenſu Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum accipienda ſint de Petro: tum denique, quòd nullum fuerit tempus, quo non Romana ſedes imperium in alias Eccleſias (ex ipſo ſcilicèt, uti Sancti Patres probent, Iure Divino) appetiverit. Quinimò & Papam eſſe ſucceſſorem Petri, fatentes ab eodem Redingio introduci Alſtedium *Chronol. cap. 24.* & Calvinum *Inſtit. 4. 7. 5.* At primatum Ordinis & Honoris, quem Patres vocent præſidentiam, B. Petro detuliſſe nonnullos; atque hoc fateri ſuos Reformatos. Primatum verò Imperij & Iuriſdictionis, aut potiùs Papalem omnipotentiam à nemine tribui. Verba Chriſti: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, à nonnullis Patribus exponi de Petro, concedi à Calvino: ſed ipſos à Papiſtarum ſententiâ eſſe alieniſſimos. Agnoſcere Patres, Petrum eſſe appellatum petram ſive ratione fidei & confeſſionis: aliàs propria & eſſentialia petræ prædicata ſoli Deo competere. Quoad Epiſcopos Romanos fateri Calvinum, nullum tempus fuiſſe, quo in alias Eccleſias imperium Romana ſedes non appetiverit. At jure Divi- 25 26

Digitized by Google

Divino debitum appetijſſe, Redingij gloſſam, non Calvini eſſe aſſertionem. De Papæ in locum Petri ſucceſſione ne gry quidem *loco citato* habere Calvinum. Aliter dium concedere quidem, quòd Petrus Romam venerit, at negare, quòd ibidem 25. annos conſederit &c. Patres pro dignitate Romani Epiſcopi argumento à ſucceſſione petito uſos quidem fuiſſe, ſed intellexiſſe cum locali & perſona i ſucceſſione conjunctam perpetuam ejuſdem doctrinæ & fidei, quaſi per manus ſibi ſuccedentium Epiſcoporum traditionem.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſoli Romanæ Eccleſiæ convenire notas veræ Eccleſiæ expreſſas in ſymbolo Nicæno, profitente Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.

Probatio prima, deſumpta ex Unitate fidei ac doctrina Orthodoxa.

27. NAm Unitatem Fidei eſſe propriam Eccleſiæ, patet ex illo Apoſtoli *ad Epheſ. 4. Unum Corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.* Eſt igitur Eccleſia unum Corpus, cujus membra ſunt fideles. At Corporis hujus myſtici forma eſſentialiter conſtitutiva, eſt Fides. Sicut ergo eſt una Eccleſia, ſic hujus eſt propria Unitas fidei, ceu formæ Eccleſiam eſſentialiter conſtituentis. At verò Unitas fidei ſubſiſtere non poteſt, ubi myſteria fidei privato cujuſque jactatæ conſcientiæ ſpiritui ſubijciuntur: ut patet ex dictis *ſuprà diſſert. 2. ferè per totam.* Oportet igitur, pro unitate fidei conſervandâ admittere fidei regulam, cui utpotè Divinitùs inſtitutæ, ac juxtâ promiſſionem Divinam Chriſti & Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ firmatæ, omnes ſuum judicium proprium humiliter ſubijciant. At ejuſmodi regula eſt definitio Romani Pontificis in Concilio præſertim Oecumenico edita & firmata. Quâ proinde regulâ contemptâ, neceſſum eſt, ſcindi fidei ac Eccleſiæ Unitatem: Sancto Cypriano *Epiſt. 55. ad Cornelium Papam antè*
28. *med.* ita ſcribente: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus ſacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm Magiſteria Divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo poſt Divinum judicium, poſt populi ſuffragium;*

unt; *poſt Coepiſcoporum conſenſum, Iudicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris hæreſim novam conderet.* Conſtat proinde ex iſto Sancto Patre (reliquos enim in idem præſens punctum uno ſpiritu conſpirantes, ſuperiùs *diſſert. 3. ſect. 4 c. 3. n. 20. & alibi* videre licet) ad unitatem Eccleſiæ tenendam oportere agnoſcere, ac obtemperare uni Sacerdoti tanquàm Iudici Chriſti Vicario. 29.
At hunc ſacerdotem idem Sanctus Cyprianus *eâd. Epiſt.* apertis verbis ait, eſſe Romanum Pontificem obtinentem Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta ſit. Cùm igitur ex hoc natæ ſint hæreſes, quòd iſti Sacerdoti Dei, ceu Iudici Chriſti Vicario non obtemperetur, conſequens eſt, non poſſe in illis, qui ſibi placentes ac tumentes, proprium ſuum jactatæ conſcientiæ inſtinctum definitioni Pontificiæ in Concilio præſertim Oecumenico ſtabilitæ præponunt, eſſe unitatem fidei. Hæc igitur ceu propria Eccleſiæ nota, eo ipſo convenit Romanæ Eccleſiæ, quòd teneat illam fidei regulam Divinitùs inſtitutam, ita ut quiſque proprium ſuum judicium teneatur ei ſubijcere, itàque intellectum captivare in obſequium Chriſti.

Probatio ſecunda, deſumpta ex Sanctitate.

NAm iſta Eccleſiæ Sanctitas *Radicaliter* eſt puritas fidei, eos, in quibus per Charitatem ſeu dilectionem Dei operatur, ſanctos efficientis. Un- 30.
de Divus Paulus *ad Rom. 1. v. 17.* & *Galat. 3. v. 11.* ait *Iuſtum vivere ex fide*, tanquam primâ ſcilicet Iuſtitiæ radice. At ubi deeſt Motivum fidei *eſſentiale* Specificativum, nequit locum habere puritas fidei, imò fides ſecundum ipſammet ſuam ſubſtantiam ſpectata. Eſt autem fidei Motivum Prima Veritas revelans. Ubi verò cujuſque propriæ jactatæ conſcientiæ ſibi placens ac tumens ſpiritus ita prævalet, ut vel hinc ſint errores circa dogmata fidei, imò in ipſo ſalutis fundamento, ibi impoſſibile eſt, eam habere Primæ Divinæ Veritatis reverentiam, ut in ejus obſequium captivetur intellectus, oportebitque adeò, ſub tali ſpiritûs proprij tumore deſtrui Motivum fidei ſpecificativum, utpote exigens humilem intellectus proprij ſubmiſſionem ergà ſupremam Veritatis Divinæ reverenti-
am. At Pedroſius ipſemet fatetur, in Eccleſiâ (ſcilicet ſuâ Reformatâ) 31.
non eſſe talem puritatem, quin extent in eâ errores circà dogmata fidei, imò in Eccleſiis viſibilibus (ſuis nimirùm) circà ipſum fundamentum ſalutis. Quorum proinde errorum radicem & originem Sanctus Cyprianus *ſupra citatus* reducit in hoc, quòd ſibi placentes ac tumentes defecerint à humili ergà Iudicem, Chriſti vices in terris agentem ſubjectione ac obe-

32. obedientiâ. At eo ipſo quòd iſta fidei puritas ceu Sanctitas Radicalis, ipſius etiam Vedroſij confeſſione, probetur exulare extrà Reformatam Eccleſiam, nequit in hac locum habere etiam vitæ puritas, ſeu Sanctitas Formalis. Unde Eraſmus *ad Vulturium Neocomum* ſcripſit in hæc verba: *Circumſpice populum iſtum Evangelicum, & obſerva, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciant ij, quos deteſtamini. Profer mihi, quem iſtud Evangelium ex commeſſatore ſobrium; ex feroci manſuetum; ex rapaci liberalem; ex maledico benedicum; ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſe ipſis deteriores.*

33. Econtrà intrà Romanam Eccleſiam nequit ulla impuritas doctrinæ in ullo ſuorum membrorum eatenùs locum habere, quin eo ipſo ex illius gremio ſit ejectus, qui Veritati per Pontificiam definitionem in Oecumenico præſertim Concilio firmatæ pertinaciter reluctatur, Divo Auguſtino *lib. 18. de Civit. Dei cap. 5.* ita ſcribente: *Qui ergo in Eccleſiâ Chriſti morbidum aliquid pravumque ſapiunt, ſi correpti, ut ſanum rectumquè ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaquè peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, heretici ſunt: & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Hæc proinde doctrinæ puritas, ceu Sanctitas Radicalis eſt prorsùs neceſſaria ad

34. hoc, ut quis maneat membrum Romanæ Eccleſiæ. Ex quâ proinde radicali ſanctitate ſeu fidei puritate unicè poteſt reſultare vitæ Sanctitas Formalis. Unde licèt Eccleſia non eâ ratione dicatur ſancta, quòd in omnibus fidelibus ſit vitæ Sanctitas, oportet tamen, fidem Eccleſiæ conſtitutivam eſſe talis naturæ, ut apta ſit procreare viros ſanctos. Hos verò non alia docuiſſe fidei dogmata, quàm illa, quæ Romana Eccleſia hodiequè profitetur, conſtat partim *ex præced. cap. 1. à n. 4.* partim *ex ſequentibus Diſſertationibus.* Conſequens igitur eſt, in Romanâ Eccleſiâ eatenùs vigere ſanctitatis notam, ut vel hinc agnoſci debeat vera Eccleſia.

Cæterùm quòd Eccleſia Romana ſit Catholica & Apoſtolica, probatum eſt *ſuperius*, quo Lectorem brevitatis causâ remitto.

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij & Heideggeri argutiæ.

35. AD *primam* Reſp. Sic argumentando. Veteres Orthodoxi Theologi laudârunt Romam non tantùm in ijs, quæ ſunt *Facti*, quoad vitæ puritatem, ſed in iis quoque, quæ ſunt *Juris* quoad doctrinæ ſanctitatem. At ſub iſtâ doctrinæ ſanctitate comprehendebantur Jus Divinum, vi cujus primatus Petri cum Paſtorali ergà univerſas Chriſti

oves

oves Officio, ac fidei firmitate, ceu Eccleſiæ petrâ Divinitùs inſtitutus tranſire deberet in ſucceſſores, ut ſic cohæreret cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, cui ſecundùm Chriſti promiſſionem eſſet annexus. Eo ipſo autem, quòd ille Petri primatus cum Eccleſiæ ſtatu ſit connexus, oportet & hodie ſtare in Petri ſucceſſore Romano Pontifice. Eo ipſo porro, quòd iſte primatus obtinuerit prærogativam promiſſionis Divinæ, ſuper quem ceu petram foret ædificanda Eccleſia, à portis inferis nunquàm ſuperanda, oportet, in Eccleſiâ hujus primatûs Paſtorali Officio commiſsâ eſſe inconcuſſam fidei puritatem. Conſequens igitur eſt, laudes à veteribus Orthodoxis Theologis Romæ tributas, ſi ſpectentur quoad ea, quæ ſunt *Iuris Divini*, convenire hodiernæ quoquè Romæ, licèt quoad ea, quæ ſunt *Facti* diſcreparet.

Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſium valde fraudulenter hîc agere. Nam 36.
aliud eſt, hæreſes ita diſſeminare, ut ab Apoſtolorum exceſſu in apertum prodierint, dum hiſcè adhuc vigentibus, ſe continerent magis in occulto: aliud verò eſt, hac diſſeminatione hæreſum veram & orthodoxam doctrinam ita eſſe contaminatam, ut ejus puritas & Eccleſiæ Virginitas fuerit deſtructa. At mundus comparatur quidem agro, in quo Chriſtus mediante Apoſtolicâ prædicatione, & Sancti Spiritûs operatione ita ſeminaverit puram Divinam doctrinam, ut in eodem agro ſuperſeminarentur hæreticum zizania; quæ tamen hæreſes, veluti Simonis Magi. Cerinthi &c. tempore Apoſtorum non ita prodirent in apertum, uti poſt mortem ipſorum. Nihilominus quemadmodùm zizania ſimul creſcentia cum fru- 37.
mento, hujus puritatem in ſe non commaculant, ſic hæreſes in Eccleſiâ omni tempore exortæ, Eccleſiæ Virginitatem nequeunt tollere, quin eo ipſo dignoſcantur extra Eccleſiam ejecti, qui falſæ ejuſmodi doctrinæ adhærent. Neque verò Euſebius *locis allegatis* aliud dicit, niſi quòd hæretici Apoſtolis jam extinctis, in apertum prodeuntes, falsâ & veteratoriâ nempe erroris conſpiratione factâ, nudo jam capite, ſynceræ Veritati falſam & commentitiam doctrinam ex adverſo opponere, ac ſuppoſititias epiſtolas ſub Clementis v. g. nomine venditare, pro viribus niterentur. Vedroſij igitur Eccleſiæ Virginitatem ſeu fidei in verâ Eccleſiâ puritatem è medio tollere nitentis, pernicioſa fraus eſt, dum iſta hæreſum zizania ita commiſceat cum verâ doctrinâ, ut ejus puritatem eliminatam tunc aſſerat, contrà apertam promiſſionem Chriſti promittentis, Eccleſiam ſuper petram taliter fundatam, ut portæ inferi adversùs eam non ſint prævaliturae.
Deinde ipſa Eccleſia ita *Formaliter* conſtat verâ & orthodoxâ fide, quæ ex 38.
ſua naturâ & eſſentiâ nullam doctrinæ impuritatem cum ſcientiâ & pertina-

tinaciâ admittere poteſt, ut ſtante tamen iſtâ fidei puritate, locus eſſe poſſit peccatis: hinc enim fideles à Chriſto ſunt edocti quotidiè orare, ut Pater cœleſtis ipſis dimitteret debita ſua: Et Apoſtolus Ioannes in *1. Epiſt. c. 2. v. 4.* aſſeruit mendacem, nec veritatem in eo futuram, quiſquis dicturus eſſet, ſe nulli peccato obnoxium. Quarè in agro illo creſcunt quidem ſimul zizania hæreſum & triticum, ut tamen zizania hæreſum ſint extrà Eccleſiam, nec niſi *concomitanter* ad iſtam ſe habeant. Ipſum verò triticum ſuas quoquè paleas habet, ex quibus granum frumenti non contaminatur, *uti eleganter ac fusè deducit Sanctus Auguſtinus de Unit. Eccleſ.* Quamvis porro Sanctus Hieronymus ſua tempora vocârit fæcem Eccleſiæ, partim ob frequentiora hæreſum zizania, partim ob majorem ſceleratorum, veram licèt fidem tenentium numerum: nihilominùs illa hæreſum zizania, cùm non eſſent de Eccleſiâ, ſed extrà Eccleſiam, non poterant hujus Virginitatem contaminare, ſcelerati autem quamdiu à nullo fidei dogmate ſcienter & contumaciter deficiunt, atque adeò fidei puritatem retinent, ſunt quidem de Eccleſiâ, attamen cenſentur in paleis, inter quas ſancti ceu grana tritici ſimul excreſcunt. Conſtat proinde ex illâ Hieronymi ſententiâ neque derogari fidei Virginitati ſeu Puritati, utpote *eſſentialiter* connexæ cum Eccleſiâ, neque Puritatem & Sanctitatem vitæ ceu fructum in Eccleſiâ ſemper excreſcentem commaculari ex con-
39. junctione palearum, ſeu facinoroſorum fidelium. Quòd denique Vedroſius aſſerat, Divum Hieronymum *in cit. vitâ P. Malchi* Clerum Romanum dicere Senatum Phariſaicum, ejuſdem commentum eſt, nihil enim horum ibi reperire potui.

40. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius, primævæ Eccleſiæ temporibus fuiſſe Monachos, Epiſcopos, nominari altaria & Sacrificia, non omni quidem defectu carentia, nondum tamen idololatricis ſuperſtitionibus coinquinata: At iſtam coinquinationem ideo dicit, ab illis Eccleſiæ primævæ dogmatibus fuiſſe tunc remotam, quòd nulla neceſſitatis lege, quæ contraſentientes anathematis fulmine percuteret, introducta fuerit. Fatetur igitur, illa dogmata non *ſecundùm ſubſtantiam*, ſed *ſecundùm circumſtantiam* legis ſub anathematis fulmine contraſentientes adſtringentis, eſſe coinquinata idololatricis ſuperſtitionibus. Oportet proinde, illa dogmata in Eccleſiâ primitivâ, ubi puritas Fidei & Orthodoxiæ, (ipſiſmet Reformatis *ubi ſuprà* fatentibus) vigebat, *ſecundùm ſubſtantiam* eſſe conformia veræ Fidei. At illos, qui ſentirent contrà vera Fidei dogmata, omni tempore Eccleſiæ, ab ipſomet etiam Apoſtolo Paulo, ac univerſis Oecumenicis Concilijs fuiſſe percuſſos anathemate, manifeſtè patet tum ex

ſacris Litteris. *ad Galat. 1. v. 8. & 9.* tum ex Actis Conciliorum. Ergo neque in hoc committitur idololatria, quòd ad dogmata Fidei ſtabilienda ſtringatur anathema: niſi Vedroſius & Apoſtolum Paulum, & univerſa Concilia Oecumenica damnet idololatriæ. Et verò inclytæ Reipublicæ Tigurinæ Magiſtratus Catechiſmo, juſſu ejus edito Anno 1629. 25. Martij ſub comminatione gravium pœnarum inſeruit mandatum, non utendi aliâ Chriſtianæ doctrinæ formula, quàm ibidem eſſet deſcripta. Annè igitur Vedroſi idololatriæ inſimules Tigurinum Magiſtratum, quòd ſub pœnis arctarit ad Fidei dogmata? Quod denique in Concilio Conſtantinopolitano ſub Annum 1417. per Petrum de Aliaco dictum ſit, opus eſſe Eccleſiæ Romanæ in Fide & moribus reformatione, neminem morari debet; conſtat enim ex Decreto Concilij Florentini per ipſum inter Græcorum Imperatorem, & Patriarchas, cæteroſq; e Epiſcopos Orientales approbato & ſubſcripto Anno 1430. pridie nonas Julij, eos primùm abjuraſſe ſchiſma, ac errores Romanæ Eccleſiæ adverſantes, ut vel *ſic tacitè* revocârint, quæ in ſuis Græcorum Epiſcoporum celebratis conciliabulis adversùs Eccleſiæ Romanæ Fidem prius ſtatuiſſent, vel locuti fuiſſent. 41. 42.

Ad *quartam* Reſp. Tantum abeſſe, ut Vedroſius hac ſuâ argutiâ demonſtret, quando Eccleſia Romana abominationi deſolationis locum dederit, ut vel hinc novis contradictionibus ſe ſe turpiter involvat. Nam prius *in argutiâ ſuâ ſecundâ* ajebat, ſtatim ab exceſſu Apoſtolorum fuiſſe ſublatam Eccleſiæ Virginitatem, ſeu Fidei puritatem, atque adeò deſolationi locum eſſe datum. Nunc autem iſtius deſolationis exordium reducit ad ſæculum nonum. Et verò ſi ita res ſe habeat, oportebit ad nonum uſque ſæculum fuiſſe conſpicuam veram & Orthodoxam doctrinam. Quo modò igitur Reformatio hodierna ſub ſæculo decimo quinto producta mille, ducentis, & ſexaginta annis latere potuit ſub Papatu, ſi tamen vera ſit Orthodoxia, cujus deſolationi fuiſſe locum datum ſæculo nono, ſcribit Vedroſius. En quomodò veſtræ Reformationis adinventiones inſtar venti agitatæ, ubique nutent ac fluctuent. Cæterùm quæ de intruſis in Papatum adverſus Romanam Eccleſiam garrit Vedroſius, nullius eſſe momentis, patet ex dictis *ſuprà*. 43.

Ad *quintam* Reſp. Ex Platinâ & Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum 1492. *n 47.* efficaciter retundi ac falſitatis redargui Vedroſianam de Alexandro VI. calumniam. De Sylveſtro autem II. conſtat ex dictis *ſuprà ſect. 4. c. 4. n 75.* Magicam artem non niſi calumnioſè ipſi imputari. Quòd denique Lyranus & alij aſſerant, multos ſummos Pontifices apoſtataſſe à Fide, poteſt dupliciter accipi, ita ut hæc Apoſtaſia vel fuerit ſecundum exteriorem duntaxat 44.

tinaciâ admittere poteſt , ut ſtante tamen iſtâ fidei puritate , lotus eſſe poſſit peccatis : hinc enim fideles à Chriſto ſunt edocti quotidiè orare, ut Pater cœleſtis ipſis dimitteret debita ſua: Et Apoſtolus Ioannes in *1. Epiſt. c. 2. v. 4.* aſſeruit mendacem , nec veritatem in eo futuram , quiſquis dicturus eſſet, ſe nulli peccato obnoxium. Quarè in agro illo creſcunt quidem ſimul zizania hæreſum & triticum, ut tamen zizania hæreſum ſint extrà Eccleſiam, nec niſi *concomitanter* ad iſtam ſe habeant. Ipſum verò triticum ſuas quoquè paleas habet, ex quibus granum frumenti non contaminatur , *uti eleganter ac fusè deducit Sanctus Auguſtinus de Unit. Eccleſ.* Quamvis porro Sanctus Hieronymus ſua tempora vocârit fæcem Eccleſiæ, partim ob frequentiora hæreſum zizania, partim ob majorem ſceleratorum, veram licèt fidem tenentium numerum : nihilominùs illa hæreſum zizania, cùm non eſſent de Eccleſiâ, ſed extrà Eccleſiam, non poterant hujus Virginitatem contaminare, ſcelerati autem quamdiu à nullo fidei dogmate ſcienter & contumaciter deficiunt, atque adeò fidei puritatem retinent, ſunt quidem de Eccleſiâ, attamen cenſentur in paleis, inter quas ſancti ceu grana tritici ſimul excreſcunt. Conſtat proinde ex illâ Hieronymi ſententiâ neque derogari fidei Virginitati ſeu Puritati, utpote *eſſentialiter* connexæ cum Eccleſiâ, neque Puritatem & Sanctitatem vitæ ceu fructum in Eccleſiâ ſemper excreſcentem commaculari ex conjunctione palearum, ſeu facinoroſorum fidelium.

39. Quòd denique Vedroſius aſſerat, Divum Hieronymum *in cit. vitâ P. Malchi* Clerum Romanum dicere Senatum Phariſaicum, ejuſdem commentum eſt, nihil enim horum ibi reperire potui.

40. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius, primævæ Eccleſiæ temporibus fuiſſe Monachos, Epiſcopos, nominari altaria & Sacrificia, non omni quidem defectu carentia, nondum tamen idololatricis ſuperſtitionibus coinquinata: At iſtam coinquinationem ideo dicit, ab illis Eccleſiæ primævæ dogmatibus fuiſſe tunc remotam, quòd nulla neceſſitatis lege, quæ contraſentientes anathematis fulmine percuteret, introducta fuerit. Fatetur igitur, illa dogmata non *ſecundùm ſubſtantiam* , ſed *ſecundùm circumſtantiam* legis ſub anathematis fulmine contraſentientes adſtringentis, eſſe coinquinata idololatricis ſuperſtitionibus. Oportet proinde, illa dogmata in Eccleſiâ primitivâ, ubi puritas Fidei & Orthodoxiæ, (ipſiſmet Reformatis *ubi ſuprà* fatentibus) vigebat, *ſecundùm ſubſtantiam* eſſe conformia veræ Fidei. At illos, qui ſentirent contrà vera Fidei dogmata, omni tempore Eccleſiæ, ab ipſomet etiam Apoſtolo Paulo, ac univerſis Oecumenicis Concilijs fuiſſe percuſſos anathemate, manifeſtè patet tum ex

ſacris

ſacris Litteris. *ad Galat. 1. v. 8. & 9.* tum ex Actis Conciliorum. Ergo neque in hoc committitur idololatria, quòd ad dogmata Fidei ſtabilienda ſtringatur anathema: niſi Vedroſius & Apoſtolum Paulum, & univerſa Concilia Oecumenica damnet idololatriæ. Et verò inclytæ Reipublicæ Tigurinæ Magiſtratus Catechiſmo, juſſu ejus edito Anno 1629. 25. Martij ſub comminatione gravium pœnarum inſeruit mandatum, non utendi aliâ Chriſtianæ doctrinæ formula, quàm ibidem eſſet deſcripta. Annè igitur Vedroſi idololatriæ inſimules Tigurinum Magiſtratum, quòd ſub pœnis arctarit ad Fidei dogmata? Quod denique in Concilio Conſtantinopolitano ſub Annum 1417. per Petrum de Aliaco dictum ſit, opus eſſe Eccleſiæ Romanæ in Fide & moribus reformatione, neminem morari debet; conſtat enim ex Decreto Concilij Florentini per ipſummet Græcorum Imperatorem, & Patriarchas, cæteroſq; Epiſcopos Orientales approbato & ſubſcripto Anno 1430. pridie nonas Julij, eos primùm abjuraſſe ſchiſma, ac errores Romanæ Eccleſiæ adverſantes, ut vel *ſic tacitè* revocârint, quæ in ſuis Græcorum Epiſcoporum celebratis conciliabulis adverſùs Eccleſiæ Romanæ Fidem prius ſtatuiſſent, vel locuti fuiſſent. 41. 42.

Ad *quartam* Reſp. Tantum abeſſe, ut Vedroſius hac ſuâ argutiâ demonſtret, quando Eccleſia Romana abominationi deſolationis locum dederit, ut vel hinc novis contradictionibus ſe ſe turpiter involvat. Nam prius *in argutiâ ſuâ ſecundâ* ajebat, ſtatim ab exceſſu Apoſtolorum fuiſſe ſublatam Eccleſiæ Virginitatem, ſeu Fidei puritatem, atque adeò deſolationi locum eſſe datum. Nunc autem iſtius deſolationis exordium reducit ad ſæculum nonum. Et verò ſi ita res ſe habeat, oportebit, ad nonum uſque ſæculum fuiſſe conſpicuam veram & Orthodoxam doctrinam. Quomodò igitur Reformatio hodierna ſub ſæculo decimo quinto producta mille, ducentis, & ſexaginta annis latere potuit ſub Papatu, ſi tamen vera ſit Orthodoxia, cujus deſolationi fuiſſe locum datum ſæculo nono, ſcribit Vedroſius. En quomodò veſtræ Reformationis adinventiones inſtar venti agitatæ, ubique nutent ac fluctuent. Cæterùm quæ de intruſis in Papatum adverſus Romanam Eccleſiam garrit Vedroſius, nullius eſſe momentis, patet ex dictis *ſuprà*. 43.

Ad *quintam* Reſp. Ex Platinâ & Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum 14[illegible]. *n. 47.* efficaciter retundi ac falſitatis redargui Vedroſianam de Alexandro VI. calumniam. De Sylveſtro autem II. conſtat ex dictis *ſuprà ſect. 4. c. 4. n. 7*[illegible]. Magicam artem non niſi calumnioſè ipſi imputari. Quòd denique Lyranus & alij aſſerant, multos ſummos Pontifices apoſtataſſe à Fide, poteſt dupliciter accipi, ita ut hæc Apoſtaſia vel fuerit ſecundùm exteriorem duntaxat 44.

taxat Confeſſioni Fidei ac Religionis virtuti oppoſitum actum, vel ſecundùm aſſenſum quoquè interiorem. At ſi hoc poſterius eveniſſet, Pontifex excidendo à Fide Catholicâ, eo ipſo deſiiſſet eſſe membrum, atque adeò Caput Eccleſiæ; nec adeò ſedi Apoſtolicæ jam vacanti præjudicium generare potuiſſet: quanquàm Patres *in præcedentibus* adducti doceant, Papæ non ſolùm quà ex Cathedrâ definientis, ſed ipſius etiam perſonæ ſpeciale ex Chriſti Domini oratione eſſe privilegium, nè à Fide poſſit excidere. Et verò quis præſumat judicare interiora, *An ſcilicet Papa apoſtaſia fuerit ſecundùm aſſenſum internum?* Certè efficacioribus ad hoc argumentis manifeſtam contra Fidei dogmata pertinaciam præſeferentibus opus eſt ad ferendum ejuſmodi judicium. Cujuſmodi tamen Vedroſius in nullo ſummo Pontifice, benè tamen in quorumvis temporum hæreticis oſtendere poterit. Quarè ſi quæ in nonnullis Pontificibus fuit apoſtaſia à Fide, tenendum eſt, eam fuiſſe exteriorem duntaxat, virtuti Religionis & Confeſ-
45. ſioni Fidei repugnantem. Neque verò vel illud, vel quævis facinora in perſonis Pontificum potuiſſe unquàm derogare Cathedræ Apoſtolicæ, conſtat ex Sancto Auguſtino *lib. 2. cap. 51. adverſ. Epiſt. Petiliani.* Unde expedio Vedroſium verbis Auguſtini: *Cathedra*, inquientis, *quid tibi fecit Romana Eccleſiæ, in quâ Petrus ſedit? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines? At obſtant verba Chriſti Matth. 23. v. 1, 2. & 3. Hæc ſi cogitares, non propter homines, quos infamas, blaſphemares Cathedram Apoſtolicam, cui non communicas.*

46. Ad *ſextam* Reſp. Eſto, ſedem Apoſtolicam quandoq; invaſerint monſtra, ex his tamen minimè potuiſſe illam coinquinari, patet ex Sancto Auguſtino *proximè citato.* Neque verò in illis monſtris, teſtibus ſanctis Patribus *ſuprerius* allegatis, incœpit Myſterium iniquitatis, ſed in hæreticis ac perſecutoribus Romanam Eccleſiam, ejuſquè confeſſores tempore Pauli jam infeſtantibus. Unde ex dictis *ſuperiùs* expendendum relinquo, an Pontificij, vel Pſeudoreformati potiùs contineunt tale iniquitatis Myſterium, tandem conſummandum in Antichriſto, ultimis Judicio univerſali proximis temporibus venturo, ejus interim partes agentibus univerſis hæreſibus.

47. Ad *ſeptimam* Reſp. Manifeſtum eſſe partim ex dictis *in præf. ac præced. diſſert.* partim ex dicendis *infrà per ſeqq. Diſſertationes*, quòd Romana Eccleſia quoad Fidei dogmata non degenerârit ab illâ, quæ ex Apoſtolicâ prædicatione fuit à ſanctis Patribus agnita & propagata. At licet Urbs, vel Curia Romana quoad puritatem morum quandoquè degenerârit à primævæ Eccleſiæ ſanctitate, Fidem tamen & Cathedram Apoſtolicam exindè nulla-

 tenùs

ſenus contaminari *intrinſecè*, conſtat ex Sancto Auguſtino *ſuprà* adducto. Quia ergo Vedroſius ſuo & omnium Reformatorum nomine promiſit, ſe communionem cum Romanâ Eccleſiâ non aſpernaturos, ſi Roma illa, cujus Fides in toto orbe prædicata eſt, exhibeatur, oportet, ipſum jam ſtare promiſſis: niſi enim Patres antiquos Fidei Apoſtolicæ violatæ reos dicat, ex horum claris *ſuperiùs* allegatis teſtimonijs ſanè convincitur, Romæ etiamnum teneri eandem fidem, quam Patres ſuis ſcriptis commendârint, quæque adeò ab Apoſtolis ſit deprædicata in univerſo orbe.

Ad *octavam* Heideggeri argutiam Reſp. Iſtum Tigurinum Doctorem 498
vel ſuo ſilentio annuere, quòd Patres *ſuprà cap. 1. n. 4.* allegati approbârint Miſſæ ſacrificium. Deinde ex Confeſſione Helveticâ in aperto eſt, quòd agnôrit, apud veteres extitiſſe Miſſæ Sacrificium. Hoc verò ſatis erat ad intentum Redingij non incognitâ quâdam Conſequentiæ trochleâ, ſed ex manifeſtâ Confeſſione Helvetiæ id probantis. Quare ipſemet Heideggerus viderit, quo jure, vel quâ blaſphemiâ Miſſæ ſacrificium à Veteribus agnitum vocitet theatricum & ſacrificalem luſum, pertinentem potiùs ad Sacramenti deriſionem, quàm honorem. Sed de hoc *inferiùs Diſſert. 7.* Sa- 499
tis inſuper eſt Redingij intento, quòd Heideggerus fateatur, Zwinglium probâſſe, quod Veteres *Oblationem à Chriſti morte diſtinctam* agnoverint. At intolerabilis impudentia eſt, quòd ille Tigurinus Profeſſor cum ſuo Zwinglio Patres redarguat de errore ac neglectione Verbi Dei. Satis porrò eſt 502
Redingij intento, quòd Bullingerus ſcripſerit in hæc verba: *Si Veteres ſentiunt, Cœnam eſſe ſacrificium, non recipimus eorum ſententiam, utpote ſcripturis non congruam.* Ex his namque verbis infertur, tum quòd Bullingerus ſuum ſenſum in exponendis ſacris Litteris præferat ſenſui Veterum Orthodoxorum Patrum. Quod equidem eſſe primum hæreſeos principium, patet ex dictis *ſuprà Diſſert. 2. ſect. 1. cap. 3.* Tum quòd minimè negare auſus fuerit, quòd Veteres à Redingio allegati, ab Heideggero autem prætermiſſi, ſenſerint, dari in Eccleſiâ ſacrificium Evchariſticum. Denique Redingius non *nudè & abſolutè* (uti Heideggerus aſtutè ac dolosè diſſimulat) ſed junctis Patrum allegationibus citavit Calvinum. Hic verò *cit. Inſtit. lib. 4. cap. 18. ſect. 11.* aſſeruit, 511
Veteres piè ac Orthodoxè ſenſiſſe de Myſterio Cœnæ. Quia ergo allegationes Patrum probant, iſtos aſſeruiſſe Evchariſticum ſacrificium, nunquid Redingius juſtè intulit, Calvinum ſibi tamen & Patribus contradicendo, agnoviſſe, quòd Veteres Patres Orthodoxè aſſeruerint Miſſæ ſacrificium. Quare te Heideggere convenio, ut, ſi allegationes diverſæ quandoque compendij causâ coacerventur, eas non ſolùm *Diviſim*, ſed etiam *Conjunctim* expendas, ac interim à calumnijs abſtineas.

Digitized by Google

52. Ad *nonam* Reſp. Pro confeſſo acceptari, tum quòd Heideggerus fateatur, Zwinglium, Bullingerum, Calvinum & Molinæum tradidiſſe, in veteri Eccleſiâ obtinuiſſe orationes pro defunctis: tum quòd iſtius doctrinæ expoſitionem à Patribus veteribus (uti infrà oſtendetur) alienam adſtruat. At ex priori habetur probata Romanæ Eccleſiæ cum veteri Orthodoxiâ conformitas: ex poſteriori autem oſtenditur congenitus Reformatorum ſpiritus, ad Patres veteres vel in ſenſum antehâc incognitum, ipſorumquè ſcriptis apertè repugnantem detorquendos, vel eos penitùs reijciendos.

53. Ad *decimam* Reſp. Sic argumentando: Quicquid ab altero licitè & cum Divini cultûs augmento præſtatur, licitè etiam ab eo petitur. At Heideggerus fatetur, Sanctos Cœlites virtute communionis fraternæ precibus ſuis commendare Militantis Eccleſiæ ſtatum, quem ſciant, luctuoſum eſſe. Neque verò Sancti Cœlites hoc facerent, niſi vergeret in augmentum cultûs Divini. Ergo licitè petitur à Sanctis Cœlitibus, ut ſuis precibus Deo commendent Eccleſiæ Militantis ſtatum, maximè cùm teſte ſupraadducto Heideggero, noverint ea, quæ fiunt in terris. At quod licitum eſt pro toto, lici-
54. tum eſt *reſpectivè* pro partibus Eccleſiæ Militantis, conſtantis ex provincijs, regnis, urbibus, imò ſingulis etiam fidelibus tanquàm partibus. Ergo licitum eſt, petere à Sanctis Cœlitibus, ut ſingulas provincias, regna, urbes, imò fideles ſigillatim etiam ſpectatos Deo commendent ſuis precibus, maximè cum Sanctorum Patrum teſtimonia, Heideggero non audente hoc negare, id vel maximè approbent. At verò quod fideles licitè præſtant, id ut fiat,
55. licitè etiam procurat Caput Eccleſiæ, ſummus ſcilicet Pontifex. Ergo hic licitè curat, ut pro ſingulis regnis, provincijs &c. invocentur Sancti Cœlites ad ea ſuis precibus Deo commendanda. At Sanctus commendans precibus Deo ſtatum regni alicujus, agit ejus curam tutelarem. Ergo Papa licitè procurat, ut in ſingulis regnis invocentur certi Sancti pro curâ tutelari, maximè cùm ex ſacris Litteris *Dan. 10. cap.* conſtet, unum Sanctorum Cœlitum Angelorum egiſſe curam Perſiæ, alterum verò Iſraelitarum. At ſicuti iſti Angeli erant Mediatores, ita Sancti Cœlites Deo precibus commendantes ſtatum regni alicujus, ſunt ejus Mediatores, non quidem Primarij, ſed Secundarij, Chriſto tanquàm Principali Mediatori ſubordinati. Cujuſmodi adeò ſecundarij Mediatoris Officium puræ creaturæ competere poſſe, conſtat ex *Galat. 3. v. 19.* ubi lex Moſaica dicitur *ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Conſtat proinde in eo, quòd de intereeſſione & invocatione Sanctorum, ipſiſmet Patribus veteribus approbantibus, facit Eccleſia Romana, nihil abſurdi contineri, quinimò id totum evinci per rationem ex principijs ab ipſomet Heideggero poſitis.

Ad

Ad *undecimam* Reſp. Aliud eſſe, ſi agatur de ipsâ ſubſtantiâ & inſtitutione vitæ Monaſticæ: aliud verò eſſe, ſi agatur de ejus circumſtantijs & moribus eandem profitentium. At prius ita tenetur à Romanâ Eccleſiâ, Patribus, ipſomet etiam Calvino teſte, approbantibus, ut, ſi mores, vel aliquæ circumſtantiæ ſint à tali profeſſione diſcrepantes, Eccleſia Romana minimè probet, ſed ad Reformationem reducat, uti videre quoquè licet ex ipſomet Concilio Tridentino *Seſſ. 25. de Regularibus.* Econtrà verò Reformata Eccleſia eradicando talem vitam Monaſticam, in ipsâ ſubſtantiâ eam aggredi dignoſcitur. Ipſemet ergo Heideggere judica, an tua potiùs Reformatio, vel Eccleſia Romana retineat ſpiritum veteris Orthodoxæ Eccleſiæ. 56.

Ad *duodecimam* Reſp. 1. Patres fundare primatum Petri ſuper Chriſti Domini promiſſione, quâ ipſi promiſit Claves regni cælorum cum poteſtate indefinitâ ligandi & ſolvendi. At primatus ejuſmodi non poteſt eſſe tantùm Ordinis & Honoris, ſed Juriſdictionis. Cùm igitur Reformati Doctores fateantur, Patres antiquos conceſſiſſe Petro Primatum, conſequenter niſi ſe alienos à Patrum ſenſu dicant, oportet, ipſos in Petro fateri primatum Juriſdictionis. 2. Calvinus fatetur illa Chriſti Domini verba: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, à nonnullis Patribus exponi de Petro. At ſecundùm Heideggerum Petrus appellatur petra ratione Fidei & confeſſionis. Eo ipſo autem, quòd ſuper Petrum ratione Fidei ſit ædificatus Eccleſiæ ſtatus perpetuus, uſque ad conſummationem ſæculi futurus, oportet, iſtam quoquè petram eſſe perpetuam. At non eſſet perpetua hæc petra, ſi non continuaretur in ſucceſſoribus, ſed exſpirâſſet cum Petro. Attentis igitur Calvini & Heideggeri ſententijs, ſi combinentur cum Chriſti Domini verbis, ſequitur, in Petri ſucceſſoribus ſtare illibatam & inconcuſſam Fidei petram, utpote ſuper quam ſit ædificata Eccleſia perpetua. 3. Niſi Calvinus à vetuſtâ Orthodoxiâ ſit alienus, oportet, ut eo Iure dicat, Romanam ſedem omni tempore appetiviſſe imperium in alias Eccleſias, quo Iure Patres Orthodoxi ex ſacris Scripturis aſſerunt, Romanos Pontifices obtinuiſſe iſtud imperium. At Patres Orthodoxi ex illo Iure, quo per Chriſtum Dominum Petro ſunt promiſſæ Claves, & collatum in univerſas Chriſti oves curæ Paſtoralis Officium, aſſerunt, Romanam ſedem omni tempore exercuiſſe in alias Eccleſias Imperium, *veluti hæc omnia patent ex dictis ſuprà ſect. 2. c. 3. & 4.* Ergo non eſt futilis Redingij gloſſa, ſed ex authoritate Orthodoxiæ antiquæ deducitur, quòd Romana ſedes omni tempore in alias Eccleſias imperium de Iure Divino tenuerit. 4. Calvinus *à Georgio ubi ſup. cit.* dicit, *Opinionem illam* (*quàm ſe neſcire,* ait, *quomodo invaluerit*) *qua dicit, Romanam*

57.

58.

59.

Eccle-

Eccleſiam fuiſſe fundatam & conſtitutam Petri miniſterio, plurimùm valuiſſe ad conciliandam ipſi authoritatem. At eo ipſo, quòd Romana Eccleſia ſit fundata & conſtituta Petri miniſterio, evidenter infertur, Romanos Pontifices eſſe Petri ſucceſſores. Perpende igitur Heideggere, an verè dixeris, quòd Calvinus ne gry quidem habeat de Romanorum Pontificum in locum Petri ſucceſſione.
60. 5. Eſto, quòd Alſtedius aſtruendo Pontificum Romanorum in locum Petri ſucceſſionem non dicat, Petrum 25. annis Romæ conſediſſe, ex hoc tamen minimè derogatur argumento per Pontificios ſic formari ſolito. Si primatus Iuriſdictionis in Petro per ipſummet Chriſtum promiſſus, & collatus ſit connexus cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, oportet, illum non exſpirâſſe cum perſonâ Petri, ſed tranſiiſſe ad ſucceſſores. Atqui ex ipſiſmet Chriſti Domini verbis *Matth. 16. v. 18. & 19.* conſtat, Claves regni cælorum, atque adeò Primatum Iuriſdictionis in Petro eſſe connexum cum perpetuo, ipſiſmet etiam inferorum portis inſuperabili, Eccleſiæ ſtatu. Cùm igitur Alſtedius in Romanis Pontificibus ad noſtra uſque tempora agnoſcat ſucceſſionem à Petro deductam, conſequens eſt, illum Primatum hodie continuari in Romanis Pontificibus.
61. 6. Denique ſic argumentari licet; Heideggerus ait, Patres pro dignitate Romani Epiſcopi argumento à ſucceſſione petito eatenùs fuiſſe uſos, ut cum locali & perſonali ſucceſſione intellexerint conjunctam perpetuam ejuſdem doctrinæ & fidei quaſi per manus ſibi ſuccedentium Epiſcoporum traditionem. At iſta perpetua per manus Romanorum Epiſcoporum ſibi ſuccedentium Fidei ejuſdem traditio non fortuitò duntaxat, ſed ex ſingulari providentiâ Divinâ erat conjuncta cum locali & perſonali ſucceſſione: alioquin enim Sanctus Auguſtinus *lib. contra epiſt. fundam. cap.* 4. ex tali ſucceſſione ineptè deduxiſſet prudentiale credibilitatis argumentum, quo ſe in Eccleſiâ juſtiſſimè teneri, aſſerebat. Illa verò Divina providentia localem & perſonalem Romanorum Pontificum ſucceſſionem cum perpetuâ Fidei ejuſdem per manus Pontificum ſibi ſuccedentium traditione conjungens, eſt juxta promiſſionem Petro factam, de Eccleſiâ ſuper ipſum ceu petram taliter ædificandâ, ut portæ inferi non eſſent unquam adversùs illam prævalituræ. Conſequens igitur eſt, vi promiſſionis Chriſti cum perſonali ſucceſſione ſemper fore conjungendam illam per manus Romanorum Pontificum ſibi ſuccedentium ejuſdem Fidei Traditionem. En igitur Heideggere, qualiter & Traditionem Fidei per manus Pontificum Romanórum tibi, tuæquè Reformationi contradicendo admittas, & Fidei inconcuſſam petram in Romanis Pontificibus nolens volens inſinues.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Argumenta Georgij *ſuprà cap.* 1. deducta nè in minimo quidem apice ſolvi, ſed omninò præteriri, Vedroſio ad alias ſanè impertinentes & ſutiles argutias declinante. Unde tale poſſe formari argumentum. Illa duntaxat Eccleſia eſt vera & ſancta, cujus fides efficit Sanctos. At ex dictis conſtat, magiſquè oſtendetur *in ſeqq. Diſſertationibus*, dogmata fidei, quibus contradicunt hodierni Reformati, clarè aſtrui à Patribus antiquis. Hos verò Sanctos eſſe, fatetur ipſum Reformatum Miniſterium. Oportet igitur, Fidem, quæ retinet dogmata, quibus hodierna Reformatio clarè contradicit, efficere Sanctos. At illa ipſa dogmata à Patribus Orthodoxis tradita retinet Eccleſia Romana, *uti ſuperius cap.* 1. *à n.* 4. *& cap.* 4. *à n.* 48. *eſt oſtenſum, fuſiuſquè demonſtrabitur in ſeqq. Diſſert.* Cùm igitur Fides Eccleſiæ Romanæ, non autem Reformatæ Sanctos efficiat, evidenter ſequitur, non iſtam, ſed illam eſſe veram & ſanctam Eccleſiam. 62.

Uu DIS-

DISSERTATIO V.

De Sacramentis.

SECTIO I.

De Septenario Sacramentorum numero.

CAPUT I.

Referuntur Georgij fundamenta.

1. HIc Author *ſuæ Facis Rat. 3. Doc. 6.* plura eſſe, quàm duo Sacramenta, probat ex Sancto Auguſtino *Conc. 1. in Pſal. 103.* ſic diſſerente: *Reſpice ad munera Eccleſiæ. Munus Sacramentorum in Baptiſmo, in Eucharistiâ, in cæteris ſanctis Sacramentis, quale munus eſt.* Unde inducit Calvinum ipſum *lib. 4. Inſtit. cap. 19. ſect. 1.* affirmantem: *Quòd illa de ſeptem Sacramentis opinio omnium ferè ſermonum trita, ſcholaſque & conciones pervagata, Vetuſtate ipsâ radices egerit.*

2. Author citatus *n. 39.* inducit exceptionem Reformatorum Doctorum, aſſerentium, D. Auguſtinum duo tantùm agnoviſſe ordinaria Eccleſiæ Sacramenta. Quarè per illam clauſulam *Et cætera* non intellexiſſe alia vera & propriè dicta Sacramenta, ſed alios ſacros in tunc temporis Eccleſiâ uſurpatos ritus. Verùm huic exceptioni occurrit, quòd inter Orthodoxam Vetuſtatem recenſendus ſit Divus quoquè Auguſtinus, Reformatis Doctoribus id paſſim affirmantibus, ſpeciatim Keckermanno *lib. 3. cap. 14. Syſt. Log.* At doctrinam de ſeptem Sacramentis vetuſtate ipsâ egiſſe radices, tradit Calvinus *ubi ſuprà.* Falſum igitur eſt, Divum Auguſtinum præter Baptiſmum & Eucharistiam nulla alia agnoviſſe vera & propriè dicta Eccleſiæ Sacramenta.

3. Addit *à n. 42.* Eundem Sanctum Auguſtinum *lib. 2. contrà litt. Petiliani cap. 104.* de Sacramento Confirmationis ſic loquentem: *In hoc unguento* (barbæ ſcilicet Aaron) *Sacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere*
4. *viſibilium ſignaculorum Sacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Et *lib. 2. cap. 13. Epiſt. Parm.* ſic habet de Baptiſmo & Ordine: *Utrumque Sacramentum eſt &c. utrumque non licet in Catholicâ Eccleſiâ iterari &c. nè non homini, ſed ipſi Sacramento fiat injuria &c.* Item *de bono conjugij cap. 18. Matrimonium* aſſerit *Sacramentum.* Et *cap. 24.* ita

124. ita ait: *Bonum igitur Nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in cauſâ generandi eſt, & in fide Caſtitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt, etiam repudio interveniente, alteri nubere, dum vir ejus vivit &c.*

Tandem *n. 46.* probat, à Calvino *lib. 4. Inſtit. cap. 14. ſect. 20. & cap. 19. ſect.* 5.
28. Ordinem quoquè numerari inter Sacramenta, non tamen ordinaria.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

HIc Reformatus Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 4. in exam. Rat. 3. docum. 6.* arguit 1. Georgium ad ſtabiliendum ſeptenarium Sacramentorum numerum, producere Auguſtinum præter Baptiſmum & Eucharistiam *Cætera Sacramenta* commemorantem *Conc. 1. in Pſal. 103.* Et Calvinum confitentem, *Opinionem de ſeptem Sacramentis ipſâ vetuſtate radices egiſſe. Inſtit. lib. 4. cap. 19. ſect. 1.* Verùm apud Auguſtinum nuſquàm apparere numerum ſeptenarium. Calvini porrò phraſin *Vetuſtate radices agere,* non velle (uti Georgius pueriliter hariolетur) quòd vetus primitiva Eccleſia tot crediderit Sacramenta, ſed quòd opinio hæc pridem obrepſerit. 6.

Arguit 2. Audiendum deſuper ipſum Calvinum *loco citato ſect. 3.* ita ſe ſe expedientem: *Si veteris Eccleſiæ authoritate premere nos velint, dico, eos fucum facere. Nuſquàm enim apud Eccleſiaſticos ſcriptores numerus hic ſeptenarius invenitur, nec ſatis conſtat, quo primùm tempore obrepſerit. Fateor quidem, in vocabulo Sacramenti eſſe interdum liberiores; ſed quid eo ſignificant? Nempè Cæremonias omnes & externos ritus, omniaquè pietatis exercitia. Quum autem de ijs ſignis loquuntur, quæ Divinæ in nos gratiæ teſtimonia eſſe debent, duobus iſtis Baptiſmo & Eucharistiâ contenti ſunt. Ne quis falsò jactari hoc à me putet, pauca Auguſtini teſtimonia hic referam.* 7.

Arguit 3. Ex Calvino producente teſtimonium Sancti Auguſtini *Epiſt. 118. ad Januarium* ita ſcribentis: *Primò tenere te volo, quod eſt hujus diſputationis caput. Dominum noſtrum Chriſtum* (ſicut ipſe in Evangelio loquitur) *leni jugo nos ſubdidiſſe, & ſarcina levi. Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione faciliimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit. Sicuti eſt Baptiſmus, Trinitatis nomine conſecratus, & Communicatio Corporis & Sanguinis Domini, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* 8.

Arguit 4. Ex eodem Calvino producente Auguſtinum *de Doct. Chriſtiana lib. 3. cap. 9. A Reſurrectione Domini quædam pauca ſigna pro multis, eademque factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicuti eſt Baptiſmus & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* 9.

Super quibus proindè ac præcedentibus Auguſtini verbis ita exclamat Calvinus: *Cur nullam hic ſacri numeri, hoc eſt, ſeptenarij, facit mentionem? An veriſimile eſt, prætermiſſurum fuiſſe, ſi tunc in Eccleſiâ fuiſſet inſtitutus &c. Imò cùm Baptiſmum & Cœnam nominat, alia ſubticet; an non ſatis innuit, hæc duo myſteria ſingulari dignitate præſtare, alias Ceremonias inferiores loco ſubſiſtere?*

10. Arguit 5. Ex Auguſtino *de Symb. ad Catech. lib. 2. cap. 6.* ita ſcribente: *Percuſſum eſt latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua, in quâ ſponſa eſt purificata, ſanguis, ex quo invenitur eſſe dotata.*

11. Arguit 6. Bellarminum *lib 2. de Sacram. in genere cap. 25.* ut & Caſſandrum *Conſult. cap. 13.* neminem habere Lombardo vetuſtiorem inter eos, qui præcisè ponant numerum ſeptenarium. Vixiſſe autem circà annum Chriſti 1140.

12. Arguit 7. Valdè itaquè mirum eſſe, quòd Georgius hanc quæſtionem, quæ in Antiquitate nullum penitùs habeat præſidium, pro obtinendâ Eccleſiæ Romanæ cum primitivâ conformitate, diſceptandam propoſuerit, hac unicâ ratione, quòd vocabulum Sacramenti etiam alijs, quàm Baptiſmo & ſacræ Cœnæ, tribuatur ritibus ſacris.

13. Arguit 8. Georgium aſſerere, quòd per manifeſtam & putridam falſitatem Auguſtinus dicatur per *Cætera Sacramenta* intellexiſſe non propriè dicta Sacramenta, ſed alios ſacros Eccleſiæ ritus. At Georgium, cùm hæc ſcripſit, manifeſtè inſanijſſe. Etenim vocem Sacramenti tam latè ſumi priſcis, ut, ſi nominis tantùm, non omnium requiſitorum in propriè dictis novi Teſtamenti Sacramentis (ut videlicet ſint à Chriſto inſtituta ſub ſenſibilibus & externis elementis ad gratiæ ſuæ ſalutaris ſignificationem & obſignationem ex ſingulari promiſſione in uſum communem & perpetuum totius Eccleſiæ) ratio habeatur, non ſeptem, ſed ſeptuaginta in Veterum ſcriptis, imò in veteri Vulgatâ inveniantur Sacramenta.

14. Arguit 9. Etenim Auguſtinum *Epiſt. 5.* dicere, quòd *omne ſacrum ſignum ſit Sacramentum.* Et *Epiſt. 3. ad Marcell.* ita habere: *Signa, cùm ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Hilarium *in Matth. can. 11. 12. & 13.* appellare *ſacramentum orationis, ſacramentum lachrymarum, ſacramentum famis & ſitis.* Becanum Ieſuitam *cap. 6. de Sacr. q. 1.* agnoſcere, Auguſtino Sacramentum vocari ſignum Crucis, & exorciſmos Catechumenorum. Bernardum de Cœnâ Domini Sacramentum vocare lotionem pedum. Salem Baptiſmaticum, cùm exorcizatur, dici ſacramentum. Aquam benedictam, quæ conficitur ad conſecrationem novæ Eccleſiæ, vocari ſacramentum.

15. Arguit 10. Hinc Rupertum Tuitienſem *lib. 12. cap. 11. de Victoriâ Verbi*

Dei

Dei, Cœnam & Baptiſmum appellare principalia Sacramenta. *Quæ ergo (ait) & quot ſunt præcipua noſtræ ſalutis Sacramenta? Sacrum Baptiſma, ſanctâ Corporis ejus & Sanguinis Eucharistia, geminum Spiritûs ſancti datum.*

Arguit 11. Ex ratione. Nam poteſtas inſtituendi Sacramenta ipſiſmet Pontificijs fatentibus, ita eſt Deo propria, ut nè quidem communicabilis ſit ulli creaturæ: ſiquidem certâ promiſſione Dei erigant conſcientias, debeantque conſolari: cujuſmodi adeò certitudinem nequeant accipere ab homine. Ex Scoto. Biel. Vaſq. apud Coninck *q. 64. de Sacr. d. 2.* & Georgio *pag. 32.* 16.

Arguit 12. Diſjungenda igitur eſſe è Sacramentorum Novi Teſtamenti numero, quæ Chriſtus non inſtituerit. Matrimonium, quod ante Chriſtum incarnatum, imò ante peccatum fuerit inſtitutum, quodquè elemento deſtitutum Canoniſtis *æquivocè* tantùm ſit Sacramentum. Expungendam porrò eſſe Pœnitentiam, quæ non minùs ſub veteri, quàm novo Teſtamento urgebatur. Extremam unctionem, quæ à Iacobo inſtituta ſit, juxta Lombard. *in ſent. 4. diſt. 23. Litt. B.* Confirmationem, quam in Concilio Meldenſi inſtitutam fuiſſe, dicat Alexander Alenſis *p. 4. q. 24.* 17.

Arguit 13. Cardinalem Beſſarionem *lib. de Sacr. Euchariſt.* ultrò largiri hæc duo ſola Sacramenta, Baptiſmum, & Euchariſtiam in Evangelis manifeſtè tradita legi. Idem fateri Paſchaſium, qui floruerit circà annum 600. Et Thomam *in 3. q. 66. a. 3.* ex Auguſtino citato *de ſymb. ad Catech. lib. 2. cap. 6.* 18.

Arguit 14. Si quæ aliæ ſint cæremoniæ ex ſcripturis Novi Teſtamenti ſumptæ, qualis ſit impoſitio manuum in ordinatione Miniſtrorum, ceu ſymbola non ſupervacua, ſed ſpiritualis gratiæ arrhas, ſe cum Calvino locis à Georgio citatis humiliter venerari: nec de nomine contentionem ullam ſuſcipere, nec Sacramenta dici, refragari, id eſt ſacra ſymbola; modò meminerint, reſtrictum eſſe id nomen ad eum uſum, quem nunc obtinet, & Sacramenta propriè dici Baptiſmum & ſacram Cœnam. De quibus poſtquàm ex profeſſo & multis egiſſet Ambroſius, tandem concludere *de Sacramt lib. 6. cap. 2. Accepiſti de Sacramentis, pleniſſimè cognoviſti omnia.* 19.

Heideggerus *in ſuis Vindic. n. 25.* arguit 15. Redingium propere innatum fingendi cacoethem *pag. 175.* ſcribendo, Calvinum *Inſtit. 4. 10.* fateri, quòd opinio de ſeptem Sacramentis in Eccleſiâ radices egerit primis quinque ſæculis à tempore Apoſtolorum. At nullam eſſe iſtam conſecutionem, quâ concluditur: *Calvinus ait, opinionem de ſeptem Sacramentis Vetuſtate radices egiſſe. Ergo fatetur, primis quinque ſæculis eam in Eccleſiâ radices egiſſe.* Calvinum intellexiſſe Vetuſtatem minimè anteriorem Lombardo 20. 21.

& Con-

& Concilio Florentino. Fraudem non meliùs detegi, quàm repræſentatis ipſis Calvini verbis diſertiſſimis, quæ ita ſe habeant: *Si Veteres Eccleſiæ authoritate premere nos velint, dico, eos fucum facere. Nunquàm enim apud Eccleſiaſticos ſcriptores numerus hic ſeptenarius invenitur: nec ſatis conſtat, quo primum tempore obrepſerit. Fateor quidem, in vocabulo Sacramenti eſſe interdum liberiores. Sed quid eo ſignificabant? Nempè cæremonias omnes & externos ritus, omniaque pietatis exercitia. Cùm autem de ſignis loquuntur, quæ Divinæ in nos gratiæ eſſe teſtimonia debent, duobus iſtis, Baptiſmo & Euchariſtiâ contenti ſunt.*

CAPUT III.

Oſtenditur ex ſacris Litteris, & Patribus antiquis Orthodoxis, in verâ Dei Eccleſiâ exiſtere ſeptem Sacramenta, nempè Baptiſmum, Euchariſtiam, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.

22. EXplicatur. Nam ex ſenſu Reformatorum per Vedroſium *præced. cap. arg. 8.* expoſito, Sacramentorum novi Teſtamenti definitio perfecta & adæquata in eo ſe tenet; quòd ſcilicèt ſint à Chriſto inſtituta ſub ſenſibilibus & externis elementis, ad gratiæ ſuæ ſalutaris ſignificationem & obſignationem ex ſingulari promiſſione in uſum communem & perpetuum totius Eccleſiæ. Quæ equidem definitio, ſi acciperetur conformiter ijs, quæ *ſeq. ſect.* dicentur, ſuſtineri poſſet. Hîc tamen abſtrahendo ab efficaciâ Sarcamentorum, attentis univerſis per Doctores Reformatos ad novi Teſtamenti Sacramenta requiſitis, expendamus, *An non iſta definitio adæquatè conveniat ſeptem à Romanâ Eccleſiâ receptis Sacramentis.*

Probatio prima, de Baptiſmo & Euchariſtiâ.

23. NAm Catechiſmus Tigurinus Anno 1629. editus *a. 98.* Baptiſmum ſeu exteriorem in nomine Patris, Filij, & Spiritûs Sancti factam aquæ ablutionem *ex Gal. 3. v. 26. Epheſ. 5. v. 26. Titi 3. v. 5. Rom. 6. v. 4.* probat, eſſe Novi Teſtamenti Sacramentum, eò quòd ſit ſignum ſeu ſigillum Fœderis Filiorum Dei, ac peccatorum per Sanguinem Chriſti ex Spiritu Sancto remiſſionis, ac in novam vitam regenerationis. Idem Catech. *a. 102. ex Matth. 26. v. 26. Lucæ 22. v. 19. & 1. Corinth. 11. v. 23. item 10. v. 16.* probat, Euchariſtiam eſſe Novi Teſtamenti Sacramentum, eò quòd ſit ſignum per modum gratiarum actionis rememorativum Corporis & Sanguinis Chriſti

Digitized by Google

pro noſtris peccatis traditi & effuſi, ac Chriſtianæ ergà proximos Charitatis teſtificativum.

Probatio ſecunda, de Confirmatione.

NAm *Act. 8. v. 17, & 18. v. 6.* fit mentio impoſitionis manuum, mediante quâ conferretur Spiritus Sanctus. Eo ipſo autem, quòd per iſtam impoſitionem manuum daretur Spiritus Sanctus, oportet, ipſam fuiſſe ſignum gratiæ & Charitatis: *Charitas enim diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Rom. 5. v. 5.* At cùm Spiritûs Sancti datio ſeu gratia & veritas non ſit, niſi per Ieſum Chriſtum, nequit ullum eſſe gratiæ ſignum, mediante quo detur Spiritus Sanctus, niſi fuerit à Chriſto inſtitutum. Conſequens igitur eſt, illi manuum impoſitioni conveniſſe definitionem Sacramenti tum à Vedroſio ex ſenſu Reformatorum ſuprà *n. 13.* deſcriptam, tum ex Catechiſmo Tigurino *n. 23.* Baptiſmo & Euchariſtiæ applicatam. At ſub iſtâ impoſitione manuum intelligit Eccleſia Romana Confirmationem, quam Sanctus Auguſtinus *lib. 3. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 16.* & alij Patres paſſim illo vocabulo *Impoſitionis manuum* indicabant. De quo proinde Confirmationis Sacramento, Apoſtolis etiam è medio ſublatis, in Eccleſiâ continuato, teſtificati ſunt Dionyſius Areopagita *cap. 4. de Eccleſiaſt. Hierarch.* Cyprianus *lib. 1. Epiſtolar. epiſt. 1.* Ambroſius *lib. 3. de Sacram. cap. 2. Et lib. de ijs, qui Myſterio initiantur cap. 7.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Cath. 3. Myſtag.* Hieronymus *in Dialogo contrà Luciferianos.* Cyrillus Alexandrinus *in Commentarijs ſuper cap. 25. Iſaiæ.* Iſidorus *lib. 1. de Officijs Eccleſiaſticis cap. 25. & 26.* Auguſtinus *tract. 6. in 1. Epiſt. Ioan. lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas. Item lib. 2. contrà Epiſt. Petiliani cap. 104.* ubi ſic habetur: *Sacramentum eſt ſacroſanctum, ſicut ipſe Baptiſmus.* Quibus ſuperaddi poſſunt innumerabiles alij Patres in varijs Concilijs antiquis olim congregati, nempè in Elibertino *can. 38.* Laodicenſi *can. 7. & 48.* Arelatenſi I. *can. 8.* Arelatenſi II. *can. 17.* Aurelianenſi apud Gratianum *de Conc. d. 5. can. ut jejuni.* Meldenſi apud eundem *ibi. can. ut Epiſcopi.* Toletano I. *can. 20.* Item in ſynodo VI. Generali *can. 7.* Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, & denique Tridentino *ſeſſ. 7.* 24.

Probatio tertia, de Sacramento Pœnitentiæ.

NAm *Ioan. 20.* Chriſtus Dominus ubi dixiſſet, ſe mittere Apoſtolos, ſicut ipſe miſſus eſſet à Patre, ſubjunxit dicendo: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quibus proinde verbis data eſt Apoſtolis poteſtas proferendi verba abſolutionis à peccatis. At eo ipſo, 25.

ſo, quòd iſta abſolutio peccatorum ſit ex poteſtate Divinitùs inſtitutâ, oportet, illam eſſe veram. Nequit autem abſolutio peccatorum cum veritate ſubſiſtere, niſi mediante gratiâ Dei per Chriſtum, ejuſque Sanguinem obtentâ. Conſequens igitur eſt, illis verbis a Chriſto eſſe inſtitutum ſignum, ſub verborum abſolutionis peccatorum cum veritate ſignificantium elemento, ſignificativū gratiæ. At eo ipſo, quòd illa poteſtas ſit Apoſtolis in-
26. definite conceſſa in ordine ad omnes illos, pro quibus redimendis erat Chriſtus miſſus, oportet, eam fuiſſe inſtituram in ordine ad univerſam Eccleſiam perpetuò ſubſtituram uſque ad conſummationem ſæculi. Planum proinde eſt, illis Chriſti Domini verbis fuiſſe inſtitutum ſignum, cui conveniret tota definitio Sacramenti ab ipſiſmet etiam adverſarijs ſuprà *n. 13.* deſcripta. At hoc Sacramentum vocamus Reconciliationis ſeu Pœnitentiæ. De quo proinde Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de adult. Conjug. cap. 26. & 28.* ſic atteſtatus eſt: *Eadem eſt cauſa Baptiſmi & Reconciliationis, ſine quibus Sacramentis homines credunt, ſe non debere exire de corpore.* Verùm de hoc Sacramento infrà *Diſſert. 9.*

Probatio quarta, de Sacramento Extremæ Unctionis.

27. Etenim *Iacobi 5.* ſic habetur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ex quibus patet, à Iacobo Apoſtolo pronunciari, Unctionem olei in nomine Domini cum oratione fidei factam, ejus eſſe virtutis, ut unà cum ſalvatione infirmi, conferre poſſit remiſſionem peccatorum. At ſalvatio infirmi juncta peccatorum remiſſioni, eſt cum veritate, & effectu gratiæ ſignificativa. Nequiſſet autem remiſſio peccatorum & gratia, utpote non niſi per Chriſtum danda, promitti ab Apoſtolo Iacobo, niſi de hoc eſſet certificatus ab ipſomet Chriſto. Oportet igitur, Iacobum Apoſtolum à Chriſto Domino accepiſſe, quòd oratio fidei unà cum unctione in nomine Domini facta haberet vim ſalvationis, ac remiſſionis peccatorum cum ve-
28. ritate & effectu ſignificativam. In quem adeò ſenſum Sanctus Auguſtinus *lib. 2. de viſitandis infirmis cap. 4.* inter cætera dixit, Deum ipſum per Apoſtolum ſuum Iacobum dixiſſe illa verba: *Infirmatur quis in vobis &c.* Hinc autem rursùs ſequitur, talem unctionem orationi fidei conjunctam ſub externis elementis ex inſtitutione Chriſti cum veritate, atque adeò obſignatione reali & efficaci, eſſe ſignificativam gratiæ ſalutaris. Quam ſignificationem oportet, eo ipſo fuiſſe pro perpetuo Eccleſiæ uſu, quòd ejus faciendæ poteſtas commiſſa ſit Presbyteris Eccleſiæ pro fidelibus infirmis

inde-

indefinitè, imò promulgata ſit per Epiſtolam Catholicam Iacobi pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu *indefectibiliter* duraturam. Patet igitur, illi unctioni, & fidei orationi convenire adæquatam Sacramenti ab ipſiſmet etiam adverſarijs agnitam definitionem. Quod proinde Sacramentum vocamus Extremã Unctionem; cujus meminerunt Innocentius I. D. Auguſtino contemporaneus *Epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum cap. 8.* Divus Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio cap. 6.* Beda *in cap. 6. Marci*, Theophylactus *ibid.* Auguſtinus *loco ſuperiùs citato*, *& Serm. 215. de tempore*, ubi dicit, per hanc Unctionem *corporis ſanitatem recipi*, *& indulgentiam peccatorum obtineri*; hortaturquè adeò, poſt ſuſceptam Euchariſtiam ad hanc Unctionem (tanquàm ad alterum Sacramentum) uſurpandam. Quibus concinunt Patres Concilij Wormatienſis *can. 48.* & Synodi Cabilonenſis ſub Carolo Magno *can. 48.* 29.

Probatio quinta, de Sacramento Ordinis.

NAm *1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 2.* Apoſtolus monet hunc ſuum diſcipulum, ut *reſuſcitet in ſe gratiam*, *quam* (cùm ordinaretur in Presbyterum) *per manuum impoſitionem accepiſſet.* Unde iſta manuum impoſitio habebat virtutem, cum veritate & efficaciâ ſignificandi gratiam, non utiquè ex aliâ, quàm Divinâ inſtitutione Chriſti, utpotè per quem unicè poſſimus gratiam obtinere, atque adeò conveniebat ipſi integra Sacramenti definitio. Unde Calvinus quoquè *lib. 4. Inſtit. cap. 19. ſect. 28.* ſibi licèt contradicens, fateri cogitur, Manuum impoſitionem ad Presbyterij munus ſpectantem, hodiequè cenſeri inter Sacramenta, utpote quæ non ſit inanis & ſupervacua, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum. Quam proinde Manuum impoſitionem, Presbyterorum conſecratoriam, dicimus Sacramentum Ordinis, cujus præter alios Patres alibi recenſendos expreſſis verbis meminit Sanctus Auguſtinus locis *ſuprà n. 4. citatis.* 30.

Probatio ſexta, de Matrimonio.

ETenim *ad Epheſ. 5.* Apoſtolus, ubi pluribus demonſtrâſſet, oportere, viros diligere uxores, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, tandem hujus rationem myſticam reddendo, ita concludit: *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſiâ.* Ex quibus adeò patet, Matrimonium eatenùs eſſe *Magnum Sacramentum in Chriſto & in Eccleſiâ*, ut non tantùm ſit ſignificativum conjunctionis Chriſti cum Eccleſiâ, ſed etiam conjunctionis mariti cum uxore per dilectionem. At conjunctio Chriſti cum Eccleſiâ eſt mediante gratiâ, fidelibus ceu Eccleſiæ membris 31.

per Chriſtum, ejuſquè pro nobis effuſum ſanguinem communicata. Ergo Matrimonium ita eſt ſignificativum hujus gratiæ, eſtquè adeò Sanguinis Chriſti hanc gratiam nobis in Cruce impetrantis, ſive (ut Apoſtolus *citatus* ait) pro ſanctificatione Eccleſiæ ſeipſum tradentis taliter rememorativum, ut ſimul ſit ſignificativuum dilectionis inter conjuges debitæ. Atqui Catechiſmus Tigurinus *ſuprà n.* 22. adductus probat, Eucharistiam eſſe Sacramentum novi Teſtamenti, quòd ſit rememorativuum Sanguinis Chriſti pro nobis effuſi, Chriſtianæquè ergà proximos Charitatis teſtificativum. Quia proinde ex apertâ Apoſtoli atteſtatione planum eſt, talem Sanguinis Chriſti pro Eccleſiæ ſanctificatione effuſi rememorationem, atque Chriſtianæ inter conjuges Charitatis ſignificationem contineri illo magno Matrimonij Sacramento, ideò ex ipſiuſmet etiam Catechiſmi Tigurini argumento infertur, Matrimonio convenire rationem propriè dicti Sacra-
32. menti. Pro quo igitur atteſtationem diſertis verbis faciunt ſancti Patres, ſpeciatim Chryſoſtomus *homil. 20. in Epiſt. ad Epheſ.* Ambroſius *in cap. 5. ad Eph. & lib. 1. de Abraham cap. 4.* Siricius Papa Ambroſio coætaneus *in Epiſt. 1. cap. 4.* Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 22.* Innocentius I. Auguſtino contemporaneus *in Epiſt. 9. ad Probum*, & tandem Auguſtinus *ſuprà n. 4.* adductus. Item *lib. de fide & operibus cap. 7.* Et *lib. 1. de Nupt. & Concupiſc. cap. 10.* ubi Matrimonium cum Baptiſmo comparans ait: *Hoc cuſtoditur in Chriſto & Eccleſiâ, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus Sacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, ut nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fœcunda ducatur.*

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

33. AD *primam* Reſp. Georgium optimè probare ſuum intentum in Reformati Miniſterij, duo tantùm Sacramenta ſtatuentis, doctrinâ refellendâ, & ſeptenario econtrà Sacramentorum numero ſtabiliendo. Etenim ſi præter Baptiſmum & Eucharistiam in Eccleſiâ Chriſti extent alia Sacramenta eodem cenſu cum illis habita, nemini niſi amenti non erit manifeſtum, Reformati Miniſterij duo, duntaxat Sacramenta ſtatuentis, doctrinam eſſe impiam. At ex Sancto Auguſtino *cit. Conc. 1. in Pſal. 103.* apertè conſtat, præter Eucharistiam & Baptiſmum commemorari alia Eccleſiæ Chriſti Sacramenta, quæ ſub eodem cenſu haberi à præcitato Sancto Doctore, patet ex *contextu*. Manifeſtum igitur eſt, doctrinam Reformati Miniſterij duo duntaxat Sacramenta ſtatuentis eatenùs refutari

ex Sancto Auguſtino, ut vel hoc titulo ſit apertè impia. Deinde Georgius ex Reformati Miniſterij Doctoribus, ſpeciatim Keckermanno *lib.* 3. *cap.* 14. *Syſtem. Logici* probat, ſi ſermo ſit de doctrinâ Orthodoxâ, intelligi ſub Vetuſtate Eccleſiæ Doctores, qui à tempore Apoſtolorum annis ferè ſexcentis floruerint, inter quos ſit etiam Auguſtinus. At Calvinus *citatus* fatetur, numerum ſeptenarium Sacramentorum Vetuſtate radices egiſſe. Ergo ſecundum Reformati Miniſterij Doctores exponendus eſt Calvinus, quod nolens volens faſſus ſit, ſeptenarium Sacramentorum numerum obtinuiſſe apud Eccleſiæ Doctores, qui à tempore Apoſtolorum annis ferè ſexcentis floruerint. En igitur Vedroſi, Georgium non pueriliter hariolantem, ſed ex ipſomet Reformato Miniſterio tuo argumentantem. 34

Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Calvinus *ibi citatus* ait, ſeptenarium Sacramentorum numerum nuſquàm inveniri apud Eccleſiaſticos ſcriptores, ſed iſtos, ſi de ijs ſignis loquuntur, quæ Divinæ in nos gratiæ teſtimonia ſunt, duobus Sacramentis Baptiſmo & Euchariſtiâ contentos eſſe. Hinc autem manifeſtum foret, ſeptenarium Sacramentorum numerum nuſquàm apud Eccleſiaſticos ſcriptores obrepſiſſe; & tamen idem Pſeudoreformator ait, non ſatis conſtare, quo primùm tempore ille numerus obrepſerit. An non igitur in hoc manifeſta eſt contradictio Calvini, aſſerentis, Sacramentorum numerum ſeptenarium Vetuſtate ipsâ radices egiſſe, & tamen nuſquàm inveniri apud Eccleſiaſticos ſcriptores? Item hos duobus Sacramentis univerſim, adeòque ſemper contentos fuiſſe, & tamen neſciri, quo primùm tempore ſeptenarius hic numerus obrepſerit. 35.

Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Illa Sacramenta ſunt Divinæ in nos gratiæ teſtimonia, quibus ſocietas novi populi in Chriſto colligatur. At Sanctus Auguſtinus loco per Calvinum citato inter Sacramenta, quibus novi populi ſocietas in lege Chriſti colligatur *Exemplificativè* (uti patet ex voce *Sicut*) ita numerat Baptiſmum & Euchariſtiam, ut tamen incluſum velit aliud porrò Sacramentum, ſi commendetur in ſcripturis Canonicis. Ex dictis verò *præcedenti cap.* 3. conſtat, in ſcripturis Canonicis, Divo Auguſtino diſertis verbis id approbante, commendari alia quoquè Sacramenta, quæ Divinæ in nos gratiæ ſint teſtimonia, ſocietatem novi populi in Chriſto colligantia. Conſtat proinde, quàm ineptè Calvinus dualitatem Sacramentorum ex Auguſtino probare intendens, id, quod Sanctus hic Doctor *Exemplificativè* poſuit, ſumendo *Taxativè*, fuerit ſui adeò immemor, ut non adverteret, illis ipſis Auguſtini verbis, alijſque diſertis ejus teſtimonijs probari alia adhuc Sacramenta, in ſacris Litteris commendata. 36.

37. Ad *quartam* Reſp. Quærendo ex Calvino, an ſi poſitâ univerſali pro-
poſitione, ſubijciatur unum vel alterum exemplum, talis ſpecificatio ex-
empli deroget generi? Si contrà commune axioma affirmet, tunc ipſum
rursùs convenio, quærendo ex ipſo, quo igitur jure inter Sacramenta li-
cèt extraordinaria locis *ſuprà cap. 1. n. 5.* citatis numerârit Ordinem? Si ne-
get, oportet, ut ipſummet Sancti Auguſtini à ſe allegatum textum meliùs
expendat. Ex hoc enim patebit, Sacramenta Baptiſmi & Evchariſtiæ ſo-
lùm *Exemplificativè* eſſe poſita. Quæ proinde Exemplificatio non tantùm non
derogat Univerſalitati Sacramentorum a Chriſto inſtitutæ, ſed illa ipſa Ex-
emplificatio per vocem *Sicut* expreſſa, denotat alia ſupereſſe, ſimilis cum
Baptiſmo & Evchariſtiâ quoad Sacramenti participationem rationis. Sed
Calvinus exclamat: *Cur ergo Auguſtinus nullam hic ſacri ſeptenarij numeri facit men-*
38. *tionem?* Verùm reponitur: Cur Calvinus *Taxativè* ponit dualitatem Sacra-
mentorum, cùm tamen Auguſtinus ſolùm *Exemplificativè*, non *Taxativè* ac ta-
liter meminerit duorum Sacramentorum, ut partim *Explicitè*, *loco* ſcilicet
priori & alibi, partim *Implicitè, loco poſteriori* commemoraret alia adhuc Sacra-
menta? Nunquid Sanctus Auguſtinus Dialectices adeò imperitus fuit, ut
æquè ac Calvinus crederet argumento ab authoritate negativâ petito, vim
aliquam ineſſe, atque adeò præjudicium aliquod cauſari ſeptenario Sacra-
mentorum numero, dum hujus *loco allegato*, ubi materiei ratio ejus præſer-
tim expreſſionem non exigebat, *Explicitè* non meminiſſet?

39. Ad *quintam* Reſp. Vedroſi, quid eſt, quòd Sanctus Auguſtinus loco
per te citato meminerit Sacramenti Baptiſmi & Sanguinis; non verò Cor-
poris Chriſti? Annè ideò Sacramentum Corporis Chriſti excludendum
eſt à ratione veri Sacramenti? Sed dices, hoc conſtituere unum Sacra-
40. mentum cum Sacramento Sanguinis Chriſti. Verum ex hoc ipſo tuo re-
ſponſo ſic argumentari licebit. Ex eo, quòd Sacramentum Evchariſtiæ
per Sanctum Auguſtinum citatum exprimatur ſub ſolo Sanguinis Sacra-
mento tanquàm parte, non infertur excluſio alterius partis, nempe Sacra-
menti Corporis Evchariſtiam integrantis. Ergo nec ex eo, quòd Sanctus
Auguſtinus pro re natâ meminerit duorum Sacramentorum, nempe Ev-
chariſtiæ & Baptiſmatis, infertur excluſio aliorum Sacramentorum, quo-
rum alibi mentionem facit. An enim ex eo, quòd invoces Deum Unum,
excludis ipſum quà Trinum? An ex eo, quòd Patrem & Filium adores,
excludis Spiritum ſanctum? An ex eo, quod in Symbolo Apoſtolorum
duodecim articuli ſint expreſſi, contendis nulla alia eſſe fidei dogmata,
præſertim de Sacramentis in prætacto Symbolo minimè expreſſis? Certè
Vedroſi argumentandi methodus ab Affirmativâ ad Negativam, vel econ-

trà

trà à Negativâ ad Affirmativam tibi non rarò uſurpata, ita peccat in Dialecticam, ut ſi eam firmam dixeris, graviſſimè pecces in Theologiam & Fidem Divinam.

Ad *ſextam* Reſp. Inſignis fraudis ex eâ te reum argui. Nunquid enim Bellarminus *lib. 2. per te citato cap. 24.* ex Patribus Lombardo longè vetuſtioribus, imò ipſiſmet ſacris Litteris probat ſeptem Novi Teſtamenti Sacramenta? Quamvis proinde idem author *cap. 25.* ex poſterioribus Concilijs & Doctoribus Sacramentorum ſeptenarium numerum *in actu ſignato* ſub formali ſeptenarij collectione ponentibus argumentetur, minimè infertur, non fuiſſe in vetuſtiori Eccleſiâ agnita ſeptem Sacramenta, licèt ejuſmodi formalis ſeptenarij *in actu ſignato* expreſſio primò eſſet poſita à Lombardo. Nunquid Apoſtoli in ſuo Symbolo propoſuerunt duodecim Fidei articulos, quos Catechiſmus Tigurinus *a. 16.* ait dividendos in tres partes? Annè igitur illi articuli priuſquàm ſub formali & ſignatâ duodenarij numeri collectione numerarentur, vel à Tigurino Catechiſmo in tres partes *ſignatè* dividerentur, non extiterunt? Nunquid Thomas de Aquino *1. 2. q. 85. a. 9.* conformiter ijs, quæ Sanctus Auguſtinus *lib. de Serm. Dom. in monte* habet, in oratione Dominicâ numerat ſeptem petitiones; cùm econtrà Catechiſmus Tigurinus *a. 80.* numeret tantùm ſex? Annè igitur iſta petitionum diviſio, & ſignata numeratio arguit orationem Dominicam, cum petitionibus à Chriſto edoctis non eſſe antiquiorem Catechiſmo Tigurino? En quàm inepta ſit tua, Vedroſi, argumentandi methodus, dum ex eo, quòd nemo Lombardo vetuſtior ſeptenarium Sacramentorum numerum *ſignatè*, ſub formali ac præcisâ iſtâ numeratione poſuit, arguis, ſeptem Sacramentà non fuiſſe priùs agnita, cùm tamen Bellarminus à te citatus tam ex ſacris Litteris, quàm ex Patribus antiquis ea probet. 41.

Ad *ſeptimam* Reſp. Falſum eſſe, quòd ſeptenarius Sacramentorum numerus nullum in antiquitate habeat præſidium, ſitquè à Georgio hac unicâ ratione poſitus, quòd vocabulum Sacramenti etiam alijs, quàm Baptiſmo & ſacræ Cœnæ, tribuatur ſacris ritibus. Etenim ex ſacrarum Litterarum & Patrum tum *ſuprà cap. 3.* tum ex Georgio *cap. 1.* adductorum authoritatibus à Vedroſio nullatenùs ſolutis; probatum eſt, omnia Eccleſiæ Romanæ ſeptem Sacramenta eâ ratione fuiſſe antiquitùs recepta, quatenùs continerent Divinam gratiæ promiſſionem & atteſtationem, eiſquè adeò conveniret Sacramenti *propriè* dicti definitio, ab ipſiſmet adverſarijs approbata. 42.

Ad *octavam* Reſp. Verum quidem eſſe, quòd nomen Sacramenti ſub latâ ſignificatione, ſolitum ſit accipi pro quibuſvis ſignis myſterioſis, nec 43.

adeò

adeò omnia, quibus Patres antiqui nomen vel Sacramenti, vel myſterij impertiunt, *propriè* dicti Sacramenti rationem participent. Attamen præter iſta latè ſumpta Sacramenta, oſtenſum eſt *ſuprà cap. 3.* ſeptem extare *propriè* dicta Sacramenta, quibus conveniat, eſſe ſigna ſub ſenſibilibus & externis elementis ab ipſomet Chriſto inſtituta, ad gratiæ ſuæ ſalutaris ſignificationem & obſignationem ex ſingulari promiſſione in uſum communem & perpetuum totius Eccleſiæ *cit. cap 3.* Non igitur Georgius ex Sancto Auguſtino ſeptem, ſed tu Vedroſi ex tuæ Reformationis ſpiritu duo tantùm Sacramenta enumerans, inſanis. Ais enim, nihil credendum, niſi quod in ſacris Litteris ſit expreſſum. Oſtende igitur, ſi potes, in ſacris Scripturis dici, duo tantùm eſſe Sacramenta. At dices, hæc *virtualiter* in eis contineri.
44. Annè igitur concedis credenda, quæ ſolùm *virtualiter* in ſacris Litteris contenta ſunt? Et verò quis ſpiritus tuæ Reformationi ſuggeſſit, iſtam dualis duntaxat Sacramentorum numeri virtualem in ſacris Litteris continentiam? Nunquid Calvinus *cit. lib. 4. Inſtit. cap. 14. §. 20.* ſuo Reformato ſpiritu agnovit tertium, licèt extraordinarium Sacramentum? Nunquid Confeſſio Auguſtana *a. 13.* & Lutherani *in ſuis Catechiſmis communiter* eodem Reformationis ſpiritu inflati, agnoſcunt tria, ſcilicet Baptiſmatis, Evchariſtiæ, & Pœnitentiæ Sacramenta? Nunquid Lutherani Molles in Concilio Lypſenſi decreverunt, ſeptem eſſe Sacramenta. Quis ergo eſt iſte Reformationis ſpiritus in ſe adeò diviſus & inconſtans in Sacramentorum numero ex ſacris Litteris eruendo? Annon igitur Romanæ Eccleſiæ ſpiritus recipiendus, qui ex ſacris Litteris tradit ſeptem in ſacris Litteris contenta Sacramenta, quæ per vivæ in fidelibus præſertim Patribus Orthodoxis propagatæ Fidei Traditionem, ipſomet Calvino teſte egerunt radices in vetuſtate, ita ut & Calvinus fateatur, ſe neſcire tempus, quo primùm ille numerus obrepſerit; & nullus ex Reformatis Miniſtris oſtendere poſſit tempus Apoſtolicâ prædicatione poſterius, quo non priùs in Eccleſiâ fuerint tot agnita Sacramenta, ut ex ijs ſeptenarius numerus reſultaret.]

45. Ad *nonam* Reſp. Eâ nihil aliud probari, niſi quòd nomen Sacramenti à Patribus quandoquè *latiùs* acceptum, comprehendat plura, minùs *propriè* dicta Sacramenta. Quod Pontificij pro rato habent, ut tamen ex ipſiſmet etiam Patribus probent ſeptem *propriè* ſumpta Sacramenta, uti hæc partim conſtant ex dictis *præced. cap. 3.* partim patebunt ex dicendis ſequenti
46. *Diſſert. 6. 7. & 9.* Intereà hoc unicè moneo, Catechiſmum Tigurinum *a. 93.* reſolvendo, eſſe duo Sacramenta, nè apicem quidem ex ſacris Litteris (uti aliàs conſuevit) afferre. Quia ergo ille ipſe Catechiſmus *a. 5.* provocavit ad ſacra Biblia, imò quia *a. 6.* dicit, omnia fundamentalia fidei capi-

capita contineri præceptis Decalogi, duodecim articulis Symboli Apoſtolici, Oratione Dominicâ, doctrinâ de Sacramentis, idcircò Heideggerum Doctorem Tigurinum inſtantiſſimè convenio, ut mihi vel ex ſacris Litteris, vel ex Decalogi præceptis, vel ex Symbolo Apoſtolico, vel ex Oratione Dominicâ demonſtret, eſſe duo tantùm Sacramenta. Quod uti Heideggero impoſſibile eſt, ſic credat, ſuam Reformationem in fundamentali circa Sacramenta fidei capite cæcutire, atque adeò cum cæco Evangelico meritò exclamare, cujus hodie in Eccleſia Romanâ fit mentio: *Ieſu Fili David, miſerere mei, ut videam.*

Ad *decimam* Reſp. Retorquendo argumentum. Rupertus enim Tuitienſis ait, Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe duo præcipua (alterum quidem ſub ratione Neceſſitatis, alterum verò ſub ratione Dignitatis) Sacramenta. At iſta vox *Præcipua*, utpote comparativa, ſupponit, alia eſſe adhuc Sacramenta, quibus illa duo ſuperemineant. Quomodò enim hæc duo ceu præcipua poſſent in ratione Sacramenti alijs ſupereminere, ſi alia non eſſent, quibus conveniret ratio ejuſmodi. Evidenter igitur ſequitur, Rupertum *in præallegato loco* ſuppoſuiſſe alia adhuc plura, præter Baptiſmum & Euchariſtiam, extare Sacramenta. 47.

Ad *undecimam* Reſp. Concedendo totum, taleque inde formando argumentum. Nequit poteſtas Excellentiæ & Authoritatis inſtituendi Sacramenta ulli puræ creaturæ eſſe communicabilis, eò quòd de ratione Sacramenti ſit, cum certitudine Divinæ promiſſionis non tantùm quaſi *Objectivè & Figurativè*, ſed *Realiter Effectivè* erigere conſcientias per Divinæ gratiæ collationem. At præter Euchariſtiam & Baptiſmum, Confirmationi inſuper, Extremæ Unctioni, Ordini & Matrimonio convenit cum Divinæ promiſſionis certitudine, vis gratiarum Divinarum ſignificativa, imò & effectiva, uti conſtat tum ex dictis *ſuprà cap. 3.* & ex dicendis *præſenti cap.* nec non ex *ſequenti ſectione, præſertim cap. 3.* Oportet igitur, omnia illa ſeptem Sacramenta eſſe Divinitùs inſtituta, participareque perfectam Sacramenti *propriè dicti* rationem. 48.

Ad *duodecimam* Reſp. Sic argumentando. Nam 1. Matrimonium non eſt diſpungendum è numero Sacramentorum, ſi conjunctionis Chriſti cum Eccleſiâ, nec non Chriſtianæ inter conjuges charitatis ſit ſignificativum, imò & effectivum. At licèt ante Chriſti adventum fuerit inſtitutum Matrimonium, hoc tamen non erat ex vi Divinæ inſtitutionis Sacramentum, conjunctionis Chriſti cum Eccleſiâ ſignificativum: ait enim Apoſtolus *ad Ephes. 5.* Hoc Sacramentum magnum eſſe *in Chriſto, & in Eccleſiâ.* Quamvis autem antè Chriſti adventum potuerit eſſe Sacramentum Chriſti quà futuri 49.

futuri præfigurativum, nequibat tamen Sacramentum tunc eſſe in Chriſto, hic enim loquendi modus denotat Chriſtum jam exiſtentem. Eatenùs igitur erat illud Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſiâ, ut non tantùm hujus cum Chriſto conjunctionem, ſed viri ergà uxorem dilectionem, Chriſti erga Eccleſiam dilectionis imitativam, in virtute Magni Sacramenti ſignificaret. *Ex cit. cap. 5. ad Epheſ.* Nequit autem conjunctionis Chriſti cum Eccleſiâ, & conjugum dilectionis illam imitantis in virtute Sacramenti eſſe ſignificatio, niſi hæc ſit ex vi Divinæ inſtitutionis. Hæc verò non poteſt non eſſe conjuncta cum veritate & certitudine. Conſtat proinde, Conjugium in lege Evangelicâ primùm accepiſſe Sacramentalem, non niſi ex Divinâ inſtitutione derivabilem ſignificationem Chriſtianæ inter conjuges dilectionis Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem imitantis, ipſique adeò ex nunc convenire veram Sacramenti rationem. Falſum proinde eſt; quòd Canoniſtæ *indefinitè* (ſic enim non abſquè calumniæ notâ loquitur Vedroſius) Matrimonium dicant, eſſe *æquivocè* Sacramentum: eſto enim, quòd unus, vel alter ex Canoniſtis priuſquàm in Concilijs Oecumenicis illa veritas fuerit definita, aliquid erroneum ſcripſiſſet de Matrimonij Sacramento, id tamen nequè derogare poteſt unitati doctrinæ in verâ Eccleſiâ ſibimet ſemper concordis, *uti præced. Diſſert. 4.*
50. *ſect. 3. cap. 3.* oſtenſum eſt. 2. Pœnitentia in Novâ lege non eſt diſpungenda è numero Sacramentorum, ſi ejus ſit conditionis, ut ex inſtitutione Chriſti ſit data Apoſtolis poteſtas proferendi ſuper fidelium peccatis verba abſolutionis cum effectu: hinc enim infertur, talia abſolutionis verba per modum ſigni ſenſibilis Divinitùs eſſe inſtituta ad ſignificandam, imò & conferendam gratiam remiſſionis peccatorum, atque adeò cum certitudine etiam effectivâ ex vi Divinæ promiſſionis erigere & conſolari conſcientias, ipſique proinde convenire integram Sacramenti definitionem ab ipſiſmet quoquè adverſarijs poſitam. Et licèt Novæ & Antiquæ legi commune ſit, quòd in utrâque per Contritionis perfectæ pœnitentiam tollerentur peccata; attamen Novi Teſtamenti proprium eſt illud ſenſibile ſignum verborum Abſolutionis ab Apoſtolis, eorumque adeò ſucceſſoribus proferendorum cum effectu remiſſionis peccatorum: hoc enim eſſe à Chriſto inſtitutum primùm poſt reſurrectionem, patet *ex Ioann. 20. v. 22. & 23.* ubi Chriſtus ita dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quæ ſanè verba nimis clarè dant poteſtatem, verba Abſolutionis ex ipſomet Spiritu Sancto proferendi, cum ſignificatione effectivâ gratiæ peccatorum remiſſivæ. Quamvis proinde in Antiquâ lege fuerit etiam Pœnitentia, proprium tamen eſt Novæ legis, ut Abſolutio pecca-

Digitized by Google

peccatorum ſenſibiliter conferenda elevaretur in Sacramentum. 3. Inſtitutio Sacramentorum alia eſt Principalis in vi deſignationis ſigni ſenſibilis, gratiæ Divinæ cum certitudine effectivâ, alia eſt Inſtrumentalis ſeu ſecundaria in vi promulgationis: cùm enim leges firmentur, dū promulgantur, ſequitur promulgationē ſpectare non tam ad Principalem ſeu primævā legis inſtitutionem, quàm ad hujus obligationē actu cauſandā. At licèt Jacob' Apoſtolus *ſuæ Epiſt. 5. cap.* promulgârit Extremam Unctionem, *ibidem* tamen indicat, Orationi fidei ceu Formæ cum unctione Olei conjunctæ ineſſe vim alleviandi infirmum, & remittendi peccata. Nequit autem certæ precandi formulæ quà conjunctæ cum Olei unctione eſſe vis peccatorum remiſſiva, niſi ex Chriſti inſtitutione, uti nec adverſarij negare audent. Oportet igitur, illam Olei Unctionem quà Orationi Fidei conjunctam non niſi ex Chriſti inſtitutione eatenùs eſſe remiſſivam peccatorum, atque adeò gratiæ cum tali remiſſione conjunctæ ſignificativam, imò & effectivam, ut conſequenter ipſi competat integra Sacramenti definitio. 4. Deni- 51.
que Alenſis *citatus* ita tribuit Concilio Meldenſi ſecundariam inſtitutionem Confirmationis, ut primariam tamen hujus Sacramenti inſtitutionem apertis verbis adſcribat Spiritui Sancto; quod tamen Vedroſius omiſit. Unde Alenſis in hoc arguendus venit, quòd non ſatis conſiderârit verba Actuum Apoſtolorum *8. capite.* Ex his enim verbis conſtat, quòd Apoſtoli per impoſitionem manuum & orationem communicabant Spiritum Sanctum. At licet tunc iſta Spiritûs Sancti communicatio fuerit conjuncta cum viſibili Doni Linguarum effectu; attamen hac nunc ceſſante, non ideo in Eccleſiâ, ejuſque Præpoſitis ceſſavit poteſtas illa communicandi Spiritum Sanctum, uti patet ex Sancto Auguſtino *lib. 15. de Trinit. cap. 26. Tract. 6. in primam Canonicam Ioannis, & lib. 3. contrà Donatiſtas cap.* 16. Illa proinde poteſtas Spiritum Sanctum, mediante manuum impoſitione communicandi, apertè importat ſignum ſenſibile communicationis Spiritûs Sancti, atque adeò Divinæ gratiæ cum effectu ſignificativum. Ergo ipſi competit integra Sacramenti *propriè* dicti definitio. Tale proinde Sacramentum hodieque extat in Eccleſiâ Chriſti, quod Confirmationem dicimus. 52.

Ad *decimamtertiam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an poſſit exhibere aliquem ſacrum textum, in quo expreſsè dicatur, oportere in Sacramento Baptiſmatis non tantùm facere ablutionem in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, ſed *Signatè* ac *Reflexè* debere hoc exprimi dicendo: *Te Baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti?* Quia proinde hoc poſterius non inveniet *formaliter* expreſſum in ſacris Litteris, oportet, ut fateatur, non omnia, quæ ſunt de ſubſtantiâ Sacramentorum, *Formalit* eſ- 53.

ſe expreſſa in ſacris Litteris, ſed tanquàm *Virtualiter* ibi contenta deduci debere per ſenſum legitimum. Atqui ex dictis *ſuperiùs* conſtat, in ſacrâ Scripturâ, ſi non *Formaliter* expreſſis verbis, *Virtualiter* tamen ſub legitimo, utpote ab ipſiſmet Patribus recepto & tradito ſenſu, contineri ſeptem ſacra gratiæ Divinæ ſigna, quibus integra propriè dicti Sacramenti definitio competat. Quamvis proinde non tantùm Cardinalis Beſſarion, ſed Paſchaſius quoquè propè ſextum ſæculum degens, nec non Divus Thomas & Sanctus Auguſtinus *locis* per Vedroſium *citatis* affirmarent, Baptiſmum duntaxat & Euchariſtiam in Evangelijs manifeſtè tradita legi, nihil tamen ex hoc concluderet. Verùm impune hinc abire non permittitur, cùm de falſi crimine ſe reum fecerit, allegando Sanctum Auguſtinum & Divum Thomam de verbis, quæ nequè *Formaliter*, nequè *Virtualiter locis* per ipſum *citatis* habent. Neque de Paſchaſio illo in Tomis Bibliothecæ Magnorum Patrum invenio niſi duos libros de Spiritu Sancto, ex quibus ne apicem quidem eruet Vedroſius pro ſuo intento.

54. Ad *decimamquartam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius cum Calvino fatetur, ſi quæ aliæ præter Baptiſmum & Euchariſtiam ſint Cæremoniæ, ex ſcripturis Novi Teſtamenti ſumptæ, qualis ſit impoſitio manuum in ordinatione Miniſtrorum, non eſſe ſymbola ſupervacua, ſed ſpiritualis gratiæ arrhas. At ſymbola ejuſmodi conſtant elementis, ſeu ſignis ſenſibilibus. Eo ipſo autem, quòd ſint arrhæ ſpecialis gratiæ, continent Divinam hujus promiſſionem. Ex eo porrò, quòd ſint expreſſæ Divino Scripturarum ſacrarum Verbo, quod ſtat in æternum, ſequitur, eſſe perpetuas, atque adeò ad perpetuum Eccleſiæ uſum Divinitùs inſtitutas. Illis igitur Cæremonijs, ſpeciatim ſacrorum Miniſtrorum Ordinationi convenit, eſſe ſignum ſenſibile gratiæ Divinitùs inſtitutum, cum promiſſione Dei ad perpetuum Eccleſiæ uſum. Quia ergo integra Sacramenti *propriè* dicti definitio ipſis competit, nequit jam Calvinus & Vedroſius niſi ſibimet contradicendo, Cæremonias ejuſmodi expungere è numero Sacramentorum. Sed quid dicis Vedroſi de Sancto Ambroſio? O perfidum caput! Quâ fraude licuit tibi verba hujus ſancti Doctoris decurtare, ut alienum ſenſum induceres?

55. Si enim locus *per te citatus* integrè accipiatur, planum erit, non alium inde confici ſenſum, quàm eum, quem in *præallegati capitis* 3. ſummario videre licet, quòd ſcilicet in omnibus Sacramentis ſit connexum myſterium Trinitatis. Hoc verò eatenùs *Formaliter* & *Expreſſè* in Baptiſmo, *Implicitè* verò ac *Virtualiter* in Euchariſtiâ accidit, ut in reliquis quoquè Sacramentis

56. vel *Explicitè*, vel *Implicitè* id ipſum eveniat. Sed nè cuipiam de mente Sancti Ambroſij poſſit aliqua ſupereſſe dubitatio, audiamus ipſummet Sanctum

Docto-

Doctorem. Etenim *lib. 3. de Sacram. cap. 2.* ita habet: *Sequitur ſpirituale ſignaculum, quia poſt fontem ſequitur, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.* En igitur poſt Baptiſma dari ſpirituale ſignaculum, ſub quo ad invocationem Spiritus ſanctus infundatur. At Spiritûs ſancti infuſio non eſt niſi per Charitatem & Gratiam Divinam. Huic ergo ſignaculo convenit ex Divinâ inſtitutione, habere ſub elemento ſenſibili Divinæ gratiæ obſignationem ex ſingulari promiſſione Divinâ ad perpetuum Eccleſiæ uſum. Ergo teneri debet ſub cenſu Sacramentorum propriè dictorum. Ex quo proindè evidenter conſtat, Divum Ambroſium nullatenùs voluiſſe Sacramentorum numerum ſolis Baptiſmo & Eucharistiâ definire, ſed ut de reliquis quatuor hîc brevitatis gratiâ taceamus, Confirmationem quoquè inter Sacramenta numerâſſe.

Ad *decimamquintam* Reſp. Redingium minimè terreri ex hoc, quòd ab Heideggero iteratis calumnijs impetatur. Quòd enim ſub compendioſâ argumentandi formulâ *in ſuis Refutatorijs pag. 197.* expreſſit Redingius, hoc jam in formâ concludente hic accipe Heideggere. Etenim Calvinus fatetur, opinionem de ſeptem Sacramentis ipsâ Vetuſtate radices egiſſe. At ſecundum Reformatum Miniſterium (prout videre eſt apud Kechermannum *ſuprà n. 2. & 34.* allegatum) ad fidem confirmandam ita eſt inquirenda antiquitas, ut ſub Vetuſtate toties laudatâ oporteat intelligere Doctores Eccleſiæ primorum quinque, vel ſex ſæculorum. Ergo ſecundùm ipſummet Reformatum Miniſterium, Calvinus docens opinionem de ſeptenario Sacramentorum numero ipsâ Vetuſtate radices egiſſe, non poteſt aliter intelligi, niſi quòd opinio ejuſmodi primis quinque, vel ſex Eccleſiæ ſæculis fuerit tradita à Patribus Orthodoxis. Verùm *ſeq. ſect. cap. 4. in Reſp. ad 4.* ex 58.
ipſomet Calvino oſtenditur, quòd hic Reformator allegando veteres, intellexerit Auguſtinum, adeòquè primorum ſæculorum Orthodoxos Doctores. Sed quid ais Heideggere, Calvinum intellexiſſe Vetuſtatem minimè anteriorem Lombardo & Concilio Florentino? Unde hoc probas? An ex ipſiſmet Calvini verbis? At hic Pſeudoreformator *loco per te citato* aſſerit, ſibi non ſatis conſtare, quo primùm tempore ille ſeptenarius Sacramentorum numerus obrepſerit. Eſt autem in aperto, quo tempore Lombardus vixerit ac ſcripſerit, & Concilium Florentinum celebratum fuerit. Nequit ergo Heideggere illa tua exceptio cum ipſiſmet Calvini verbis cohærere. Verùm te rursùs convenio, quærendo, quo primùm tempore ob- 59.
repſerit opinio tuæ Reformationis de binario duntaxat Sacramentorum numero? Nam Catechiſmus Tigurinus nè ullum quidem de binario tantùm numero textum ſacræ Scripturæ allegare potuit. At neque ex Vetu-

 ſtate

ſtate potes de hoc ullum afferre argumentum. Unde etiam ortum eſt, ut Calviniſmi & Lutheraniſmi Reformatio à Vetuſtate diſcedendo, in tot abierit ſententias: *uti ſuprà n. 44. viſum eſt.*

COROLLARIUM.

60. EX dictis infertur. Nullum prorsùs fundamentum, ex quo Georgius ſeptenarium Sacramentorum numerum (uti *ex praeced. capite* videre licet) probavit, ullâ ſolidâ refutatione vel in minimo elidi à Vedroſio. Unde ſic licet argumentari. Eccleſia non eſt vera, quæ ſeptenarium Sacramentorum numerum ipsâ Vetuſtate, Patrumquè authoritate, ipſiſquè ſacrarum Litterarum textibus ad mentem Orthodoxorum Doctorum ritè expoſitis ita eliminare conatur, ut duo tantùm Sacramenta eſſe contendat, nec tamen de iſto binario duntaxat numero ullum ſacræ Scripturæ textum allegare valeat, Patreſquè Orthodoxos, ſi fideliter & abſque fraude adducantur, nullatenùs ſibi quoad hoc conſentientes, ſed adverſarios habeat. At hæc omnia circà Sacramentorum numerum in Eccleſiâ Reformatâ ita ſe habere, conſtat *ex praecedentibus 3. & 4. capitibus.* Viderint ergo ipſimet Reformati, an Eccleſia eorum poſſit eſſe vera?

SECTIO II.

De virtute & efficaciâ Sacramentorum.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. 3. docum.* 7. inducit Auguſtinum *Serm. 2. de Verb. Apoſtoli.* item *Serm. 11. de Verb. Dom. & ſerm. 14. de Verb. Apoſtoli* docentem, Sacroſancta Sacramenta non obſignare ſolùm in nobis, ſed verè conferre Divinas gratias.

Et infrà inducit Calvinum *Inſtit. lib. 4. cap. 14. ſect. 17.* ita ſcribentem: *Cavendum praetereà, nè in errorem hujus affinem nos abducant, quae ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulò magnificentiùs à Veteribus ſcripta ſunt: ut ſcilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamquè eſſe, quo ipſa per ſe Spiritûs ſancti gratias nobis conferant.*

2. Ex quo ita argumentatur Georgius. Apud Calvinum eſt in confeſſo, veterem eſſe doctrinam Romanæ Eccleſiæ docentis, quòd Sacramentis ſit virtus conferendi Spiritûs ſancti gratias. At in aperto etiam eſt ex Calvino,

no, iſtam Veterum doctrinam repudiari ab hodiernâ Reformatione. Ergo in aperto eſt, iſtam recedere à Veterum doctrinâ, illam verò inſiſtere doctrinæ vetuſtæ.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

HIc proindè Reformatus Miniſter *in examine cit. docum. 7.* arguit 1. Sanctum Auguſtinum *Serm. 2. de Verb. Apoſtoli* ſolùm habere, *Quòd homo in Baptiſmo remiſſionem omnium peccatorum accipiat.* At iſtud à nullo ſuorum negari. 3.

Arguit 2. Nec in eo ſe refragari Auguſtino, quòd *Serm. 14. de Verb. Apoſtoli* ita diſſerat: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto* (id eſt baptizatus, juxta gloſſam Georgij) *non intrabit in regnum cœlorum. Domini ſententia eſt, huic non reſiſtit, niſi non Chriſtianus.* 4.

Arguit 3. Neque in hoc ſe diſcordare ab Auguſtino, quòd *Serm. 11. de Verb. Dom* taliter diſſerat: *Congregatio ad remittenda peccata accepit Spiritum ſanctum. Ad quam congregationem etiamſi per malum Clericum, ſed tamen Catholicum Miniſtrum reprobum & fictum aliquis acceſſerit corde non ficto, in ipſo ſancto Spiritu* (nota) *remiſſionem accipit peccatorum.* 5.

Arguit 4. Calvinum *lib. 4. inſtit. cap. 14. ſect. 17.* ita ſcripſiſſe: *Cavendum, nè in errorem hujus affinem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulò magnificentius à Veteribus ſcripta ſunt.* At inter hos Veteres à Calvino non numerari Auguſtinum, veluti pateat ex eo, quòd *ibidem* Calvinus ita diſſerat: Idipſum prudenter admonet Auguſtinus *Quæſt. Vet. Teſt. lib. 3. cap. 84. Quomodo*, inquiens, *& Moſes ſanctificat & Deus? Non Moſes pro Deo, ſed Moſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum, Deus autem inviſibili gratiâ per Spiritum ſanctum, ubi totus etiam fructus eſt viſibilium Sacramentorum.* 6.

Arguit 5. Cum larvis itaquè velitari Georgium, & in commenta ſua, non in doctrinam ſuæ Reformationis incurrere. Non eſſe quæſtionem, utrùm Sacramenta etiam verè conferant gratias? Confiteri enim ſe, & piè docere, Sacramenta ſignificare, obſignare, & exhibere fidelibus gratiam, ſuo quidem eo modo & ſenſu, quo Bernardus explicuerit *ſerm. de Cœnâ Domini: Sicut*, inquiens, *inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum, ſic diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ ſacramentis.* Calvinum *loc. cit.* ſic habere: *Præſtat verè Deus, quicquid ſignis promittit ac figurat, nec effectu ſuo carent ſigna, ut verax & fidelis probetur eorum author.* 7.

Arguit 6. De modo quæſtionem procedere, non de re: *Propriânè & intrin-* 8.

intrinſecâ (uti loqui ament Pontificij) *virtute operentur*, id eſt, an Deus externis ſignis reſignet vices ſuas, ſive *An Sacramenta Novi Teſtamenti conferant gratiam ex opere operato*, hoc eſt independenter à fide ſuſcipientis Sacramentum? An ſint vaſa gratiæ & inſtrumenta Phyſica, & ejus naturalia vehicula? Id verò ſtatuere, impietatis vehiculum dici à ſuâ Reformatione: ſic enim, (quod non obſcurè inferat Gabriel Biel *lect. 26.*) ſine devotione, fide & contritione participantium Sacramenta ſtatuerentur conferre gratiam.

9. Arguit 7. Inducendo Auguſtinum *contra Creſcon. lib. 3.* ſic diſſerentem: *Rem Sacramenti ſolus dat Deus: ſacramentum dant mali & boni.* Et *Tract. 8. in Ioh. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Unde tanta vis aquæ, ut cor abluat? niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed creditur.*

10. Arguit 8. Cyprianum *Auth. de Card. op. Chriſti Serm. de B. ptiſmo Chriſti*, ita habere: *Sive Judas, ſive Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lavat, abſolvit, & delet.* Et paulò ante: *Remiſſio peccatorum ſive per Baptiſmum, ſive per alia Sacramenta donetur, Spiritûs Sancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium permanet. Verborum ſolemnitas, & ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis, Sacerdotum miniſterijs attributa viſibile celebrant Sacramentum; rem verò ipſam Spiritus ſanctus firmat & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inviſibiliter manum totius author aperit.*

11. Arguit 9. Gratiam & virtutem Dei Sacramentis non eſſe alligatam, doceri à Thomâ *3. par. q. 64. a. 7.* Becanum Ieſuitam *cap. 3. de Sacram. q. 3. ſect. 5.* ſtatuere probabilius, quòd Sacramenta non ſint inſtrumenta phyſica gratiæ, ſed tantùm moralia. In quâ ſententiâ dicere, quòd ſint Canus, Ledeſma, Molina, Vaſquius, Scotus, & alij. Contrà hæc verò definire Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. de Sacr. cap. 8. Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem Divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Et *can. 6. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, anathema ſit.* Opus hoc operatum explodi à Cajetano Card. *in Quodlib. de uſu ſpirit. q. 3.*

CAPUT III.

Oſtenditur, Sacramenta Novæ Legis ex opere operato ſuſcipientibus, ſi non ponant obicem, verè conferre Gratiam.

12. EXplicatur. Nam opus hoc operatum nihil aliud eſt, quàm merita Chriſti, ſeu pretium ſanguinis ipſius ex Divinâ inſtitutione, ita annexum ſigno Sacramentali, ut ex vi iſtorum meritorum Deus ceu prima-

primarius Sacramentorum auctor in infantibus ea ſuſcipientibus *independenter* ab ullo actu Fidei, in adultis verò *dependenter* quidem à Fidei, aliove ſupernaturali actu tanquàm diſpoſitione, non verò tanquàm merito etiam congruo, operetur gratiam Sacramentalem. At totum hoc evincitur ex ipſamet Sacramenti definitione. Probatur iſta minor. Etenim Vedroſius ex ſui Reformati Miniſterij ſententiâ ait, *Omnia Sacramenti requiſita in eo ſe tenere, quod ſit à Chriſto inſtitutum ſub ſenſibilibus & externis elementis ad gratiæ ſuæ ſalutaris ſignificationem & obſignationem ex ſingulari promiſſione in uſum communem & perpetuum Eccleſiæ.* Unde patet, primam Sacramenti *propriè dicti* rationem eſſe, quòd ſit Divinitus inſtitutum à Chriſto. At hæc Divina inſtitutio importat Dictionem Dei. Eo ipſo autem, quòd iſta inſtitutio Divina ſit ad gratiæ ſalutaris obſignationem cum certitudine promiſſionis Divinæ, oportet, talem Dictionem Dei eſſe repromiſſivam hujus ipſius gratiæ ſalutaris. Atqui gratia per Ieſum Chriſtum facta non datur à Deo, niſi ex meritis Chriſti, ac pretio Sanguinis ipſius. Ergo Dictio illa Divina gratiæ ſalutaris repromiſſiva eſt ex reſpectu ad merita Chriſti. At verò Dictio Dei eſt eſſentialiter vera. Hæc ipſa verò Dictionis Divinæ Veritas eſt per ſuam Eſſentiam ita efficax, ut ipſomet Calvino *præced. cap. 2. n. 7.* allegato fatente, ſit effectus per ſe ſignificati ac repromiſſi cauſativa: *Quia Deus dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt. Pſal. 148. v. 5.* Oportet igitur, Sacramentum ita eſſe ſignificativum & obſignativum gratiæ ſalutaris, ut hujus ex meritis Chriſti, ac pretio ſanguinis ipſius ſit cauſativa in illis, quibus repromiſſio ejuſmodi facta eſt. At iſta repromiſſio eſt ad illos, qui Sacramentis utuntur; in his enim ita fit obſignatio promiſſionum Divinarum, ut ipſis exhibeatur pretium ſanguinis Chriſti ex Catechiſmo Tigurino *a. 96.* Ergo Sacramenta Novæ legis ſuſcipientibus ita applicant merita Chriſti cum Divinæ promiſſionis ac Dictionis efficaciâ ad gratiæ ſalutaris obſignationem, ut ſint cauſativa gratiæ per ipſammet inſtitutionem ac Dictionem Divinam repromiſſæ. Hoc ipſum verò eſt, gratiam ex opere operato in ſuſcipientibus per Sacramenta conferri, uti patet ex dictis *ſuprà n. 12.* Conſtat igitur ex definitione Sacramenti ab ipſiſmet Reformatis traditâ, ſi ejus particulæ ſecundùm ſuam efficaciam ponderentur, probari, quòd Sacramenta novæ Legis conferant gratiam ex opere operato. Verùm ut iſte diſcurſus magis firmetur, expendere placuit ipſas ſacræ Scripturæ & Patrum Orthodoxorum authoritates. 13.

***

Pro-

Digitized by Google

Probatio Prima, ex ſacris Litteris petita.

14. NAm de Baptiſmo (uti præſenti capite *n. 21.* ex Patribus oſtendetur) accipitur illud *Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum cælorum.* Ergo vi Baptiſmi patet introitus in regnum cœlorum, cujus baptizatus hæres eſt ſecundùm ſpem vitæ æternæ. *Titi 3.* At vitæ æternæ non eſt hæres, niſi Filius. *Rom. 8.* Redditur autem homo Filius Dei per Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba, Pater. *Rom. 8.* Hic verò adoptionis Spiritus ſeu Spiritus Sanctus datur per infuſionem Charitatis Divinæ, juxta illud *Rom. 5. Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Atqui Charitas eſt individua comes gratiæ ſanctificantis: nam *Deus ſe diligentes diligit. Sap. 8.* Quem verò diligit Deus, manſionem apud ipſum faciet. *Ioan. 14.* adeòque eſt in gratiâ & amicitiâ Dei. Cùm igitur Baptiſmus conferat jus ad æternam gloriam, hoc verò jus conferatur per dationem Spiritûs Sancti: Spiritus verò Sanctus detur per Charitatis infuſionem; Charitas verò connexa ſit cum gratiâ ſanctificante, conſequenter à primo ad ultimum, confert gratiam juſtificantem, non aliunde, niſi ex meritis Chri-

15. ſti, atque adeò ex hujus opere operato. De Confirmatione habetur *Act. 8.* Quòd per impoſitionem manuum Apoſtolorum fuerit datus Spiritus Sanctus. Hanc ipſam verò impoſitionem manuum ſeu Confirmationis Sacramentum hodieque ſubſiſtere in Eccleſiâ Chriſti, patet ex Sancto Auguſtino *præc. ſect. n. 24.* adducto. Cùm igitur Spiritus Sanctus inhabitet animam juſti mediante gratiâ ſanctificante: conſequens eſt, virtute illi-

16. us Sacramenti conferri gratiam ſanctificantem. De Euchariſtiâ ait Chriſtus *Ioannis 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Atqui Deus non inhabitat animam niſi juſti, Deum habitualiter ſaltem diligentis, & à Deo viciſſim dilecti, juxta illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Si ergo Deus maneat in ſuo dilecto, ſeu juſto, vi verò Euchariſtiæ Chriſtus ſeu Deus maneat in homine, conſequenter vi Euchariſtiæ homo fit Deo magis dilectus ſeu juſtior. Ergò Euchariſtia dat gratiam & juſtitiam, utpote quæ ſola ſit fundamentum dilectionis, quâ

17. nimirum Deus diligit juſtos. *Pſalm. 154.* De Sacramento Pœnitentiæ procedit illud *Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Atqui peccatorum remiſſio eſt conjuncta cum juſtificationis gratiâ, ſeu ſanctificationis dono. Hinc enim *Act. 2.* dixit Petrus, Baptiſmum eatenùs fieri in remiſſionem peccatorum, ut ſimul accipiatur donum Spiritûs Sancti. Sacramentum

tum verò Pœnitentiæ quoad vim remittendi peccata eatenùs æquiparatur Baptiſmo, ut propterea Divus Ambroſius *lib. 1. de Pœnit. cap. 7.* dixerit: *Quid intereſt, utrùm per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum ſacerdotes vendicent? Unum in utroque miniſterium eſt. Sed dices, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in Pœnitentiâ? Nonnè Dei nomen operatur.* Conſequens proinde eſt, Sacramentum Pœnitentiæ æquè ac Baptiſma, quatenus remittit peccata, conferre donum Spiritûs Sancti, ſive gratiam juſtificantem. De Sacramento Extremæ Unctionis habetur *Iacobi 5.* quòd oratio fidei cum unctione conjuncta *ſalvet infirmum, & ſi in peccatis fuerit, remittantur ei.* Atqui ſalvatio hominis, juncta remiſſioni peccatorum in hoc ſæculo fit per gratiam ſanctificantem, in ſæculo autem futuro continget per intuitivam Deitatis viſionem. Ergo Extremæ Unctioni tribuitur vis ad conferendam gratiam ſanctificantem. De Sacramento Ordinis dicitur *2. Timoth. 5. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* At in hoc ſacro textu clarè ſupponitur, impoſitionem manuum, ſive Ordinis Sacramentum contuliſſe gratiam. De Sacramento Matrimonij dicitur *ad Epheſ. 5. Quòd ſit Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſiâ.* Hæc verò myſtica unitatis inter Chriſtum & Eccleſiam ſignificatio eſt ex hoc, quòd ſint duo in carne unâ. *Ibidem.* Iſta verò conjugum unitas debet eſſe per dilectionem. *Ex præcitato cap.* Unde Matrimonium eſt Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſiâ, quatenùs mediante conjugum dilectione, eſt ſignificativum unitatis Chriſti & Eccleſiæ. Atqui Sacramentorum ſignificatio, utpote Veritatis Divinæ efficaciâ nitens, eſt cauſativa ſui ſignificati. *Ex dictis ſuprà à n. 13.* Ergo Sacramentum Matrimonij eſt ſacramentaliter ſignificativum talis conjugum dilectionis, quæ ſit repræſentativa unitatis inter Chriſtum & Eccleſiam. At verò dilectio talis unitatis repræſentativa debet eſſe altioris ordinis, atque adeò radicata in Charitate infuſâ. Ergo Sacramentum Matrimonij eſt cauſativum Charitatis infuſæ, atquè adeò gratiæ ſanctificantis cum hac connexæ.

18.

19.

20.

Probatio tertia, ex Patrum authoritatibus.

NAm Clemens Romanus circà octogeſimum à Chriſto annum *Epiſt. 4.* 21.
ſic ſcripſit de Baptiſmo: *Eſt in aquis iſtis miſericordia ejus quædam &c. & eripit de ſupplicijs futuris, quaſi donum quoddam offerens Deo animas per Baptiſmum conſecratas &c.* Juſtinus Martyr *Apol. 2. Rationem autem hujus rei* (Baptiſmi ſcilicèt ſuſcipiendi) *ab Apoſtolis illam accepimus, nè neceſſitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, & delectûs & ſcientiæ filij ſiamus, ac remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequamur in aquis &c.* Dionyſius Areopagita *Eccleſ. Hierarch. cap. 3.* ſic

3. ſic ait de Baptiſmo. *Et ſacrum Divinæ generationis theletum, quoniam primum lumen tradit, & omnium eſt principium Divinarum in lumine introductionum, ex perfecto veram illuminationis nominationem laudamus &c.* Clemens Alexandrinus *lib. 1. Pædagogi cap. 6. Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Tertullianus *lib. de Baptiſ. cap. 4. Omnes aquæ de priſtinæ originis prærogativâ Sacramentum Sanctificationis conſequuntur, invocato Deo, ſupervenit enim ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans*
22. *eas de ſemetipſo; & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt &c.*

Cyprianus *lib. 2. Epiſt. 2. Poſtquam unda genitalis auxilio ſuperioris, aut labe derſâ expiatum pectus, ac purum ſe deſuper lumen infundit, poſtquam cœlitùs Spiritus Sanctus in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit &c. quod priùs difficile videbatur geri poſſe, quod impoſſibile putabatur, ut eſſet, agnoſcere &c.* (*aiebam*) *Dei eſſe capere, quòd jam Spiritus Sanctus animaret.* Gregorius Neocæſarienſis *Orat. in Theophaniam Biblioth. Patrum edit. Colon. to. 3. pag. 45. col. 2. Baptiza me, qui per aquam, & Spiritum, ac ignem baptizaturus ſum credentes: per aquam, quæ peccatorum ſordes abluere valeat: per Spiritum, qui terrenos efficere ſpiritales poſſit: per ignem, qui ad ſcelerum ſpinas comburendas eſt idoneus.* Cyrillus Hieroſolymitanus *in præfat. Catech. Magnum eſt ſanè propoſitum hoc Baptiſma: Captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio &c.* Baſilius *to. 2. Theſauri Catholici in exhort. ad Baptiſ. Baptiſmus eſt captivorum, & æris alieni remiſſio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, Character indeprehenſibilis.* Et *lib. de Spiritu Sancto cap. 41. Itaquè ſi quæ eſt gratia in aquâ, non eſt ex ipſius aquæ naturâ, ſed ex Spiritûs præſentiâ.* Gregorius Niſſenus *Orat. de Baptiſ. Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis & regenerationis cauſa.* Et infrà: *Hoc autem beneficium non aqua largitur (eſſet enim omni creaturâ ſublimior)*
23. *ſed Dei præceptum & Spiritus &c.*

Chryſoſtomus *homil. ad Neophyt. de Baptizatorum donis* poſt alia ſic habet: *Hac de cauſâ etiam infatuatos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato, ut ijs addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint omnes, ut Spiritûs habitatio fiant.* Cyrillus Alexandrinus *Apol. ad Theodoſ. Iuſtificamur per Sanctum Baptiſma, mortem Chriſti annunciantes, & ſimul reſurrectionem ejus confitentes.* Ambroſius *lib. 1. de Sacram. cap. 4. Qui per hunc* (Baptiſmi) *fontem tranſit à terrenis ad cœleſtia. Hoc eſt in Paſcha, id eſt tranſitus ejus: tranſitus à peccato ad vitam, à culpâ ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem.* Optatus Milevitanus *lib. 5. contra Parmen. Baptiſma Chriſtianorum Trinitate confectum, confert gratiam &c.* Hieronymus adversùs Ruffinum circà finem poſt alia: *Audiat nos iterum proclamantes, veterem Adam in lavacro totum mori, & novum cum Chriſto in Baptiſmate reſuſcitari &c.*

Augu-

Auguſtinus *Epiſt. 23. ad Bonifacium de Baptiſ. Parvulorum. Itaquè parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit.* Et infrà: *Et tantum valebit* (Sacramentum) *ut ſi antè rationis uſum ex hac vitâ emigraverit, per ipſum Sacramentum, commendante Eccleſia Charitate, ab illâ condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Chriſtiano adjutorio liberetur &c.* Ex quibus proinde patet. Ex unanimi Orthodoxorum conſenſu, effectum Baptiſmatis eſſe remiſſionem peccatorum, renovationē hominis interioris, ſanctificationem, juſtificationem, adoptionem filiorum Dei, Spiritûs Sancti inhabitationē, atque adeò gratiam ſanctificantem. At hi ipſi effectus à Patribus præallegatis ita dicuntur fieri in Baptiſmo, ſive per Baptiſmum, atque adeò reduci in cauſalitatem aquæ Baptiſmatis, ut hæc tamen cauſalitas non in aquæ naturam, ſed in Spiritûs Sancti præſentiam, ſive Dei miſericordiam, ſeu aquarum ex Spiritu Sancto ſanctificatricem reducatur. Ex hoc autem fit, quòd aqua in Sacramento Baptiſmatis in ordine ad illos effectus ſolùm habeat rationem Inſtrumenti ſaltem moralis, cauſalitas verò principalis reducatur in ſolum Deum, ſeu Chriſtum, ac Spiritū Sanctum. Eo ipſo autem, quòd quicunque baptizati ſunt, in Chriſti morte ſint baptizati. *Rom. 6. v. 3.* oportet, illos ipſos Baptiſmatis effectus eſſe ex merito Paſſionis ac Mortis Chriſti. Hæc verò in infantibus, teſte Auguſtino, accidunt independenter ab actuali ipſorum fide, in adultis verò independenter à fide ipſorum, tanquàm merito etiam congruo, non tamen tanquàm diſpoſitione prævià ad effectum Baptiſmatis conſequendum. Ex his autem evidenter ſequitur, Baptiſmum conferre gratiam ex opere operato, id eſt ex operatis Chriſti meritis per virtutem Divinam aquæ Baptiſmatis aſſiſtentem ac elevantem independenter à merito ſuſcipientis, vel Miniſtri. Conſtat igitur tum ex ſacris Litteris *à n. 14.* deductis, tum ex Patrum Orthodoxorum *à n. 21.* adductorum conſenſu, quòd Baptiſmati, alijſque Sacramentis ſit vis ex *opere operato* conferendi gratiam ſanctificantem, ejuſvè augmentum. 24. 25.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Sic argumentando. Ex Sancto Auguſtino per Vedroſium citato patet, quòd homo in Baptiſmo accipiat remiſſionem peccatorum. At iſta remiſſio non fit abſque Gratiæ ſanctificantis dono. *Ex Actis Apoſtol. ſuprà cap. 3. n. 17. nec non ex Patribus à n. 21. adductis.* 26.

Digitized by Google

Hæc ipſa verò remiſſio non fit in par[illegible] alis mediante actuali ipſorum fide; ſed immediatè per Baptiſma. *Ex Auguſtino ſuprà n. 25. citato.* At hoc pugnat cum Calvino *in Antid. Concilij Tridentini ſeſſ. 7. can. 5. & 8.* & cum alijs Pſeudoreformatoribus docentibus: Sacramenta *ſolùm objectivè* movere ſuſcipientē ad excitandam vel augendam fidem, quæ ſola juſtificet. Quomodo ergo Vedroſius auſus eſt dicere, illis Sancti Auguſtini verbis nihil tra[illegible]i ſibi, ſuæ vè Reformationi contrarium?

27. Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſium verbis quidem fucatis dicere, quòd minimè refragetur præallegatæ Sancti Auguſtini ſententiæ: at fraudem ab iſto Eccleſiæ Doctore alieniſſimam prodit, aſſerendo, Georgij gloſſam eſſe, per quam ſub renato ex aquâ & Spiritu ſancto intelligit baptizatum. Nunquid enim per hoc Vedroſi intendis reprobare illam gloſſam cum Calvino tuo *lib. 4. inſtit. cap. 16. §. 25.* ita ſcribente: *Primum in eo falluntur, quòd Baptiſmi mentionem fieri hoc loco* (quo nimirùm Chriſtus dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto*) *putant, quia aqua nomen audiunt.* At Calvinus in hac ſuâ contrà ipſammet verborum proprietatem contortâ expoſitione, pugnat cum univerſis Orthodoxis Patribus, uti paſſim videre licet ex ſcriptorum ipſorum, ſpeciatim Clementis Romani *Epiſt. 4.* Origenis *hom. 14. in cap. 2. Lucæ.* Juſtini *Apolog. 2.* Tertulliani *lib. 2. de Baptiſmo.* Cypriani *lib. 3. ad Quirinum cap. 25.* Ambroſij *lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 11.* Hieronymi *in cap. 16. Ezechielis*, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Niſſæni *in Serm. de Baptiſmo.* Auguſtini *tract. 11. in Joan.* Chryſoſtomi, Cyrilli, Bedæ, Theophylacti, Euthymij, ac interpretum communiter in illum locum. En igitur, Sanctos Patres ſpeciatim Auguſtinum accipere de Baptiſmo illa Chriſti Domini verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto*: ita ut idem Sanctus Doctor *Serm 14. de Verb. Apoſt.* ea clarè exponens de Sacramento Baptiſmatis, aſſerat, non reſiſtere tali ſententiæ Domini, *niſi non Chriſtianum.* At tu Vedroſi unà cum Calvino & Zwinglio tuo torques illum ſacrum Textum ad ſenſum, quem Sanctus Auguſtinus illo ipſo loco non agnoſcit, atque adeò reſiſtis ſententiæ Domini, ſive ejus legitimo ſenſui. Vide ergo, an verus ſis Chriſtianus.

28. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando ex allegatis Sancti Auguſtini verbis. Congregatio ſive Eccleſia ita accepit Spiritum ſanctum ad remittenda peccata, ut ad iſtam congregationem per Miniſtrum Catholicum accedens corde non ficto, ſed pœnitente, in Spiritu ſancto accipiat remiſſionem peccatorum, mediante illâ poteſtate per Miniſtrum Catholicum exercitâ. Nequit autem iſta remiſſio fieri in Spiritu ſancto, niſi per hujus donum mediante Charitate in corde illius pœnitentis ad Catholicum Miniſtrum

niſtrum accedentis ita diffusâ, ut tùnc detur ipſi Spiritus ſanctus. Ergo ſecundùm Sanctum Auguſtinum *citatum* remiſſio peccatorum in pœnitente per Eccleſiam, miniſterio Catholici Miniſtri, abſoluto ita fit per Spiritum ſanctum, ut ille ipſe tamen pœnitentis acceſſus, & Miniſtri Catholici abſolutio (in quib⁹ nos Catholici aſſerimus conſiſtere Sacramentum Pœnitentiæ, ſive Reconciliationis ab Auguſtino *loco citato* clarè aſſertum) ſit inſtrumentum Spiritûs ſancti ad diffundendam Charitatem: prout hæc magis evincere licebit, accuratiùs expendenti præadductum Sermonem undecimum Sancti Doctoris, addentis tandem, illum, qui contrà egerit, eſſe reum blaſphemiæ in Spiritum ſanctum. Viderit proinde Vedroſius, an non iſto reatu ſe obſtrinxerit, dum acceſſum pœnitentis ad Catholicum Miniſtrum ſub certâ ſpe remiſſionis peccatorum in Spiritu ſancto accipiendæ ſuis Pſeudoreformatis præcludit.

Ad *quartam* Reſp. Calvinum inter Veteres, quorum in Sacramentorum dignitate magnificentiùs deprædicandâ errores taxat, omninò numeraſſe Sanctum Auguſtinum. Sic enim *cit. cap.* 14. §. *ult.* ſcribit: *Porrò iſtos miſeros ſophiſtas deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia, quæ de ſignis noſtris apud Veteres leguntur, quale eſt illud Auguſtini, quòd veteris legis Sacramenta Salvatorem tantùm promittebant, poſteà verò dabant ſalutem. Has & ſimiles dicendi figuras quis non adverteret, hyperbolicas eſſe, & ipſi hyperbolica ſua dogmata promulgârunt.* En igitur, ſub Veteribus Sacramentorum in dandâ ſalute ſeu gratiâ efficaciam deprædicantibus, Calvino fatente, veniunt Auguſtinus, cæterique Doctores Orthodoxi Auguſtino contemporanei. At iſti fatentibus Reformatis Doctoribus, puram Orthodoxiam tradiderunt, ad quam *primò* ac *eſſentialiter* ſpectat Puritas doctrinæ de Sacramentis. Quid ni ergo Calvinum dixeris ab iſtâ Puritate deflexiſſe, dum Patrum de Sacramentis doctrinam vocitat *Hyperbolica dogmata*, dumquè ſeptenarium Sacramentorum numerum in ipsâ Vetuſtate (uti ait) radicatum contraxit ad binarium. 29. Sed quid intendis Vedroſi ex illâ per Calvinum allegatâ Auguſtini ſententiâ? 30. Nunquid ex hac elucet, quòd & Deus, & Miniſter Sacramenti ſanctificet, hic quidem *Miniſterialiter* viſibili Sacramento, ille verò *Principaliter* per Spiritum ſanctum inviſibili gratiâ? Nunquid ex hoc rursùs elucet, ſanctificationem in Sacramentis fieri inviſibili gratiâ? Nunquid ergo verum eſt, Sacramentorum miniſterio ita dari inviſibilem gratiam, ut hæc tamen ſit ex ſolius Dei ceu cauſæ principalis cauſalitate? At hoc duntaxat docent Pontificij Doctores. Vides igitur, iſtos ſentire cum Divo Auguſtino, quem tu tamen cum Calvino non erubeſcis arguere de dogmatibus hyperbolicis.

31. Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Secundùm Calvinum præſtat verè Deus, quicquid ſignis promittit ac figurat, nec effectu ſuo carent ſigna, ut verax & fidelis probetur eorum author. At obſignatio & ſignificatio gratiæ, ſi deſtituta ſit reali gratiæ collatione, non verè præſtat illam: quis enim dicat, ſi Magiſtratus Curienſis fide ſuâ & ſigillo publico promiſit & obſignavit Vedroſio centum florenos, huic Miniſtro ex ſolâ obſignatione ac promiſſione verè præſtari hanc ſummam pecuniariam? Si ergo Sacramenta ſint ſolùm obſignativa & ſignificativa, ſeu repromiſſiva gratiæ, tantùm abeſt, ut eam verè præſtent, quin potiùs effectu ſuo careant: effectus enim gratiæ à Deo promiſſus & obſignatus quomodò poteſt dici verè conferri in ſolâ ſui obſignatione? Sanè ſi vel ſola obſignatio & promiſſio rei eſt vera hujus datio & collatio, cur Vedroſi non contentus es obſignatione ſtipendij à Magiſtratu Curienſi promiſſi? Cur illius actualem collationem ſub fide promiſſionis aſſecuratam adhuc exigis? Cur ergo non æquè dicis, illam Divinæ Gratiæ in Sacramentis obſignationem & promiſſionem carere effectu, niſi præter ipſam fiat realis collatio Gratiæ? Si proindè ad hoc, ut Sacramentorum author verax & fidelis probetur, ipſomet Calvino teſte, opus ſit, ut ſigna Sacramentalia Gratiæ Divinæ obſignativa & promiſſiva effectu *realiter* non careant, apertæ Vedroſi convinceris impietatis & blaſphemiæ adverſus Deum, dum negas realem per Sacramenta Gratiæ collationem, hujus duntaxat obſignationem & ſigni-
32. ficationem adſtruendo. Sed quid intendis probare ex Bernardo citato? An, quòd ſicuti Canonici, Abbatis, & Epiſcopi inveſtitura in Beneficio eſt ſolùm *extrinſecè* obſignativa, ſic accidat in Sacramentis? At Divus Bernardus *ſerm. de Baptiſmo & Sacramento Altaris in Cœnâ Domini.* ex illâ ſimilitudine diverſarum inveſtiturarum ita inſinuavit Gratiarum ex Sacramentis conferendarum diverſitatem, ut tamen apertis verbis aſſerat, annulum inveſtituræ ita eſſe ſignum, ut jam non ſiſtat intrà nudam ſignificationem, ſed ad realem hæreditatis per illum annulum ſignificatæ collationem procedatur. Sic proinde ait Divus Bernardus, Chriſtum ſuos fideles ita inveſtiviſſe Sacramentis, ut ſigno ejuſmodi viſibili præſtaretur inviſibilis gratia. Conſtat igitur ex illo mellifluo Doctore, Sacramenta non eſſe merè *Extrinſecè* obſignativa, ſed *realiter* collativa gratiæ inviſibilis.

33. Ad *ſextam* Reſp. In eâ nihil niſi fallacias ac deceptiones contineri. Quis enim Catholicorum Doctorum unquàm dixit: *Sacramenta propriâ & intrinſecâ virtute cauſare Gratiam*? Certè ſi hæc virtus eſſet Sacramentorum propria, eſſet in ipſorum naturâ ſenſibili radicata, quod nemo Pontificiorum ſomniavit. Quis unquàm Catholicorum dixit, *Deum externis ſignare*

vices ſuas? Certè vices Dei in cauſandâ gratiâ important cauſalitatem principalem, Deo ita propriam, ut omnes Doctores Pontificij negent, ulli creaturæ eſſe communicabilem; quinimò aſſerant, nè inſtrumentariam quidem Gratiæ cauſatricem virtutem poſſe ulli creabili ſubſtantiæ ab intrinſeco & ex naturâ rei convenire. Sed ait Vedroſius, doceri ſaltem à 34.
Pontificijs, quòd *Sacramenta Novi Teſtamenti ex opere operato conferant gratiam.* Verum hoc eſt, ſed falſa hujus operis operati Vedroſiana expoſitio: non enim abſolutè, ſed cum addito dicimus, quòd Sacramenta independenter à fide ſuſcipientis tanquam merito, non verò tanquàm diſpoſitione, in adultis neceſſariâ, conferant gratiam, uti patet ex dictis *praeced. cap. à n.* 12. Imò in eo, qui peccato actuali mortali obnoxius eſt, per modum diſpoſitionis requirimus etiam Contritionem ſeu Attritionem, ut vel hinc Vedroſius rursùs arguatur falſitatis & calumniæ, aſſerendo, vehiculum impietatis in Sacramentis ſtatui à Pontificijs, utpotè aſſerentibus, conferre adultis gratiam ſine devotione, ſine fide, & Contritione ſuſcipientibus. Quòd ſi tamen hoc intelligatur de parvulis rationis uſu carentibus, eatenùs id docuit Sanctus Auguſtinus *praeced. cap. n.* 25. adductus, ut dicat eum, *qui hoc non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelem eſſe.* Sed Vedroſius de- 35.
nique ait, quæſtionem in hoc verſari, *An Sacramenta Novæ Legis ſint vaſa gratiæ, & inſtrumenta phyſica, ejuſquè naturalia vehicula*? At falſum eſt, quòd ullus Pontificiorum Sacramenta dicat naturalia gratiæ vehicula. Neque verò punctum *fidei* à Reformatis Miniſtris in controverſiam vocatæ in eo eſt, *An Sacramenta ſint phyſica gratiæ inſtrumenta*? Sed hoc eſt punctum *ſubtilitatis duntaxat Scholaſticæ* in eo ſe tenens, *An ſcilicet Deus ceu unica principalis cauſa Gratiæ in uſu Sacramentorum biſcè imprimat motionem ſupernaturalem Gratiæ inſtrumentaliter phyſicè cauſatricem*? Quid ergo Vedroſi? An iſtud Omnipotentiæ Divinæ dixeris impoſſibile, vel inconveniens? Neutiquàm, niſi Omnipotentiam Dei ita coarctare velis, ut cum Calvino tuo *in Iſaiam* 23. 9. *& inſtit. lib.* 3. *cap.* 23. §. 2. non erubeſcas, *Potentiam Dei abſolutam execrari ac deteſtari.*

Ad *ſeptimam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *lib.* 2. *ac* 3. *contrà Creſconium* 36.
eatenùs probare, Baptiſmum à Miniſtro hæretico collatum eſſe validum, ut Chriſtus ſuſcipientis (ſi non ponat obicem) conſcientiam mundet in lavacro Baptiſmatis Verbo vitæ, nec niſi Deus dans rem Sacramenti ſanctificet, viſibile verò Baptiſmi miniſterium æqualiter faciant boni & mali, etiam hæretici. At eo ipſo, quòd Deus ſanctificet & mundet conſcientiam in lavacro Baptiſmatis Verbo vitæ, oportet, iſtud lavacrum quà conjunctum cum Verbo vitæ ceu Formâ Baptiſmatis eſſe inſtrumentum, mediante quo Deus ipſe ſanctificet, dando rem Sacramenti, quæ eſt inviſibilis Gratia, uti

patet

patet ex Sancto Auguſtino *citato*. Conſtat igitur, hunc ſanctum Doctorem *loco cit.* eatenùs in ſolum Deum reducere cauſalitatem principalem Gratiæ, ut hanc tamen cauſalitatem dicat exerceri à Deo mediante lavacro Baptiſmatis, conjuncto cum Verbo vitæ ceu Formâ, atque adeò tali compoſito tribuat Gratiæ cauſalitatem inſtrumentalem.

37\. Deinde Divus Auguſtinus *tract. 8. in Ioan.* expreſſis verbis dicit, aquæ Baptiſmatis eſſe vim abluendi cor. Hæc autem vis eſt faciente Verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. At hujus ſui dicti idem Sanctus Doctor rationem (à Vedroſio, quia ſibi non arridebat, omiſſam) mox adjecit: *Nam & in ipſo Verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens: hoc eſt Verbum Fidei, quod prædicamus.* Ex quibus adeò patet, non ex ſono Verbi, ceu Formæ Baptiſmatis fieri, ut aquæ inſit vis abluendi cor, ſed iſtam vim convenire ablutioni ex Verbo Fidei. Hinc autem manifeſtè evincitur, talem ablutionem quà Verbo Fidei informatam habere vim ſanctificandi. At verò iſta ablutionis per Verbum Fidei informatio non eſt ex hoc, quòd vel in Miniſtro debeat eſſe Fides, uti patet ex citatis libris *contrà Creſconium*, vel in ſuſcipiente infante oporteat exiſtere actualem Fidem, veluti idem Sanctus Doctor *Epiſt. 23. ad Bonifac. in fine* de Baptiſmo parvulorum tradit expreſſis verbis. Ex illo igitur Verbo Fidei ceu Formâ informatur ablutio Baptiſmatis ad virtutem ſanctificandi & interiùs abluendi in ſe recipiendam, quatenùs ex naturâ ſuâ eſt objectum Fidei, itaque creditur non tam *actu Formaliter*, quàm *objectivè Radicaliter*: ſic enim dici poteſt virtus manens, cùm tamen quoad actualem Fidei ex tali Verbo excitationem non ſit quid permanens in Chriſti fidelibus, ſed tranſiens. Quia proinde Verbum vitæ (*Objectivè Radicaliter*) creditum ita ſit virtus manens, ut ex hujus informatione aquæ Baptiſmatis conveniat vis non utiquè principalis, ſed inſtrumentaria abluendi cor, ſeu ſanctificandi interiùs; evidenter ſequitur, hodiernæ Pſeudoreformationis Miniſterium negando Sacramentis talem virtutem, apertè pugnare cum ſancto Auguſtino.

38\. Ad *octavam* Reſp. Sic argumentando. Sive Paulus, ſive Iudas baptizet, Chriſtus peccatum lavat & delet. *Ex Cypriano citato.* Hinc autem fit, quòd peccati remiſſio, atque adeò ſanctificatio in Baptiſmate collata non ſit ex meritis Miniſtri, ſed ex meritis Chriſti. At hoc ipſum eſt, quod Pontificij dicunt, Gratiam ſanctificantem, ac peccatorum remiſſionem per Sacramenta acceptam non eſſe ex opere operantis, ſed ex operato Chriſti meritorum opere. Hæc ipſa verò peccatorum remiſſio ſecundùm præallegatum Cyprianum donatur per Baptiſmum, aliaquè Sacramenta, ita tamen, ut Spiritûs ſancti ſit tanquàm cauſæ principalis, ſoliquè adeò Deo hujus efficientiæ privilegium permaneat. At verò in ordine ad iſtam gratiæ peccatorum remiſ-

ſivæ

Digitized by Google

ſivæ efficientiam ita concurrit verborum ſolemnitas, & ſacri invocatio nominis, ut hæc ſint attributa Sacerdotis miniſterijs. Conſtat proinde, iſtos *Miniſterialiter* duntaxat concurrere ad viſibile Sacramentale ſignum, non verò *per ſe immediatè* ad rem Sacramenti, ſed iſtam Spiritus ſanctus ita format & efficit, ut conſecrationibus viſibilibus inviſibiliter manum, totius author aperiat. *Ex cit. Sancto Cypriano.* At eo ipſo, quòd iſta manûs Divinæ ad Gratiam ſeu rem Sacramenti efficiendam apertio inviſibilis, fiat conſecrationibus viſibilibus ſeu Sacramentalibus, oportet, iſtas ad gratiam concurrere *Inſtrumentarie* ſaltem *Moraliter.* Conſequens igitur eſt, Miniſtrum Sacramentorum ſolùm *Miniſterialiter*, mediantibus conſecrationibus viſibilibus, ceu Sacramentis ſuo miniſterio attributis, Sacramenta verò *immediatè Inſtrumentariè* ſaltem *Moraliter* operari gratiam ex Chriſti meritorum opere operato, Divinâ virtute præſtante iſtam gratiæ Cauſalitatem, tanquàm Causâ *Principaliter* Efficiente. Vides igitur Vedroſi, totam Pontificiorum de Sacramentorum efficaciâ doctrinam adſtrui à Sancto Cypriano, cui ſi ſynceràmente inſiſtas, Reformationem tuam ad antiquum Eccleſiæ Romanæ ſtatum rediges.

Ad *nonam* Reſp. Ex eâ non minùs apparere ineptiam, quàm malitiam Vedroſij. Ait enim Divus Thomas *cit. a. 7.* Deum non ita alligâſſe ſuam virtutem Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectus Sacramentorum conferre. At hoc minimè obſtante, idem Sanctus Thomas *cit. q. 64. a. 1. & præced. q. 63. a. 3. 4. & 6.* docuit, gratiam ceu interiorem Sacramenti effectum à Deo *Principaliter*, à Miniſtro verò Sacramenti *Inſtrumentaliter* eatenus cauſari, ut ipſa gratia contineatur in Sacramentis, ſecundùm quandam inſtrumentalem virtutem, ipſius Gratiæ ex Divinæ ceu principalis virtutis motione, *Inſtrumentariè* verè effectricem, ex paſſione Chriſti (ceu opere operato) acceptam. En igitur Vedroſi, tuam partim malitiam in mutilandis verbis Sancti Thomæ, atque ad ſenſum nullibi agnitum trahendis, partim ineptiam elucere, dum ex eo, quòd Virtus Dei non ſit alligata Sacramentis, infers, Sacramentis non eſſe virtutem Inſtrumentariam ad cauſandam gratiam, cùm oppoſitum tamen inde ſequatur, nempè hanc virtutem inſtrumentariam ita communicari Sacramentis à Virtute Divinâ, ut hæc tam mediantibus Sacramentis ceu Inſtrumentis, quàm extrà Sacramenta ſit cauſans gratiam. Sed quid Vedroſi ex hoc intendis, quòd Becanus cum alijs Theologis ceu probabilius ſtatuat, *Sacramenta non eſſe inſtrumenta Phyſica Gratiæ, ſed Moralia duntaxat.* Sanè inter Pontificios pro fidei dogmate non habetur Phyſica inſtrumentaria Sacramentorum in gratiam cauſalitas, ſed tanquàm ſubtilitas Scholaſtica inter ipſos controvertitur. Unum eſt,

39.

40.

Digitized by Google

quod ex fide Romanæ Eccleſiæ per Concilij Tridentini Canones expoſitum à te requiritur, ut ſcilicèt cum antiquis Patribus conformiter ad ſacras Litteras ſuperius deductas verè credas, quòd per Sacramenta ex opere operato (meritorum ſcilicèt Chriſti independenter à fide tanqu[illegible]m mer[illegible]t[illegible], non verò in adultis tanquàm diſpoſitione) per ſe ac immediate [illegible]cipienti, non ponenti obicem, conferatur Gratia interius ſanctificans, in ipſis (*ſecundùm virtutem inſtrumentariam ſaltem Moralem, adeòque Cau[illegible]aliter*) contenta. An verò iſta cauſalitas in Sacramentis ſit duntaxat Moralis, vel etiam Phyſica, id tanquàm ſubtilitatem Scholaſticorum Theologorum diſputationi citrà ullum fidei præjudicium relinquitur. Unde etiam patet, quàm falsò & malitiosè ab eodem Vedroſio allegetur Concilium Tridentinum, quaſi pugnaret cum Sancti Thomæ & aliorum Theologorum Scholaſticorum doctrinâ. Et verò ex Cajetani *Comment. in [illegible] part. [illegible] D. Thomæ q. 62. a. 3. 4. & 5.* ad oculum patet, quàm injurioſè adver[illegible] ipſum procedat Vedroſius, dum eum allegat, quaſi opus operatum [illegible] Tridentini Concilij Canonibus definitum exploſerit. Quæ injuria eò intolerabilior eſt, quòd cum falſi crimine ſit conjuncta, ſiquidem C[illegible] *tract. de uſu ſpirit.* nè apicem quidem habeat, quo explodat illud opus operatum.

COROLLARIUM.

42 Ex dictis infertur. Georgij *cap. 1.* deducta argumenta nè in minimo quidem per Vedroſium ſoluta, ſubſiſtere omnia firma & efficacia. [illegible]dè ſic licere argumentari. Eccleſiæ veræ, ſecundum ipſosmet Reformatos Doctores, nota eſſentialis eſt vera, & pura de Sacramentis doctrina. Iſta verò doctrinæ circà Sacramenta [illegible]itas deſumenda eſt [illegible] legitimo ſacrarum Litterarum ſenſu. Iſte verò circà my[illegible] [illegible] ſacræ Scripturæ ſenſus legitimus ipſiſmet Reformatis fate[illegible], [illegible]rat in Patribus primorum Eccleſiæ ſæculorum. Atqui Reformati [illegible] erra negando efficaciam Sacramentorum, detor[illegible]uet[illegible] [illegible] Scriptura [illegible]tus ad ſenſus improprios. dum tamen Patres antiqui in proprio [illegible] los ſacros textus accipiendo di[illegible]ertis verbis tradunt, Sacramenta N[illegible] legis ita habere ſibi præſentem Spiritum Sanctum, ſeu m[illegible]ericordiam Dei, ut ex hujus aſſiſtentiâ accipiant vim ſanctificandi, ipſiſque adeò [illegible] effectus reſpondeat remiſſio peccatorum, renovatio interioris [illegible] ſanctificatio, juſtificatio, ado[illegible] Dei, Spiritus [illegible] tio, ac proinde Gratia ſanctificans. E[illegible] quibus [illegible] Doctores [illegible]ctari contendentes, ad impropr[illegible]os [illegible]ſenſus [illegible] fugie[illegible] jum [illegible]. conferre, efficere idem eſſe, ac figurare, ſeu ſignificare,

obſignare. Quæ tamen verborum improprietas, ſi in ſacris Scripturis exponendis pro cujuſque ſpiritu privato eatenus locum habere debeat, ut aliorum quoque Patrum, proprietatem verborum in ſacris Litteris agnoſcentium expoſitiones privato cujuſque prætenſæ Reformationis ſpiritui cedere debeant, aperit januam ad evertenda omnia fidei myſteria. Cum igitur rem circa efficaciam Sacramentorum in Reformatione hodie prætenſa ita ſe habere, pateat ex præcedentibus, dici nullatenùs valet, quod in tali Reformatione ſit pura circà Sacramenta doctrina, ipſique adeo deeſt Eccleſiæ veræ nota eſſentialis.

SECTIO III.

De Sacramentorum, aliiſquè Eccleſiaſticis Cæremoniis

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgii.

Hic Author *cit. Rat. 3. docum. 9.* agendo de Cæremonijs Baptiſmi, probat ex Sancto Auguſtino *Epiſt. 23. ad Bonifacium.* Item *ex lib. 1. Confeſſ. cap. 11. & cap. 20. de Catech. rudib. Tract. 36. in Ioan. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 34. lib. 2. de Gratiâ Chriſti cap. 4. lib. 1. de nupt. & concup.* Item *cap. 31. de Eccleſ. dogmat. lib. 6. contra Iulianum c. 2. lib. 2. de peccat. Merit. & Remiſſ. c. 26. Serm. 19. de Sanctis. Serm. 206. de Temp. lib. 15. de Trinit. c. 10. & in Pſalm. 65.* Suſceptorum pro parvulis fidejuſſionem, item Crucem, & ſalis guſtum, abrenuntiationem ſathanæ, exorciſmum & exſufflationem, manuum impoſitionem, unctionem Chriſmatis & Olei, cereorum applicationem jam antiquitùs ſub Baptiſmi adminiſtratione fuiſſe in uſu.

Idem Georgius *cit. docum. 9 n. 58.* inducit Calvinum & Bullingerum agnoſcentes illas Cæremonias in veteri Eccleſiâ tempore Auguſtini uſurpatas fuiſſe, in quas tamen contumelioſis exaggerationibus Calvinus præſertim invehitur. Ex quibus ita argumentatur. Eccleſia vetus primorum ſæculorum, Reformatorum Doctorum judicio, vera, pura & orthodoxa admittit illos ritus ac Cæremonias. Atqui Eccleſiæ veræ nota eſt ſyncera Verbi Dei prædicatio, & pura Sacramentorum adminiſtratio. *Ex Wollebio, Sharpio, & Calvino [illegible] 60. [illegible]* Ergo illi ritus non repugnant ſynceræ Verbi Dei prædicationi & puræ Sacramentorum adminiſtrationi: quos tamen eliminare nititur Eccleſia Reformata, ſeque adeò ab Ortho-

doxâ Eccleſiâ, Sacramentorumquè adminiſtratione purâ alienam profi-tetur.

3. Idem Georgius *Docum. 15.* ex S. Auguſtino *Serm. 181. de Temp. cap. 3. & Serm. 19. de Sanctis. Item tract. 50. in Ioan.* oſtendit, ſignum Crucis e tenus fuiſſe antiquitùs in uſu, ut res quæcunque per illud cum invocatione nominis Chriſti conſecrarentur.

Inducit etiam Calvinum *inſtit. lib. 4. cap. 17. ſect. 23.* & Petrum Molinæum *lib. 5. cap. 33. anath. Miſſæ*, illum uſum Crucis antiquâ conſuetudine receptum fatentes, eidem tamen refragantes. Ut conſequenter ex hoc pateat, Romanam, non verò Reformatam Eccleſiam in hoc convenire cum Orthodoxâ Veterum fide.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

4. Hic Miniſter *in cit. Rat. 3. exam. docum. 9.* arguit 1. Se Reformatos fateri, quòd Cæremoniæ per totum ſacrum cultum non ad imitandam praxin Apoſtolicam, nec ad declinandam ſolummodò confuſionem, ſed propinanda cerebri proprij figmenta, conciliandamque rebus, in gratiam Gentilium Cæremonijs aſſuetorum, fucatam gratiam cumulatæ fuerint.

5. Arguit 2. Hoc ipſum fateri & dolere Beatum Auguſtinum *Epiſt. ad Ianuarium 118.* ubi aurea hæc ejus verba occurrant: *Quamvis nequè hoc inveniri poſſit, quomodò contra fidem ſint, ipſam tamen Religionem pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis Miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſervilibus oneribus premunt; ut tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur.*

6. Arguit 3. Poteſtatem inſtituendi Sacramenta, ipſis Pontificijs fatentibus, Deo proprìam eſſe. Incumbere igitur ijſdem Papiſtis, ut proferant tabulas Apoſtolicas, quibus Crucis ſignum, ſalis guſtum comprobent à Chriſto inſtituta. Ipſummet Magiſtrum Sententiarum *in 4. diſt. 3. de Baptiſmo* docere, quædam in Baptiſmo eſſe ſubſtantialia, quædam verò addita. Subſtantialia eſſe Verbum, & Aquam; quæ verò deinde adijciuntur, facere ad *honeſtatem, decorem & ſolemnitatem.* Quaſi verò Chriſtus, Apoſtoli, & primitiva Eccleſia indecorè, inhoneſtè, & parum ſolenniter baptizâ-rint, cùm Baptiſmus eorum alijs omnibus caruerit.

7. Arguit 4. Hoc ſe mirari, cur Papiſtæ Veterum rituum, uti cenſeri velint, adeò ſeveri vindices, Baptiſmum adminiſtrent abſque deguſta-

tione

tione lactis & mellis, itemque vini? Quod additum fuiſſe, teſtari Hieronymum *Comment. in Iſaiæ cap. 55.* Cur abſque igni? Cujus (non cereorum [illegible] exorcizando uſum fuiſſe, teſtari Sanctum Auguſtinum *in Pſal. 68.* Cur abſque Euchariſtia? Quam baptizatis ſtatim à Baptiſmo adminiſtra[illegible] fuiſſe, ab Auguſtino Traditionis & Scripturæ authoritate defendi.

Argum. 5. Hæc omitti poſſe abſque omni piaculo, credere Pontifi- 8.
[illegible] ſuam verò ad Dominicæ inſtitutionis primitivum exemplar Sacramentorum Reformationem tanquàm profanationem petulanter convitiari. [illegible] certè dixiſſe Calvinum: *Sathanam, poſtquàm viderit, ſtultâ mundi credu[illegible] receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora prorupiſſe ludibria, qualia ſint ſputum [illegible] nugæ, quarum nec apud Veteres veſtigium ullum.*

Argum. 6. Quæ ab initio fuerint aliquo modo tolerabilia, acceden- 9.
[illegible] abuſu & magicis ſuperſtitionibus, reddita eſſe intolerabilia. Exor[illegible] quidem apud primos Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores mentionem fieri [illegible] tamen, quibus energumeni ſeu arreptitij ſanabantur, & quibus ſpiritus immundi pro imperio & poteſtate in eos Divinitùs miraculoſè conceſsâ, ejiciebantur. De quibus Clement. *Conſtit. L. VIII. 27.* dici: *Ex[illegible] non fit ordinatione. Eſt enim liberæ voluntatis præmium & gratiæ Divinæ per Chri[illegible] adventum Spiritus ſancti: ſiquidem qui donum acceperit ſanitatum, per revela[illegible] declaratur à Deo, cum gratia, quæ in eo eſt, ſit omnibus manifeſta.*

Argum. 7. Juſtinum Martyrem *in Apolog. priori* cùm de Baptiſmo quàm 10.
[illegible] agit, mentionem exorciſmi nullam facere. Neque Dionyſium, quiſquis fuerit, qui Hierarchiam Eccleſiaſticam ſcripſerit, meminiſſe [illegible] exorciſmorum. Habere illum nonnulla de trinâ exſufflatione [illegible] & abrenunciatione ab ipſo baptizando, non autem Baptiſmi Miniſtro peragendâ.

Argum. 8. Initium conjunctionis exorciſmi cum Baptiſmo non ob- 11.
[illegible] à Cypriano *lib. 4. Epiſt. 7.* ubi ait: *Cum ad aquam ventum eſt* (ſcilicet Baptiſmi) *hic diabolus minime valet ſubſiſtere.* Deficiente enim paulatim [illegible] hoc miraculo, ita ut Sathan adjurationes Exorciſtarum non[illegible] eluderet, id tandem conſilij ad energumenos liberandos fuiſſe [illegible] ut baptizarentur, quò diabolus omne nequitiæ virus amittat. [illegible] poſteritatem hoc imitaturam, itidem ante Baptiſmum adhibu[illegible] etiamſi tingendi non eſſent arreptitij, nè quid minus habere [illegible] poſterior Eccleſia, ut ut dono miraculorum deſtituta.

[illegible] 9. Adhibitam autem, quod rei caput ſit, eſſe à Veteribus ex- 12.
[illegible] & exorciſmum, ſimileſque Cæremonias, non tanquàm eſſe[illegible] in Baptiſmo, ceu res humanæ inventionis, ſed tanquam umbras & pictu-

picturas hieroglyphicas, quibus efficacia Baptiſmi ſignificaretur, teſte Auguſtino *de peccato Orig. lib. 2. cap. 38.* ubi poſt enumeratos in Baptiſmo nonnullos ritus addi: *Quibus omnibus rerum occultarum ſacratis & evidentibus ſignis à captivatore peſſimo ad optimum Redemptorem tranſire monſtrantur.* Huc facere verſiculos:

Sal, oleum, Chriſma, cereus, cum veſte, ſaliva,
Flatus; virtutis Baptiſmatis iſta figurant,
Hæc cum Patrinis non mutant eſſe, ſed ornant.

13. Vedroſius *citatus in exam. doc. 15.* arguit 10. Concedere ſe Reformatos, Veterum eſſe Traditionem de ſigno Crucis defigendo in fronte, de ſigni verò abuſu minimè. Habitâſſe Chriſtianos inter gentes, quæ ipſis Crucem Chriſti tanquàm rem ignominioſam ſeu ſtultitiam objecerint, *Religioſos Crucis* eos appellando. Tertull. *in Apol. c. 16.* Hos verò frontes ſuas hoc ſigno notâſſe, quò ſe de eâ gloriari tanquàm honorificentiſſimâ teſtarentur. Quod nihil aliud fuiſſe, quàm fidei ſuæ confeſſionem edere, & oſtendere, quanti paſſionem Chriſti facerent. Hinc Auguſtinum *de Verb. Apoſt. ſerm. 8. De Cruce Chriſti. Nobis inſultant ſapientes hujus mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis Crucifixum? Apprehendat Zachæus ſycomorum, aſcendat humilis Crucem: parum eſt, aſcendat: nè de Cruce Domini erubeſcat, in fronte eam figat, ubi ſedes pudoris eſt, ibi omninò, in quo membro erubeſcitur, ibi figatur, ut non erubeſcat.*

14. Arguit 11. Si quando Pagani priſcis Chriſtianis Crucis adorationem exprobrabant, ſummo ardore hanc injuriam repuliſſe. Octavium Paganum apud Minutium Fælicem ita habere: *Cruces nec colimus, nec optamus. Vos planè, qui ligneos Deos, Cruces ligneas, ut Deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis.* Et hoc verè accedere ad annum trecenteſimum. Ambroſium *in Orat. de obitu Theodoſij* ſic habere: *Helena Conſtantini Magni mater invenit titulum, Regem adoravit, non lignum utique* (quamvis, ſi Pontificijs credamus, vera Crux fuerit) *quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum: ſed adoravit illum, qui pependit in ligno.* Hinc Maſium *Comment. in cap. 22. Ioſue* ſic diſſerere: *Sacroſancta Eccleſia nobis ante oculos ponit Crucis Chriſti figuram, cujus vetus ara fuit adumbratio. Non ut adoremus, ſed ut, dum aſpicimus, in memoriam redeamus veræ illius & ſalutaris aræ, in quâ ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech Dei Filius ſeipſum, gratiſſimam Patri pro nobis victimam obtulit.* Huc proinde, non ulteriùs progreſſos veteres Chriſtianos.

15. Arguit 12. Nullam apud Veteres fuiſſe Crucis conſecrationem, qualis ſit in Eccleſiâ Romanâ. Sic enim haberi *in Pontific. de bened. novæ Crucis: Digneris benedicere hoc lignum Crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas Fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, tutela contra ſæva jacula inimicorum.* Neque verò aliquid eſſe reliquum Deo, ſi hoc præſtet Crucis

lig-

ſignum, maximè cùm Bellarminus *de Imaginib. Sanct. lib. 2. c. 30.* dicat: *Signum Crucis valere contra diabolum ex opere operato, non devotione, aut Fide operantis, ſed ipſo ſigno Crucis fugari dæmonem.*

Arguit 13. Hæc ſi vera ſint, ignarum Paulum fuiſſe, qui adversùs verſutias diaboli panopliam & armaturam ſpiritualem nobis commendàrit, pluribus conſtantem partibus *Ephes. 6. à v. 13. ad 19.* Compendio ſigni Crucis omnia, modò vera eſſent jam allata, abſolvi potuiſſe. 16.

Arguit 14. Nullam apud Veteres Crucis adorationem fuiſſe, qualem doceat Thomas, & poſt eum Cajetanus. Sic enim habere Thomam *in 3. q. 25. a. 4. Exhibemus Latriæ cultum, in quo ponimus ſpem ſalutis; cantat enim Eccleſia: O Crux ave ſpes unica. Sancta ergo Crux Chriſti eſt adoranda adoratione Latriæ.* 17.

Arguit 15. Si quis quærat, cur Reformati nec hiſtoricum Crucis uſum cum Veteribus retinuerint, reſpondere ſe cum Riveto *in Cathol. Orthod.* [illegible] *Idem ipſi (Cruci) contigiſſe, quod Gedeonis Ephod, quod in monumentum* [illegible] *à Deo conceſſæ in urbe ſuâ poſuerat, tamen poſteà cum eo Iſraelitas* [illegible] *Gedeoni, id eſt familiæ ejus in tendiculam.* Hic Ferum Franciſcanum [illegible] ita commentatum eſſe: *Quis non videt, ſimilia in Eccleſia* [illegible] *multa inſtituerunt ſancti bonâ intentione, quæ tamen nunc videmus* [illegible] *partim in ſuperſtitionem verti. Exemplo ſunt Feſta, Ceremoniæ, Imagines* [illegible] *&c. Sub hoc &c. multa comprehenduntur, in quibus Crucis* [illegible] *occupat.* 18.

Arguit 16. Serpentem æneum olim à Moyſe exaltatum Chriſti crucifigendi ſignum fuiſſe, atque inſtitutione Divinâ. Nihilominùs cùm populus ei ſuffitum adoleret, regem Ezechiam non pluris ipſam, quàm Nechuſtan, id eſt particulam æris feciſſe, eumque fregiſſe, ut abuſum ejus occaſione ortum tolleret. Si hoc proinde in ſigno à Deo inſtituto fecit piiſſimus rex, atque hoc licuiſſe Magiſtratibus facere in ſigno humanitùs invento, cui æquè ac ab Iſraelitis ſerpenti æneo thus offeratur, fatente Bellarmino *de Eccleſ. Triumph. lib. 3. cap. 3.* ubi ſic habet: *ſuaves odores etiam Cruci offerimus in Eccleſiâ.* 19.

Arguit 17. Habere ſe Reformatos ſolis mortis & crucifixionis Domini ſigna Divinitùs inſtituta; Verbum Dei, quo Ieſus Chriſtus coràm oculis noſtris depingatur, ac inter nos crucifigatur. *Galat. 3. v. 1.* Baptiſmum, quo baptizati in ipſius mortem & cum ipſo per Baptiſmum ſepulti ſint. *Rom. 6. v. 4.* Sacram Cœnam, in quâ mortem Domini annunciamus. *1. Corinth. 11. v. 26.* 20.

C A

CAPUT III.

Oſtenditur, in Eccleſiâ eſſe poteſtatem circà adminiſtrationem Sacramentorum ſalvâ horum ſubſtantiâ, ordinandi certos ritus & cæremonias, ſub quorum ſignificatione myſticâ reſplendeat ſpecialis decor ac ſplendor Divini cultûs.

Probatio prima, ex ſacris Litteris petita.

21. NAm in Eccleſiâ ſanctâ præpoſitis ſive Epiſcopis eſſe poteſtatem ferendi leges, cultui Divino ac publico Eccleſiæ bono convenientes, apertè evincitur ex illo Apoſtoli *2. Corinth. 13. v. 10. Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam Dominus mihi dedit in ædificationem, & non in deſtructionem &c.* At verò poteſtatem ejuſmodi in Paulo non fuiſſe perſonalem, ſive ipſius duntaxat perſonæ annexam, ſed alijs inſuper Præpoſitis eatenùs communem, ut ipſorum officio eſſet annexa, eſſetquè in ſucceſſores transferibilis, eruitur ex illo *Heb. 13. v. 17. Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Ejuſmodi proindè poteſtatem fuiſſe quoquè ad obligandum in conſcientiâ, probatur ex *Rom. 13.* ubi dicitur, *illum, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere, ſibique* adeò *damnationem acquirere.* Unde *ibid. v. 5.* diſertis verbis infertur: *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

22. At verò illam ipſam Eccleſiæ, ejuſquè Præpoſitorum, atque adeò Summi inprimis Pontificis poteſtatem extendere ſe quoquè ad ritus & Cæremonias, ſeu ſolemnitates accidentarias, ſub quibus cum decore uniformiter, nec non cum myſticis aliquibus ſignificationibus magis religiosè ac devotè peragantur Divina Myſteria, ſeu Sacramenta, conſtat ex *1. Corinth. 11.* ubi, cùm Apoſtolus plura circà Cœnam Eychariſtiæ ordinâſſet, tandem *circà finem cit. cap.* ait: *Cætera cùm venero diſponam.* Neque verò ſi hæc fuiſſent ſubſtantialia & eſſentialia Sacramenti, in ſuum uſq; adventum diſtuliſſet, cùm alioquin Sacramentum Cœnæ contrà inſtitutum Chriſti permiſiſſet celebrari à Corinthijs. Agnovit ergo Apoſtolus in ſe poteſtatem circà Sacramenta, ſalvâ tamen horum ſubſtantiâ, diſponendi certos ritus ſeu Cæremonias uniformitati Eccleſiæ ac decori Sacramenti convenientes.

23. Unde Divus Auguſtinus *Epiſt. 118. cap. 6.* ita ſcribit: *Chriſtus non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur* (ſcilicet Cœna) *ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, hunc ſervaret locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, & poſt cibos alios ſemper accipe-* retur

vetur, credo, quòd eum morem nemo variâſſet. Cùm verò ait Apoſtolus, de hoc Sacramento loquens: Propter quod Fratres, cùm convenitis ad manducandum, invicem exſpectate; ſi quis eſurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis; ſtatim ſubtexuit: Cætera autem, cùm venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epiſtolâ totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nullâ morum diverſitate variatur. Conſtat igitur ex Sancto Auguſtino, ita fuiſſe in Apoſtolo poteſtatem ordinandi ritum celebrandi ſacram Cœnam, ut ordinatio tamen ejuſmodi non variaret ſubſtantiam Sacramenti, ſive inſtitutionem Chriſti, ac inſuper eſſet in Eccleſiâ poteſtas variandi ritus illos, qui ab ipſomet Chriſto non eſſent inſtituti. Hinc enim Sanctus Doctor *citatus* ait, *Non eſſe calumniandam Eccleſiam, quòd Evcharistia ſemper accipiatur à jejunis.* Hinc nè Calvinus quidem ſuo contradictionis in ſe ipſum ſemper incurrente ſpiritu, improbare auſus fuit ejuſmodi cæremonias: quamvis enim *lib. 4. inſtit. cap. 10. §. 14.* multùm ſit debacchatus contrà Cæremonias Eccleſiæ Catholicæ, eas tyrannidis coarguendo, tandem nihilominùs ſubjecit ſequentia: *Ergonè nihil Cæremoniarum rudioribus dabitur ad juvandam eorum imperitiam? id ego non dico, omninò enim utile illis ſentio hoc genus adminiculi &c.* Et *§. 27.* ait: *Quum in hominum moribus tanta inſit diverſitas, tanta in animis varietas &c. neque Politia ulla ſatis firma eſt, niſi certis legibus conſtituta, neque ſine ſtatâ quadam formâ ſervari Ritus quiſpiam poteſt. Hac ergo, quæ condunt leges, tantùm abeſt, ut damnemus, ut his ablatis, diſſolvi ſuis nervis Eccleſias, totaſquè deformari & diſſipari, contendamus; neque enim haberi poteſt, quod Paulus exigit, ut decenter omnia & ordine fiant, niſi additis obſervationibus, tanquam vinculis quibuſdam, ipſe Ordo & decorum conſtet &c.* Quamvis proinde Calvinus in hoc vel maximè contendat, ut conſcientiæ obligationem ab ejuſmodi legibus removeat, id tamen validè refutari ex ſacris Litteris, patèt ex dictis *ſupra n. 20.* Quarè tum ex ſacris Litteris, tum ex Pauli Apoſtoli exemplo, tum ex Sancti Auguſtini doctrinâ, tum ex ipſiuſmet Calvini, ſuo contradictionis ſpiritu ſe ipſum & Reformationem ſuam confundentis, confeſſione manifeſtum eſt, in Eccleſiâ eſſe poteſtatem circà Sacramentorum adminiſtrationem, ſalvâ ipſorum ſubſtantiâ, ordinandi ritus & cæremonias, ſub quarum ſignificatione myſticâ reſplendeat ſpecialis decor ac ſplendor Divini Cultûs. 24.

Probatio ſecunda, petita ex SS. Patrum authoritatibus.

NAm quia Cæremoniæ circa Baptiſmatis adminiſtrationem in Romanâ Eccleſiâ adhiberi ſolitæ, vel maximè ludibrio habentur à Pſeudoreformato Miniſterio, ideò iſtas (hiſce enim probatis, de alijs facile erit cuiquè 25.

ferre judicium) per inductionem probare placuit Sanctorum Patrum authoritatibus. Prima igitur Cæremonia in ordine ad Baptiſmum ſolennem eſt, quòd aqua Baptiſmalis priùs benedicatur non eâ quidem intentione, quaſi aqua non benedicta foret inſufficiens, ſed pro majori Sacramenti reverentiâ. At verò talem benedictionem fuiſſe antiquitus uſurpatam, teſtantur Clemens Romanus *lib. conſtit. Apoſt. cap. 4.* Dionyſius Areopagita *Eccleſ. Hierar. cap. 2. p. 2.* Baſilius *in Pſal. 28. & de Spiritu Sancto cap. 27.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 3.* Cyprianus *lib. 1. ep. 12. aliàs Epiſt. 70.* Ambroſius *lib. 1. de Sacr. cap. 5. & lib. de his, qui myſterijs initiantur c. 5.* Auguſtinus *to. 10. cap. 50. hom. 27.*

26. Secunda Cæremonia eſt, quâ baptizandus abrenunciat diabolo & pompis ejus, profiteturquè fidem. At iſtius Cæremoniæ jam antiquitùs uſurpatæ meminerunt Clemens Romanus *cit. lib. 7. cap. 41. & 42.* Dionyſius Areopagita *celeſt. Hierar. cap. 2.* Origenes *to. 1. hom. 12. in Numer.* Tertullianus *lib. de coronâ militis cap. 3.* Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 5. & de Orat. Domin.* Cyrillus Hieroſolymit. *Catech. 1. Myſtag.* Baſilius *lib. de Spirit. San. cap. 27.* Chryſoſtomus *in Pſalm. 14. & hom. 21. ad popul. Antioch.* Ambroſius *lib. 1. Hexam. cap. 4.* Hieronymus *ad Pſalm. 118.* & Auguſtinus *lib. 2. de ſymb. cap. 1. & lib. 4. cap. 1.*

27. Tertia Cæremonia eſt Exorciſmus & inſufflatio in baptizandum, quatenùs ſcilicèt adjurantur dæmones certis precibus, ut à baptizando recedant. At iſtam antiquitùs fuiſſe adhibitam, teſtantur Iuſtinus Martyr *in Dial. cum Tryphone.* Euſebius Cæſarienſis *lib. 6. Eccleſ. hiſt. c. 35.* Cyrillus Hieroſolymitanus *in præf. Catech. & eâdem Catech. 2. Myſtag.* Cyprianus *ad Demetrianum.* Optatus Milevitanus *lib. 4. contrà Donat.* Ambroſius *lib. 1. de Sacram. cap. 5.* Auguſtinus *lib. 1. de Nupt. & Concupiſ. c. 20. & lib. 2. cap. 18. & cap. 19. Item lib. 2. de Grat. Chriſti & peccato Orig. cap. 40. Et 6. contrà Iulian. cap. 5. Item lib. 4. de Symb. ad Catech. cap. 1.*

28. Quarta Cæremonia eſt, quâ ſacerdos baptizandi nares & aures tangit, dicendo ei: *Ephphetha, hoc eſt, adaperire.* At iſtam in Eccleſiâ antiquâ fuiſſe in uſu, teſtatur Sanctus Ambroſius *lib. 1. de Sacra. cap. 1. & lib. de his, qui myſterijs initiantur. cap. 1.*

29. Quinta Cæremonia eſt unctio Olei benedicti & Chriſmatis, antiquitùs uſurpata, teſtibus Clemente Romano *lib. conſtit. Apoſt. cap. 16. & Epiſt. 3.* Dionyſio Areopagitâ *lib. Eccleſ. Hierarch. cap. 2.* Iuſtino Martyre *q. 107. & q. 137* Baſilio *lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* Tertulliano *lib. de Baptiſ. cap. 7.* Cypriano *Epiſt. 70.* Ambroſio *lib. de Sacram. cap. 2.* Cyrillo Hieroſolymit. *Catech.*

2. Myſ-

2. *Myſtag.* Ioanne Chryſoſtomo *in cap. 4. Matth. & hom. 2. in 2. ad Coloſ.* Auguſtino *Serm. 206. de temp.*

Sexta Cæremonia erat, quòd baptizando imprimeretur ſignum Crucis. At de hujus uſu teſtis eſt Sanctus Auguſtinus *de Catech. rudib. c. 20. & alibi.* Ex quibus proinde omnibus (ſi enim integros textus quis deſideret, paratus ſum ad momentum illos exhibere) patet, vel Antiquitatem Sanctorum Patrum, vel Reformationem huic apertè repugnantem quoad Baptiſmatis Cæremonias eſſe deſerendam. At prius eſſe deficere ab ipsâmet Orthodoxiâ, ſæpè fatentur Doctores Reformati. Hi ergo viderint, qualiter inſiſtere poſſint ſuæ prætenſæ Reformationi. 30.

Probatio tertia circà uſum Crucis, ex Patribus deſumpta.

NAm 1. in Liturgijs fuiſſe uſum ſigni Crucis, patet ex Liturgiâ Sancti Petri, ex Liturgiâ Sancti Iacobi, ex Liturgiâ Sancti Marci, ex Liturgiâ Sancti Baſilij, ex Liturgiâ Æthiopum, & alijs, uti hæc omnia videre licet *ex to. 6. Biblioth. SS. Patrum edit. Col. item to. 6. Magna Biblioth. editionis Pariſienſ.* 31. 2. Signum Crucis in alijs etiam rebus ad ſignandam frontem, ad benedicendum tum ſacra, tum uſualia, antiquitùs fuiſſe adhibitum, conſtat ex Dionyſio Areopagitâ *lib. Hierarch. Eccleſ. cap. 2.* Iuſtino *in Dialog. cum Thryphone, & lib. ad Orthod. ad q. 118.* Hyppolito *lib. de Conſum. mundi Biblioth. Patrum edit. Colon. to. 3. pag. 15.* Origene *homil. 6. in Exod. & hom. 2. in Pſal. 38.* Euſebio Cæſarienſi *lib. 1. in vitâ Conſtant. cap. 22. & cap. 24. item lib. 3. cap. 3.* Martiali *Epiſt. 10. ad Burdegal. cap. 8.* Tertulliano *lib. 2. ad uxorem cap. 5. lib. de coron. milit. cap. 3. lib. 5. adverſ. Marcion. cap. 22.* Cypriano *lib. 4. Epiſt. 6. aliàs 56. lib. 1. de Lapſis. lib. de unit. Eccleſ. lib. ad Demetriam, & lib. 2. contrà Iudæos cap. 21.* Athanaſio *lib. de Incarnat. Verbi, item in vitâ S. Antonij, & lib. 9. ad Antiochum q. 15. & q. 16.* Baſilio Magno *lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* Cyrillo Hieroſolymit. *Cath. 4.* Gregorio Nazianz. *Orat. 3. in Iulian. Apoſt.* Epiphanio *hæreſi contrà Ebionitas.* Gregorio Niſſæno *de Gregorio Thavmaturgo.* Chryſoſtomo *demonſtrat. adverſ. gentiles, quòd Chriſtus ſit Deus. Et hom. 55. in Matth.* Lactantio *lib. 4. cap. 24. 27.* Ephrem *lib. de Pœnit. cap. 3.* Ambroſio *lib. de Iſaac & animâ. cap. 8. & lib. 9. Epiſt. 77. item ſerm. 43. & 56.* Hieronymo *ad Pſal. 85. Item in Epiſt. ad Demet. Epiſt. ad Euſtoch. & in vitâ Hilarionis.* Ruffino *lib. 2. Eccleſ. hiſt. cap. 29.* Auguſtino *tract. 16. in Ioan. tract. 18. in cap. 19. Ioan. tract. 9. in 1. Ioan. 3. Serm. 181. de temp. ſerm. 19. de Sanctis. Serm. 111. de diverſ. cap. 4. tract. 11. in Ioan. lib. 83. q. 79. lib. 22. de Civit. cap. 8.* 32. Ex quibus omnibus (ſingulos enim textus cuivis id petenti exhibere ad nutum paratus ſum) patet, quàm hodierna Reformatio in execrando ſigno Crucis, ejuſque uſu 33.

 habe-

habeat ſpiritum longè diverſum ac prorsùs alienum à Veteri Orthodoxiâ & Catholicæ Doctrinæ puritate. Quem proinde ſpiritum ſi cuipiam expendere libeat, ponderet ſequentia Sancti Auguſtini *tract. 5. in Ioan. circà initium* verba: *Chriſtiani, & ſi Chriſtiani* (en quali non ſint Chriſtiani, qui nituntur in oppoſitum) *utique ipſo nomine ad Chriſtum pertinentes, hujus ſignum in fronte geſtamus, de quo non erubeſcimus.*

Probatio quarta: circà variarum rerum benedictiones, ex ſacræ Scripturæ, & Patrum authoritatibus petita.

34. ETenim ipſemet Chriſtus Dominus *Matth. 14. & Luca 9.* panes multiplicaturus, aſpexit in cœlum, eoſque benedixit. At imitari factum Chriſti Domini, non eſt vituperabile, maximè authoritate Apoſtolicâ accedente, vel approbante. Inſuper à Sancto Paulo docemur *1. Tim. 4. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum & orationem.* In quem proinde locum ſcribunt Chryſoſtomus & Theophylactus, creaturam, etiamſi eſſet immunda (dum tamen omnis creatura bona ſit & munda) poſſe ſanctificari, adhibito ſigno Crucis & oratione. Ex hoc igitur ſacris Litteris deſcripto fundamento uſus in Eccleſiâ etiam primævâ obtinuit, ut fierent rerum etiam inanimatarum benedictiones. Hinc enim Clemens *lib. 8. Apoſt. conſtit. cap.*
35. *35.* ponit ordinem conſecrationis aquæ. Dionyſius *de Eccleſ. Hierarch. cap. 1. de Baptiſmo* ait: Aquam ſacris invocationibus conſecrari. Alexander 1. *Epiſt. 1.* præcipit, aquam benedici. Cyrillus *Catech. 3.* dicit, aquam ſimplicem fieri Sanctam invocatione Dei. Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 2.* oportere, ſanctificari priùs aquas à Sacerdote. Ambroſius *lib. de his, qui Myſteriis initiantur, cap. 3.* ait, aquam niſi Crucis ſigno priùs ſacretur; nullum habere uſum in Eccleſiâ. Similia habent Baſilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* Epiphanius *hæreſi 30.* Theodoretus *lib. 5. cap. 21. hiſt.* Auguſtinus *hom. 27. & lib. 50. hom. & ſerm. 19. de Sanctis, item lib. 6. in Iulianum cap. 8.* dicens, Aquam ſigno Crucis in Eccleſiâ conſecrari. Quibus accedit Concilium Nannetenſe *can. 4.* ubi jubetur Presbyter, cùm ægrotos viſitat, primò aſpergere aquâ ſanctâ ægrotum, & ipſum cubiculum. Cum proinde hodierna Reformatio adeò execretur prætactos ritus, [illegible] patet, ipſam longè alio ſpiritu duci, quàm fuerit in Apoſtolis, & antiquis Orthodoxis Patribus.

CA-

CAPUT IV.

Refelluntur Vedroſij argutiæ.

AD *primam* Reſp. Conveniendo Vedroſium, an intelligat, quæ hîc calumnioſè, imò blaſphemè elocutus eſt? Ait enim, ſe Reformatos fateri, quòd Cæremoniæ per totum ſacrum cultum ſint cumulatæ non ad imitandam praxin Apoſtolicam, nec ad declinandam ſolummodò confuſionem, ſed propinando proprij cerebri figmenta, ad conciliandam rebus, in gratiam Gentilium Cæremonijs aſſuetorum, fucatam gratiam. At ejuſmodi Cæremonias ab ipſiſmet primorum ſæculorum Patribus, imò ipſiſmet Apoſtolis fuiſſe approbatas, conſtat ex dictis. Annon igitur erubeſcis Vedroſi, te calumnijs adeò horrendis inceſſere Patres, tui ipſius Reformati Miniſterij judicio Orthodoxos, imò ipſoſmet etiam Apoſtolos? 36.

Ad *ſecundam* Reſp. Intolerabile eſt, Vedroſi, quòd Sanctum Auguſtinum tuæ graviſſimæ in Patres Orthodoxos calumniæ contrà expreſſa ejuſdem Sancti Doctoris verba participem facere non abſquè calumniâ, & falſi crimine nitaris. Etenim *Epiſt. 118.* nihil eorum; quæ allegâſti, habetur, ſed *ibi cap. 1.* dicitur, præter ea, quæ ſacris Litteris continentur, extáre in Eccleſiâ Traditiones Apoſtolicas non ſcriptas, toto terrarum orbe obſervatas. Exinde 2. 3. 4. & 5. *capite* decernitur de legibus & conſuetudinibus particularium Eccleſiarum, qualiter extra patriam non ſint neceſſariò ſervandæ, neque expediat, iſtas ab uno loco trahi ad alium cum perturbatione fidelium alterius Eccleſiæ. Sexto & ſeptimo capite diſtinguitur inter ritûs ſubſtantiales & accidentarios Sacramenti Eucharíſtiæ, ut illos, utpote ex Chriſti inſtitutione præceptos, aſſerat invariabiles, hos verò ita relictos eſſe ordinationi Apoſtolorum & Eccleſiæ, ut, licèt Chriſtus Eucharíſtiam tradiderit Apoſtolis non jejunis, ſequentibus tamen temporibus ob reverentiam tanti Sacramenti receptum ſit, ut non niſi jejunè accipiatur. En igitur Vedroſi totam illam *Epiſtolam* 118. adverſari tuæ Reformationi, utpote Traditiones non ſcriptas, ritus à Chriſto non inſtitutos (cujuſmodi tamen particularium Eccleſiarum legibus continentur) nec non ſubſtantialium & accidentarium in Sacramentis rituum diſtinctionem reprobanti. 37.

Verum quidem eſt, verba per Vedroſium allegata haberi in Sancti Auguſtini ad Januarium *epiſtolâ* 119. in horum tamen allegatione inſignis committitur fraus dum non ex integro ponuntur, in finem ea detorquendi ad ſenſum à ſancto illo Doctore ſanè minimè intentum. Sic enim dicitur *cap.* 19. *ejuſd. Epiſt. Omnia itaquè talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum authoritatibus contine*- 38.

tinen-

tinentur, nec in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Ec-
cleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur &c.
Ubi facultas tribuitur, ſine ullâ dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc
inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen Religionem, quam pauciſſimis &
manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit; ſervili-
bus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum &c. Ex quibus proindè
patet 1. Præter ritus illos Sacramentales ſubſtantiales ſacrarum Scriptura-
rum authoritatibus contentos in Eccleſiâ inveniri ritus (de his enim ſer-
mo eſt *in cit. epiſt. 119.*) à Concilijs ſtatutos, vel univerſæ Eccleſiæ conſuetu-
dine roboratos. Ejuſmodi verò cenſuit Sanctus Auguſtinus minimè abo-
lendos. At tales eſſe ſuprà enumeratas Baptiſmatis Cæremonias, nec non
ſanctæ Crucis uſum, conſtat apertè ex Sanctorum Patrum authoritatibus
præc. cap. à n. 24. uſque ad n. 29. adductis. Tantùm igitur abeſt, quòd Vedro-
ſius tales ritus ex Sancti Auguſtini authoritate reijcere poſſit, ut contrarium
39. potiùs ſit retinendum. 2. Idem Sanctus Doctor particularium Eccleſia-
rum ritus ſpeciales ex hoc præcisè capite, quòd non ſint à Chriſto inſtitu-
tæ, nec ſacris Litteris contentæ, ait, non eſſe contrà fidem. Ergo vanè con-
tendit Reformatio hodierna, eſſe contrà inſtitutionem Chriſti. In quibus
proinde improbat quidem Sanctus Doctor indiſcretionem & exceſſum,
cenſetquè adeò tales ritus abolendos, ubi tamen facultas tribuatur. At i-
ſtam exceptionem minimè adjeciſſet Sanctus Auguſtinus, ſi vera eſſent, quæ
Vedroſius *ſequenti tertiâ argutiâ* effutijt.

40. Ad *tertiam* Reſp. Verum eſſe, quòd poteſtas inſtituendi Sacramenta ſit
ſolius Chriſti propria: ſed Vedroſium ineptè hinc arguere, quòd Papiſtis in-
cumbat, proferre tabulas Apoſtolicas, quibus Crucis ſignum, & ſalis gu-
ſtus comprobentur à Chriſto inſtituta. Quis enim Catholicorum hæc un-
quàm dixit, eſſe Sacramenta? Nunquid Sanctus Auguſtinus *ſupracitatus* ag-
noſcit ritus Eccleſiæ univerſæ conſuetudine receptos, vel in Concilijs ple-
narijs ex poteſtate Divinâ acceptâ, non verò à Chriſto immediatè inſtitu-
tos? Nunquid verò ſub tali cenſu Cæremonias Baptiſmales ac ſignum Cru-
41. cis habuerunt Patres Orthodoxi *ſuperiùs* adducti? Sed ait, Magiſtrum ſen-
tentiarum in Baptiſmo diſtinguere ſubſtantialia à ſolennitatibus acciden-
tarijs. At nunquid hoc ipſum in Sacramento Euchariſtiæ faciunt S. Auguſti-
nus *cit. Epiſt. 118.* & Patres univerſi, aſſignando plures in Baptiſmo minimè eſ-
ſentiales Cæremonias? Annè ex hoc Vedroſi Patres Orthodoxos reos age-
re vis, quaſi injurios erga Chriſtum, Apoſtolos, & primitivam Eccleſiam, ut-
potè quorum Baptiſmus caruerit ejuſmodi ſolennitatibus? En tuas argutias
nihil ſpirare, niſi ineptas cavillationes & calumnias.

Ad

Ad *quartam* Reſp. Cur miraris Vedroſi, in ritibus adminiſtrationi Sacramentorum accidentarijs aliquam ſubinde fieri variationem? An neſcis, Sanctum Auguſtinum *cit. epiſt. 118. ad Januarium cap. 6.* inſtitutionem Chriſti eatenùs dicere invariabilem, ut tamen in ritibus ſub Eccleſiæ ordinatione pendentibus admittat variationem? An neſcis porrò, Patres Arianâ hæreſi antiquiores meminiſſe trinæ in aquam immerſionis in Baptiſmo factæ, ſed poſtea iſtâ hæreſi ſub trinâ ejuſmodi merſione diviſionem naturarum in tribus perſonis Divinis inducere conante, fuiſſe hunc ritum abolitum? Sed quid ais, antiquitùs, teſte Auguſtino, fuiſſe ignem adhibitum inter baptizandum, hodiè verò Cereum? An neſcis in Cereo accenſo eſſe quoquè ignem? Etſi denique Sanctus Auguſtinus probet, ſacræ Scripturæ & Traditionis authoritate Communionem infantium recenter baptizatorum minimè pugnare cum inſtitutione Chriſti, minimè tamen intendit, per hoc evincere neceſſitatem vel Medij, vel Præcepti, ut adeò iſta infantium Communio Eccleſiæ ordinationi relicta, antiquitùs juſtis ex cauſis obſervata, poſteà verò ex alijs rationibus juſtè intermiſſa fuerit. 42. 43.

Ad *quintam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an credat, ſuam Reformationem in Sacramentis adminiſtrandis ita conformari cum primitivo Dominicæ inſtitutionis exemplari, ut nullam omninò variationem ſeu rituum accidentalium diverſitatem admittat? Si neget, habebit omnia tela à ſe vibrata in ſuam Reformationem retorta. Si affirmet, habebit ſibi contrariantem Confeſſionem Helveticam, *cap. 27.* ita decernentem: *Quòd in Eccleſijs diſpares inveniuntur ritus, nemo Eccleſias exiſtimet ex eo diſſidentes &c. Et nos hodiè ritus diverſos in celebratione Cœnæ Domini, & in alijs nonnullis rebus habentes in noſtris Eccleſijs, in doctrinâ tamen & fide non diſſidemus, neque unitas, ſocietaſque Eccleſiarum noſtrarum eâ re ſcinditur. Semper verò Eccleſia in hujuſmodi ritibus, ficus medijs, uſa ſunt libertate.* Ex quibus adeò ſic licebit argumentari. Ea, quæ in Eccleſijs Reformatis adeò difformia ſunt, vel verſantur circà ſubſtantialia Sacramenti, vel circà ritus duntaxat accidentarios. At ſi prius, tunc nequit ſtare unitas Religionis. Si poſterius, tunc Vedroſius nolens volens admittere debet ritus accidentarios ex Eccleſiæ præſertim univerſæ deciſione, ſeu receptione pendentes, atque adeò variabiles. En igitur, quomodò in te ipſum, tuamquè Reformationem contradictoriè impingere ſoleas. Sed quid ais, Calvinum piè dixiſſe, tum quòd ſathanas viderit ſtultâ mundi credulitate receptas ſuas eſſe impoſturas? Tum quòd exinde proruperit ad craſſiora ludibria? Tum deniquè, quòd apud Veteres nullum iſtorum extet veſtigium? Quandò igitur receptæ fuerunt ſathanæ impoſturæ? Nunquid inter ipſa Evangelij exordia? Hoc enim aper- 44. 45. 46.

tè,

tè, ſed blaſphemè dicit Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 15. ſect. 19.* Sed in quibus? Annè in Cæremonijs à Reformato Miniſterio abolitis? At iſtas approbâſſe Patres primitivæ Eccleſiæ, patet *ex praced. cap. 3. prob. 2.* Annè igitur in his prævaluerunt ſathanæ impoſturæ? Ita ſanè Calvinus *loco cit. & lib. 4. Inſtit. cap. 13. ſect. 17.* Beza *cap. 5. art. 20. Confeſſ. Chriſt. fidei.* Scultetus *Med.*
47. *Pat. cap. 9. in Irenæum* non erubuerunt impiè ſcribere. Sed quænam ſunt illa craſſiora ludibria, in quæ ſathanas prorupit? Certè Calvinus *præcitatus* præſertim *lib. de Eccleſ. Reform.* ait, eſſe nugas, cujuſmodi ſit lutum baptizato applicatum ad æmulationem Chriſti. At Divus Ambroſius *lib. 1. de Sacram. cap. 1. & lib. de his, qui Myſter. initiant. cap. 1.* meminit, qualiter antiqua Eccleſia inter baptizandum per verbum *Ephetha* repræſentârit myſterium à Chriſto geſtum in ſanando ſurdo & muto *Marci 7.* Ejuſmodi proinde repræſentatio myſteriorum Chriſti à Calvino *lib. de Eccleſ. Reform.* alijſque *ſupracitatis locis* impiè dicitur ridicula & abſurda, ſeu nugatoria. Vides igitur, quàm impiè adversùs piam & orthodoxam antiquitatem procedat tuæ Reformationis anteſignanus.

48. Ad *ſextam* Reſp. Vedroſi hæc tua argutia nihil ſpirat, niſi impietatem & calumnias, imò mendacia contrà vetuſtam Orthodoxiam. Conſtat enim ex frequentibus Patrum teſtimonijs *praced. cap. 3. n. 26.* allegatis, Exorciſmos inter baptizandum fuiſſe in antiquâ Eccleſiâ adhibitos. Mendacij igitur & calumniæ graviſſimæ convictus es, tum quòd pro energumenis duntaxat ſeu arreptitijs, non verò quibuſcunque baptizandis contendas, fuiſſe olìm adhibitos Exorciſmos, tum quòd uſum ejuſmodi arguas de Magicâ ſuperſtitione. Sed aìs, Exorciſtam non fieri ordinatione, ſed
49. ex dono Dei. At nunquid diſtinguere oportet inter poteſtatem exorcizandi, & inter hujus poteſtatis efficaciam, actualiter conjunctam cum effectu expulſionis dæmonum? Verum igitur eſt, exorciſtam non habere iſtam efficaciam ex ordinatione, niſi huic accedat Gratia gratis data. Hæc igitur exorcizandi munus reducit ad *actum ſecundum*, illa verò tribuit poteſtatem exorcizandi *in actu duntaxat primo.* Quam proinde exorcizandi poteſtatem non tantùm quoad *actum primum* vi ordinationis, ſed *quoad efficaciam* vi Gratiæ gratis datæ non fuiſſe perſonis primorum Chriſti diſcipulorum annexam, ſed per omnem Eccleſiæ Sanctæ perpetuitatem durare in aliquibus exorciſtis, conſtat ex ijs, quæ ſuprà *Diſſert. 4. ſect. 4. cap. 4.* deducta ſunt, teſtanturque Concilia antiqua, Antiochenum *can. 10.* Carthaginenſe IV. *can. 7.* Laodicenum *can. 29.* & Cyprianus *lib. 4. Epiſt. 7.* Cornelius *in Epiſt. ad Fabian. Antiochenum apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 33.*

50. Ad *ſeptimam* Reſp. Vedroſi inepta eſt tua arguendi ratio, dum contra

trà regulas Dialectices (ad quas te remitto) ab authoritate negativâ argumentari conaris. Sed hæc tua ineptia non tantùm in formâ, ſed etiam in materiâ peccat. Audi enim Iuſtinum Martyrem (falsò pro te allegatum) *in Dialogo cum Tryphone* adversùs te concludentem in hæc verba : *Dei nominis potentiam dæmones tremunt & reformidant : & hodie quoquè illi per nomen Ieſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, adjurati nobis parent, ut inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dediſſe potentiam & virtutem, ut & dæmonia nomini ipſius & Paſſionis ipſius obita functioni ſubjecta ſint.* Sed ais, Dionyſium Areopagitam meminiſſe trinæ in Baptizandum exſufflationis. At hæc ipſa erat conjuncta cum exorciſmis, imò habebat vim cujuſdam exorcizationis, uti patet ex Sancto Auguſtino *lib. 2. de Nupt. & concupiſ. cap. 19. Item de Grat. Chriſti & peccato Orig. cap. 40. & lib. contrà Iulianum cap. 5.* Ais inſuper, Dionyſium *præcitatum* mentionem facere abrenuntiationis ab ipſomet baptizando peragendæ. At Divus Auguſtinus *lib. 1. de Nupt. & concupiſc. c. 20.* ita habet: *In veritate, non in falſitate poteſtas diabolica exorcizatur in parvulis, eiquè renunciant : quia per ſua non poſſunt, per corda & ora geſtantium &c.* En igitur Vedroſi, quàm Patres Orthodoxos tuis argutijs ſemper contrarios habeas. 51. 52.

Ad *octavam* Reſp. Eam non tam ineptiâ, quàm apertâ contradictione laborare. Etenim Vedroſius imprimis fatetur, exorciſmi cum Baptiſmo conjunctionem fuiſſe tempore Cypriani : aſſerit tamen, initium hujus conjunctionis fuiſſe in hoc, quòd deficiente exorcizandi chariſmate, ad energumenos liberandos fuerit adhibitum id conſilij, ut baptizarentur. At conjunctio Exorciſmorum cum Baptiſmate non potuit eo tempore incœpiſſe, dum illud chariſma in Eccleſiâ jam defecit. Ergo tempore Sancti Cypriani ita fuit conjunctio Baptiſmi cum Exorciſmis, ut illud exorcizandi chariſma tunc minimè defecerit, nec adeò Apoſtolorum duntaxat perſonis fuerit à Chriſto conceſſum, quin Gratia ejuſmodi continuaretur in Eccleſiâ Dei. Deinde fatetur Vedroſius, ætate Cypriano poſteriore fuiſſe adhibitos exorciſmos etiam extra Baptiſmum. At hos ipſos fuiſſe taliter in uſu ætatibus Cypriano quoquè anterioribus, eique coævis, patet *ex ejus Epiſt. 7. lib. 4.* Unde cùm ille exorciſmorum uſus ab Apoſtolis incœptus, ipſomet Vedroſio jam fatente, fuerit taliter continuatus in Eccleſiâ Dei, non poteſt non habere vim Apoſtolicæ traditionis. *Ex argumento Sancti Auguſtini Epiſt. 118. ad Ianuarium. cap. 1.* En igitur Vedroſi, tuis argutijs te ita involvi, ut præter calumnias nihil niſi ineptias & contradictiones ſpires. 53. 54.

Ad *nonam* Reſp. Sic argumentando. Cæremoniæ in Baptiſmo ſunt, teſte Vedroſio, à Veteribus adhibitæ tanquàm umbræ & picturæ Hiero- 55.

 glyphi-

glyphicæ, quibus ceu ſacratis ſignis efficacia Baptiſmi, & tranſitus à Captivatore peſſimo ad Redemptorem optimum ſignificaretur. At iſta ratio licèt partialis ita eſt vera, ut hodie adhuc locum habeat: neque pugnat cum efficaciâ exorciſmorum aſſertâ per Sanctos Patres *ſuprà cap. 3. n. 26.* præſertim Auguſtinum *præced. Reſp. n. 55.* allegatos. Etſi proinde falſum ſit, quòd exorciſmi circa baptizandum nullius fuerint efficaciæ, quia tamen illa ipſa myſtica ſignificatio, ob quam Vedroſius fatetur, antiquitùs in Eccleſiâ fuiſſe à Patribus Orthodoxis approbatas Cæremonias; hodieque locum habet, idcirco evidenter ſequitur, iſtam myſticam ſignificationem, abolitis Cæremoniis, non niſi impiè contrà primævæ Eccleſiæ inſtitutionem, fuiſſe hodie à Reformatis eliminatam.

56. Ad *decimam* Reſp. Signare frontem Cruce, fatente ipſomet Vedroſio, eſt fidei ſuæ confeſſionem edere, & oſtendere, quanti facienda ſit paſſio Chriſti, itaque gloriari de Cruce tanquàm re honorificentiſſimâ. At talis Crucis ſignatio ita abolita eſt ab hodiernâ Reformatione, ut illam inter ſuperſtitiones ſuis blaſphemis dicterijs numeret. Quid ergo Vedroſi in hoc operata eſt tua Reformatio, niſi ut rem honorificentiſſimam ignominioſam diceret, confeſſionemque fidei, ac reverentiam erga Chriſti paſſionem abijceret? Sed quid intendis ex allegatione Sancti Auguſtini *Serm. 8. de Verb. Apoſt.*? Expendamus enim hujus Sancti Doctoris textum. Ait proinde ſapientes hujus mundi, qui Crucem Chriſti ſtultitiam dicunt, quærere ex nobis: *Quale cor habeamus, qui Crucifixum colamus*? At reſponſionem in promptu eſſe, quòd non expediat habere cor ipſorum, cùm ſapientia mundi ſit ſtultitia coram Deo. Unde oportere, Chriſtianum fieri humilem, ut aſcendat Crucem, nec erubeſcat de Cruce, imò in fronte, ubi ſedis pudoris eſt, iſtam figuram figere nè deinceps erubeſcat. Quem proinde Sancti Auguſtini ſenſum reducendo ad hodiernam Reformationem, in promptu eſt, quòd iſta totis viribus nitatur in hoc, nè Crux Chriſti figatur in fronte. At ſecundùm Sanctum Auguſtinum Crux Chriſti in fronte eſt figenda, nè erubeſcamus in confeſſione ſcilicèt Chriſti crucifixi, quem ſapientes hujus mundi dicunt ſtultitiam. Planum igitur eſt, Reformationem hodiernam ſecundùm Sanctum Auguſtinum ita erubeſcere in confeſſione Crucis Chriſti, ut ejus Miniſtri, abjecto omni caſto & ſancto pudore, Crucis Chriſti in fronte ſignationem pro mundi ſtultitiâ habendo, conſequenter ambiant, eſſe ſapientes hujus mundi, nec adeò expediat habere cor ipſorum, cùm mundi ſapientia ſit ſtultitia coram Deo. En igitur Vedroſi Auguſtini allegatum textum redactum in formam ſyllogiſticam.

57.

58.

Ad

Digitized by Google

Ad *undecimam* Reſp. Aliud eſſe, ſi Crux Chriſti *abſolutè* dicatur adoranda, aliud verò eſſe, ſi dicatur veneranda *Tranſitivè* ac *Reſpectivè*. Hoc enim poſterius nihil aliud importat, niſi quòd Crux ſit ſignum, ſub quo repræſentetur Chriſtus, atque adeò in Cruce tanquàm inſtrumentario ligno adoretur. Nunquid autem Reformati Miniſtri ſuam Euchariſticam Cœnam proponendo tanquàm Figuram Corporis & Sanguinis Chriſti, ſummoperè contendunt, ut cum reverentiâ accipiatur? At cui deferunt iſtam reverentiam? Num pani & vino, vel Chriſto per hæc (uti prætendunt) ſignificato? At nunquid hunc ipſum honorem, ceu Chriſti in Spiritu & veritate adorationem contendunt Chriſto deferendã, mediante illo Euchariſtico ſigno? En igitur Vedroſi, ipſamet tua Reformatio admittit adorationem Chriſti ſub ſigno aliquo, ad quod veneratio ac reverentia ſe habeat quaſi *Materialiter* tanquàm ad inſtrumentum, mediante quo deferatur in Chriſtum, ceu *Formale* adorationis *objectum*. Hoc igitur modo nos Catholici veneramur Chriſti Crucem, in hac minimè ſiſtendo, ſed per interiorem Fidei ac Religionis actum progrediendo in ipſum Chriſtum, ſub Cruce ejuſmodi ſignificatum, quem proinde ſub ejuſmodi inſtrumentariâ ipſius repræſentatione in Spiritu, & veritate Fidei ac Religionis adoramus. At verò iſta Crucis *Inſtrumentaria* & *Materialis* duntaxat, ſive *Tranſitiva* ac *Reſpectiva* adoratio non eſt ejus naturæ, ut exinde poſſit *abſolutè* dici Crux Chriſti adoranda. Unde Patres meritò negant *abſolutè loquendo*, Crucis Chriſti adorationem, nè ſcilicèt in ipſum lignum, vel figuram *Materialiter* ſpectatam, more Paganorum terminata intelligatur. At verò vel *cum addito* inter infideles præſertim, vel ſub *Analogico* fidelibus optimè noto *ſenſu* ſecundùm adorationem *Tranſitivam* & *Reſpectivam* oportere, Chriſti Crucem adorare, evincitur tum exemplo ex ipſâmet Reformatorum merè figurali Euchariſtiâ petito, tum authoritatibus Sanctorum Patrum, ſpeciatim Cyrilli Hieroſolymitani *Catech. 4. & 10.* Chryſoſtomi *hom. Quòd Chriſtus ſit Deus.* Ambroſij *Orat. in Theodoſ.* Socratis *lib. 1. cap. 13.* Hieronymi *Epiſt. 17. ſub nomine Euſtachij & Paulæ.* Ruffini *lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 8.* Paulini Nolani *Epiſt. 11.* Auguſtini *in Pſalm. 36.* Quæ omnia argumentis ex ipſâ ſacrâ Scripturâ petitis infrà *Diſſert. 13.* confirmabuntur. Cùm igitur talem præcisè honorem Tranſitivum, non abſolutam adorationem Pontificij doceantur, Cruci Chriſti deferre, in aperto eſt, hoſce omninò concordare cum Patribus, ab hiſce verò econtrà diſcordare Reformatos, Crucem omninò abijcientes, imò contumelijs graviſſimis afficientes, imò contradictoriè ſecum pugnantes, dum ſignum Chriſti, ejuſque mortis rememorativum in ſuâ merè figurali Euchariſtiâ ita venerantur, ut Crucem tamen ipſius Chriſti,

ac

59. 60. 61.

ac mortis ejus figurativum ſignum, omni cultu etiam *Tranſitivo* deſtitutam velint. In quo ſanè Iuliani Apoſtatæ, Talmudiſtarum, Mahometis, Chazinzariorum, & Iconoclaſtarum æmulatores eſſe dignoſcuntur.

62. Ad *duodecimam* Reſp. Orare Deum, ut ſuæ Gratiæ virtute mentes fidelium ad actus ſanctos Fidei ac Religionis, aliarumquè virtutum, mediante Cruce, tanquàm ſigno paſſionis Chriſti rememorativo, excitet, itàque ſalutem ex Crucis ſanctæ uſu tanquàm inſtrumento tribuat, redemptioniſque adeò per Chriſtum factæ effectus conferat, tutelamque ex meritis in Cruce conſummatis tribuat illis, qui mediante Cruce Chriſti paſſionis ac mortis memoriam tenent: tali, inquam, modo orare, fuit omni tempore licitum in Eccleſiâ, maximèque frequentatum à fideli populo & Patribus Orthodoxis. At illa benedictio Crucis ex Pontificali deſumpta re ipsâ non importat aliud quidpiam, quàm orationis normam, quâ Divinæ gratiæ, mediante Cruce, tanquàm inſtrumentario virtuoſorum mentis actuum excitativo ſigno, conferendi effectus ſuppliciter petuntur. Cujuſinodi adeò effectus mediante Crucis ſigno à Deo ſperari poſſe, indubitatum eſt piæ menti. Illam igitur benedictionē nihil continere alienum à ſenſu veteris Eccleſiæ, cæteris Patribus omiſſis, accipe ex Martiali circà annum Chriſti centeſimum florente, & *in Epiſt. ad Burdegalenſes cap. 8.* ita ſcribente:

63. *Crucem Domini, in quem credidiſtis Deum verum, & Dei Filium, ſemper in mente, in ore, in ſigno tenete: Crux enim Domini armatura eſt, victoria invicta contra ſathanam, clypeus tela maligni repellens.* Ex quo etiam patet, quàm rectè ſcripſerit Bellarminus à Vedroſio citatus, illis ſanè verbis nihil aliud inſinuans, quàm quòd Origenes *hom. 6. in Exod. cap.* 15. expreſſit in hæc verba: *Quid timent dæmones? Quid tremunt? ſine dubio Crucem Chriſti, in quâ triumphati ſunt &c. principatus eorum & poteſtates. Timor ergo ac tremor cadent ſuper eos; cùm ſignum in nobis viderint Crucis fideliter fixum.*

64. At fortè Curienſis ille Miniſter offenſus eſt ex hoc, quòd ſignum Crucis dicatur, fugare dæmones ex *opere operato*, non *devotione, aut fide operantis.* Verum hujus probatio in promptu eſt ex Gregorio Nazianzeno *Orat. 3. in Iulian. Apoſtat.* ubi, cùm accuratè retuliſſet, Iuliano à fide Chriſti ad idola deficienti, ac dæmonum oracula conſultanti occurriſſe ſpectra horrida, mox ſubdit ſequentia: *Ipſe minacitate perculſus, ad Crucem, vetuſque remedium confugit, hocque ſe adversùs terrores conſignat &c. valuit* (en opus operatum nullâ interveniente impij illius fide, vel devotione) *ſignaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores.* Quid ergo ad hæc dicis Vedroſi? An proinde verum eſt, nihil Deo reliquum eſſe, ſi Crucis ſignum *ſolùm Inſtrumentaliter in genere cauſæ Moralis*, Deus autem *Principaliter phyſicè*

hæc

hæc operetur? Sic ſic ſolo clamore, non verò ratione, vel authoritate agere probaris.

Ad *decimamtertiam* Reſp. En Vedroſi, qualiter in te ipſum denuò impingas. Nam *argut. 8.* dicebas, diabolum mediante Baptiſmo, omne nequitiæ virus adversùs hominem perdere. Annè igitur inferes, Paulum ignarum fuiſſe, qui *ad Epheſ. 6. à v. 13. ad 19.* adversùs verſutias diaboli Panopliam & armaturam ſpiritualem pluribus conſtantem nobis commendârit? Dicendum proinde, vi Baptiſmatis omne nequitiæ diabolicæ virus in homine eſſe ſublatum *Formaliter* per Gratiam ſanctificantem; ac Virtutes infuſas, atque dona Spiritûs ſancti, ita ut hæc adversùs ſpirituales diabolicæ poteſtatis nequitias ſuis tentationibus denuò irruentes, ſint armatura *Radicaliter*; ex quibus tamen oporteat prodire virtuoſos Fidei ac Religionis præſertim actus, à Divo Paulo *citato* deſcriptos, per quos *Effectivè* arripiatur ſcutum Fidei, & gladius Spiritûs ad extinguenda tela nequiſſimi. At Vedroſius *argut. 10.* nolens volens fateri debet, ſignationem Crucis *v. g.* in fronte à Veteribus eſſe agnitam ceu Fidei confeſſionem, & paſſionis Chriſti proteſtationem. Sicuti ergo Paulus non ignarus fuit, dum præter Baptiſmum contrà virus nequitiæ diabolicæ nos inſtruxit de ſcuto Fidei, & gladio Spiritûs, tanquàm *Effectivâ* adversùs, nequiſſimi telum armaturâ; ſic non niſi per ſummam ignominiam, imò blaſphemiam in Spiritum ſanctum etiam *hypotheticè* redarguitur ignorantiæ ex hoc, quòd ſancti Patres *ſuperius* allegati ſignationem Crucis, ceu Fidei confeſſionem, & paſſionis ac mortis Chriſti proteſtationem, conformiter ad præallegatum Apoſtoli textum habuerint pro armaturâ, quâ, ceu ſcuto Fidei, & gladio Spiritûs, tela nequiſſimi excuterentur. 65.

Ad *decimamquartam* Reſp. Nunquid Vedroſi, veriſſimum eſt, cultum Latriæ eo modo deberi Deo, & Chriſto, ejuſque Cruci, quo modo ſecundùm ipſammet Apoſtolicam doctrinam in hiſcè ponimus ſpem ſalutis? At in Deo *Principaliter* & *abſolutè*, in Chriſto quà homine *meritoriè* propter dignitatem Hypoſtaſis Verbi meritorum in Chriſto dignificativam *in genere Cauſæ Moralis, etiam Principaliter*, in ejus verò Cruce *Inſtrumentaliter* ac *Reſpectivè* cum ordine ad ipſummet Chriſtum ponimus ſpem ſalutis. In quo equidem ſentimus conformiter doctrinæ Apoſtolicæ *ad 1. Coloſſ.* ita diſſerenti: *Pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* Et *cap. 2. Exſpolians Principatus &c. Affigens illud* (chirographum ſcilicet Decreti) *Cruci.* Quia porrò prædicatum ſupponit ſecundùm naturam ſubjecti, ideo, quando dicimus: *O Crux ave ſpes unica*, in hac oratione ſecundùm naturam ſubjecti eo ipſo indicamus, in Cruce nos ponere ſpem ſalutis *ſolùm Inſtrumentaliter ac Reſpectivè.* Conſequens igitur eſt; de jure nos adorare Crucem Latriæ cultu, non quidem *abſolutè* 66. 67.

ſymbolum fuerit. Deinde circà Crucis in publicis proceſſionibus inter cere- 72.
os accenſos geſtationem à Sancto Chryſoſtomo uſurpatam, teſtimonium
fert Socrates *lib. 6. cap. 8.* & Sozomenus *lib. 8. Eccleſ. hiſt. cap. 8.* Cui conſuetudi-
ni teſtimonium quoquè fert Cyrillus *lib. 6. contrà Julianum circà princip.* Deni- 73.
què Crucis non tantùm originariæ (uti *præced. Reſp.* oſtenſum eſt) ſed etiam
exemplatæ, ſive ejus Imaginis venerationem & adorationem reſpectivam
fuiſſe obſervatam in antiquâ Eccleſiâ, videre licet apud Tertullianum *in A-
polog. cap. 16.* Chryſoſtomum *Serm. 1. & 2. de adorat. Crucis.* Irenæum *lib. 1. cont.
hæreſ. cap. 24.* & alios: eſtquè definitum in VI. Synodo *can. 73.* & Synodo VII.
Act. 7. item Synodo VIII. *can. 3.* Ex quibus proinde inferre licet, non niſi 74.
impiè fuiſſe à modernâ Reformatione abolitum Crucis Chriſti uſum tam
hiſtoricum, quàm Religioſum; eſto enim, quòd v. g. ad incantationes &
ſuperſtitiones nonnulli mali Chriſtiani ſoleant quandoque Cruce abuti, opor-
tuiſſet tamen, Reformationem feciſſe non in abolendo ſacro & religioſo Pa-
tribus probato ejus uſu, ſed in abuſu: & hac de cauſâ publicam Crucis ve-
nerationem eo modo, quo Patres eam tenuerunt, nos Pontificij minimè in-
termittimus, licèt videamus, Reformatos ſuis deriſionibus, contumelijs, &
ſacrilegis violentijs in ipſam non rarò inſurrexiſſe. Quia enim Apoſtolus
ſciebat, Chriſtum à ſe prædicatum eſſe Gentibus ſtultitiam, Judæis verò
ſcandalum, an idcircò à prædicatione Chriſti ſibi abſtinendum duxit?

Ad *decimamſextam* Reſp. Reducendo Vedroſium tum ad contextum 75.
3. *Reg. 18.* ubi cùm Ezechias dictus fuiſſet, confregiſſe ſerpentem æneum, ut-
pote cui filij Iſrael adoleviſſent incenſum, additur: *In Domino Deo Iſrael ſpera-
vit.* Tum ſacrum textum *ex Numeri 21.* ubi ille ſerpens æneus ex juſſu Dei di-
citur eſſe poſitus in ſignum, nempè Chriſti crucifigendi. Quæro igitur
ex illo Miniſtro Curienſi, an illicitum credat illius ſerpentis non *abſolutè ſe-
cundùm* ſe ſpectati, ſed *quà ſigni*, atque adeò quà in Chriſtum relati cultum ac
venerationem *Inſtrumentariam*, ſeu *Reſpectivam*? Si neget, confecta res
eſt, quòd ſcilicet ſigno etiam Crucis licitè habeatur talis cultus reſpectivus.
Si affirmet, rursùs quæro, cur ergo ſerpens ille fuerit inſtitutus, ut illum a-
ſpiciendo, indè tanquàm ex ſigno *in genere Cauſæ Moralis ſolùm Inſtrumentariè*,
ex re autem ſignatâ, ſcilicet Chriſto crucifigendo *Meritoriè Principaliter*; & ex
hujus Divinitate *phyſicè Efficienter* ſperarent ſanitatem? En igitur Vedroſi,
ſpem ejuſmodi, atque adeò cultum aliquem iſti ſerpenti æneo, non *abſolutè
in ſe* ſpectato, ſed quà ſigno *ſolùm Inſtrumentaliter ac reſpectivè* habitum non
improbari. Ideò ergò fuit ab Ezechiâ rege ſublatus, quia abſoluto Latriæ
cultu in eum tunc ferebantur Iſraelitæ, ita ut in ipſo *abſolutè* ponerent ſpem,
& ideò *cit. cap. 18.* cum iſtâ deſtructione conjunxit ſacer textus; quòd *Ezechias*

in De-

76. *in Domino Deo ſperârit.* Ex quo datur intelligi, cæteros reges ac Iſraelitas illius ſerpentis cultores non fuiſſe illo ſerpente *ſolùm Inſtrumentaliter* uſos, ſed *abſolutè* in ipſo ſpem poſuiſſe, eiquè adeò Latriæ cultum abſolutum adhibuiſſe. At longè abeſt, ut Pontificij Exemplo Patrum, juxta antiquum Eccleſiæ Orthodoxæ morem, colendo Crucem Chriſti, *abſolutè* & non *merè Inſtrumentariè ac Reſpectivè* ſpem in eâ collocent, vel ipſam venerentur. Hunc proinde Reſpectivum & Inſtrumentarium cultum, recedendo à ſanctorum Patrum non niſi Orthodoxâ doctrinâ, impiè abſtulit tua Vedroſi Reformatio.

77. Ad *decimamſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Fateris Vedroſi, tuam Reformationem tenere mortis & crucifixionis Dominicæ ſigna Divinitùs inſtituta, nempè Verbum Dei, Baptiſmum, & Eychariſtiam. At iſta ſigna cultu aliquo ſacro utique veneratur tua Reformatio. Ergo ſigna Dominicæ crucifixionis & mortis, tuâ quoquè Reformatione fatente, ſunt digna cultu aliquo ſacro. At non *Abſoluto* & *Intranſitivo*. Ergo *Reſpectivo*, ſeu *Inſtrumentario*, ac *Tranſitivo* in ipſum Chriſtum relato, ibique terminato & conſummato. At Crux Chriſti, ejuſque imago ſecundùm Patres Orthodoxos *ſuperiùs* citatos, ipſo Vedroſio *arg.* 10. *&* 15. fatente, eſt ſignum crucifixionis & mortis Chriſti. Ergo eſt digna cultu *reſpectivo Inſtrumentario & Tranſitivo* in ipſum Chriſtum relato, ibiquè terminato & conſummato. At cultus ſigno mortis & crucifixionis Chriſti *Inſtrumentariè Relativè* & taliter habitus, ut in ipſo Chriſto terminetur ac conſummetur, eſt Latriæ. Ergo ſecundùm principia ab ipſomet etiam Vedroſio nolente volente admiſſa, Crucis Chriſti, ejuſque imagini habendus eſt cultus Latriæ non *Abſolutus*, ſed *Inſtrumentarius* ac *Reſpectivus*, ſeu *Tranſitivus* in ipſo Chriſto *ultimatè* terminatus & in eo conſummatus. En igitur Vedroſi, quàm impoſſibile ſit in tuâ Reformatione incedere ſine continuo & inextricabili contradictionum involucro.

COROLLARIUM.

78. EX dictis infertur. Georgij fundamenta ſuprà *cap. 1.* deducta per Vedroſij argutias nè in minimo quidem labefactata, unà cum illatione indè deductâ ſubſiſtere in toto ſuo vigore ac robore. Unde ſic licere argumentari. Ille ſpiritus ſanè non eſt Divinus, qui per confeſſionem publicam fatetur quidem, in ſuis Eccleſijs eſſe diverſitatem Cæremoniarum, imò prætendit in hujuſmodi ritibus libertatem, quâ ſemper uſæ ſint Eccleſiæ: nihilominùs hac ipsâ libertate ſeu licentiâ ſuâ in Cæremonias in Eccleſiâ antiquâ à Patribus Orthodoxis tanquàm pias, & myſticarum ſignificationum plenas, Fideiquè ac devotionis ergà Chriſti paſſionem proteſtativas appro-

batas

batis invehitur, eaſquè conatur penitùs eliminare. Talis proinde ſpiritus deflectens ab antiquâ pietate, reſolvitur in præſumptuoſam novitatis libertatè in Patres Orthodoxos, imò & in ſe ipſum contradictoriè impingentem, ut vel hinc dignoſcatur, non eſſe Spiritus Veritatis. At Confeſſio Helvetica *cap. 27.* fatetur, in ſuis Reformatis Eccleſijs eſſe diverſitatem rituum circà Sacramentorum ac Divinorum adminiſtrationem, ſemperquè in hujuſmodi ritibus Eccleſias uſas fuiſſe libertate. Quo tamen non obſtante, Reformatio hodierna damnat Cæremonias in antiquâ Eccleſiâ, ipſis Patribus Orthodoxis approbantibus, uſurpatas, myſticarum ad Fidei confeſſionem, & paſſionis Chriſti proteſtationem conducibilium ſignificationum contentivas, eaſquè penitùs eliminandas proclamat, uti hæc omnia patent ex præcedentibus. Conſequens proinde eſt, ſpiritum hujus Reformationis non eſſe Divinum, utpote qui in præſumptuoſam Pietatis antiquæ extirpativam licentiam, in Patres Orthodoxos, imò & in ſeipſum contradictoriè impingendo, reſolvatur, nec adeò Veritatis, ſed contradictionis ſpiritum præſeferat.

DISSERTATIO VI.

De Baptiſmo.

SECTIO I.

De Baptiſmi neceſſitate ad ſalutem.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

ISte Author *cit. Rat. 3. docum. 8.* inducit Sanctum Auguſtinum *Serm. 2. & 14. de Verb. Apoſt. Serm. 11. de Verb. Dom. Item lib. 3. cap. 1. de anim. & ejus orig. & cap. 13.* expreſſis verbis docentem, Baptiſmum (viâ ordinariâ) ad ſalutem omninò neceſſarium eſſe, ita ut illi, qui vult eſſe Catholicus, dicere nullatenùs liceat: *Aliquos eorum, qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vitâ migraverint &c. ad regni calorum beatitudinem pervenire.* 1.

Inducit etiam Bullingerum *Decad. 5. ſerm. 8. §. Cum Pelagio* ita ſcribentem: *Nec ignoramus, quid in hac cauſâ ſcripſerit S. Auguſtinus ad Hieronymum Epiſt. 28. Quiſquis dixerit, quòd in Chriſto vivificantur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus* 2.

parti-

participatione de vitâ exeunt, hic profectò & contrà Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur; quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe. Et contrà Pelagianos Epiſt. 106. *Apoſtolica Sedes contrà Pelagium agens anathematizavit eos, qui dicerent, infantes non baptizatos habere vitam æternam &c.* Et paulò poſt: *Idcircò collectionem hanc Auguſtini: Extrà Chriſti conſortium nemo ad vitam pervenit: Baptiſmo autem incorporamur Chriſto: Ergo infantes non baptizati ſunt extra conſortium Chriſti ac condemnati; ſimpliciter probare non poſſumus.* Inducit denique Bezam *lib. quæſt. par. ult. q.* 114. ita habentem: *Atqui non modò recentiores, ſed vetuſti multi Patres eò uſque ſaltem neceſſarium Baptiſmum cenſuerunt, ut vita cæleſtis luce privatos cenſuerint, qui non eſſent externo Baptiſmo Eccleſiæ aſcenſi &c.*

3. Ex quibus tandem ita concludit. Ex Divo Auguſtino ac teſtimonijs Bullingeri ac Bezæ conſtat, veterem Eccleſiam ſenſiſſe, quòd Baptiſmus ad ſalutem omninò ſit neceſſarius. At hoc ipſum hodièque tenet Eccleſia Romana, non autem Reformata. Ergo hæc, non illa quoad hoc deflexit à Veteris Eccleſiæ doctrinâ.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

4. HIc Reformatus Miniſter *cit. ſect. 4. in exam. docum. 8.* arguit 1. Georgium conari quidem authoritate Auguſtini *lib. 3. cap. 12. & 13. de animâ* comprobare, quòd *nullus eorum, qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vitâ migraverint, ad regni cœlorum beatitudinem perveniat.* Quam ejus ſententiam agnoſci etiam à Bullingero *dec. 5. ſerm. 8. ſect. cum Pelag.* Verùm hìc apprimè notandum eſſe, quod de Auguſtino ſuper controverſiâ de ſtatu infantum abſque Baptiſmo decedentium, monet Epiſcopus Biſontinus *ad Rom. cap. 5.* ita ſcribens. *Non ergo vos moveat Auguſtinus vel tantillum. Hoc enim illi eſt peculiare, ut, cùm aliquem expugnet errorem, tantâ vehementiâ illum exaggeret, ut errori oppoſito anſam præbere videatur.* Duriùs inſuper tractari Auguſtinum à Pighio *Cont. 1. Auguſt.* ſic diſſerendo: *Cur me multùm non movet diverſa ſententia, inde eſt; primò quòd nullâ ſcripturâ, nullâ quoquè Eccleſiaſticæ definitionis authoritate* (dixiſſe ergo privatam ſententiam, ſubinfert Vedroſius) *ſubnixam video. Deinde adactus fuit etiam ad planè abſurda quædam, & penè evidenter falſa.* En igitur (concludit Miniſter præcitatus) quanti hìc Auguſtinus.

5. Arguit 2. Rem fuiſſe Auguſtino cum Pelagio. Hunc verò juxta Carthag. Concilium ad Innocent. negaſſe; *parvulos baptizandos, quia iſti non perie-*

perierunt, nec eſt, quod in eis ſalvetur, quia nihil eſt in ijs vitiatum, id eſt, quia noxâ, culpâ, & peccato omni carent. Hunc errorem cùm Auguſtinus vellet depellere, cum ſacris Litteris & Eccleſiâ Orthodoxâ docuiſſe, parvulos in originali peccato naſci, ac proinde ſanctificatione opus habere, tanto ardore vincendi, ut in contrarium prolapſus, ſtatuerit, infantes ſine aquæ Baptiſmo ad regni cœlorum beatitudinem pervenire haudquaquàm poſſe.

Arguit 3. Alibi tamen Auguſtinum eſſe alium *lib. nimirùm* 1. *de Baptiſmo contrà Donatiſtas*, ubi authoritate Cypriani *in Epiſt. ad Iubaian*. latronis in cruce converſi exemplo probare, *Non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, ſed etiam fidem, converſionemquè cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt, ſufficere. Neque enim illum latronem pro nomine Chriſti crucifixum eſſe, ſed pro meritis facinorum ſuorum: nec quia credidit, paſſum eſſe, ſed dum patitur, credidiſſe. Quantum ergo fides valeat etiam ſinè viſibilis Baptiſmi Sacramento, quòd Apoſtolus ait: Corde creditur ad Iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; in illo latrone declaratum eſſe, ſed tunc impleri inviſibiliter, cùm myſterium Baptiſmi, non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.* 6.

Arguit 4. Hanc Auguſtini mentem agnoſcere Magiſtrum Sentent. *lib. 4. diſtinct. 4. ad lit.* E. ſic diſſerendo: *Deus potentiam ſuam Sacramentis non alligavit. Quòd verò inviſibilis ſanctificatio ſine viſibili Sacramento quibuſdam inſit, apertè Auguſtinus tradit.* 7.

Arguit 5. Se Reformatos agnoſcere, quòd ſacroſanctum Baptiſma habeat neceſſitatem, at eam, quæ eſt præcepti, ita ut negligi, vel contemni citrà piaculum & grande peccatum nequeat. Non habere tamen Neceſſitatem Medij, ut ex illius merâ privatione homines & infantes, qui ejus contempti rei eſſe non poſſunt, excidant regno cœlorum. Cur enim (ait ille Miniſter) potiùs damnarentur infantes Chriſtianorum, qui maturâ morte prærepti nequeunt baptizari, quàm Iudæorum ſub Veteri Teſtamento, qui ante conſtitutum circumciſionis diem moriebantur. 8.

Arguit 6. Secum ex communione Romanâ ſentire Cornel. Muſſ. *in Rom. cap.* 5. Gerſonem *de Nat. Mariæ.* Ferum *in Ioan. cap.* 3. Leonem Epiſcopum Romanum Epiſcopis per Siciliam diſtrictè prohibuiſſe, nè Baptiſmum adminiſtrarent, niſi tempore Paſchatis & Pentecoſtes. *Cap. Duo tempora. diſt. 4. de Conſecrat.* At ſi abſolutam Baptiſmi neceſſitatem credidiſſet, eum adminiſtrationi ipſius duo duntaxat tempora deſtinaturum non fuiſſe. 9.

CAPUT III.

Oſtenditur, Baptiſmum eſſe ad ſalutem ſimpliciter neceſſitate non tantùm Præcepti, ſed Medij neceſſarium.

10. EXplicatur. Illud enim dicitur ad ſalutem *neceſſitate Medij* neceſſarium, ſine quo etiam inculpabiliter omiſſo, vita æterna obtineri non poteſt. Hoc autem exinde accidit, quòd impoſſibile ſit, conſequi vitam æternam in ſtatu peccati mortalis, & cum privatione Gratiæ juſtificantis, de quâ infra *Diſſert. 11.* Unde ſi quod Medium ſit *ſimpliciter* neceſſarium ad Gratiam ſanctificantem, ac peccati mortalis remiſſionem, conſequens eſt; eſſe quoquè *ſimpliciter* neceſſarium ad vitam æternam. At tale Medium pro extinguendo peccato originali, atque adeò reparando Gratiæ ſtatu, omninò neceſſarium eſſe Baptiſmum, conſtabit *ex ſequenti probatione.*

Probatio prima. Ex ſacris Litteris petita.

11. NAm virtus Baptiſmatis *Act. 2. v. 38.* exprimitur à Divo Petro ſequentibus verbis: *Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs ſancti.* Ex quo adeò patet, Baptiſmum eſſe Medium ad remiſſionem peccatorum, & donum Spiritûs ſancti, atquè adeò Gratiam ſanctificantem conſequendam. Unde Ananias *Act. 9. v. 11.* dixit Paulo: *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* Et *ad Epheſ. 5. v. 26.* dicitur: *Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo Vitæ.* At verò iſti lavacro, prout accedente Verbo Vitæ conſtituitur in *Eſſe* Sacramenti, eatenùs convenit illa vis ſanctificandi & mundandi à peccatis; ut ſit unicum (viâ ordinariâ) juſtificationis ac peccatorum remiſſionis Medium.

12. Probatur iſtud ſubſumptum ex *Ioan. 3. v. 5.* ubi Chriſtus ita pronunciavit: *Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Etenim hunc ſacrum Textum ex antiquæ Eccleſiæ ſenſu eſſe accipiendum de Sacramento Baptiſmatis, clarè teſtantur Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de peccat. Merit & Remiſſ. cap. 30.* alijque Patres, quorum teſtimonia allegata invenies *præced. Diſſert. ſect. 2. cap. 4. n. 28. & probat. ſeq.* probatquè verborum proprietas meritò præponenda metaphoricæ, Patribus incognitæ, & ab Antiquitatis ſenſu alienæ Calvini *lib. 4. cap. 16. §. 25.* expoſitioni. At verò illis Chriſti Domini verbis apertè pronunciatur vis regenerandi ex Spiritu, ut proinde Apoſtolus *ad Titum 3. v. 5.* Baptiſmum vocet lavacrum regenerationis, *Salvos*, inquiens, *nos fecit per lavacrum regenerationis.* Iſtam

ſtam verò regenerationem fieri per Gratiæ ſanctificantis peccatorum remiſſivæ infuſionem, ex ſacris Litteris probatum eſt *præced. Diſſert. ſect. 2. cap. 3. prob. 1.* Eo ipſo autem, quòd iſta regenerativa, atque adeò ſanctificativa, peccatorumquè remiſſiva virtus tribuatur Baptiſmati ſub particulâ *Niſi* negativâ, diſtributivæ excluſionis vim habente, oportet, nullum, (viâ ordinariâ) eſſe in novâ Lege medium juſtificandi ac remittendi peccata, niſi Sacramentum Baptiſmatis. Unde etiam Chriſtus apertis verbis pronunciavit, non poſſe introire in regnum cælorum, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto. Manifeſtum igitur eſt ex Chriſti Domini verbis (niſi ad metaphoricam Patribus incognitam & ab Orthodoxâ Antiquitate alienam, non niſi à Calvino, ejuſquè aſſeclis confictam expoſitionem torqueantur) Baptiſmi Sacramentum eſſe unicum (viâ ordinariâ) juſtificationis, atque adeò ſalutis Medium, ita ut non poſſit introire in regnum cælorum, niſi qui reipsâ ſit baptizatus; quanquam ſecundùm viam extraordinariam tum per Baptiſmum Sanguinis, nempè Martyrium, tum per Baptiſmum Flaminis ſeu Baptiſmum in voto, nempè per Contritionem Charitate perfectam, dum Baptiſmi realiter ſuſcipiendi copiam non habet, quis ſalvari poſſit.

Probatio ſecunda. Ex Patrum authoritate petita.

NAm Clemens Romanus *Epiſt. 4.* ita habet: *Sed dicitis fortaſsè, quid confert aqua Baptiſmus ad cultum Dei? Primò quidem quia, quod Deo placuit, impletur: ſecundò quia regenerato ex aquis, & Deo renato fragilitas prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta eſt, amputatur, & ita demum pervenire poteritis ad ſalutem. Aliter impoſſibile eſt; ſic enim nobis cum Sacramento verus Propheta teſtatus eſt dicens: Amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aquâ vivâ, non introibit in regnum cælorum. Et ideo accelerate &c.* 13.

Juſtinus Martyr *q. 56. ad Orthodoxos* ſic quærit: *Si infantes mortem oppetentes ex operibus nec laudem, nec reprehenſionem habent, quod diſcrimen erit in reſurrectione inter eos, qui ab aliis ſint baptizati, & nihil egerint; & eos, qui baptizati non ſint, & ſimiliter nihil egerint? Reſpondeo hoc diſcrimen eſt inter baptizatos & non baptizatos, quòd illi bona per Baptiſmum obvenientia conſequuntur, hi verò non conſequuntur.* 14.

Martialis circà annum Chriſti centeſimum *Epiſt. ad Toloſanos c. 4. Biblioth. Patrum edit. Colon. to. 1. pag. 169.* ait: *Adorate Deum & Salvatorem veſtrum Ieſum Chriſtum, in cujus nomine niſi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis, ſalvari non poteſt.* 15.

Tertullianus *lib. de Baptiſmo c. 15.* ſic habet: *Hic ergo ſceleſtiſſimi* (Caini) *provocant quæſtiones; adeò dicunt, Baptiſmus non eſt neceſſarius, quibus Fides ſatis eſt.* 16.

Nam

Digitized by Google

Nam & Abraham nullius aquæ, niſi Fidei Sacramento Deo placuit &c. Fuerit ſalus retrò per Fidem nudam ante Domini paſſionem &c. Lex enim tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta: Ite, inquit, docete omnes nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti. Matth. 28. Huic legi collata definitio illa, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum Cælorum. Ioann. 3. Obſtrinxit Fidem ad Baptiſmi neceſſitatem &c.

17. Origines *hom. 14. in cap. 2. Lucæ* ait: *Quia per Baptiſmi Sacramentum nativitatis ſordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli: Niſi enim quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum cælorum.*

18. Cyrillus Hieroſolomit. *Cath. 3.* inquit: *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet.* Ex quibus proinde Antiquioribus (& alijs Orthodoxis brevitatis causâ hîc omiſſis) Patribus evidenter patet, illa Chriſti Domini verba *Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cælorum*, eatenùs eſſe accipienda de Sacramento Baptiſmatis, ut exinde concludant impoſſibilitatem ſalutis abſque hoc Sacramento conſequendæ; adeò ut hanc ob cauſam ad abſtergendas ſordes, ſive peccatum originis, oporteat etiam parvulos baptizare.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

19. AD *primam* Reſp. Pro rato habendo, quòd Vedroſius unà cum ſuo Bullingero nolens volens fateri debeat, Sancti Auguſtini ſententiam fuiſſe, *quòd nullus eorum, qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vitâ migraverit, ad regni cælorum beatitudinem perveniat.* Atqui Oecolampadius *ad Philippum Melanchtonem* ſcripſit: *Perſuaſum eſſe, ſi Auguſtinus clarè nobiſcum faciat, neutiquam à nobis diſſenſuros, quotquot illum anteceſſerunt, Orthodoxos Doctores, quibuſcunque tandem verbis ſuam explicent ſententiam.* Et Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 14. ſect 26.* ait: ſe citare Auguſtinum ut optimum ex totâ Antiquitate & fideliſſimum teſtem. Cur igitur idem Calvinus *cit. lib. 4. cap. 15. §. 20.* contrà iſtius ex Antiquitate optimi & fideliſſimi teſtis doctrinam adeò apertam præſumpſit in hæc verba ſcribere: *Quantum damni invexerit dogma illud malè expoſitum, Baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis, pauciſſimi animadvertunt.* Nunquid Vedroſi ſecundùm Oecolampadium perſuaſum deberet eſſe tuæ Reformationi, quòd in illo dogmate diſſentiant à vobis, quotquot Auguſtinum præceſſerunt, Orthodoxi Doctores? Quo igitur jure conaris tantoperè labefactare authoritatem hujus Sancti Doctoris? Ais enim, Auguſtinum, ſi alicui errori expugnando erat intentus, tantâ vehementiâ & exaggeratione id præſtitiſſe,

Digitized by Google

ut errori oppoſito anſam præbere videretur. Verùm aliud eſt, videri dun- 20.
taxat anſam præbere errori oppoſito, & aliud eſt, errorem aliquem *Directè* & *Poſitivè* probare. Eſt autem in aperto, Sanctum Auguſtinum clarè docuiſſe Baptiſmi neceſſitatem ad ſalutem. Quod dogma ex ſacris Litteris, ex Antiquitate, & Apoſtolicâ Traditione, & Concilio per Sanctum Cyprianum relato validè ac ex inſtituto probavit *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 24. cap. 18. cap. 27. Item lib. 3. cap. 4. & 5.* E quibus unicum hîc locum nempè *cit. lib. 3. cap. 4.* profero ſub ſequenti tenore: *His atque hujuſmodi alijs, quæ nunc prætereo, teſtimonijs Divinâ luce clariſſimis, Divinâ authoritate certiſſimis, nonnè Veritas ſine ambiguitate proclamat; non ſolùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti Corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptiſmatis imbuuntur.* En igitur Vedroſi, dogma de Baptiſmi neceſſitate, tanquàm Veritatis Divinæ indubitatum Verbum, ex claris ſacræ Scripturæ teſtimonijs ſine ullâ ambiguitate aſſertum. Quo igitur 21.
jure vel injuriâ in eo, quod Fidei & Veritatis Divinæ dogma eſt, præſumis Divum Auguſtinum arguere erroris? Verum quidem eſt, quòd Sanctus hic Doctor in refutandis hæreſibus unicè attenderit ad punctum rei controverſæ, iſtud firmis argumentis ſtabiliendo ac definiendo, atque abſtrahendo ab errore oppoſito, non verò hunc aſſerendo, uti in alijs quidem materijs de ſe ipſo teſtatur *lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 3. & 5.* At verò dogma de neceſſitate Baptiſmi *in præallegatis locis* erat ipſummet punctum, ex ſacris Litteris, Antiquitate, & Traditione Apoſtolicâ probatum ac deciſum. Quarè non abſquè calumniâ & temeritate præſumpſit Vedroſius ex Epiſcopo Biſontino (in quo & huic injurius eſſe, clarè dignoſcitur) arguere Auguſtinum, quaſi pugnando contra Pelagianos, incidiſſet in errorem oppoſitum.
Etſi porrò Pighius non moveatur authoritate Divi Auguſtini in illo do- 22.
ctrinæ genere, quod neque ex Scripturâ, neque ex Eccleſiaſticâ definitione probatur, attamen in aperto eſt, illum ſanctum Doctorem in præallegato dogmate proceſſiſſe tum ex ſacris Litteris, tum ex Antiquitatis & Apoſtolicæ Traditionis, atque Concilij authoritate. Quarè Vedroſi ipſimet etiam Pighio injuriam facis, dum ejus ſententiam, quæ circà materias Fidei dogma minimè tangentes verſatur, trahis ad præſentem materiam, authoritate Divinâ ſubnixam, etiam à Patribus Auguſtino antiquioribus probatam, & à ſacris Concilijs jam tunc definitam: *uti ex ſeq. reſp. patebit.*

Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſium non uno duntaxat crimine in eâ ſe ob- 23.
ſtrinxiſſe. Primò enim, ut Concilio Carthaginenſi falſum daret ſenſum, mutilè ac infideliter id allegat. Audiamus igitur illud ex integro; ſic enim habet

habet ad Innocentium inter Auguſtini *Epiſtolas 90.* Pelagiani *Parvulos etiam propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortiferâ iſtâ doctrinâ in æternum necant, promittentes, etiamſi non baptizentur, habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: Venit enim Filius hominis quærere & ſalvare, quod perierat; quia iſti, inquiunt, non perierunt, nec eſt, quod in eis ſalvetur, vel toto pretio redimatur, quia nihil eſt in eis vitiatum.* Ex quibus patet, Pelagianiſmum non tantùm in eo ſe tenere, quòd Pelagiani negarent originale peccatum; ſed vel maximè, quòd eos propter ſalutem baptizandos negarent, eiſquè vitam æternam promitterent, etiamſi non baptizarentur. Hoc verò ita eſt, parvulos mortiferâ ejuſmodi doctrinâ in æternum necare, ut propterea idem Concilium *in fine cit. Epiſt.* ſtatuerit in hæc verba: *Quicunque negat, parvulos per Baptiſmum Chriſtum à perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.* At verò per hoc apertis verbis decernitur, parvulos eatenùs indigere liberatione per Baptiſmum, ut conſequenter iſtud Sacramentum ſit ipſis neceſſarium ad ſalutem. Cui proindè

24. conformiter Concilium quoquè Milevitanum tempore Sancti Auguſtini celebratum *can. 2.* ſic definivit: *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab utero matris baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit conſequens, ut in eis forma Baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non verè, ſed falsè intelligatur, anathema ſit.* Ex quo rursùs manifeſtum eſt, Pelagianiſmum non tantùm in eo conſiſtere, quòd neget originale peccatum, ſed etiam in eo, quòd neget Baptiſmi neceſſitatem, ac originalis peccati in Baptiſmo expiationem, atque parvulis ſine Baptiſmate promittat vitam æternam. Atqui totum hoc poſterius eſt dogma hodiernæ Reformationis, præeuntibus Zwinglio & Calvino, quorum prior ad Urbanum Regium *de peccato originali* ait: *Baptiſmi lavacro nullum prorsùs peccatum tolli.* Et *lib. de Baptiſmo* inquit: *Externum Baptiſmum, qui aquâ conſtat, ad peccatorum ablutionem nihil facere.* Calvinus autem *lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 20.* ſic habet: *Quantum damni invexerit dogma illud malè expoſitum, Baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis, pauci animadvertunt.* In aperto igitur eſt, Reformatores hodiernos in dogmate de Baptiſmi ad ſalutem, ac originalis peccati expiationem neceſſitate, non erubuiſſe manifeſtis verbis ſe exhibere adverſarios antiquæ Patrum Orthodoxorum, imò & Conciliorum doctrinæ, ita ut Zwinglius *præcitatus* de Baptiſmo præſumpſerit etiam ſcribere: *Quòd ferè omnes, quotquot ab Apoſtolorum tempore de Baptiſmo ſcribere inſtituerunt, non in paucis à ſcopo aberrârint.* Quis igitur tutò ſequatur iſtam Reformationem, in primis etiam Fidei & Sacramentorum fundamentis tam apertè pugnantem cum antiquâ Orthodoxâ Eccleſiâ? Quis

verò

verò jam miretur impudentiam Vedroſij non erubeſcentis tum præaddu-ctum Concilium Carthaginenſe *infideliter* citare, atque hac ratione ad ſenſum *manifeſte* falſum detorquere; tum Divum Auguſtinum arguere, quaſi ex ardore Pelagianos vincendi prolapſus fuerit in errorem contrarium?

Ad *tertiam* Reſp. Ex illâ Sanctorum Cypriani & Auguſtini (quanquàm locum falsò citaveris) ſententiâ plus non evinci, niſi quòd ſecundùm viam extraordinariam, dum Baptiſmi copia haberi non poteſt, ad ſalutem ſufficiat vel Martyrium, vel Contritio Charitate formata ceu Baptiſmus in voto. At hinc minimè ſequi, quòd extrà iſtos caſus extraordinarios, ſive viâ ordinariâ non ſit omnimoda Baptiſmi ad ſalutem neceſſitas. Audi enim ex Sancti Auguſtini *Epiſtola 28. ad Hieron. de Nat. & orig. animæ*, quid iſte Sanctus Doctor unà cum Cypriano ſtatuerit adversùs illud Calviniſticum dogma. *Quiſquis*, ait, *dixerit, quòd in Chriſto etiam vivificabuntur parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vitâ exeunt* (ecce ipſam Calvini ſententiam) *hic profectò & contrà Apoſtolicam prædicationem ve...t, & totam condemnat Eccleſiam*. Et infrà: *Beatus Cyprianus non aliquod Decretum novum condens, ſed Eccleſiæ Fidem firmiſſimam ſervans ad corrigendum eos, qui putabant, ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum, non carnem, ſed animam dixit perdendam*. Et paulò poſt: *Quæ cùm ita ſint, quærenda cauſa eſt, atque reddenda, quarè damnentur animæ, quæ novæ creantur ſingulis quibuſque naſcentibus, ſi præter Chriſti Sacramentum parvuli moriantur: damnari enim eas, ſi ſic de corpore exierint, & Sancta Scriptura, & ſancta eſt teſtis Eccleſia &c.* En igitur Vedroſi, tuum Calviniſticum dogma atteſtationi ſacræ Scripturæ & Eccleſiæ ita refragari, ut non carnis, ſed animarum perditioni parvulos exponat, contrà apertam Apoſtolicam prædicationem. 25.

Ad *quartam* Reſp. Ex dictis patere, eatenùs eſſe diſtinguendum de *Abſolutâ, Extraordinariâ* & *Ordinariâ* ſalutis conſequendæ viâ, ut veriſſimum ſit, Dei potentiam non ita eſſe alligatam Sacramentis, quin juſtificationis gratia, atque adeò ſalus æterna *ſecundùm viam Extraordinariam* deficiente Baptiſmi copiâ, obtineri poſſit tum per Martyrium, tum per contritionem charitate formatâ ceu Baptiſmi votum, ex vi Divinæ in meritis Chriſti fundatæ promiſſionis inviſibiliter ſanctificativum. At verò *de viâ ordinariâ* in parvulis præſertim, defectu uſûs rationis ad Contritionis actum ineptis, eſſe omnimodam Baptiſmi pro ſalute conſequendâ neceſſitatem, probant tum præallegata fundamenta, tum ſequens ex Confeſſione Tigurinâ An. 1644. deducta ratiocinatio. Nam iſta fidei Confeſſio *cap. 20.* apertis verbis dicit: *Baptiſmum eſſe ſignum populi Dei, per quod electi à Deo recipiantur, & primò in Eccleſiam inſerantur*. At eadem Confeſſio *cap. 17.* fatetur, *eatenùs* 26. 27.

tinus eſſe unicam Eccleſiam, ut extra ipſam non ſit ſalus & vita in Chriſto. Eo ipſo autem, quòd Baptiſmus ita ſit populi Dei ſignum, ut per hoc primò recipiantur electi in Eccleſiam, oportet, eſſe extrà Eccleſiam Chriſti illos, qui per Baptiſmum eidem non ſunt inſerti Ergo ſecundùm prætactam Confeſſionem ſine Baptiſmate non eſt ſalus & vita in Chriſto. At ſine quo ſalus & vita in Chriſto obtineri nequit, eſt omninò neceſſarium ad ſalutem. Ex ipsâmet igitur Tigurinâ Confeſſione efficaciter concluditur Baptiſmi ad ſalutem neceſſitas. En proinde, quàm ſit impoſſibile, hanc Reformationem ſubſiſtere abſquè inextricabilibus ac perpetuis contradictionum involucris.

28. Ad *quintam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio. Quo medio, credat infantes Chriſtianorum in veteri Teſtamento ante acceptam circumciſionem decedentes fuiſſe ſalvatos? An per fidem parentum? Ita ſanè, inquiet. Quarè ejus argumentatio hîc inſinuata ſequenti nititur conſequentiâ. Parvuli in Veteri Teſtamento ante diem Circumciſioni deſtinatum morientes, ſunt ſalvati independenter à Sacramento, per fidem ſcilicèt parentum. Ergo idem accidit in Novo Teſtamento. Sed audi Vedroſi,

29. quid de iſtâ tuâ argumentatione ſentiat Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap. 15. Sceleſtiſſimos*, inquiens, *illos* (Cainos) *provocare talem quæſtionem, quòd in Abraham per fidem juſtificato non fuerit neceſſarius Baptiſmus. Unde hos inferre, fidem in Novo Teſtamento æquè fore ſufficientem abſque Baptiſmate.* Verùm Tertullianus *præcitatus* hanc argumentationem ſolvens; ait: *Etſi retrò fuerit per fidem* (vivam tamen, ſeu Charitate formatam) *nudam antè Domini paſſionem. At modò tamen legem tingendi impoſitam eſſe, & formam præſcriptam Matth. 28. Quâ proinde lege collatam eſſe definitionem illam, Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum. Unde fidem obſtringere nunc ad Baptiſmi neceſſitatem.* En igitur Vedroſi, qualiter tuâ argumentatione incidas in doctrinam Cainorum jam pridem damnatam. Sed miſſis iſtis, ex Sancto Auguſtino *lib. 2. de*

30. *Nupt. & concupiſc. cap. 11. & clariùs lib. 5. contrà Iulianum Pelagian. cap. 11. poſt medium* accipe verba ſequentia. *Nec ideò tamen credendum eſt, & antè datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris Fides in carne venturi, nullo Sacramento eos opitulatos fuiſſe parvulis ſuis &c.* At iſtud remedium fuiſſe adhibitum in expiationem peccati originalis; patet ex contextu. Huic ipſi verò remedio, oportet, fuiſſe locum in infantibus antè diem circumciſioni deſtinatum decedentibus. At verò iſti remedio jam ſucceſſit Sacramentum Baptiſmatis, *uti patet ex antecedentibus.* Conſtat proinde, tantùm abeſſe, quòd Vedroſius ex ijs, quæ ante Chriſtum erant in Veteri

veri Teſtamento actitata, poſſit enervare Baptiſmi neceſſitatem, ut hæc potiùs exinde firmetur.

Ad *ſextam* Reſp. *In cap. Duo tempora. diſt. 4. De Conſecr.* decerni duo, 31.
Paſchatis ſcilicèt ac Pentecoſtes tempora, in quibus ex condicto cum ſingulari ſolemnitate ob peculiarem myſterioſam illorum temporum ſignificationem, ſacrum Baptiſma conferretur, poſt peractam aquæ Baptiſmalis benedictionem publicam. At licèt hæc duo duntaxat tempora hodieque ſint definita ad fontem Baptiſmalem benedicendum, atque ſacrum Baptiſma ſub tali ſolemnitate myſterioſâ adminiſtrandum; nihilominùs ſub ritibus in ordine Romano jam antiquitùs præſcriptis, ad Baptiſmum conferendum nullum unquàm fuit definitum tempus. Hinc enim Cyprianus *lib. 3. Epiſt. 8. alias 59. ad Fidum* ſcripſit: *Quantum verò ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti, intrà ſecundum, vel tertium diem, quo nati ſunt, conſtitutos, baptizare non oportere &c. longè aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt.* Et Divus Baſilius *hom. 13. in exhort. ad Baptiſ.* ait: *Tempus aliud alij opportunum negotio, ad Baptiſmi verò ſalutem quodvis tempus accommodum eſt; ſive dies, ſive nox, ſive hora, ſive quodcunque temporis momentum etiam imminutiſſimum.* En igitur Vedroſi, quantum ex hac etiam parte Reformatio veſtra hodierna diſtet ab antiquâ Eccleſiâ.

Quòd porrò Gerſonem & Ferum &c. Doctores Pontificios pro tuâ intentione alleges, ſanè in hoc convinceris de falſitate, cum Gerſon in *Serm. de Nat.* Mariæ nihil eorum, quæ prætendis, dicat; Ferus autem *in Ioan cap. 3. ſuper verba: Niſi quis renatus*, contrarium expreſſis verbis ſtatuat, aſſerendo, Baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium, ita ut ſine hoc quis non poſſit intrare in regnum cœlorum viâ ordinariâ, tametſi extraordinariâ viâ, ubi Baptiſmi copia non habetur, ſed tamen deſideratur, per proprium ſanguinem, vel internam Spiritùs Sancti gratiam aliquis baptizari, itaque ſanctificari, adeòque in regnum cœlorum introire poſſit. En igitur conſtantem Pontificiorum Doctorum, antiquis Orthodoxis Patribus omninò conſonam, de neceſſitate Baptiſmi doctrinam, in eo ſe tenentem, ut Baptiſmus re ipſâ ſuſceptus *viâ ordinariâ* ſit in Novâ lege omnino neceſſarius ad ſalutem, licèt *extraordinariâ viâ* tam in parvulis, quàm in adultis vices Baptiſmi ſubeat Martyrium, in adultis verò rationis uſum habentibus ſufficiat Contritio per Charitatem formata tanquàm votum Baptiſmi, dum hujus copia non habetur: veluti definitum extat in Concilio Tridentino *ſeſſ 6. de juſtific. cap. 4.* ſequentibus verbis: *Quæ quidem translatio* (in ſtatum ſcilicèt gratiæ & filiorum Dei) *poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus*

33. *natus fuerit &c.* Quam proinde Concilij definitionem ex antiquæ Eccleſiæ ſenſu acceptam eſſe, oſtendunt verba D vi Auguſtini *lib. 13. de Civit. Dei cap. 7.* ex communi Sanctorum Patrum ſententiâ ita diſſerentis: *Quicunque non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantùm, ſi ablueréntur fonte Baptiſmatis: qui enim dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; aliâ ſententiâ facit illos exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo &c.* In quo adeò Martyrij caſu mortem pro fidei confeſſione ſuſceptam ſubire Vices Baptiſmatis, expreſſis verbis teſtatur idem Auguſtinus *Epiſt. 108. ad Seleucianum: Quoſcunquè*, inquiens, *legimus in Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cœlorum, non niſi baptizatos intelligere debemus, niſi fortè quos anguſtia paſſionis invenit, & nolentes negare Chriſtum, antequàm baptizarentur; occiſi ſunt; quibus ipſa paſſio pro Baptiſmo deputata eſt &c.*

34. Quod porrò converſio cordis perfecta, ſive Contritio per Charitatem formata, deficiente Baptiſmi copiâ, tanquàm votum Baptiſmi ſufficiat ad juſtificationem & ſalutem, claris verbis docet præallegatus Sanctus Doctor *lib. 4. de Baptiſmo cap. 22.* taliter diſſerens: *Baptiſmi ſanè vicem aliquando implere paſſionem, de Latrone illo, cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo; non leve documentum idem B. Cyprianus aſſumit, quod etiam atque etiam conſiderans, invenio, non tantùm paſſionem, ſed etiam fidem, converſionemquè cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt &c.*

35. Ex quibus igitur omnibus patet, Eccleſiæ Romanæ de neceſſitate Baptiſmi doctrinam *ſuperiùs n. 10.* expoſitam omnimodè concordare cum antiquâ Patrum Orthodoxiâ; cùm econtrà verba Zwinglij & Calvini ſuprà *n. 24.* adducta evidenter demonſtrent Reformationis à Veteris Eccleſiæ Patribus Orthodoxis receſſionem.

COROLLARIUM.

36. EX dictis infertur, Georgij fundamenta omninò inſoluta (prout expendenti *caput 1. 3. & 4.* ad oculum patebit) adeòque firma adhuc ſubſiſtere. Unde ſic licere argumentari: Confeſſio Tigurina de Anno 1644. *cap. 17. pag. 77.* docet; Veræ Eccleſiæ notam eſſe rectum inſtitutioni Chriſti conformem Sacramentorum uſum. At Eccleſia Reformata, negando Baptiſmi neceſſitatem, eique derogando juſtificandi virtutem, apertè pugnat cum inſtitutione ac verbis Chriſti, prout demonſtrant antiquæ Orthodoxiæ Patrum ſententiæ ſuprà *Diſſert. præc. ſect. 2. cap. 3. Prob. 1.*

Item

Item *præſ. ſect. cap. 3. & 4.* per extenſum productæ. Viderit ergo ipſa Eccleſia Reformata, an veræ Eccleſiæ notam præſeferat?

SECTIO II.

De differentiâ inter Baptiſmum Chriſti & Joannis.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij.

HIc Author *cit. Rat. 3. doc. 10.* inducit Sanctum Auguſtinum *lib. de Bap-* 1.
tiſ. contrà Donat. cap. 10. diſcrimen inter Chriſti & Joannis Baptiſma hiſce verbis inſinuantem: *Quæro itaquè, ſi Baptiſmo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præſtari potuit per Baptiſmum Chriſti eis, quos Apoſtolus Paulus poſt Baptiſmum Joannis Chriſti Baptiſmo voluit baptizari?* Et paulò poſt: *Quapropter, quanquàm ita credam, baptizare Ioannem in aquâ Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata, re ipſâ verò in Domini Bap-* 2.
tiſmo id fieret &c. Inducit porrò verba Bullingeri *Decad. 5. ſerm. 8. §. Plerique.* diſtinctionem Baptiſmi Ioannis & Chriſti à Patribus Veteribus agnitam expreſsè conteſtantis; nec non Calvinum *lib. 4. Inſtit. cap. 15. ſect. 7.* ejuſmodi Patrum authoritatibus contumelioſè contradicentem ſequentibus verbis: *Neminem perturbet, quòd alterum* (Baptiſmum ſcilicet) *ab altero diſcernere Veteres contendunt, quorum non tanti nobis eſſe debet calculus, ut Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chryſoſtomo potiùs auſcultet neganti, in Ioannis Baptiſmo comprehenſum fuiſſe peccatorum remiſſionem, quàm Lucæ contrà aſſerenti, Ioannem Baptiſmum Pœnitentiæ prædicaſſe in peccatorum remiſſionem? Nec recipienda eſt illa Auguſtini argutia, in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata Baptiſmo Ioannis, Chriſti Baptiſmo reipsâ.*

Ex quibus Georgius *in fine cit. doc.* concludit: Romanam Eccleſiam 3.
in aſſignandâ inter Chriſti & Ioannis Baptiſmum differentiâ eatenùs concordare cum antiquâ Patrum Orthodoxiâ, ut conſequenter Reformatio hodierna probetur ab eâ deflexiſſe: dum iſtam diſtinctionem, ipſoſmet etiam Patres calumnioſè redarguendo, negat.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

HIc Miniſter *in Exam. cit. doc. 10.* arguit 1. An res de Ioannis & Chri- 4.
ſti Baptiſmi differentiâ ſit tanti momenti, ut, ſi hîc ab Auguſtino diſ-

no, diſcederet Eccleſia Reformata, deſperata propterea foret ejus cauſa in quæſtione de conſenſu, cum piâ Vetuſtate & Eccleſiâ Apoſtolica?

5. Arguit 2. Auguſtinum *lib. 5. cap. 10. de Baptiſ. contra Donat.* ita habere: *Quæro, ſi Baptiſmo Ioannis peccata dimittebantur: quid amplius præſtari potuit per Baptiſmum Chriſti eis, quos Apoſtolus Paulus poſt Baptiſmum Ioannis Chriſti Baptiſmo baptizari voluit?* Circà quam quæſtionem reſpondendum fuiſſe illis, qui Baptiſmum à Miniſtro ſcelerato collatum cenſebant iterandum, idquè hoc argumento. *Quoniam nonnulli à Ioanne baptizati, à Paulo fuerint rebaptizati. Act. 19. v. 4. quantò magis baptizati ab ebrioſo, homicidâ &c?* Ex quo laqueo ut ſe expediret Auguſtinus, verbis Pauli non ſatis expenſis, diſtinxiſſe inter Baptiſmum Ioannis & Chriſti.

6. Arguit 3. Verùm Calvinum etiam potiori quidem jure quærere, quâ ratione vel Auguſtinus, vel quiſpiam alius in dubium vocare auſus fuerit id, quod Spiritus ſanctus disertè teſtatur per Lucam *cap. 3. v. 3. Ioannem Baptiſmum Pœnitentiæ prædicâſſe in remiſſionem peccatorum, adeoquè Baptiſmum Chriſti & Ioannis eundem eſſe.*

7. Arguit 4. Diſertum eſſe hîc loci authorem *de oper. card. Chriſti apud Cyprian. Serm. de Baptiſmo Chriſti.* ſic enim habere: *Veniebat Chriſtus ad Baptiſmum non egens lavacro, in quo peccatum non erat, ſed ut Sacramento perennis daretur authoritas, & tanti virtutem operis nulla perſonarum acceptio commendaret, quoniam remiſſio peccatorum ſive per Baptiſmum, ſive per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritûs ſancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manet.*

8. Arguit 5. Diſcrepare Ioannis Baptiſmum à Chriſti Baptiſmo. Chriſtum enim baptizare interiùs Baptiſmo Spiritûs, & ſic diſcrepare ab omnibus etiam Apoſtolorum & Miniſtrorum Baptiſmis, rectè monente Auguſtino *tract. 5. in Ioan.* ubi hanc materiam copiosè & Orthodoxè tractet. Non diſcrepare autem à Baptiſmo Cæremoniali (de quo ſit quæſtio) & externo per Chriſtum inſtituto, niſi ratione temporis, & ſignificationis claritate. Quo reſpectu etiam ipſorum Apoſtolorum Baptiſmum ante Chriſti reſurrectionem Spiritum ſanctum non contuliſſe, dici à quibuſdam Patribus (quos Maldonatus producat *in Ioan. cap. 3. v. 22.*) ſpectantibus non ſubſtantiam, ſed efficaciæ gradus, juxta illud *Ioan. 7. v. 39. Nondum datus erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*

9. Arguit 6. Si rei ſubſtantiam ſpectemus, Cyrillum Hieroſolymitanum Baptiſmo Ioannis omnes fructus aſcribere, qui Baptiſmo Chriſti poſt mortem ejus adminiſtrato tribui poſſunt. Ioannem vocare *Gratiæ miniſtrum, qui medicamen apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno. Catech. 3.*

10. Arguit 7. Auguſtino aſſerenti, Ioannis Baptiſmo baptizatos Pau-

lum

ſum Chriſti Baptiſmo baptizari voluiſſe *ex Act. 16. v. 4.* adverſari Eulogium apud Photium *Biblioth. c. 280.* ubi inter alia ſic legi: *illos, quos Ioannes baptizavit, iterum baptizatos fuiſſe, nullibi legitur.* Adverſari etiam contextum ſacrum, qui Paulum non faciat Anabaptiſtam, ſed oſtendat, nonnullos Epheſios, in Chriſtianiſmo rudes tyrones à Paulo edoctos fuiſſe de naturâ, fine, & uſu Baptiſmatis Ioannis, tanquàm ejuſdem cum Baptiſmate Chriſti. Quo facto non haberi, quòd fuerint rebaptizati, ſed per impoſitionem manuum Pauli Chariſmatum Spiritûs ſancti de quibus neſciverant, an darentur, factos eſſe participes. Committi fallaciam Compoſitionis & Diviſionis in verbis *audientes autem.* Hæc enim non eſſe Lucæ referentis, ſed Pauli aſſerentis, eos, qui Ioannem audiverunt, baptizatos fuiſſe in Baptiſmate Chriſti.

CAPUT III.

Oſtenditur diſcrimen inter Ioannis & Chriſti Baptiſmum, quòd iſte, non ille, ex opere operato conferret gratiam, peccatorum formaliter remiſſivam.

Probatio prima, ex ſacris Litteris.

NAm Ioannes Baptiſta *Marci 1. v. 8.* ſuum à Chriſti Baptiſmate diſtinxit hiſce verbis: *Ego baptizavi vos aquâ, ille verò* (ſcilicet Chriſtus) *baptizabit vos Spiritu ſancto*, ſive uti habetur *Lucæ 3. v. 16. in Spiritu ſancto & igne.* At per iſtam in Spiritu ſancto baptizationem ita homo renaſcitur, ut ſit hæres regni cœleſtis, *Ioan. 3. v. 3.* Ex hoc autem hæres eſt regni cœleſtis, quòd ſit filius Dei. *Rom. 8.* Homo autem conſtituitur filius Dei per Charitatem, atque adeò per Gratiam ſanctificantem, juxta illud *Ioan. 3. v. 1.* *Videte, qualem Charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur & ſimus.* At verò Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quia igitur Baptiſmus Ioannis erat in aquâ, Baptiſmus autem Chriſti in Spiritu ſancto, oportet, hunc, non illum, ex meritorum Chriſti efficaciâ ac Spiritûs ſancti virtute aſſiſtente, adeòque ex opere operato habere vim juſtificandi & ſanctificandi, ſeu peccata remittendi. 11.

Unde *Matth. 3. v. 11.* Ioannes de ſuo Baptiſmo dixit: *Ego baptizo vos aquâ in Pœnitentiam*; per hoc deſignando, quòd in vi myſticæ ſignificationis eſſet inſtitutus ad Pœnitentiæ actus in baptizatis excitandos, imò ad Gratiam actualem Pœnitentiæ excitatricem à Deo impetrandam habilitaretur ex ipſis Sancti Ioannis precibus ac merito congruo. Eo ipſo tamen, quòd *loco cit.* dicatur 12.

de-

de ſolo Chriſto, quòd eſſet baptizaturus in igne & Spiritu ſancto, ex hoc infertur, Ioannis Baptiſmum ex opere operato non contuliſſe Gratiam ac
13. remiſſionem peccatorum. Quam proinde ob cauſam *Act. 19. v. 2.* Paulus Apoſtolus quæſiit: *Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: ſed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. Ille verò ait: in quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt in Ioannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizavit Baptiſmo Pœnitentiæ populum dicens, in eum, qui venturus eſſet, poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Ieſu &c.* Ex quibus adeò patet, Baptiſmum Chriſti in ijs, qui à Ioanne duntaxat erant baptizati, ideò fuiſſe reiteratum, quòd vi hujus Baptiſmatis non recepiſſent Spiritum Sanctum, recepturi proinde ipſum virtute Baptiſmatis Chriſti. Ex ſacris igitur Litteris manifeſtata eſt illa præinſinuata inter Chriſti & Ioannis Baptiſmum differentia.

Probatio ſecunda, ex Patribus petita.

14. NAm Origenes *tract. 8. in Ioan. par. 2.* inter alia ait: *Qui ergo in Actis baptizati erant in Ioannis Baptiſmo, & neque an Spiritus ſanctus eſſet, audierant, denuò ab Apoſtolo baptizantur, quia regeneratio non apud Joannem, ſed apud Ieſum per Apoſtolos ſuos fiebat &c.*

15. Divus Baſilius *Hom. Quomodò baptizetur aliquis Baptiſmate, quod eſt in Evangelio Chriſti,* ſic habet: *Quantum diſcrimen eſt inter ſpiritum & aquam, tantundem videlicet eſt inter eum, qui baptizat in Spiritu ſancto, & eum qui baptizat in aquâ, ita & de ipſo Baptiſmate habet.*

Similia habent Tertullianus *lib. de Bapt. c. 10.* Cyprianus *Epiſt. 73.* Gre-
16. gorius Nazianzenus *Orat. 2. in ſancta Epiphaniarum lumina* Hilarius *in Matth. c. 2.* Ambroſius *ad c. 3. Lucæ, & Serm. 16. de Natali Domini.* Optatus Milevitanus *lib. 5. contrà Parmen.* Hieronymus *in Dial. contra Luciferianos. Item Epiſt. 150. ad Hebidiam.* Ioannes Chryſoſtom. *hom. 12. in Matth. Item hom. 40. ad cap. 19. Act.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 75.* Auguſtinus *lib. 2. contrà litt. Petil. cap. 37. & epiſt. 48. circà finem. Item lib. un. de Baptiſ. cap. 7. lib. 5. contrà Donat. cap. 9. 10. & 15. tract. 5. in Ioan. Item tract. 6. in Ioannem. Et in Enchiridio cap. 29.* ubi (ad cætera enim loca brevitatis causâ omiſſa per extenſum cuique exhibenda paratum me offero) ſequentia habet: *Non enim renaſcebantur, qui Baptiſmate Ioannis baptizabantur, à quo & ipſe baptizatus, eſt, ſed quodam Præcurſorio illius Miniſterio, qui dicebat: Parate viam Domino, huic uni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur. Hujus enim Baptiſmus eſt non in aquâ tantùm, ſicut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu ſancto, ut de illo Spiritu regeneraretur, quiſquis in Chriſtum credit, de quo Chriſtus regeneratus, regeneratione non eguit.* Ex quibus adeò eviden-

ter

Digitized by Google

ter patet, tantum eſſe in *ſenſu Cauſali* ac *Effectivo* diſcrimen inter Chriſti in Spiritu ſancto, & Ioannis in aquâ tantùm baptizantis Baptiſmum, quanta eſt differentia inter Spiritum & aquam, ex Divo Baſilio *præcitato*. At hoc diſcrimen in *ſenſu Cauſali* ac *Effectivo* eſt, quòd Baptiſma Chriſti in Spiritu, non autem Baptiſma Ioannis in aquâ, haberet vim in Spiritu ſancto regenerativam, adeò, ut illi etiam, qui à Ioanne baptizati erant, rebaptizarentur ab Apoſtolis ad regenerationem ejuſmodi, ac Spiritum Sanctum accipiendum. *ex Patribus preadductis*. Hæc verò regeneratio exinde fiebat, quòd Sancti Spiritûs Gratia in Chriſti Baptiſmate ſit collata, Ioannis verò Baptiſma hac donatione eſſet privatum, *ex Divo Chryſoſtomo hom. 12. in Matth.* Conſequens igitur eſt, Chriſti Baptiſma differre à Ioannis Baptiſmate, quòd iſtud præcurſorio quodam Miniſterio eſſet tantùm præparativum viæ Domini, illud verò ipſam in Spiritu Sancto regenerationem, ſeu Gratiæ ſanctificantis donum (meritorum ſcilicèt Chriſti, ex inſtitutione Divinâ, ſibi moraliter annexorum virtute, atque adeò ex opere operato) conferret. *Ex præadducto loco Enchiridij S. Auguſtini.* 17.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Quid Vedroſi? Chriſtus Dominus ea, quæ in ſacris Litteris nobis revelata ſunt, tanti momenti aſſeruit, ut nè apicem quidem ex illis prætériturum diceret: tu verò econtra quæris, an inter Ioannis & Chriſti Baptiſmum differentia, quæ ex ſacris Litteris ſuperiùs eſt demonſtrata, ſit tanti momenti? Certè ex hoc prodis, tuum Spiritum non eſſe Chriſti. Nunquid enim hæc differentia vertitur in ordine ad ſtabiliendam Chriſti Domini Baptiſmatis eminentiam & efficaciam? Annè igitur Chriſtiano dignum ſit, judicare parvi momenti quæſtionem, quæ agit de efficaciâ ac eminentiâ Sacramenti Baptiſmatis à Chriſto inſtituti? Sed ais: Ex hoc te præſertim moveri, quòd illius, qui circà præſens punctum ab Auguſtino diſcedit, cauſa proclametur deſperata quoad conſenſum cum piâ Vetuſtate, & Eccleſiâ Apoſtolicâ. Verùm audi Vedroſi, Sanctum Auguſtinum (prout videre eſt *locis ſuperiùs citatis*) ex ipſiſmet ſacris Litteris conformiter ad unanimem Patrum conſenſum ſtatuiſſe illam Baptiſmi Chriſti & Ioannis differentiam. Ipſemet igitur judica, quomodò in præſenti puncto tuæ Reformationis à Sancto Auguſtino diſcordantis cauſa non ſit deſperata quoad conſenſum cum piâ Vetuſtate & Eccleſiâ? 18. 19.

20. Ad *ſecundam* Reſp. Quid præſumis Vedroſi, te præferre Sancto Auguſtino, ipſum arguendo, quaſi verba Pauli *Act. 19. v. 4.* non ſatis expendiſſet in diſtinguendo Chriſti & Ioannis Baptiſmate? Ut quid ſpiritui tuo tantum tribuis, ut ipſum perſpicaciorem judices illo magno Eccleſiæ Doctore, quem Scultetus tamen & Calvinus omniũ, quotquot ipſum anteceſſerunt, Orthodoxorum Doctorũ loco habuerint? Hæc, hæc ſuperbia tua, & animoſitatis tumor eſt, qui præcipitat te, ut vel ex præſenti tuâ argutiâ omnibus jam pateat, te fundamentum Georgij ab authoritate Sancti Auguſtini petitum ſolvere nullatenus potuiſſe, ſed calumniando, confuſionem propriam in caput tuum retorſiſſe. Quæ tuimet confuſio ut efficaciùs prematur, accipe argumenta non ex proprio Magni illius Doctoris cere-
21. bro, ſed ex ſacris Litteris deducta. Nam 1. *cit. lib. 5. contrà Donatiſtas* ſic argumentatur. A Paulo Apoſtolo ſunt denuò baptizati, qui Ioannis Baptiſmum acceperant. *Act. 19.* At hujus non poteſt eſſe alia cauſa, niſi quia Ioannis Baptiſmus non fuerit Chriſti Baptiſmus, ſed tanquam donum de cælo datum, Ioanni à Chriſto conceſſus certæ diſpenſationis gratiâ, non diu tamen manſurus, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino, cujus eum eſſe præcurſorem oportebat. Unde diſcrimen illius duplicis Baptiſmatis in eo ſe tenebat, quòd Chriſtus Ieſus ſuo Baptiſmo mundaret Eccleſiam, nec eo accepto, alterum requireretur, cùm econtrà Ioannes ſuo Baptiſmo prætingeret, ut tamen eo accepto, etiam Baptiſma Chri-
22. ſti, cui Ioannes viam præpararet, eſſet tradendum. 2. Idem Sanctus Doctor *cap. 10.* probat, cùm Ioannes Baptiſta fuerit in unitate Eccleſiæ, fueritquè triticum cum fructu etiam centeſimo, non poſſe Donatiſtas ex eo, quòd baptizatos Ioannis Baptiſmate Paulus denuò baptizârit, concludi, Baptiſma ab hæreticis datum eſſe reiterandum. Quare hujus non aliam poſſe cauſam eſſe, niſi quòd Ioannis Baptiſma non habuerit vim remittendi peccata, cùm alioquin Chriſti Baptiſma ampliùs quid præſtare non potuiſſet, ſi Ioannis Baptiſmo peccata eſſent dimiſſa. Hanc verò differentiæ rationem oſtendi ex eo, quòd Ioannes dixerit quidem: *Ego baptizo vos in aquâ Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; attamen, ubi Dominum vidiſſet, aſſeruerit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc autem ideò dictum eſſe, nè quiſque contendat, etiam in Baptiſmo Ioannis dimiſſa eſſe peccata. Quapropter quanquàm Ioannes in aquâ Pœnitentiæ baptizârit in remiſſionem peccatorum, hoc ita tamen eſſe accipiendum, ut baptizatis à Ioanne *in ſpe* remitterentur peccata, re ipsâ verò in Domini Baptiſmo id fieret. En igitur Vedroſi differentiam illorum Baptiſmatum à Sancto Auguſtino probatam ex ipſiſmet ſacris Litteris, quibus, oportet,

ſal-

ſaltem ut credas, ſi Auguſtini authoritati per ſuperbiam credere nolis.

Ad *tertiam* Reſp. Hîc agi de eo, an Calvini, vel Divi Auguſtini ſpiritus habeat potius authoritatis pondus in vero præallegati ſacri textûs ſenſu exponendo? Certè ex hoc, quòd Ioannes Pœnitentiæ Baptiſmum prædicarit in remiſſionem peccatorum, concludit Calvinus æqualitatem Baptiſmi Chriſti & Ioannis, cùm tamen econtrà Divus Auguſtinus exinde inferat, Baptiſmum Ioannis ſolùm *in ſpe* remiſiſſe peccata, Chriſti verò Baptiſma in re, tum quòd Ioannes ipſemet de Chriſto pronunciârit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, tum quòd Paulus Ioannis Baptiſmate baptizatos adhuc baptizârit Chriſti Baptiſmate. Quod utique fruſtraneum fuiſſet, ſi Ioannis Baptiſmate *etiam in re* fuiſſent dimiſſa peccata. En igitur Auguſtini authoritatem ſacrarum Litterarum pondere aggravatam, cùm econtra Calvini expoſitio ſolius proprij ſpiritûs inſtinctu nitatur, unanimiquè Orthodoxorum Patrum *præced. cap. 3. n. 14. ac ſeq.* allegatorum conſenſui adverſetur. 23.

Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Chriſtus veniebat ad Baptiſmum, ut Sacramento perennis daretur authoritas. Ergo Baptiſmus Ioannis caruit iſtâ perenni Sacramenti authoritate, utpote quam à Chriſto, dum baptizabatur, primùm accipiebat. Atqui hæc authoritas non eſt vacua, ſed tanti virtus operis, ut remiſſio peccatorum, ceu proprium Spiritûs Sancti donum per Baptiſma Chriſti conferatur. Oportet igitur, hoc Spiritûs Sancti donum ita eſſe effectum Baptiſmatis Chriſti, ut ex tanti virtute operis, meritorum ſcilicèt Chriſti, hujus Baptiſmo moraliter affixa vis non eſſet in Joannis Baptiſmate; veluti diſertis verbis tradit ipſemet Cyprianus *lib. de Baptiſ. Chriſti & maniſeſt. Trinit. Supponit* (inquiens) *cervicem ſanctam manibus hominis humilitas Redemptoris, & licèt plenam non habeat virtutem, ſuſcipit tamen Chriſtus Baptiſma Ioannis: præparabat viam Domino Ioannes, lavando exteriùs corpora, ut præcederet exterius lavacrum, ſecuturum Baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Præceſſit, quod erat ex parte, ut conſummatio ſequeretur.* En igitur Vedroſi Cyprianum tibi apertè adverſantem, ut meritò erubeſcas, hujus vel meminiſſe. 24.

Ad *quintam* Reſp. Punctum difficultatis ac quæſtionis præſentis in eo verſari, an ſcilicèt interior Spiritûs Sancti Baptiſmus ex operato Chriſti meritorum opere per inſtitutionem Divinam eidem annexo, ita ſit conjunctus cum Baptiſmatis Sacramento, ut Miniſtro *Miniſterialiter* conferente hoc Sacramentum, Chriſtus ſecundùm Divinitatem *Principaliter Phyſicè*, ſecundùm Humanitatem verò *Principaliter Moraliter, ſeu Meritoriè*, Sacramentum verò *Inſtrumentaliter ſaltem Moraliter* non ponenti obicem ſit infal- 25.

 libili-

libiliter conferens gratiam remiſſionis peccatorum. At Divus Auguſtinus per Vedroſium citatus, & Patres *communiter* dicunt; Chriſtum baptizare, dum quiſquis ſivè bonus, ſivè malus Miniſter in Eccleſiâ Chriſti baptizat. Ipſemet autem Vedroſius *in præſenti ſuâ Argutiâ* fatetur, effectum Chriſti baptizantis proprium eſſe Baptiſmum interiorem in Spiritu Sancto. Hunc verò interiorem in Spiritu Sancto Baptiſmum eſſe remiſſionem peccatorum, & Gratiam ſeu donum Spiritûs Sancti, patet *ex praced.* clarèquè demonſtratur ex illo *Act. 2. v. 38. Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti.* Eo ipſo igitur, quòd ex ſententiâ Auguſtini & Patrum in Miniſteriali externo Baptiſmate Chriſtus baptizet Baptiſmo, uti ait Vedroſius, interiori per Spiritum Sanctum; iſta verò baptizatio interior importet cauſalitatem remiſſionis peccatorum ac doni Spiritûs Sancti, ſeu Gratiæ ſanctificantis ex Chriſti meritis cauſatricem, evidenter ſequitur, Baptiſmo Chriſti eſſe iſtam virtutem ſanctificativam & remiſſivam peccatorum. At verò cum Baptiſmate Ioannis non fuiſſe ex inſtitutione Divinâ, ac ex operato Chriſti meritorum opere conjunctam illam interiorem in Spiritu Sancto à ſolo Chriſto præſtandam baptizationem, conſtat ex antecedentibus ſacris textibus, Sanctorumquè Patrum authoritatibus, ipſoque etiam Vedroſio.

26. Sed quid, ait iſte Miniſter, aliquos Patrum olim docuiſſe, quòd ipſorum etiam Apoſtolorum Baptiſmus ante Chriſti reſurrectionem non contulerit Spiritum Sanctum, juxta illud *Ioan. 7. Nondum erat datus Spiritus Sanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Verùm hoc poſito (ob ſacræ tamen doctrinæ authoritates à Patribus & Conciliis deinceps elucidatas minimè conceſſo) quid infers Vedroſi, niſi quòd Ioannis Baptiſma non habuerit ſibi adjunctum illum interiorem in Spiritu Sancto Baptiſmum, unicè procedentem ex meritis Chriſti. At Paulus *ad Rom. 6. v. 3.* disertè teſtatur: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizatos eſſe, & conſepultos cum illo per Baptiſmum in mortem.* Oportet proinde, Cæremoniali ac exteriori Baptiſmati in lege novâ ex inſtitutione Divinâ eatenùs jam eſſe conjunctum Baptiſmum Chriſti, ut hic, teſte Auguſtino *citato*, ſit eo ipſo tunc baptizans per interiorem Baptiſmum. En igitur, quomodò Vedroſius ſibimet ſemper contradicens, nolens volens famuletur noſtræ intentioni, ad Ioannis & Chriſti Baptiſmatis differentiam in eo deſignandam, quòd huic, non verò illi ex operato Chriſti meritorum opere vi inſtitutionis Divinæ ſit conjunctus interior Chriſti Baptiſmus.

27. Ad *ſextam* Reſp. Ex eâ vel maximè prodi impudentiam Vedroſij, Cyrillum Hieroſolymitanum trahentis in ſuam ſententiam. Nam 1. hic San-

Digitized by Google

Sanctus Pater *cit. Cate. 3. edit. Pariſ. de Anno* 1564. *pag.* 18. *Col.* 2. expreſsè dicit,
ſpiritualem Gratiam dari cum Baptiſmo Chriſti: aquamquè ſimplicem per
ſancti Spiritûs, Chriſti & Patris invocationem acceptâ virtute, ſanctita-
tem conſequi, ita ut deſcenſurus in aquam, non aquæ ſimplicitati debeat
mentem adhibere, ſed Spiritûs ſancti virtute ſalutem ſuſcipiat: neque poſ-
ſe ſine utriſque ad perfectionem deduci, Dòmino Ieſu Chriſto aſſerente:
Niſi quis renaſcatur deſuper; & addente: *Ex aquâ & Spiritu, non poterit intrare in*
regnum Dei. Unde concludit, ex ſacris Litteris id probando, neque illum,
qui aquâ baptizatur abſque Spiritu, perfectam habiturum Gratiam, neque
eum, qui etiam benè compoſitis, probiſquè ſit moribus, non recipiat au-
tem ſignaculum per aquam, intraturum in regnum cælorum. En igitur
Vedroſi, Cyrillum tuæ Reformationi apertè repugnantem tum in effica-
ciâ, tum in neceſſitate Baptiſmi probandâ. 2 *Pag. 20.* docet de Ioannis 28
Baptiſmate, eatenùs liberâſſe ab igne infernali, quatenùs fuerint baptiza-
ti, confitentes ſua peccata: ſic enim oſtendiſſe vulnera ſua, Ioannem ve-
rò appoſuiſſe medicamenta ſolius Pœnitentiæ ac emendationis, hortando
ad tales fructus per ſuam prædicationem. Hinc proinde patet, Sanctum
Cyrillum in Ioannis Baptiſmate non agnoviſſe virtutem juſtificandi *ex opere*
operato, ſed mediante duntaxat Pœnitentiâ ac emendatione vitæ. Unde 29
pag. 21. concludit, hoc eſſe diſcriminis inter Chriſti & Ioannis Baptiſma,
quòd iſte in aquâ ſolùm, ille verò in Spiritu ſancto & igne baptizaret, quòd-
què adeò Chriſti Baptiſmus ita ſit neceſſarius, ut qui non baptizatur, ſalu-
tem non habeat, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aquâ regno cœleſti
potiantur. Additquè *pag. 22* Mortuum in peccatis deſcendere in aquam,
aſcendere verò vivificatum in juſtitiâ. Vides igitur Vedroſi, quantæ im-
pudentiæ reum te feceris in Cyrillo Hieroſolymitano pro te allegando,
cùm tamen in aperto ſit, ejus doctrinam quoad Baptiſmi efficaciam & ne-
ceſſitatem, toto cœlo diſtare à tuâ Reformatione.

Ad *ſeptimam:* Reſp. Tuum malignandi Spiritum jam temeriorem pro- 30
dire, dum in hac tuâ argutiâ nihil aliud agis, quàm ut Sanctum Auguſti-
num de falsâ ſacræ Scripturæ expoſitione redarguas. Ais enim, Auguſti-
no, Ioannis Baptiſmo baptizatos Paulum Chriſti Baptiſmo baptizari voluiſ-
ſe, aſſerenti, adverſari Eulogium à Photio relatum id negantem, & ipſum-
met ſacrum Textum. At Spiritum tuum vel ex hoc prodis, quòd Photius
à te citatus nihil horum, quæ allegas, habeat, quinimò verbis manifeſtis
probet, ſe tibi reluctari. Quòd ſi verò aliqua ex Novatianis tuæ intentioni
deſervientia alleges, exinde non niſi fautorem Novatianorum jam pri-
dem damnatorum te oſtendis, dum ex ipſorum doctrina argumentum ali-

quod

31 quod aſſumis. Veruntamen his miſſis, audiamus ipſas ſacras Litteras
Act. 19. ita decernentes: *Factum eſt &c. ut Paulus veniret Epheſum, & inveniret*
quoſdam diſcipulos, dixitquè ad eos: Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi di-
xerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo
baptizati eſtis? Qui dixerunt: in Ioannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes bap-
tizavit Baptiſmo Pœnitentiæ populum dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut
crederent, hoc eſt in Ieſum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Ieſu. Ex quo, con-
ſentientibus Græcâ, Hebraicâ, & ſeptuaginta Interpretum editionibus, ad
oculum patet, 1. quam falſum ſit, quod nullibi legatur, illos, quos Ioannes
baptizavit, iterum baptizatos fuiſſe Chriſti Baptiſmo. Imò hanc tuam fal-
ſitatem apertiſſimis verbis redarguit editio quoquè Tigurina de Anno
32 1638 *uti legenti conſtabit.* 2. Patet, manifeſtam eſſe blaſphemiam, dum in-
ſinuas, ſacrum contextum facturum fuiſſe Paulum Anabaptiſtam, ſi dice-
ret, fuiſſe à Paulo Chriſti Baptiſmate baptizatos illos, qui Ioannis Baptiſ-
mo erant baptizati. At hoc factum fuiſſe, Paulo etiam approbante, & tali-
ter baptizatis imponente manum, ait apertè ſacer Textus. Quid ergo Ve-
33 droſi, niſi apertas blaſphemias ſpiras? 3. Patet manifeſtè, falſum eſſe,
quòd dicas, Paulum *loco cit.* nihil aliud egiſſe, quàm nonnullos Epheſios in
Chriſtianiſmo rudes edocuiſſe de naturâ, fine & uſu Baptiſmatis Ioannis,
tanquam ejuſdem cum Baptiſmate Chriſti. At ſacer Textus clarè dicit,
Paulum non acquieviſſe in eo, quòd dicti Epheſij eſſent baptizati Baptiſ-
mate Ioannis, ſed Apoſtolum, utpote taliter baptizatos adhortatum fuiſ-
ſe, ut in eum, qui venturus eſſet, ſcilicet Ieſum Chriſtum, crederent, in-
34 dequè factum eſſe, ut baptizarentur in nomine Ieſu. Undè inſuper patet,
quàm falsò dixerit Vedroſius, illâ per Paulum inſtructione factâ, non ha-
beri, quòd illi Epheſij fuerint rebaptizati, ſed quòd per impoſitionem ma-
nuum Pauli ſint facti participes chariſmatum Spiritûs ſancti. At verò ſa-
cer contextus manifeſtè probat, iſtam manuum impoſitionem poſteà pri-
mùm eſſe factam, ubi eſſent baptizati in nomine Ieſu. Hinc autem rursùs
ſequitur, præter Baptiſma dari in Eccleſiâ ſignum ſenſibile, nempè impo-
35 ſitionem manuum, mediante quâ dentur chariſmata Spiritûs ſancti. At-
qui tale ſignum ſenſibile utpote ſanctificativum, & Gratiæ Spiritûs ſancti
collativum, habet integram Sacramenti rationem, uti ſuperiùs *Diſſert. præ-*
ced. ſect. 1. cap. 3. prob. 1. & 2. fuit quoquè demonſtratum. En igitur Vedroſi, ex
illo ſacro Textu iterum falſitatis convincitur tua Reformatio, negans iſtud
Sacramentum, quod nos Catholici cum Patribus antiquæ Eccleſiæ reci-
36 pimus, & Confirmationis Sacramentum nominamus. Patet 5. denique,
tuum Vedroſi commentum eſſe, quòd Sanctum Auguſtinum arguas de fal-
laciâ

facilâ Compoſitionis & Diviſionis circà prætacti ſacri Textûs expoſitionem. Et verò ais, illa verba: *Audientes autem baptizati ſunt in nomine Ieſu*, non eſſe Lucæ referentis, quid de ij factum ſit, ſed Pauli aſſerentis, eos, qui Ioannem audierunt, baptizatos fuiſſe in Baptiſmate Chriſti. At verò ſacer Textus nimis clarè probat, verba illa eſſe Lucæ referentis, eos, qui dicebant, ſe jam baptizatos Ioannis Baptiſmate, fuiſſe poſtmodùm audito Paulo, baptizatos in nomine Ieſu. Siccinè igitur tuæ Reformationis ſpiritus præſumit non tantùm Patres fallaciæ arguere, ſed ſacras Litteras contrà apertum ſenſum pro libitu torquere?

COROLLARIUM.

EX dictis infertur, quàm perfidè & fallaciter, imò blaſphemè & contumeliosè procedat Vedroſius tum adversùs Patres Orthodoxos, tum contra ipſos etiam ſacros Textus, Georgij interim fundamenta nullatenùs ſolvendo, ſed Sancti Auguſtini authoritates calumnioſâ duntaxat vociferatione excutiendo. Undè ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui circa efficaciam & neceſſitatem Baptiſmi ita diſcordat ab antiquâ Eccleſiâ, ut Patres etiam Orthodoxos ſibi repugnantes gravioribus injurijs afficiat, ſacras inſuper Litteras à ſenſu antiquitùs recepto ad ſenſus improprios, & apertè alienos trahendo. At hæc omnia circà Baptiſmi neceſſitatem ac efficaciam fieri ab hodierno Reformationis ſpiritu, manifeſtè conſtat *ex præſ. ac præced. Diſſertatione.* Viderit ergo iſte Reformationis ſpiritus, quomodò poſſit eſſe Divinus, maximè dum ita periculosè ſentit de Sacramento Baptiſmi, ex quo Eccleſia primò accipit Spiritum ſanctum. 37.

SECTIO III.

De Miniſtro Baptiſmi.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij.

HIc Author *citatâ Rat. 3. Docum. 11.* authoritate Sancti Auguſtini *lib. 2. cap. 13. cont. Epiſt. Parmen.* probat, in antiquâ Eccleſiâ receptum fuiſſe, ut in caſu neceſſitatis Miniſter Baptiſmi poſſet eſſe Laicus. 1.

Inducit etiam Calvinum *lib. 4. cap. 15. ſect. 20.* fatentem, ſed improbantem, quòd ab ipſo verè Eccleſiæ exordio id uſu receptum fuerit, ut in periculo mortis, abſente ordinario Miniſtro, baptizarent Laici. Unde conclu- 2.

dit: Eccleſiam Reformatam rursùs diſcordare cum antiquâ & primævâ Eccleſiâ, cum quâ tamen in hoc etiam puncto concordet Eccleſia Romana.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

3. ISte Miniſter *in exam. dicti Docum. 11.* arguit 1. Auguſtinum *cit. cap. 13. cont. Parmen.* ita habere: *Etſi laicus neceſſitate compulſus, Baptiſmum dederit, neſcio, an piè quiſquam dixerit, eſſe reprehendendum.* At ex his ipſis verbis in aperto eſſe, quàm meticuloſè id dixerit. Quinimò addere ſequentia. *Nullâ enim cogente neceſſitate, ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt. Si autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum.* Siccinè ergo (ſubinfert Vedroſius) loqui ſolemus de articulis fidei?

4. Arguit 2. Hinc ergo Calvinum jure aſſerere: Nè ipſis quidem Veteribus, qui hunc morem vel tenebant, vel patiebantur, conſtitiſſe, an rectè id fieret, ut ab ipſo ferè Eccleſiæ exordio uſus hic inoleſcere cœperit. *Inſtit. lib. 4. cap. 15. ſect. 20.*

5. Arguit 3. Quæ verò ante Auguſtinum hac in parte conſuetudo obtinuerit, Tertullianum *de veland. virg. cap. 9.* docere, ita diſſerendo: *Non permittitur mulieri in Eccleſiâ loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius viralis muneris, nedum Sacerdotalis officij, ſortem vindicare.*

6. Arguit 4. Epiphanium contrà Colyriſtonium diſputando aſſerere: *Non permiſſum mulieribus quodcunque ſacrum obire munus in Eccleſiâ, imò nec ipſi B. Virgini Baptiſmum conferre, conceſſum fuiſſe.* Concilium Carth. IV, *c. 100.* rotundè ſic pronunciare. *Mulier baptizare non præſumat.*

7. Arguit 5. Quærendo, utrùm mulieris Baptiſmus perfectus ſit, an ſecùs cùm non exorcizet, non exſufflet?

CAPUT III.

Oſtenditur, Miniſtrum ordinarium Baptiſmi ita eſſe Sacerdotem à Deo ordinatum, ut tamen in caſu neceſſitatis conferri validè poſſit à Laicis, etiam fæminis.

Probatio prima, petita ex argumento ad hominem.

8. QUæro enim ex Reformatis Miniſtris; quo jure ſint ipſi ordinati in Eccleſiæ Miniſtros, ita ut circà Baptiſmum validè adminiſtrandum plus habeant authoritatis, quàm laici? Annè ex Decreto & ordi-

ordinationē Magiſtratûs Politici? At ſi hic, cùm merè laicus ſit, habeat ex Deo poteſtatem ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, cur laicis non æquè eſſet poteſtas validè baptizandi? Neque enim ex ſacris Litteris oſtendere poſſunt, Miniſtrorum ſacrorum ordinationem potiùs, quàm Baptiſmum conferri poſſe à laicis. Annè igitur illam baptizandi poteſtatem habent ex eo, quòd ordinati ſint à ſuarum Reformatarum Eccleſiarum Antiſtitibus? At nullam demonſtrare poſſunt in ſuis Eccleſijs Antiſtitum ſucceſſionem ad Apoſtolos uſque reducendam, niſi ex hoc, quòd Reformationis Anteſignani Zwinglius, Lutherus &c. fuerint priùs ordinati in Eccleſiâ Romanâ. An igitur iſti ex vi ordinationis in Papatu acceptæ jus habebant ordinandi Miniſtros ſuæ Reformationis? At ſi hoc ſit, non poterunt ipſi quoquè Reformati negare, quòd hodiequè in Eccleſiâ Romanâ ſit legitima ſacrorum Eccleſiæ Miniſtrorum ordinatio. Sin minùs, oſtendat Reformatum Miniſterium, unde Zwinglius, Lutherus &c. talem ab Eccleſiâ Romanâ prorsùs alienam ordinandi Eccleſiæ ſuæ Miniſtros, poteſtatem acceperint, ita ut ſucceſſione quâdam in ipſos Apoſtolos, & hiſcè mediantibus in ipſum Chriſtum reduci poſſit. At verò, cùm iſtud præſtare minimè valeant, ſequitur evidenter, ipſos non poſſe ullâ ratione demonſtrare, quòd Eccleſiæ ſuæ Miniſtri ſint legitimè ordinati, & ſic extrà ſtatum laicalem extracti. Hinc autem denuò ſequitur, vel ipſorum Baptiſma, utpote ab ijs (de quibus nullo certo argumento conſtat, eſſe legitimè ordinatos, & à ſtatu merè laicali in Miniſterium Domini ſeparatos) adminiſtratum, eſſe dubium, vel certè oportebit, Baptiſma à laicis quoquè collatum eſſe validum. At prius conſequens Reformatorum Eccleſiam ita eijceret è cætu verorum Chriſtianorum, ut neque nos Pontificij id aſſeramus; meliùs proinde dicturi, Baptiſmum à laicis conceſſum eſſe validum, uti *ex ſequentibus patebit.*

Probatio ſecunda, ex ſacris Litteris deſumpta.

NAm *Act.* 8. Philippus Diaconus legitur baptizâſſe. Qui proinde, licèt non fuerit laicus, neque tamen erat Apoſtolus, vel Sacerdos: ut vel hinc redarguatur doctrina Calvini ſolis Apoſtolis poteſtatem baptizandi tribuentis; ſic enim habet *Inſtit.* 4. *cap.* 15. *§.* 20. *Neque enim aut mulieribus, aut hominibus quibuslibet mandavit Chriſtus, ut baptizarent, ſed quos Apoſtolos conſtituerat, ijs mandatum hoc dedit.* Deinde *Act.* 9. Ananias baptizavit Paulum. At hoc factum eſt primo anno à paſſione Domini. Eo autem tempore nondum erant ordinati ulli Epiſcopi, aut ſacerdotes præter Apoſtolos, neque erant Diaconi præter ſeptem. Oportet ergo, Ananiam illum baptizantem fuiſſe laicum. Adhæc Petrus *Act.* 10. juſſit, ut à fratribus, qui ſecum venerant, 9.

 bapti-

baptizarentur Cornelius, ejuſque familia. At ubi habetur ſcriptum, hos fuiſſe vel Epiſcopos, vel Presbyteros, vel Diaconos?

Probatio tertia, ex Patrum authoritatibus deprompta.

10. NAm ex ſenſu antiquorum Patrum oportet diſtinguere inter Miniſtros Baptiſmi, ita ut alius *ſit ex officio*, diciturque *Ordinarius*: alius verò *ex Indulgentiâ*, diciturquè *Extraordinarius.* At Ordinarius Baptiſmi Miniſter eſt ſolus Sacerdos, & Epiſcopus: Extraordinarius verò eſt Diaconus, ex commiſſione ſcilicèt Sacerdotis, vel Epiſcopi, imò & laicus ex univerſali Chriſti conceſſione ac indulgentiâ. Unde quilibet etiam laicus pro omni tempore validè baptizat, non tamen licitè, niſi pro caſu neceſſitatis, *uti mox patebit.* Sic enim Tertullianus *lib. de Baptiſmo*, ubi dixiſſet, jus baptizandi propriè convenire Epiſcopis & Presbyteris, ac jubente Epiſcopo Diaconis, ſubjunxit: *Alioqui & laicis eſt jus baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt.* Alexander Epiſcopus Alexandrinus, teſte Ruffino *lib. 10. cap. 14.* cum universâ Eccleſiâ ſuâ ratum habuit Baptiſmum ab Athanaſio adhuc puero & lacio collatum. Concilium porrò Nicænum, teſte Hieronymo *lib. contrà Luciferan.* ſtatuit, hæreticorum Baptiſma eſſe validum, modò detur ſecundùm formam Eccleſiæ; cùm tamen ſciret, apud aliquas hæreſes non eſſe verum Sacerdotium, atque adeò Baptiſmum non niſi à laicis pænes illas adminiſtrari. Concilium Elibertinum *can. 38.* expreſſis verbis decrevit, laicos poſſe in caſu neceſſitatis baptizare. Idem habent Hieronymus *in Dialogo contra Luciferianos*, Ambroſius, ſive author *Comment. in cap. 4. ad Epheſ.* Auguſtinus *lib. 2. contra Epiſtol. Parmeniani cap. 13.*

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

11. AD *primam* Reſp. Si Vedroſi Sancti Auguſtini totum contextum perpendere voluiſſes, ſanè deprehendiſſes, hunc Sanctum Eccleſiæ Doctorem illâ ſuâ oratoriâ phraſi non *Dubitativè*, ſed omninò *Aſſertivè* pronunciâſſe de Baptiſmo à laicis collato, eſſe validum; ſic enim ſubjungit: *Sed etſi nullâ neceſſitate uſurpetur* (à laico ſcilicèt Baptiſmi adminiſtratio) *& à quolibet detur, quod datum fuit, non poteſt dici non datum, quamvis rectè dici poſſit illicitè datum.* En igitur, ex mente D. Auguſtini diſtinguendum eſſe inter licitam & validam Baptiſmi adminiſtrationem, atque hanc tenere, tametſi extrà caſum neceſſitatis à laico detur, licèt tunc illicitè agatur, uti magis adhuc declarant verba ſubſequentia. Et hinc i la phra-

phraſis, quâ dixit, ſe neſcire, *An quis piè dixerit, repetendum eſſe Baptiſmum à laico neceſſitate compulſo datum*, perinde accipienda eſt, ac ſi dixiſſet, non niſi impiè hoc affirmari. Quando inſuper ait, adminiſtrationem Baptiſmi, neceſſitate urgente, à laico factam eſſe vel nullum, vel veniale peccatum, eo ſenſu eſt accipiendus, ut, ſi neceſſitas ſit omninò urgens, nullum ſit peccatum, ſi verò levis in Sacerdote conquirendo fuerit facta negligentia, peccatum ſit veniale. Et verò quomodò iſte Sanctus Doctor pronunciaret, vel nullum, vel veniale duntaxat à laico Baptiſmum in neceſſitate conferente committi peccatum, ſi iſtud Sacrmentum eſſet invalidum? In aperto proinde eſt, non dubitari de valore Sacramenti, ſed diſcerni inter licitam & validam adminiſtrationem.

Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Calvinus *citatus* fatetur, Veteres vel tenuiſſe, vel paſſos eſſe hunc morem, ut Baptiſmus in neceſſitate conferretur à laicis. At ſubjungit, ipſis non conſtitiſſe, an rectè id fieret. Ergo ſecundùm Calvinum erat penes Veteres talis adminiſtratio Sacramenti Baptiſmi, de quâ non ſcirent, an rectè fieret. At hoc eſt redarguere Veteres de recto uſu Sacramenti Baptiſmatis, cùm tamen hic ab ipſiſmet Reformatis cenſeatur inter notas veræ Eccleſiæ. Vides igitur, qualiter Calvinus committat adversùs Veteres, penes quos tamen, ipſo Reformato Miniſterio teſte, extitit vera Orthodoxia, ac pius de Deo ſenſus ac cultus. Judicet ergo, quiſquis voluerit, an non in illis Calvini ſuprà puram Orthodoxam Antiquitatem præſumptionis ſuæ ſpiritu ſe ſe efferentis, verbis lateat gravis impietas, ex ſacris Litteris, & Concilijs, ac Patribus Orthodoxis refutata *præced. cap. 3.* 12.

Ad *tertiam* Reſp. Eo ipſo, quòd Tertullianus *per Vedroſium citatus* actum baptizandi conjungat cum actu offerendi, ſequitur, ipſum ibi loqui de ordinario baptizandi munere; maximè cùm de hoc & prædicationis, alijſque *ibidem* recenſitis actibus ſermo ſit, quatenùs fiunt in Eccleſiâ. Unde etiam ſubjungit, non licere mulieri Sacerdotalis officij ſortem vindicare. At verò, ſi de extraordinario circà caſum neceſſitatis baptizandi munere ſermo ſit, Tertullianus *lib. de Baptiſ.* indefinitè pronunciat, *Laicis eſſe jus baptizandi, cùm id, quod ex æquo accipitur, ex æquo dari poßit.* Hæc verò ratio æquè militat in fæminis, ac in viris. Unde tum ex iſtâ ratione, tum ex generalitate verborum in aperto eſt mens Tertulliani, quòd nempè mulieri, utpote à Sacerdotio excluſæ, nullatenùs convenire poſſit Officium Ordinarium in Eccleſiâ baptizandi, tametſi pro caſu neceſſitatis jus habeat, iſtud Sacramentum *Extraordinariè* adminiſtrandi. 13.

Ad *quartam* Reſp. Epiphanium à Vedroſio *citatum* aſſerendo, mulie- 14.

 ribus

ribus non eſſe in Eccleſiâ permiſſum quodcunque ſacrum, atque adeò Baptiſmatis munus obire, per hoc clarè inſinuare, quòd loquatur de Ordinario Baptiſmi Officio. Imò *hereſ. 79.* cùm dixiſſet, mulieri non licere Baptiſmum dare, addidit, nè Diaconis quidem hoc eſſe permiſſum. Ex hoc autem manifeſtè evincitur, quòd non poſſit eſſe ſermo, niſi de Officio baptizandi ordinario. Quo adeò ſenſu Concilium Carthaginenſe IV. *can. 100.* ita ordinavit: *Nè mulier baptizare præſumat*, ut tamen exciperet caſum neceſſitatis, velut patet *ex cap. Mulier. de Conſecr. diſt. 4.* patetque ex fundamentis *ſuperiùs* deductis, decerniturque expreſsè in Concilio Florentino.

15. Ad *quintam* Reſp. Ex eâ nihil probari, niſi quòd Vedroſius egregiè agere poſſit Nugatorem. Quis enim exorcizationem & exſufflationem dixit eſſe de Eſſentiâ Baptiſmi? At ipſamet Confeſſio Helvetica *ub. ſuprà*, item præfata Confeſſio Tigurina *pag. 126.* fatetur, circà adminiſtrationem Sacramenti poſſe intervenire Cæremonias merè accidentales, quæ, ſalvâ

16. Sacramenti ſubſtantiâ, variari, atque adeò abeſſe poſſint. Sed quid ais ad hoc Vedroſi, quòd Calvinus *in Epiſt. 87. ad Lælium Zozinum* ita ſcribat: *Jam nihil mea refert, ſitnè homo Lucianus, qui baptizat, ſivè diabolus?* Annè igitur in veſtrâ Eccleſiâ Reformatâ plus in baptizando habet authoritatis diabolus, quàm fæmina? Item quòd *lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 16.* adverſus Calabaptiſtas Reformatorum in Papatu baptizatorum Baptiſma impugnantes, ſic ſcripſerit: *Adversùs quorum ineptias ſatis validâ ratione muniemur, ſi cogitemus nos Baptiſmo initiatos, non in nomine alicujus hominis, ſed in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti: ideòque Baptiſma non eſſe hominis, ſed Dei, à quocunque tandem adminiſtratum fuerit.* En proinde, qualiter in tuæ Reformationis dogmatibus non niſi perpetuæ contradictionis chaos reperiatur.

COROLLARIUM.

17. EX dictis infertur. In confeſſo eſſe apud ipſummet Calvinum & Vedroſium, quòd ſua Reformatio quoad Baptiſmi Extraordinarium Miniſtrum diſcrepet à piâ Orthodoxâ Vetuſtate, atque adeò firmum ſtare Georgij argumentum *ſuprà cap. 1.* inſinuatum. Unde ſic licere argumentari. Illa Eccleſia, quæ Baptiſmum ab alijs, quàm à Miniſtris ſacris adminiſtratum contendit, eſſe invalidum, & tamen oſtendere non poteſt, unde acceperit poteſtatem ordinandi Eccleſiæ Miniſtros, niſi eam reducat in ſuos Anteſignanos; qui eam acceperunt in Papatu, cujus tamen Sacerdotium, ſeu ſacrorum Miniſtrorum ordinationem impugnat, talis utique Eccleſia ita dubium facit ſuum Baptiſmum, ut vel hinc dignoſcatur, non habere

notam

notam veræ Eccleſiæ. At rem ita ſe habere circà Eccleſiam Reformatam, patet ex præcedentibus. Viderit ergo ipſa, qualiter habeat veræ Eccleſiæ notam.

DISSERTATIO VII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

VEdroſius *cit. ſect. 4. in exam. docum.* 12. ait, Viro Vadimonij Pontificij ſtudioſo imprimis incumbere, ut Tranſubſtantiationem, Sacramenti adorationem, calicis oblationem, & reliquum Miſſæ geſticulatorium apparatum in Apoſtolorum Epiſtolis, Evangelijs, & primitivæ Eccleſiæ praxi oſtendat. Verùm Georgium à piâ Antiquitate ſe deſertum ſentientem, poſt levem velitationem declinâſſe pugnam. Leviter enim arreptis Miſſæ, Sacrificij, & oblationis vocabulis omne certamen à ſe confectum videri. Siccinè ergo Vedroſi contrà Georgium gloriabundè triumphas? At videamus, quo jure, vel injuriâ?

SECTIO I.

De reali Chriſti in Euchariſtiâ præſentiâ.

CAPUT I.

Referuntur fundamenta Georgij.

HIc author *ſua Facis Rat. 22. doc. 5.* refert Concilium Nicænum *Diatyp. de Divinâ Menſâ &c.* ita decernens: *Nè in Divinâ Menſa humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollamus mentem, fide intelligamus, ſitum in ſacrâ illâ Menſâ Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi.* Ex quo ſic argumentatur. Eccleſia Romana hodieque retinet iſtam de reali Agni Dei intrà Euchariſtiam præſentiâ doctrinam: E contra cum Calvino *inſtit. lib. 4. cap. 17. ſect. 18.* eam negat Eccleſia Reformata. Non igitur iſta, ſed illa concordat cum antiquâ, veræ Eccleſiæ per Concilium Nicænum definitâ doctrinâ.

***

CA-

CAPUT II.

Referuntur Adverſariorum argutiæ.

3. VEdroſius *in ſuo Manuali Antiquit.* omninò prætermiſit reſpondere ad prætactam 22. Georgij rationem, nec circà realem Chriſti in Evchariſtiâ præſentiam refutandam aliqua in medium protulit argùmenta. Unde quod gloriabundè *ſuprà n. 1.* impoſuit Georgio, hoc in ſe retortum jure merito ſentire debet. Nè proinde in aliquo defuiſſe videar, operæ pretium viſum eſt, Reformatorum contrà illud Myſterium undique conquiſitas potiores argutias hîc referre.

4. Arguit itaque 1. Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 9.* Redingium ſophiſtam *in ſuis Refutat. pag. 44. & 45.* inſectari Eccleſiam Tigurinam, quòd cum ſuo Magiſtro Zwinglio Veritatem traxerit ad Figuram. At noſtram hanc eſſe culpam, utpote qui ex Evchariſtiâ, immani errore Veritatem ſuſtulerimus. Nos enim comicâ quâdam licentiâ panem & Corpus Chriſti ex Evchariſtiâ exterminâſſe, nuda pro pane accidentia ſubſtituiſſe, & ſub inani accidentium illorum larvâ non Corpus Chriſti, ſed ſubſtantiam quandam indiviſibilem, Corpus non Corpus, id eſt Nihilum ſub Nihilo jam dudum oſtentâſſe, & adorandum propoſuiſſe: perinde ac ſi ſpectatoribus & communicantibus noſtris Miſſaticis ludicrum illud occineretur. *Accipe nihil, & tene benè.*

5. Arguit 2. Nos in hoc ipſo myſterio tremendo, veritate ſublatâ, ludere figuris audacibus & inverecundis, quibus Rhetorica nomen nullum dederit. In verbis *Hoc eſt Corpus meum* pronomen *Hoc* nobis denotare rem indeterminatam & vagam. Nihil enim denotare certi, adeoquè demonſtrare *Nihil.* Cùm Evangeliſtæ dicunt, Chriſtum panem dediſſe, nomen *Panis* nobis denotare carnem. *Fructum vitis* nobis eſſe ſanguinem: *Hoc facere* nobis eſſe Corpus Chriſti realiter in ſacrificium propitiatorium ſacrificare. *Corpus Chriſti* dicere nos, *Figuratè* Panem appellari, quia panis fuit ante conſecrationem; perinde ac ſi diceremus, ſenem eſſe juvenem, quia juvenis aliquando fuit. Denique omnes noſtros de Evchariſtiâ ſermones eſſe figuratos, & inauditis tropis luxuriantes.

6. Arguit 3. Eccleſiam Tugurinam fateri quidem, & invictis hactenùs argumentis demonſtrare, panem eſſe Corporis Chriſti figuram, ſed non talem, quæ nudè figuret & adumbret rem alienam & ad ſe non pertinentem: ſed quæ in legitimo uſu Chriſtum, ejuſquè univerſa beneficia credenti ſignificet, obſignet & exhibeat. Cum nudis ſignis ſine nucleo corticibus nihil ſibi

Digitized by Google

ſibi rei eſſe. Chriſti, ejuſque Corporis & Sanguinis præſentiam quoad modum præſentiæ tum *Relativum* ſeu *Sacramentalem*, tum *Spiritualem* conſiſtere, & ad ſalutarem Cœnæ Domini uſum ſufficere debere, ſi maximè illum præſentiæ per contactum localem, *ſeu Adiaſtaſiam* modum, utpote à Verbo Dei, Sacramentorum naturâ, & Veteris Eccleſiæ ſenſu abhorrentem repudient, prout toties totieſquè liquidò Veritati dederint.

Arguit 4. Sic quærendo. Nunquid enim fideles Veteris Teſtamenti in Sacramentis ſuis Chriſtum non habuerunt præſentem? Sane Agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi, jam indè à jactis mundi fundamentis mactatus fuit, Dei videlicet Decreto, & Spiritûs ſancti, Fideiquè efficaciâ, *Io. 1. v. 29. Apocal. 13. v. 8.* Et Veteris Teſtamenti Patres eandem nobiſcum ſpiritalem eſcam comederunt, de eâdem petrâ, & Chriſto biberunt. *1. Corinth. 10. v. 3. 4. & 5. Act. 15. v. 11. Heb. 13. v.* 8. An verò Aſyſtatos ille præſentiæ Corporis Chriſti localis & incluſivæ modus jam tunc locum habere potuit? Vides ergò (ait concludendo) Redingi, veritatem præſentiæ conſtare poſſe, etiamſi modus ille præſentiæ, quem ſophiſticè Eccleſia Pontificia invexerit, minimè admittatur, & Verbi Divini penetratiſſimo gladio juguletur. 7.

Arguit 5. Vedroſius *in Exam. Rat. 8. exemp. 28. pag. 163.* ex Theodoreto *lib. 1. Dial.* ita diſſerente: *Chriſtus viſibilia ſigna appellatione Corporis & Sanguinis honoravit, non tranſmutans ſymbolorum naturam, ſed naturæ ſymbolorum adjiciens gratiam.* Addidit quidam Anonymus ex Reformatis ſequentia Theodoreti verba *cit. Dial. 1. Servator certè noſter nomina commutavit, & Corpori quidem, quod erat ſymboli ac ſigni, nomen impoſuit; ſymbolis autem, quod erat Corporis.* 8.

Arguit 6. Idem Vedroſius *pag. 118.* ex Auguſtino *lib. de doct. Chriſtian.* ſic diſſerente: *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus, vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo præcipiens, paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter, atque utiliter recondendum in memoriâ, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Addit quidam Anonymus ſequentia ex eodem Auguſtino contra Adimantum *cap. 12. Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt Corpus meum, cùm daret ſignum Corporis ſui.* 9.

Arguit 7. Confeſſio Tigurina de Anno 1644. *cap. 21. pag. 107.* Cùm enim Ieſus *Ioan. 6. v. 54.* dixiſſet: *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Capharnaitæ hoc intelligentes de manducatione corporali, ſunt reprehenſi à Chriſto Domino. Hæc autem corporalis manducatio fit, dum cibus in os acceptus dentibus conteritur, & in ſtomachum traijcitur. At quemadmodùm caro Chriſti corporaliter manducari non poteſt abſque immani flagitio, ita non eſt cibus ventris. Unde prætacta Confeſſio concludit, ſe reijcere Decretum Papale 10.

Beren-

Berengarius. De Conſ. Diſt. 2. cap. Ergo, ubi ait. *Quia enim antiqui pp̃ Doctores id non crediderint, neque ſe credere, quòd Corpus Chriſti corporaliter, ſive ſubſtantialiter ore corporis comedatur.*

11. Arguit 8. Præcitata Confeſſio *pag.* 108. aliam proinde Corporis Chriſti manducationem eſſe ſpiritualem. Hanc verò non eſſe talem, ut Corpus Chriſti in noſtrum ſpiritum convertatur, ſed talem, ut Corpus & Sanguis Chriſti in ſuâ ſubſtantiâ & proprietate permaneant, ſed tamen ſpiritualiter nobis communicentur. At iſtam ſpiritualem communicationem fieri per Spiritum ſanctum, quatenùs ab iſto nobis approprientur beneficia redemptionis Chriſti, remiſſio nimirùm peccatorum ac vita æterna, ita ut Chriſtus vivat in nobis, & nos in ipſo. Ejuſmodi proinde ſpiritualem manducationem perfici, dum Spiritus ſanctus in nobis efficiat, ut Chriſtum per veram fidem recipiamus, fiatque hac ratione noſter ſpiritualis cibus ac vita noſtra. In quem adeò ſenſum accipienda eſſe illa Chriſti Domini verba *Ioan. 6. v. 51. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Et *v. 63. Spiritus vivificat, caro* (utique corporaliter manducata) *non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum, ſpiritus & vita ſunt.*

12. Arguit 9. Quidam Anonymus ex Reformatis. Auguſtinum ſuper illum ſacrum Textum, *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* ita diſſerere: *Spiritualiter intelligite, quod locutus ſum vobis, non hoc corpus, quod videtur, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, ſpiritualiter intellegite. Vivificabit vos.*

13. Arguit 10. Beza *in Actis Colloquij Mompelgartenſis pag. 24.* Etſi Corpus Chriſti, quod in Cœnâ præbetur, eſt verum corpus organicum: tamen analogia poſcit, ut qualis eſt alimonia & ejus finis, talis ſit illius alimoniæ percipiendæ modus. Atqui rei ſacramentaliter ſignificatæ, id eſt carnis & ſanguinis ipſius Chriſti alimonia & finis ſunt ſpirituales, id eſt ad ſpiritualem conjunctionem cum Chriſto, & vitam æternam ex illo hauriendam ſpectant. Spiritualem ergo earundem rerum percipiendarum modum eſſe, neceſſe eſt; & animæ inſtrumento proprio, id eſt fide, tam in verbo ſimplici, quàm in Sacramentis peragi.

14. Arguunt 11. Reformati. Chriſtus aſſumpſit omnes proprietates corporis humani. At ejus naturalis proprietas eſt, ut non ſit ullo modo præſens, niſi in uno loco. Eſſet autem in pluribus locis ſimul, ſi exiſteret realiter ſub Hoſtijs conſecratis.

15. Arguunt 12. Si Corpus Chriſti eſt ſimul in pluribus locis (quod neceſſariò ſequitur ex iſtâ reali intra Eucharistiam inexiſtentiâ) aut oportet, in omnibus illis locis eſſe eodem modo, aut non? Si non, ſequitur contra-

dictio

dictio. Sic enim unius ejuſdemque corporis præſentiæ repugnaret, & aliter eſſet in locis, quàm in loco. Sin autem Corpus Chriſti eſt in omnibus locis eodem modo, ſequitur, Corpus Chriſti nuſquàm eſſe viſibile, ac ſuis dimenſionibus circumſcriptum, ſeu præditum ſuâ formâ.

Arguunt 13. Si vera Corporis Chriſti inexiſtentia ſub panis acciden- 16.
tibus locum haberet, tunc careret ſuis dimenſionibus, haberetque dimenſiones panis, quibus velaretur. At ſi Chriſti Corpus careret ſuis dimenſionibus, eſſet ubique.

Arguunt 14. Ex mente Pontificiorum Corpus Chriſti non ſolùm eſt 17.
ſub quantitate panis, ſed ſub quâlibet ejus parte. Eſt igitur *Totaliter* totum. Quicquid autem eſt tale, nullis locorum ſpatijs & finibus circumſcriptum ac definitum, ſed ubique eſt.

Arguunt 15. De accidentium ratione & eſſentiâ eſt, ut inhæreant in 18.
ſubjecto. Ex Ariſtotele 5. *Metaphyſ. tex.* 35. Unde Auguſtinus *in Epiſt. ad Dardanum*, ait: *Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, & ideò neceſſe eſt, ut non ſint.* At in Evchariſtiâ inveniuntur panis accidentia. Ergo & ſubjectum eorum, quod eſt ſubſtantia.

Arguunt 16. Accidentia iſta vel eſſent in ſe, vel in alio. At ſi eſſent 19.
in ſe, ſubſiſterent. Hoc autem eſt proprium ſubſtantiæ. Oportet igitur, eſſe in alio. Ergo inhærent ſubjecto, adeoquè ſubſtantiæ.

Arguunt 17. Panis Evchariſtiæ mutationes varias recipit, poteſt enim 20.
alterari ſeu calefieri, imò etiam veneno infici, corrumpi, aliudquè inde generari. At iſtæ mutationes nullo modo fieri poſſent ſine ſubſtantiâ panis, ſeu ſubjecto illarum mutationum. Ergo ſubſtantia panis, & non ſola accidentia in Evchariſtiâ reperiuntur.

Arguit 18. Petrus Martyr *in lib. contra Gardinerum object.* 67. uti ipſe ait, 21.
inſolubiliter. Quando ex ſpeciebus Evchariſticis generatur alia ſubſtantia, oporteret, illas, ſi extra materiam exiſterent, diſponi ad materiam recipiendam. Hoc autem fieret, vel manente Chriſti Corpore in Evchariſtiâ, vel poſt ejus abſceſſum? At manente Chriſti Corpore, id fieri nequit, quia nunquàm ſimul eſſe debent materia panis, & Corpus Chriſti: eſſent autem ſimul, ſi diſpoſitio fieret, manente Chriſti Corpore: nam ſimul eſt ultima diſpoſitio, & introductio ejus, ad quod fiebat diſpoſitio. Oporteret igitur, iſtam diſpoſitionem ultimam fieri, abſcedente Chriſti Corpore. At iſto abſcedente, pereunt ſpecies, nec uſquàm ſunt, ut omnes Theologi docent, qui volunt Corpus Chriſti manere, donec ſpecies manent. Quod autem perit, non poteſt diſponi. Ergo fictitia eſſet illa diſpoſitio.

CAPUT III.

Oſtenditur vera & realis Corporis & Sanguinis Chriſti, imò totius Chriſti intrà Eucharistiam præſentia.

Probatio prima, ex Matth. *26. v. 26. & 27. petita.*

22. NAm inſtitutio Eucharistiæ ibi ſic deſcribitur. *Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditquè diſcipulis ſuis, & ait: accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ex quo ita licet argumentari. Eo

23. ipſo, quòd Prima & infallibilis Veritas *Demonſtrativè* dicat: *Hoc eſt Corpus meum*, oportet, ex vi infallibilis Veritatis Corpus ejuſdem verè eſſe ſub ſenſibili præſentialiter exhibito, ſub quo *Demonſtrativè* dicitur exiſtere. At Chriſtus ceu Prima & infallibilis Veritas de eo, quod accipiebat in manibus, *Demonſtrativè* dixit: *Hoc eſt Corpus meum.* Item: *Hic eſt Sanguis meus.* Nè proinde in verbis Chriſti eſſet falſitas, oportet, ex vi Veritatis verborum Chriſti Corpus & Sanguinem verè extitiſſe ſub ſenſibili præſentialiter exhibito, ſub quo Chriſtus ceu Prima & infallibilis Veritas *Demonſtrativè* dixit, *Hoc eſſe Corpus ſuum*, & *Hunc eſſe Sanguinem ſuum.* At iſtius Demonſtrativæ dictionis veritas non priùs ſubſiſtebat, quàm ejuſdem eſſet completa ſignificatio. Hæc verò completa fuit in fine illorum verborum. Ergo in horum fine ex vi Veritatis eorundem verborum, utpote à Primâ non niſi verum loquente Veritate *Demonſtrativè* pronunciatorum, oportuit, ſub illo ſenſibili in manibus *Demonſtrativè* exhibito verè extitiſſe Corpus & Sanguinem Chriſti. At Evangeliſta ait, Chriſtum accepiſſe in manus panem, & poſtea calicem, cum vino ſcilicet, ac ſuper hiſce pronunciâſſe illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt*

24. *Sanguis meus.* Eo ipſo autem, quòd in enunciatione ſubjectum ſupponat ſecundùm naturam prædicati, oportet, illud pronomen demonſtrativum *Hoc* & *Hic* non priùs habuiſſe completam ſuam ſignificationem, quàm fuiſſet prolatum prædicatum. Illius verò enunciationis prædicatum in conſecratione panis erat Corpus Chriſti, & in conſecratione Calicis erat Sanguis Chriſti, *ex ſacro textu.* Oportuit igitur, pronomen *Hoc* & *Hic* in illis Chriſti enunciationibus ſuam ſignificationem completam non priùs habuiſſe, quàm ex prædicato contraheretur ad ſignificandum Corpus & Sanguinem Chriſti, quà *Demonſtrativè* exhibitum ſub illo ſenſibili, quod Chriſtus

Digitized by Google

ſtus manibus gerebat. Cùm igitur ex vi Veritatis illorum verborum oportuerit in, horum fine, ſub ſenſibili in manibus Chriſti *Demonſtrativè* exhibito, verè exiſtere ſignificatum illarum enunciationum: hoc verò ſit Corpus & Sanguis Chriſti, manifeſtè ſequitur, ex vi illorum Chriſti verborum ſub ſenſibili in manibus Chriſti præſentialiter exhibito, verè extitiſſe ejus Corpus & Sanguinem. At quod Chriſtus tunc in ultimâ Cœnâ fecit, hoc juſſit, ut Apoſtoli, eorumque adeò in Officio ſucceſſores facerent in ſuam commemorationem. Ergo ex vi verborum illorum Apoſtoli quoquè, eorumquè adeò ſucceſſores ſacerdotes efficiunt, ut ſub ſenſibili *Demonſtrativè* exhibito verè exiſtat Corpus & Sanguis Chriſti.

Probatio ſecunda, refutatoria exceptionis Adverſariorum.

EXcipiunt enim Reformati Miniſterij Doctores, illa Chriſti Domini verba ad figuratum ſenſum eſſe trahenda, ita ut, dum Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, perinde ſit, ac ſi diceretur: *Hoc eſt ſignum Corporis mei*, ſive *Hoc ſignificat Corpus meum.* 25.

Verùm in hoc accidit Reformatis, quod de antiquioribus hæreticis Sanctus Auguſtinus *lib. 3. de doctrinâ chriſt. cap. 10.* diſſeruit in hæc verba: *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aliud aſſeruerit Scriptura, figuratum arbitrabuntur.* At verò ſi pro cujuſque inſtinctu liceret verba ſacræ Scripturæ à proprietate verborum trahere ad ſenſus figuratos, ſequeretur, nullam poſſe hæreſin efficaciter redargui ex ſacris Litteris. Nunquid enim Sabelliani Divinarum Perſonarum diſtinctionem realem negantes, nomina, quibus in ſacris Litteris ſignificatur hæc diſtinctio, trahendo ad improprietatem ſeu figuratam & Tropicam ſignificationem, eludebant totam ſacræ Scripturæ vim, & energiam? Nunquid Arius Divinitatem Filij & cum Deo Patre conſubſtantialitatem, & Macedonius Spiritûs Sancti Divinitatem negantes, ſacras Litteras ſibi objectas trahebant ad participativam duntaxat Deitatis ſimilitudinem ſignificandam? Nunquid Neſtoriani verba ſacra, quibus probatur unitas Hypoſtaſis in Chriſto, ad unitatem non Hypoſtaticam, ſed Affectivam, ſeu Figurativam; & Eutychiani textus ſanctos, quibus Dualitas Naturarum in unitate Divinæ Verbi Perſonæ ſubſiſtentium, in Chriſto ad improprium Commixtionis, ſeu Confuſionis ſignificativum ſenſum trahentes, omnem Divini Verbi vim elidere conati ſunt? Annè igitur hodiernæ Reformationi liceat verba Chriſti, *Hoc eſſe Corpus ſuum*, & *Hunc eſſe Sanguinem ſuum*, tam dilucidè & clarè pronunciantis pro ſuo duntaxat inſtinctu trahere ad ſenſum improprium & Figuratum? Certè contrà vos ſtat ipſa verborum Chriſti proprietas, quam ex receptâ Sanctorum Patrum regulâ in exponendis ſacris Scripturis

26. (beside "Sanctus Auguſtinus…") —

deſe-

deſerere non licet, niſi vel ex ipſis ſacri textûs, ex aliquo verbo impropriet-tatem denotantis, viſceribus, vel ex contextu, vel ex aliâ clariori & dilucidiori ſacrarum Litterarum ſententiâ pateat improprietas. At nihil horum pro Reformationis præſenti intento habere locum, patebit, ubi diſcuſſum fuerit, unde Zwinglius permotus ſit ad illa Chriſti Domini adeò clara verba trahenda in ſenſum Figuratum.

Probatio tertia, prioris continuativa.

28. Zwinglius enim *lib. de ſupplem. Euchar. to. 2. fol. 249.* refert; ſe multùm hæſitâſſe, quomodo ex ſacrâ Scripturâ probaret, quòd verba Chriſti *Hoc eſt Corpus meum*, explicari poſſint de nudo ſigno &c. Hinc ſomnium grave habuiſſe, in quo circà illam quæſtionem ſibi multùm anxio viſus fuerit adeſſe monitor, quem, utrùm ater, vel albus fuerit, ſe non meminiſſe. Hunc dixiſſe, quin ignavè reſpondes ei, quod *Exodi 12.* ſcribitur: *Eſt enim Phaſe, hoc eſt tranſitus Domini.* Exinde ſe expergefactum de lecto exilijſſe, locum apud Septuaginta undique primùm conſpexiſſe, & de eo coram totâ concione pro virili diſſeruiſſe. Quem ſermonem, ubi acceptus ſit, omnibus ſacrarum Litterarum candidatis totam nebulam diſcuſſiſſe &c. Addit tandem idem Reformationis Anteſignanus: *Se quidem narrare ſomnium, leve tamen non eſſe, quod per ſomnium didicerit; Gratiam eſſe Deo, in cujus gloriam iſta prodat.*

29. En igitur ipſa verborum Chriſti proprietas etiam in Zvvinglio improprietatem ſeu figuratum ſenſum jam jam meditante pondus habuit, ut multùm hæſitaret, quomodò ex ſacrâ Scripturâ probaret, quòd illa Chriſti Domini verba *Hoc eſt Corpus meum*, explicari poſſent de nudo ſigno. At hoc ipſum in verborum Chriſti proprietate fundatum authoritatis Divinæ pondus ſi quis abijciat ex proprio duntaxat inſtinctu, tunc relabitur in illud principium, ex quo ortæ ac nutritæ ſunt hæreſes antiquæ, ſpeciatim Sabelliana, Ariana, Neſtoriana & Eutychiana; *velut præced. probat. oſtenſum eſt.* Quod equidem Zvvinglius præſenſiſſe videtur, dum tam anxiè cogitavit, quomodò illam verborum proprietatem elideret, eiquè figuratum ſenſum ſubſtitueret ex ſacrâ Scripturâ. Hinc verò habuit Monitorem (quem, an ater, an albus fuerit, non meminit) ſuggerentem illud *Exodi 12. Phaſe, id eſt tranſitus Domini.* Unde Zvvinglius illius figurati ſenſûs Anteſignanus non aliunde, niſi partim per ſomnium, partim per monitorem, quem, an ater, vel albus fuerit, neſciebat, didicit, quomodò ex ſacrâ Scripturâ illam claram verborum Chriſti proprietatem transferret in ſenſum figuratum. Siccinè igitur fundamentum ſacræ Scripturæ textû ex pro-

proprietate verborum Chriſti ad figuram trahendi fuit quæſtio ex ſomnio & inſtinctu monitoris, qui neſcitur, fueritne albus, vel ater? Hunc proinde monitorem vel ex illo ipſo Reformatori dormienti ſuggeſto fundamento expendamus.

Probatio quarta, rationis Zvvinglianæ refutatoria.

ETenim præinſinuata Zvvinglij ratiocinatio in hanc formam redigi po- 30.
teſt. Agnus Paſchalis eſt *Phaſe* (id eſt *Tranſitus*) Domini. *Exod. 12.*
Hoc autem non procedit, niſi ſecundum Metonymiam. Ergo hæc quoquè
verba, *Hoc eſt Corpus meum*, debent ſumi *Metonymicè*, ita ut ſit ſenſus, *Hoc eſt*
figura Corporis mei. Verùm iſtam ratiocinationem non eſſe ex Spiritu 31.
veritatis, probant non tantùm circumſtantiæ (quòd ſcilicet proceſſerit ex
ſomnio & inſtinctu monitoris, de quo ejus author dubitat, an ater fuerit)
ſed quoad ipſam ſubſtantiam, oſtenditur hoc per ſequentia argumenta. Nam
1. illa ratiocinatio non poteſt eſſe ab infallibili Veritatis Spiritu, quæ ex u-
no ſacro textu Metonymicum, ipſorum verborum claritate agnitum, ſen-
ſum apertè proferente, ratiocinando infert, oportere, in ſenſu Metony-
mico accipi alterum quoquè omninò diſparatum ſacrum textum, qui ta-
men ſuorum verborum claritate proprium, Metonymicæ locutioni repug-
nantem, ſenſum apertè præſefert. At iſta enunciatio: *Agnus Paſchalis eſt*
Tranſitus Domini (quam tamen propoſitionem non eſſe in ſacris Litteris à Spi-
ritu Sancto expreſſam, patebit infrà *n. 39.*) ipſâ verborum ſuorum clari-
tate indubitanter & apertè præſefert ſenſum Metonymicum. Minor iſta 32.
eſt per ſe nota. Major verò, licèt ex ſuis terminis ſit ſatis firma, clariùs
tamen demonſtratur ex eo, quòd ratiocinatio, cujus vis & energia conti-
net principium omnis hæreſis, & falſæ ſacrarum Litterarum expoſitionis,
non poſſit eſſe ex infallibili Veritatis Spiritu. At ſi ex eo, quòd unum ſa-
crum textum ipſa verborum claritas oſtendat, eſſe accipiendum in ſenſu
Metonymico, liceret exinde quemlibet alium etiam diſparatum textum ſan-
ctū accipere *Metonymicè*, etiam ſi ſuâmet verborum claritate præſeferat ſenſū
propriū, Metonymicæ ſignificationis ex proprietatis ſuæ naturâ excluſivū,
tunc aperiretur janua ad quaſvis hæreſes, & falſas ſacrarum Litterarū expoſi-
tiones, ita ut non aliunde, quàm ex tali ſacrarum Litterarū ſuis verbis propri-
um ſenſum præſeferentium, ad ſenſus figuratos & tropicos detorſione originē
traxerint Sabelliana, Ariana, Neſtoriana, & Eutychiana hæreſes, *uti ſuprà*
prob. 2. n. 26. oſtenſum eſt. Illa ergo ratiocinatio ex infallibili Veritatis Spiri-
tu minimè procedit, quæ ex uno ſacro textu Metonymicum ex ipſâmet
verborum ſacrorum naturâ apertè & clarè inſinuatum ſenſum præſefe-

rente

Digitized by Google

rente, contendit, debere in *ſenſu Metonymico* accipi alium quoquè diſparatum, licèt ſacrum textum, cujus tamen verba ex proprietatis ſuæ naturâ clarè important ſenſum proprium, Metonymicæ adeò ſignificationis excluſivum. At iſta verba *Hoc eſt Corpus meum*, ex ipſâmet ſuæ primævæ per textum Hebraicum, Chaldaicum, Græcum, & Latinum in verſione tam Septuaginta Interpretū, quàm vulgaræ editionis, expreſſæ ſignificationis proprietate & naturâ ſuâ clarè & apertè præſeferunt ſenſum proprium, ut ſic realis Chriſti Corporis in Euchariſtiâ exiſtentiæ ſignificativum. Manifeſtū igitur eſt, non potuiſſe ex infallibili Veritatis Spiritu proceſſiſſe illam ratiocinationem Zvvinglij, ex pra allegatâ enunciatione *Agnus Paſchalis eſt Tranſitus Domini*, ex primævâ ſuâ naturâ non niſi Metonymicū ſenſum clarè & apertè præſeferente, concludentis, quòd iſthæc quoquè Chriſti Domini verba *Hoc eſt Corpus meum*, accipienda ſint in ſenſu Metonymico, quem tamen ipſa verborum natura & proprietas in omnibus authenticis Bibliorum verſionibus ac editionibus retenta eatenùs excludit, ut ipſi etiam Zvvinglio cogitanti hanc verborum proprietatem ad ſenſum improprium torquere, anxietatem non modicam incuſſerit minimè ſanè ſuperandam, niſi in ſomnio fuiſſet edoctus à monitore, quem neſciebat, an ater, vel albus fuerit.

Probatio quinta, prioris continuativa.

33. NAm 2. illa ratiocinatio non poteſt eſſe ex infallibili Veritatis Spiritu, cujus principium prætenditur eſſe ex fonte ſacræ Scripturæ, cùm tamen ſub illâ ratione, ſecundùm quam allegatur, ſit Septuaginta duntaxat Interpretum. At Zwinglianæ ratiocinationis principium in hoc ſe tenet, quòd *Agnus Paſchalis dicatur Tranſitus Domini*. Neque verò iſta propoſitio habetur in textu Originali, ſed hic ſolummodò ait, Paſchalem Agnum eſſe *Phaſe*, ſive *Peſach*, vel *Paſche* aut *Paſcha* Domini, fuitquè à Septuaginta duntaxat Interpretibus adjecta illa expoſitio *Phaſe, id eſt Tranſitus Domini*. At licèt, attentâ primævâ ſignificatione vocis *Phaſe*, Agnus Paſchalis non niſi *Metonymicè* dicatur *Phaſe*: nihilominùs uſus & conſuetudo Judæorum invaluit, ut ſub iſtâ voce ſignificaretur Agnus Paſchalis, uti patet ex illis Diſcipulorum verbis: *Ubi vis, ut paremus Paſcha?* Ubi proinde iſta ſignificatio prævaluit, erat quidem, attentâ primævâ vocis *Phaſe* ſignificatione, in iſto ſimplici termino *Phaſe* Metonymia; attamen in iſtâ enunciatione, *Agnus Paſchalis eſt Phaſe, ſeu Paſcha*, non erat *Formaliter* ex parte copulæ ſenſus improprius ſeu figuratus & Metonymicus, ſed omninò proprius. Unde fit etiam conſequens, illam Zwinglianam ratiocinationem, dum pro ſuo principio poſuit illam enunciationem, *Agnus Paſchalis eſt Phaſe, id eſt Tranſitus Domini*, eatenùs pro textu Originali apprehendiſſe expoſitionem Septuaginta in-

tâ Interpretum, ut vel in hoc non candidè procedat ex Spiritu Veritatis; meritoquè adeò dubitatum ſit, an eius author eſſet albus, vel ater.

Hinc 3. ita licet argumentari adversùs Zwinglij ratiocinationem. 34
Iſta propoſitio, *Agnus Paſchalis eſt Phaſe, ſive Paſcha*, Formaliter ſpectata ex parte copulæ facit ſenſum proprium, non verò Tropicum ſeu figuratum. Hoc verò exinde provenit, quòd Judæi in voce *Phaſe* attenderent ad ſignificatum mediatum. A fortiori igitur in iſtâ propoſitione, *Hoc eſt Corpus meum*, attendenda eſt proprietas, non verò figurata ſeu Tropica aliqua locutio; eò vel maximè, quòd ipſius prædicatum *Tò Corpus* ex parte ſui ſignificati immediati de naturâ ſuâ eatenùs præſeferat ſenſum proprium, ut neque ex primævâ inſtitutione, neque ex uſu, ſive politico inter Grammaticos & Philoſophos, ſive ſacro inter Theologos & Patres à primævis ſæculis ad noſtra uſque tempora de hoc myſterio ſcribentes uſurpato, obtinuerit Tropicam ſignificationem, quin potiùs Berengarius ejuſmodi Figuralem ſenſum antehac excogitando, quoad hoc damnatus, & ad revocationem ſit compulſus, *ut hac omnia infra demonſtrabuntur.* At ſi in illâ propoſitione: *Hoc eſt Corpus meum*, tam ex parte copulæ, quàm ex parte prædicati retineatur nativa proprietas, non poteſt non ex vi Veritatis illis Chriſti Domini verbis infallibiliter competentis, non ſubſiſtere realis intrà Euchariſtiam Corporis Chriſti præſentia. Conſequens igitur eſt, ſi illud Zwinglianæ ratiocinationis principium non accipiatur in ſenſu per ſomnium & Monitorem atrum excogitato, ſed in ſenſu textûs ſacri Originalis, exinde refutari figuratum & Metonymicum ſenſum, magiſquè ſtabiliri proprietatem illorum Chriſti verborum, *Hoc eſt Corpus meum.*

Probatio ſexta, priorum ex reliquis Evangeliſtis, ac Paulo Apoſtolo confirmatoria.

Etenim 4. illa ratiocinatio non poteſt eſſe ex infallibili Veritatis Divinæ Spiritu, quæ ex unius ſacri Textûs figurato (falsè licèt prætenſo) ſenſu contendit figuratum ſenſum alterius omninò diſparati Textûs, dùm tamen ejus verba non ſolùm ex nativâ ſuâ origine clarè præferunt proprietatem, ſed tali proprio ſenſui reliqui etiam Evangeliſtæ unà cum Paulo Apoſtolo de eodem myſterio ex inſtituto ſcribentes unanimiter adſtipulantur. At tantùm abeſt ut vel unicus Evangeliſtarum, vel Apoſtolus Paulus, dùm alioquin Euchariſtiæ inſtitutionem ex profeſſo ſcribunt, in illis Chriſti verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, meminerit alicujus figuratæ locutionis, quin potiùs unanimiter utantur vocibus de ſuâ naturâ non niſi proprium ſenſum ſonantibus. Major tam ex ſe, quàm ex maturâ cum a- 35

lijs 36

lijs ſacræ Scripturæ locis collatione patet. Nam ex unius ſacri Textûs figuratâ locutione prætendere Tropicam alterius diſparati textûs, proprium tamen ſenſum clarè præſeferentis, ſignificationem, eſt invertere primū veræ ſacrarum Litterarum interpretationis à Patribus antiquis traditum principium. Minor autē probatur inductione. Nam Marcus *cap. 14. v. 22. & 23.* ita de-
37. ſcribit Evchariſtiæ inſtitutionem: *Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc eſt Corpus meum. Et accepto Calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Ex quibus ita licet argumentari. Sanguis Novi Teſtamenti pro multis effundendus, erat verus, non figuratus Chriſti Sanguis. At Chriſtus tam apud Marcum, quàm apud Matthæum *ſuprà n. 21.* adductum, quàm apud Lucam *infrà n. 38.* allegandum, ajebat, *Hunc eſſe Sanguinem ſuum Novi Teſtamenti pro multis effundendum.* Ergo erat verus Chriſti Sanguis. At idem Chriſtus Dominus ita dicebat: *Hoc eſt Corpus meum,* ut teſte Lucâ *infrà* citando adderet: *Quod pro vobis tradetur.* Neque verò figuratum, ſed verum Chriſti Corpus pro nobis eſt datum ſeu oblatum in cruce. In aperto igitur eſt, quòd de conſenſu omnium Evangeliſtarum non tantùm proprietas Chriſti verborum, ſed etiam contextus ſacer clarè demonſtret veri Corporis in Evchariſtiâ præſentiam realem, utpote verbo *Eſt* denotatam.

Probatio ſeptima, prioris ex Lucâ continuativa.

38. NAm hic Evangeliſta *cap. 22. v. 19. & 20.* Evchariſtiæ inſtitutionem deſcribit ſequentibus verbis: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquàm cœnavit, dicens: Hic eſt Calix Novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ex quo ita licet argumentari. Divinitas ita eſt perſonaliter conjuncta Humanitati, ut ſi hæc ſit proferens aliqua verba, quorum Veritas non ſupponebatur, oporteat, talem Veritatem mediantibus verbis ejuſmodi perfici in vi Divinæ virtutis, cujus tanta eſt efficacia, ut, quæ dixit, facta ſint. Hinc enim dum leproſo Chriſtus dixit: *Mundare,* ſtatim mundata eſt lepra ejus; dum ſurdo & muto dixit *Ephphetha,* id eſt adaparire, apertæ ſunt ejus aures ac lingua; dum dixit Centurioni: *Vade, puer tuus vivit,* ex illâ horâ eſt iſte ſanatus. At verò Chriſti Domini Humanitas accepit in manus panem, & poſteà calicem cum vino, proferendo ſuper ipſis iſta verba: *Hoc eſt Corpus meum, & Hic eſt Sanguis meus,* ſive *Calix Novi Teſtamenti in meo Sanguine.* Iſta autem verba ex ſuâ nativâ proprietate ſignificant realem Corporis & Sanguinis Chriſti exiſtentiam ſub ſenſibili in manibus

nibus

Digitized by Google

nibus Chriſti præſentialiter ac Demonſtrativè exhibito. Ergo cùm antecedenter ſub iſto ſenſibili non exiſteret Corpus & Sanguis Chriſti, oportuit, ſub ipſo conſtitui ex vi veritatis verborum Chriſti, per ipſam Divinitatis virtutem, cujus *Dicere* eſt *Facere*.

Probatio octava, ex S. Ioanne priorum continuativa.

HIc enim Sanctus Evangeliſta *cap. 6. v. 52.* inducit Chriſtum promittentem: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* At Chriſtum illis ſuis verbis intellexiſſe panem ſuperſubſtantialem, patet ex contextu; ſic enim ajebat *verſ. 49. Ego ſum panis vitæ.* Et *v. 50. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Unde conſequens fit, Chriſtum ſubſequenti *v. 52.* aſſerendo, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, eatenùs intellexiſſe carnem ſuam, quatenùs eſſet unita ſui Verbi Divini ſuppoſito, de quo priùs dixerat: *Ego* (denotando adeò Perſonam ſeu ſuppoſitum ſuum) *ſum panis vitæ*, ſive *panis vivus.* At panis ille ſuperſubſtantialis, qui eatenùs eſt caro Chriſti, ut ſit *Hypoſtaticè* unita Verbi Divini ſuppoſito, nequit eſſe tantùm Figura Chriſti, ſed eſt ipſa realis caro Chriſti. Chriſtus ergo Dominus illis verbis promiſit Sacramentum, in quo daret veram carnem ſuam, eò vel maximè, quòd *v. 30.* dixerit, ſe nolle dare talem panem, qualem dedit Moyſes, Manna ſcilicet cœleſte. Eſt autem in aperto, hoc manna fuiſſe veram Figuram Chriſti, ceu panis de cœlo deſcenſuri, ut adeò ſuæ promiſſioni Chriſtus non ſatisfeciſſet, ſi dediſſet talem panem, qui eſſet duntaxat Figura Chriſti, ejuſque Corporis. 39.

Probatio nona, ex S. Paulo priorum continuativa.

HIc enim Apoſtolus 1. *Corinth. 11. v. 24. & 25.* habet ſequentia: *Dominus Ieſus Chriſtus, in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem: ſimiliter & calicem poſtquàm cœnavit, dicens: Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine, hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.* Ex quo & præcedentibus ſacris Textibus ita licet argumentari. Omnes Evangeliſtæ unà cum Apoſtolo Paulo exponunt hoc Euchariſtiæ myſterium verbis proprijs, realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam ſignificantibus. Unde Zwinglius nè unum quidem Jota, vel apicem ex Textibus ſacris de iſto Myſterio ex inſtituto tractantibus producere poteſt, quo illa realis præſentia improbetur, ſed in textu prorsùs diſparato ſuam intentionem fundat, dum tamen nec iſte ſacer Textus eum habeat ſenſum, quem ille Reformator prætendit, *uti ſuprà n. 32. oſten-* 40.

ſum eſt; nec ullus Sanctorum Patrum ipſi ſuffragatur, ſed omnes à ſe diſcordantes habet, uti *inferiùs oſtendetur.* Hinc ergo quæſtio oritur, an majori cum ratione inſiſtatur illorum ſacrorum Textuum prorsùs conſonanti proprietati, ſanctorumquè Orthodoxorum Patrum à primis ſæculis ad noſtra uſque tempora in ſenſu proprio, juxta nativam verborum proprietatem, illos Divinæ Scripturæ Textus accipientium unanimi conſenſui, an verò illius Reformatoris proprio inſtinctui per ſomnium inſpirato à Monitore, quem tamen neſcivit, an albus, vel alter eſſet? Eò vel maximè, quòd ex Antiquitate non habeat quemquam in hoc paſſu ſibi conſentientem, quàm Iudam Iſcariotem, Mahumetanos, Armenos hæreticos, & Berengarium de hæreſi olim convictum, *uti patebit ex ſequenti probatione.*

Probatio decima, ex hæreſum antiquiorum condemnatione petita.

41. NAm *Ioan.* 6. cùm Chriſtus dixiſſet: *Ego ſum Panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Et *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Item *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, &c.* tunc unà cum alijs dixit Iudas: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt audire eum?* Fuitquè inter illos, *qui retrò abierunt, & jam non ambulabant cum Ieſu*, in hæreſin adeò prolabendo. Sic enim illum locum de Iudâ exponit Sanctus Chryſoſtomus, adſtipulaturquè ſacer contextus *v.* 63. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eum eſſet.* Ex quo adeò patet, Iudam, aliosquè retrò abeuntes vocâſſe durum illum ſermonem non eo ſenſu, quòd figuram Corporis & Sanguinis Chriſti, ſed horum realem præſentiam & manducationem ſignificaret, *ex ſacro contextu.* At ex eo, quòd talem ſermonem dicerent durum, retrò abierunt, non credentes, erantquè adeò in hæreſin prolapſi, *ex ſacro textu.* Ergo Iudæ ſecundùm ſacras Litteras ex hoc fuit imputata hæreſis, quòd non crederet realem carnis Chriſti manducationem à Chriſto tunc promiſſam.

42. Deinde impius Averroes *apud Prat. V. Mahometes* ex ſenſu Mahumetanorum impios vocabat Chriſtianos, quòd ſuum Deum manducarent. At nunquid talis erga Pontificios exprobratio fit à Pſeudoreformatis? Quid ergo ſibi vult Conſenſus Orthodoxus *in Præfat. §. Rogamus*, aſſerens, *Lutheranos cum Mahumetis Alkorano familiariùs, quàm ſe Reformatos colludere.* Anne Vedroſi iſta comparatio ſaltem aliquem illius colluſionis gradum in Reformatione tuâ admittit?

43. Denique Berengarius cùm docuiſſet in ſacrâ Eucharistiâ, non eſſe verum Corpus, ac verum Sanguinem Ieſu Chriſti, ſed hujus duntaxat figuram & ſimilitudinem, exinde damnatus Anno 1059. ſub Nicolao II. recantavit

Digitized by Google

tavit ſequenti editâ fidei profeſſione. *Ego Berengarius indignus S. Mauritij Andegavenſis Eccleſiæ Diaconus, cognoſcens veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de quâ hactenùs infamatus ſum: quæ aſtruere conatur, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur poſt Conſecrationem, ſolummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe &c.* Ex *Can. Ego Berengarius de Conſec. diſt. 2.* Et Lanfranco *lib de ſac. Euch.* Et verò Miniſterium Reformatum *Præfat. in Conſ. Orth. de Cont. Sacram. §. Hoc autem.* fatetur, quòd Lutherus Papam Nicolaum commendet, qui Berengarium ad eam palinodiam adegerit. En igitur, illum Zwinglij proprium inſtinctum ita à nullo Orthodoxo Doctore, ſed à damnatis duntaxat hæreticis ſeu infidelibus antehac commendatum ita nutare, ut ejus condemnatio & palinodia ipſimet etiam Luthero probetur.

Probatio undecima, ex Patrum primis quinque ſæculis degentium authoritate petita.

NAm primo poſt Chriſtum ſæculo reali Chriſti in Euchariſtiâ præſentiæ teſtimonium fertur *lib. de paſſione S. Andreæ Apoſtoli* ab ejuſdem Diſcipulis conſcripto, ubi referuntur ſequentia Andreæ verba. *Ego Omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidiè ſacrifico.* Et: *Qui cùm ſit verè ſacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ, integer perſeverat & vivus.* Item à Sancto Ignatio *in Epiſt ad Smirnenſ.* apud Theodoretum *Dial. 3.* ita ſcribente: *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur, Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſuâ benignitate ſuſcitavit.* 44.

Secundo ſæculo pro illo myſterio teſtimonium tulit Iuſtinus Martyr *in Apol. 2. ad Ant. Imper.* ita ſcribens: *Non enim ut communem panem, neque communem potum hæc ſumimus, ſed quemadmodùm per Verbum Dei incarnatus Ieſus Chriſtus Salvator noſter & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtrâ habuit; ſic etiam per preces Verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factam cibum &c. illius incarnati Ieſu & carnem & Sanguinem eſſe edocti ſumus.* Idem teſtati ſunt Pius Papa 1. *in Can. Si per negligentiam. De Conſ. diſt. 2.* Et Irenæus *lib. 4. contra hæreſes cap. 34.* 45.

Tertio ſæculo Sanctus Cyprianus *Serm. 5. de lapſis.* reprehendens eos, qui poſt negatum Chriſtum ad Sacramentum Euchariſtiæ accedunt, ait: *Vis infertur Corpori ejus & Sanguini.* Origenes *hom. 7. in lib. Num. Tum in ænigmate erat manna cibus, non autem in ſpecie: caro Verbi Dei eſt verus cibus, ſicut ipſe dicit, quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Idem claris verbis teſtatur *Homil. 5. in diverſos. Hom. 13. in Exod. & lib. 8 contra Celſum Ethnicum.* Item Tertullianus *lib. 2. ad uxorem in Apol. cap. 7. lib. de cor. Milit. & lib. de reſur. carnis.* 46.

47. Quarto ſæculo Concilium Nicænum 1. *Diatyp. de Div. Menſâ* ſic definit: *Iterum etiam hic in Divinâ menſâ &c. attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in illâ ſacrâ Cœnâ Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius Corpus & Sanguinem.* Idem claris verbis docuerunt Sancti Patres illius ſæculi, Athanaſius *lib. de hum. Nat. ſuſcept.* Cyrillus Hieroſolymit. *Cateh. 4. Myſtag.* Hilarius *lib. 8. de Trinit.* Baſilius Magnus *lib. 2. de Baptiſ. cap. 3.* Gregorius Niſſenus *lib. de vitâ Moyſi, & in Oratione Catecheticâ cap 37. de Eucharist.* Gregorius Nazianzenus *in Orat. 2. de Paſch.* Optatus Milevitanus *lib. 6. contrà Parmenian.* Epiphanius *in Ancorato circà medium.* Ephrem *lib. de Nat. Dei cap. 5.* Ambroſius *lib. de ijs, qui Myſterijs initiantur cap. 9. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. lib. 4. de Sacram. cap. 4. & cap. 5. item lib. 6. de Sacram. cap. 1.* ita diſſerens: *Sicut verus eſt Dei Filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi Filius ex ſubſtantiâ Patris, ita vera ejus caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus ejus ſanguis, quem potamus &c.*

48. Quinto ſæculo illi myſterio teſtimonium tulit Generalis Epheſina Synodus Cyrilli Alexand. *Epiſt. ad Neſtorium* approbans: *To. 1. cap.* 14. ubi ſic habetur: *Atque ita ad myſticas accedimus benedictiones, ac ſanctificamur participes facti ſanctæ carnis, pretioſique ſanguinis Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, nec ut communem carnem accipimus, abſit, neque tanquàm viri ſanctificati &c. ſed ut verè vivificatricem, & ipſius Verbi propriam.* Similia habent Sanctus Chryſoſtomus *hom. 51. in Matth. hom. 60. ad popul. Orat. de S. Philogonio, item homil. 61. & 80. in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 10. hom. 24.* ubi ait, in Altari eſſe præſens idem Chriſti Corpus, quod erat in præſepi. Hieronymus *Epiſt. 150. ad Hedibiam q. 20. item in Com. Matth. 26. ad cap. 1. Malach. & Epiſt. ad Titum cap. 1.* Auguſtinus *Epiſt. 20. Honorat. cap. 27. lib. 8. ad Ianuar. cap. 6. lib. 3. de Trinit. cap. 4. & 10. lib. 2. contrà adverſ. leg. & Prophet. cap. 9. in Pſalm. 20. Conc. 1. In Pſal. 98. tract. 11. in Ioannem,* & plurimis alijs locis, è quibus unicè hîc produco, quæ *in Pſal. 33. Conc. 1.* ſuper titulum Pſal. *Ferebatur in manibus ſuis,* diſſeruit; *Hoc verò fratres quomodò poſſet fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipſo David ſecundùm litteram non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum ait: HOC EST CORPUS MEUM. Ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.*

49. Ex quibus ita licet argumentari Fatetur Reformatum Miniſterium, primis quinque ſæculis Patres Orthodoxos fuiſſe veramque de Deo, ejuſque cultu fidei doctrinam omninò illibatè tradidiſſe, adeò ut illius Reformationis Miniſtri quandoquè diſertis verbis promiſerint, ſe reverſuros

Digitized by Google

ros ad Romanam Eccleſiam, ſi in hac vigeret illorum antiqua doctrina. At Patres ſuperiùs nominatos primis quinque ſæculis degentes tanquam Orthodoxos admittit idem Reformatum Miniſterium. Hos verò omninò credidiſſe veram Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam, apertè demonſtrant ipſorum verba, partim per extenſum poſita; partim cuiquè ad libitum exprimenda. Conſequens igitur eſt, Eccleſiam Romanam tenendo veram Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam, tradere veram Orthodoxæ fidei doctrinam, meritò adeò amplectendam à Reformato Miniſterio, quod eo ipſo, dum deſeruit proprietatem verborum, ſub quibus Chriſtus Dominus Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, ita ſequitur inſtinctum ſui proprij ſpiritûs antehac in Patribus antiquis incognitum, ut vel hinc evincatur, ingreſſum fuiſſe rationem, ex quâ dignoſcuntur quæque antiquiores hæreſes exortæ, *uti ſuperiùs eſt oſtenſum.*

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ.

AD *primam* Reſp. Age Heideggere, videamus, an Redingius, vel tu potiùs ſophiſtam hic agas. Cur, ſi adeò fideliter ac ſyncerè procedis, non integrè poſuiſti diſcurſum Redingij *pag. 44. & 45.* deductum. Tu enim in *Synodali tuâ Diſſertatione §. 4.* ita concludebas: *Si igitur idololatria quondam umbratilibus Cæremonijs adhuc vigentibus, fuit adorare Deum quaſi cum fictione habitationis typicæ, ſive in figurâ, quam Deus in figuram non elegerat, vel inſtituerat, quid non erit quaſi adorare Deum, & quaſi Chriſtum cum fictione in hoc magis, quàm alio terreſtri loco, quando non ampliùs umbræ obtinent, ſed ipſa Veritas venit.* 50.

Hoc proinde telum in caput tuum ita retorſit Redingius: Nunquid, inquiens, Eccleſia Tigurina adorat quaſi Deum & quaſi Chriſtum in ſuâ Euchariſtiâ cum fictione habitationis typicæ, ſive in figurâ, quando non amplius umbræ obtinent, ſed ipſa Veritas venit? Nunquid ipſemet Chriſtus apertis verbis dixit de Sacramento Euchariſtiæ, *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, ſeu *Calix ſanguinis mei*? Nunquid *Tò Eſt* ſi non *umbraticè* ſeu *figuratè* ac *tropicè* accipiatur, ſignificat exiſtentiam & præſentiam realem? Ut quid ergo Eccleſia Tigurina cum ſuo Magiſtro Zvvinglio trahit veritatem tam apertam ad figuram, aſſerendo, illa verba perinde eſſe accipienda, ac ſi diceretur: *Hoc ſignificat Corpus meum*, ſive *Hoc eſt figura Corporis & Sanguinis mei*? Unde Zvvinglius habuit mandatum Dei, ut cul- 51.

cultum Chriſto in Euchariſtiâ, qualem vera Orthodoxa Eccleſia, ceu myſtica Hieruſalem etiam Tiguri ante aſſertam Reformationem, altero abhinc ſæculo adhuc vigens, credebat realiter præſenti debitum, transferret in Samaritanorum montem Garizim? Nunquid non veritas ipſa de Sacramento Euchariſtiæ dixit: *Ego ſum Panis vivus, qui de cælo deſcendi*? Nunquid ſub iſto pronomine *Ego* importatur ipſemet Chriſtus verus Deus & homo? Nunquid *To Sum* ſub illis verbis Chriſti importat veritatem exiſtentiæ ac præſentiæ realis? Ut quid ergo Eccleſia Tigurina ſine mandato Dei tranſtulit Veritatem in figuram.

52. En igitur Heideggere, Redingium apertè, non technicè, vel ſophiſticè procedenten. At cur non reſpondiſti ejus argumentis, ſed vel ſolâ calumniâ horum vim elidere tentâſti? At vir fortis non frangitur convitijs. Verùm audiamus reliqua. Ais enim 1. quòd tua Reformatio Veritatem traxerit ad figuram, noſtram eſſe culpam, utpote qui ex Euchariſtiâ immani errore Veritatem ſuſtulerimus, comicâ quâdam licentiâ exterminando Corpus Chriſti, & ſub inani accidentium larvâ ſubſtituendo ſubſtantiam quandam indiviſibilem, Corpus non Corpus, id eſt nihilum ſub nihilo oſtentando & adorationi exponendo.

53. At nugaris Heideggere in tam ſublimi ac Divino myſterio. Nos enim verbis Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, inſiſtendo, verum Chriſti Corpus, atque adeò ſubſtantiam quantitate affectam, ac proinde diviſibilem cum omnibus ſuis proprietatibus, cumque extenſione in ordine ad ſe, non tamen cum actuali in ordine ad locum extenſione, profitemur. At hoc totum probamus ex ſacris Evangeliſtarum textibus, qui uniformiter uno corde & calamo tradiderunt, Chriſtum, accepto in manus pane, hunc benedixiſſe, fregiſſe, ac dediſſe Apoſtolis, dixiſſequè, *Hoc eſt Corpus meum*. Eo ipſo autem, quòd Chriſti verba ejus ſint efficaciæ, ut *Dicere* ipſius ſit *Facere*, oportuit, ut vi illius benedictionis ac veritatis verborum illorum, ita eſſet præſens Corpus Chriſti, ut etiam fracto illo ſenſibili, quod Chriſtus poſt peractam benedictionem manibus tenebat, eſſet verum de ſingulis ejus partibus, *Hoc eſt Corpus Chriſti*: ſic enim apertè tradunt verba Chriſti, ut de ſingulis partibus à ſe porrectis Chriſtus diceret, *Hoc eſt Corpus meum*. At eo ipſo, quòd vi iſtorum verborum in ſingulis ſpecierum partibus exiſteret verum Chriſti Corpus, verificatur, eſſe totum in totâ ſpecierum quantitate, & totum in ſingulis partibus. Hoc verò perinde eſt, ac ſi diceretur, illam Chriſti Corporis ſubſtantiam cum totâ ſuâ ſubſtantiali & quantitativâ integritate ibi exiſtentem, eſſe *Quantitativè* diviſibilem, ſolùmquè carere actuali in ordine ad locum extenſione. Conſtat proinde

de, nos ſacræ Scripturæ conformiter ita profiteri in Euchariſtiâ verum Chriſti Corpus, ut Heideggerus convincatur non niſi *illuſoriè*, & *cavillatoriè*, imò *blaſphemè* nobis inſultare, quaſi Nihilum ſub Nihilo ibi oſtentaremus.

Sed ait 2. Nos Comicâ quâdam licentiâ ex Evchariſtiâ exterminâſſe panem, nuda pro pane accidentia ſubſtituendo. Verùm Heideggere, audi denuò ſequentem à Redingio in *ſuis Refutatorÿs* inſinuatum, à te verò minimè refutatum diſcurſum. In his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, Pronomen Demonſtrativum *Hoc* ſignificat ſub ſenſibili præſentialiter exhibito ſubſtantiam Corporis Chriſti cum unitate individuali. At eo ipſo, quòd ſub iſto Evchariſtico ſenſibili ſignificetur ſubſtantia Corporis Chriſti cum Hæcceitate, ſive unitate individuali, per *Tò Hoc* importatâ, realiter præſens, oportet, eſſe exterminatam panis ſubſtantiam. Ergo ipſa Chriſti Domini verba ex Evchariſtiâ ita exterminant ſubſtantiam panis, ut ſub hujus tamen accidentibus ſucceſſerit ſubſtantia Corporis. Vides igitur Heideggere, nihil à nobis circà Evchariſtiam ſtatui, quod non ſit fundatum in verbis Chriſti, uniformiter relatis ab Evangeliſtis. Crede ergo Evangeliſtis. 54

Ad *ſecundam* Reſp. Heideggere, in hac tuâ argutiâ agis ſophiſtam vel malitioſum, vel valdè indoctum. Ais enim 1. in verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, Pronomen *Hoc* nobis denotare rem indeterminatam & vagam, adeoquè Nihil. Verùm diſtinguendo elucidare debuiſſes, an iſta indeterminatio ſe teneat vel ex *parte rei*, vel ex *parte intellectûs*. At quia Dialecticis notum eſt, quòd copula *Eſt* ſignificet identitatem prædicati cum ſubjecto, oportet, in illâ propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, Pronomen *Hoc* denotare ſubſtantiam, ſub ſenſibilibus *Demonſtrativè* exhibitis panis accidentibus præſentem, quæ, utpote Corpus Chriſti, ex parte ipſius rei non poteſt non eſſe determinata. Nihilominùs pro illo ſigno, quo Pronomen *Hoc* ex parte ſubiecti in illâ prædicatione poſitum pronunciatur, nondum habet completam ſignificationem, ſed hanc obtinet primùm in fine enunciationis. Unde pro tali ſigno ſignificat rem indeterminatam, iſtâ tamen indeterminatione ſe tenente non ex parte rei, ſed ex parte modi noſtri intelligendi. Vides igitur Heideggere, nos minimè ludere figuris audacibus & inverecundis, ſed id affirmare, quod ipſa natura quarumlibet propoſitionum tibi, ſi Dialecticus ſis, optimè nota, ac verborum Chriſti proprietas præſefert. 55

Ais 2 Nomen panis nobis denotare carnem, cùm tamen Evangeliſtæ dicant, Chriſtum panem dediſſe. Verùm fallaciter in hoc agis cum Evangeliſtis. Hi enim dicunt, Chriſtum accepiſſe panem, benedixiſſe, ac fregiſſe, dediſſequè Diſcipulis, dicendo, *Hoc eſt Corpus meum*. At ii Chriſtus, cujus 56

Dico

Dicere eſt *Facere*, benedicat pani aſſerendo, *Hoc eſt Corpus meum*, oportet, vi hujus benedictionis jam non eſſe panem illum corporalem ac triticeum, qui priùs fuerat, ſed eſſe Corpus ipſius, nempe Chriſti: nec adeò verum eſt, quòd Evangeliſtæ dicant, Chriſtum dediſſe panem, ſed hunc acceptum benedixiſſe aſſerendo: *Hoc eſt Corpus meum*, atque adeò jam non panem, ſed Corpus Chriſti dediſſe, uti apertis verbis teſtantur omnes Evangeliſtæ. Unde illa tua Heideggere, cavillatio arguitur apertæ adversùs Evangeliſtas falſitatis.

57. Ais 3. Fructum vitis nobis eſſe ſanguinem. Verùm in iſto fructu vitis oportet diſtinguere id, quod ſubſtantiale, & id, quod accidentale eſt. At Chriſtus ita accepit in manus vinum, quod tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm ſecundùm accidentia erat fructus vitis, ut benedicendo tamen, diceret: *Hic eſt Sanguis meus*. Eo ipſo autem, quòd iſtorum verborum veritas exigat ſub hiſce fructûs vitis ſenſibilibus accidentibus realem ſanguinis Chriſti exiſtentiam, oportet, ante abſolutam illam propoſitionem eatenùs extitiſſe fructum vitis, ut in fine ejuſdem ſub illis jam eſſet realiter præſens Chriſti ſanguis, nec adeò erat ampliùs fructus vitis quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad accidentia. Cavillatio ergo tua eſt, quòd *inverecundâ* figurâ, fructus vitis *ſubſtantialiter* ſpectatus nobis ſit ſanguis.

58. Ais 4. *Hoc facere* eſſe nobis Corpus Chriſti in ſacrificium propitiatorium ſacrificare. Verùm de hoc inſtituto agetur in *ſequenti Diſſertatione*; intereà tamen quo ſenſu & quo fundamento id aſſeramus, audi ex Redingij in *ſuis Refutat. pag. 156. & 157.* diſcurſu per te needum ſoluto, firmoquè adeò ſubſiſtente, qui ita ſe habet: Chriſtus Dominus in ultimâ Cœnâ proferendo iſta verba: *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus*, hoc ipſum effecit, quod iſtis verbis ſignificavit, ſiquidem verba ipſius ſint infallibilis Veritatis, ſintquè adeò effectiva illius rei, cujus effectio ad talium verborum veritatem eſt neceſſaria: unde cùm illa verba ſignificent realem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus præſentiam, oportet, Chriſtum illis verbis hanc realiter effeciſſe. At quod Chriſtus in ultimâ Cœnâ illis verbis effecit, hoc ut Apoſtoli, eorumquè adeò ſucceſſores facerent in ſuam commemorationem, juſſit ipſemet Chriſtus, *Hoc facite*, inquiens, *in meam commemorationem*. Hinc autem planum eſt, Chriſtum dediſſe Apoſtolis, eorumquè in Eccleſiâ Dei ſucceſſoribus talem poteſtatem, ut in ſuam commemorationem, mediantibus illis verbis, facerent actionem, per quam Corpus & Sanguis Chriſti eſſet ſub ſpeciebus panis & vini. At illa actio erat verè ſacrificialis: tum quia erat à Chriſto tanquàm Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech juxta Prophetiam Davidis *Pſal. 109.* prout eam explicat com-

communis conſenſus Patrum, ſpeciatim Clementis Alexandrini in *lib. 4.*
Stromat. Cypriani *lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcilium.* Euſebij Cæſar. *lib. de Demonſt. E-*
vang. cap. 3. Ambroſij *lib. 5. de Sacram. cap. 1.* Epiphanij *hæreſi 55.* Hieronymi *E-*
piſt. ad Evag. & Epiſt. ad Marcel. Chryſoſtomi *hom. 35. in Geneſ.* Auguſtini *lib.*
contra adverſ. leg. & lib. 83. quæſt. 61. item lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. Theodoreti
in Pſal. 109. Iſidori Peluſiotæ *lib. 1. Epiſt. 31.* Primaſij *in Epiſt. Pauli ad Hebr.* Heſy-
chij *lib. 6. in Levit. cap. 21.* Tum quia ipſi convenit vera Sacrificij definitio, 59.
uti expendenti patebit: tum quia ſucceſſit omnibus Legis Veteris ſacrifi-
cijs, præſertim Agni Paſchalis immolationi tanquàm figuræ, cui ceu Veritas
figurata in ratione ſacrificij reſpondet illa actio Chriſti in ultimâ cœnâ, per-
actâ uti clarè docent Cyrillus Alexandrinus *adverſ. Anthropomorphytas cap. 12.* Hie-
ronymus *in cap. 26. Matth.* Chryſoſtomus *in cap. Matth. 26. Hom. 83.* Auguſtinus
lib. 2. contrà litteras Petiliani cap. 37. Leo *Serm. 1. de paſſione Dom.* Iſiphius *lib. 2. in*
Levit. cap. 8. & alij. Tum denique quia hoc Miſſæ Sacrificium à Chriſto Do-
mino inſtitutum in ultimâ Cœnâ, clarè exprimitur illâ prophetiâ *Malach. 1.*
v. 10. Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni
loco ſacrificatur & offertur mihi oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus,
dicit Dominus exercituum. Quam prophetiam de Miſſæ ſacrificio accipien-
dam eſſe, teſtantur etiam Sancti Patres, ſpeciatim Tertullianus *lib. 4. cont.*
Marcion. Irenæus *lib. 4. cap. 32.* Juſtinus Martyr *Dial. cum Tryph.* Chryſoſto-
mus *in Pſalm. 95. & Orat. 2. adverſ. Judæos.* Auguſtinus *lib. 18. de Civit. cap. 35.*
Vides igitur Heideggere, te ſophiſticè agere, dicendo, quaſi abſolutè lo-
quendo *Facere* nobis idem eſſet, ac *Sacrificare*, ſed ſub circumſtantijs jam de-
ſcriptis hoc aſſerimus tali equidem fundamento, quod hactenùs inconcuſ-
ſum fuerit, tu verò ne quidem digito tetigeris, dum agebas contrà Re-
dingium.

Ais 5. Nos dicere, Corpus Chriſti *Figuratè* appellari panem, eò quòd 60.
panis fuerit ante conſecrationem, perinde ac ſi diceremus, ſenem eſſe ju-
venem. At crimen falſi in hoc committis; nulli enim Pontificiorum
hoc in mentem venit, ſed ſi ſermo ſit de pane ſuperſubſtantiali, dicimus, eti-
am Corpus Chriſti eſſe panem, quia ipſemet Chriſtus id teſtatus eſt *Joan. 6.*
Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ. Et, *Ego ſum Panis vivus, qui de cœ-*
lo deſcendit. Si verò ſermo ſit de pane corporali *ſubſtantialiter* accepto, dicimus
quidem, vi conſecrationis Euchariſticæ tranſubſtantiari in Corpus Chriſti,
prout ſeq. Diſſertatione probabitur. At nullus ex noſtris ait, ideò eſſe panem,
quòd ſubſtantia panis ſub accidentibus remanentibus fuerit ante conſecra-
tionem, ut adeò illa tua cavillatio, quâ ludendo dicis, perinde fore, ac ſi ſe-
nex diceretur juvenis, in caput tuum retorqueatur, dum exinde probaris,

te agere illuſorem; qui ſolus portabit malum. *Proverb. 6.*
Ad *tertium* Reſp. Te ipſum Heideggere, ſi vel ſcintilla ſynceri ergà
61. veritatem amoris in te eſt, hîc interpello judicem, ut edilleras an il-
lud Eccleſiæ Tigurinæ præcipuum ex Zwinglio *ſuprà à n. 28. citato* de-
promptum argumentum dicere audeas invictum? Et quia nullus fidei arti-
culus ſecundùm veſtram Reformationem ſubſiſtit niſi in ſacris Literis, in-
ſtantiſſimè à te requiro, ut Textum aliquem ſacrum exhibeas, in quo ex-
preſsè dicatur, iſta verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, debere intelligi de
modo præſentiæ Corporis Chriſti tum relativo, tum ſpirituali duntaxat?
62. Quòd ſi dicas, hoc *virtualiter* ſaltem eſſe contentum in ſacrâ Scripturâ,
quæro ex te, an, ut illud Eccleſiæ Tigurinæ à Pontificijs, imò & Lutheranis
præcipuum diſtinctivum dogma ex aliquo ſacro Textu eruas, opus ſit aliquo
diſcurſu, vel ex ipſomet litterali ſenſu *immediatè* intelligas? Si hoc poſterius af-
firmes neceſſum erit, ut illũ exhibeas, quod tamen ſcio, te præſtare non poſſe.
Si prius aſſeras, te denuò convenio, an iſte diſcurſus ſit ex puro fidei lumi-
ne, vel ex naturali tuâ, vel alterius Reformati Doctoris ratiocinatione?
Si prius, opus erit, talis ratiocinationis utramque præmiſſam eſſe Divinitùs
revelatam, adeoquè ſecundùm tuæ Reformationis principium debebunt
ambæ *Formaliter* eſſe contentæ in Scripturâ Divinâ. Has igitur exhibeas,
oportet, quod tamen ſcio, te minimè poſſe præſtare. Si poſterius, tunc
eo ipſo fateris, illud Tigurinæ Eccleſiæ dogma eſſe ex hominis fallibilis ra-
tiocinatione ac inventione. Quo igitur jure licuit talem ratiocinationem
eatenùs præferre ipſimet Divinorum Chriſti verborum proprietati, ita ut,
dum Chriſtus dixit, *Hoc eſſe Corpus ſuum*, tu dicere audeas, *Hoc ſignificare* (nec
adeò eſſe) *Corpus Chriſti*? Judica proinde, an tutiùs ſit, illâ tuæ ratiocinatio-
nis ſcrutatione niti, vel potiùs verborum Chriſti proprietate, prout ex-
preſsè eſt uniformiter aſſerta ab Evangeliſtis.
63. Ad *quartam* Reſp. Quid putas Heideggere? Tenetnè iſta conſequen-
tia? Agnus ille, qui tollit peccata mundi, jam inde à jactis mundi funda-
mentis mactatus fuit, Dei videlicet Decreto, & Spiritûs ſancti, Fideiquè
efficaciâ. Ergo Scripturæ ſacræ verba, illius Agni Dei mortem & mactatio-
nem exprimentia, accipi poſſunt de Chriſti mactatione in Dei Decreto, &
Spiritûs ſancti, Fideiquè efficaciâ? Utique hanc conſequentiam argues hæ-
reſeos: ſed ex quo fundamento? Non ex alio ſanè, quàm ex ipſamet ſacræ
Scripturæ Chriſtum pro nobis mortuum, ac in Cruce immolatum clami-
tantium proprietate. At illa Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ſecundùm
proprietatem verborum æquè ſignificant realem & Exercitam Chriſti præ-
ſentiam ſub hocce *Demonſtrativè* exhibito ſenſibili, ac illa, quibus Chriſtus
dici-

Digitized by Google

dicitur pro noſtris peccatis mactatus ſeu mortuus in cruce. Ergo nec tene-
bit iſta conſequentia, *ſi ex eo, quòd præſentia Corporis Chriſti in Decreto Dei, ac Spi-
ritûs ſancti, Fideique efficaciâ fuerit jam inde à jactis mundi fundamentis*, contendas
inferre, *Corpus Chriſti non eſſe jam realiter præſens in Euchariſtiâ.* Imò Juſtinus Mar- 64.
tyr *ſuprà n. 45.* adductus docuit, quòd, *Quemadmodùm per Verbum Dei incarnatus
Ieſus Chriſtus Salvator noſter & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtrâ habuit, ſic etiam
per preces Verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factam cibum &c. illius incarnati Ieſu & car-
nem & ſanguinem eſſe, ſimus edocti.* En igitur, ab iſto Sancto Doctore fieri æqui-
parantiam inter realitatem carnis in Verbo incarnato, & realem carnis &
ſanguinis Chriſti in Euchariſtiâ exiſtentiam. Si proinde hæreſis foret dice-
re, Verbum eſſe incarnatum in Decreto duntaxat Dei, ſic eandem meritò
cenſuram Heideggere timeas, dum in altero circà Euchariſtiam myſterio
verbis Chriſti illudis potiùs, quàm ut eorum Veritati attendere velis. Sed
pergit hic Tigurinus Doctor ſequenti in formam ſyllogiſticam redacto ar- 65.
gumento. Veteris Teſtamenti Patres eandem nobiſcum ſpiritalem eſcam
comederunt, & de eâdem petrâ, Chriſto biberunt. 1. *Corinth.* 10. *v.* 3. 4. & 5.
At ille præſentiæ Corporis Chriſti localis & incluſivæ modus tunc locum
habere non potuit. Ergo Veritas præſentiæ conſtare poteſt, etiamſi mo-
dus ille præſentiæ, quem *ſophiſticè* Eccleſia Pontificia invexerit, minimè ad-
mittatur, & Verbi Divini penetrantiſſimo gladio juguletur.

Verùm allegatus Pauli ſacer Textus in nullâ verſione (uti videre eſt 66.
in Biblijs Regijs) habet expreſſam illam vocem *Nobiſcum*; imò ſacer contex-
tus claris verbis oſtendit, ibi fieri comparationem inter ipſos Iudæos, ita ut,
licèt omnes eandem eſcam ſpiritalem manducârint, & de eâdem petrâ, ſci-
licet Chriſto biberint, tamen non in pluribus eorum beneplacitum ſit Deo,
ſed proſtrati ſint in deſerto. *Ex cit. v.* 5. Quâ igitur fronte Heideggere auſus
es illam vocem ſacro Textui inſerere, quaſi ad ipſum *Formaliter* ſpectaret?
Siccinè non jam Verbi Divini penetrantiſſimo gladio, ſed tuo audaci com-
mento conaris jugulare Veritatem? Verum quidem eſt, Sanctum Augu-
ſtinum *tract. 26. in Ioan. virtualiter ſaltem* illum ſacrum Textum eatenùs appli- 67.
care, quaſi fideles Veteris Teſtamenti eandem nobiſcum eſcam manducâſ-
ſent: at ut verum & genuinum illius ſacri Textûs ſenſum ſecundùm teno-
rem ac mentem Sancti Auguſtini teneres, oportuiſſet, te integrum hujus San-
cti Doctoris diſcurſum ponderare; ait enim *ibidem* expreſſè, Manna, de quo
Judæi tanquàm eâdem ſpiritali eſcâ manducabant, fuiſſe Umbram illius
panis vivi, qui de cælo deſcendit: hunc verò eſſe Veritatem, de quâ pro-
cedat illud Chriſti Domini: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in
æternum. Et Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* En igitur Iudæi

 ſecun-

ſecundùm mentem Auguſtini ſolùm *Analogicè* eandem eſcam ſpiritalem no-
biſcum manducârunt, dum ſcilicet illi Manna tanquàm Umbram, nos ve-
rò Veritatem, quæ ſit ipſe Chriſtus, ceu panis vivus de cælo deſcendens,
manducemus, Chriſto Domino atteſtante: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*
68. *pro mundi vitâ.* Et verò nonne Apoſtolus *cit. cap. 10. v. 6.* mox adjecit: *Et hæc*
in figurâ facta ſunt? Hinc autem elucet, quòd tum ipſa rei natura, tum expreſ-
ſa Apoſtoli locutio demonſtret, Chriſtum in ſenſu tantùm Figurato dici pe-
tram. Econtra ipſorum Chriſti verborum natura & proprietas ab Evange-
liſtis uniformiter expreſſa, & à Patribus unanimiter recepta, demonſtrat,
Hoc, quod Chriſtus in ultimâ Cœnâ Apoſtolis mandavit in ſui memoriam
faciendum, *eſſe Corpus Chriſti.* Quia ergo in priori ſacro Textu, retentâ pro-
priâ verborum ſacrorum naturâ, habetur expreſſus ſenſus Figuratus, in po-
ſterioribus autem Chriſti verbis, retentâ eorum proprietate, habetur expreſ-
ſa realis Chriſti intrà Evchariſtiam præſentia, conſequens eſt, illam Hei-
deggeri argumentationem nullius eſſe valoris, dum ex ſacro Textu (ſuæ
tamen propriæ adinventionis falſitatem ei commiſcendo) Figuratum ſen-
ſum expreſſè præſeferente, inferre contendit Figuratam locutionem in ver-
bis Chriſti, quæ per naturam ſuam non niſi proprium ſenſum ſonant.

69. Ad *quintam* Reſp. Ex ijs, quæ *ſuprà Diſſert. 4. ſect. 4. cap. 4. ad 8. n. 60. & ſeqq.* cir-
cà præallegatas Theodoreti ſententias dicta ſunt. Etenim Theodoretus lo-
co per Vedroſium mutilè & infideliter *citato*, apertis verbis aſſeruit: In Ev-
chariſtiâ id, quod ſecundùm naturam eſt Corpus, jure vocari Corpus, & iti-
dem Sanguinem. At hoc minimè obſtante, ait Theodoretus, Servatorem
noſtrum nomina commutâſſe, & Corpori impoſuiſſe nomen Symboli, ſym-
bolo autem nomen Corporis. Eo ipſo autem, quòd talis facta ſit nominum
commutatio, ut Corpori quidem ſit impoſitum nomen ſymboli, id eſt Sa-
cramenti, attamen de jure vocetur Corpus id, quod in Evchariſtiâ ſecun-
dùm naturam Corpus eſt, manifeſtum eſt, ex illâ nominum commutatio-
ne minimè ſequi, quòd in Evchariſtiâ non exiſtat realiter Corpus Chriſti.
70. Quinimò Theodoretus rationem reddens illorum nominum commutatio-
nis, ait, quòd per hoc voluerit Chriſtus, ut ij, qui ſunt Divinorum Myſte-
riorum participes, non attendant naturam eorum, quæ videntur, ſed prop-
ter nominum mutationem mutationi, quæ fit ex Gratiâ, credant. At idem
Theodoretus, quænam ſit iſta per Gratiam mutatio, exponens, dicit: Do-
minum, cùm accepiſſet ſymbolum, ita dixiſſe, *Hoc eſt Corpus meum*, ut hinc
probetur, Dominum habuiſſe verum Corpus. Eſt autem manifeſtum, quòd
iſta contrà Eutychianos probatio non ſubſiſteret, ſi illa gratiæ mutatio im-
portaret nudam nominum mutationem, non verò inferret realem Corporis

Chri-

Digitized by Google

Chriſti in Euchariſtiâ exiſtentiam. Conſequens igitur eſt, Theodoreti mentem fuiſſe, quòd illa nominum mutatio ſupponat realem panis in Corpus Chriſti mutationem, vi cujus ſub Euchariſticis panis ſpeciebus realiter exiſtat Corpus Chriſti, & ſic tandem ex iſto myſterio probari verum Chriſti Corpus.

Ad *ſextam* Reſp. Ex ijs, quæ *Diſſert. 2. Sect. 4. cap. 4. n. 63.* dicta ſunt. Ex 716
quibus ita licet argumentari. Sanctus Auguſtinus *lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 15.* aliud non dicit, quàm ſi illa locutio, quâ Chriſtus carnem edendam, & ſanguinem ſuum bibendum ſe oblaturum edixit, in litterali Capharnaitarum ſenſu accipienda foret, tunc Chriſtum fuiſſe præcepturum flagitium, aut crimen. Unde accipi debere in ſenſu Figurato & myſtico, per quem eatenùs ſit communicandum, ut hæc tamen communicatio non excludat Corporis & Sanguinis Chriſti participationem. Hinc illorum Chriſti verborum: *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis*, oportet, duplicem ex Divo Auguſtino diſtinguere litteralem ſenſum, alterum ex lumine naturali cognitum, alterum ex lumine Fidei regulatum. At priorem duntaxat in Capharnaitis reprobâſſe Chriſtum, ait ille Sanctus Doctor *citatus*, uti ſe clariùs explicat *tract. 27. in Ioan. cap. 6.* De poſteriore ergo litterali ſenſu eatenùs verificantur præallegata Chriſti Domini verba, ut propterea idem Sanctus Doctor tum alibi perſæpe, tum *lib. 2. contra adverſ. Leg. & Prophet. cap. 9.* taliter diſſerat: *Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum carnem ſuam manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde & ore ſuſcipimus: quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quàm perimere &c.* Vides igitur, Sanctum Auguſtinum eatenùs excludere corporalem ſolo naturæ lumine notam & à Capharnaitis perperàm intellectam Carnis Chriſti manducationem, ut ea tamen, quam à Chriſto traditam ex verâ fide ſuſcipimus, fiat etiam ore, ita, ut ſicut Chriſtus, teſte eodem Sancto Auguſtino *in Pſal. 3. Con. 1.* ſe ipſum realiter manibus ſuis ferebat, quando dicebat: *Hoc eſt Corpus meum*, ſic ſe ipſum manducandum, & ore noſtro ſuſcipiendum realiter det, uti etiam expreſſit *lib 8. ad Januarium; cap. 6. Placuit*, inquiens, *Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani primùm Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi.*

Ex ijs porrò, quæ Sanctus Auguſtinus contrà Adimantum Manichæ- 723
um *cap. 12.* ſcripſit, ita licet argumentari. Si Chriſtus Dominus, cùm daret ſignum Corporis ſui, indubitanter dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, manifeſtè ſequitur, in tali myſterio ita fuiſſe ſignum Corporis Chriſti, ut ſimul ſtaret Veritas Corporis Chriſti. At Divus Auguſtinus *citatus* ait, Chriſtum Dominum non dubitâſſe dicere, *Hoc eſt Corpus meum, cùm daret ſignum Corporis ſui.* Conſequens igitur eſt, Auguſtinum non ejus fuiſſe ſententiæ, quaſi Corporis

Digitized by Google

ris Chriſti ſignum duntaxat (uti in illo Sancti Doctoris textu *Tacitè*, ſed falsò ſubintelligunt Reformati) daret, ſed unà cum veritate Corporis Chriſti, ſub tali ſigno, ſive ſpeciebus Eucharisticis realiter exiſtentis.

73. Ad *ſeptimam* Reſp. Rogando Eccleſiæ Tigurinæ Miniſtros, unde Diſcipulorum Chriſti verba præallegata cum Capharnaitis perperam intelligentium, & hinc retrò abeuntium hæreſis ortum habuerit? Sanè reſpondere debebunt ex hoc, quòd intenderent ad manducationem lumine naturæ duntaxat notam, vi cujus nimirum debeat cibus in os acceptus, dentibus conteri, & in ſtomachum traijci. Hæc proinde prima illorum Diſcipulorũ apprehenſio non quidem erat ipſa Formalis hæreſis, ſed ex ejuſmodi pravâ apprehenſione oriebatur; dum ſuũ proprium ſenſum non captivabant in obſequiũ Chriſti verborũ. Iſte verò debitæ erga Chriſti verba ſubmiſſionis defectus in eo ſe continebat, quod intellectum ſuum ex verbo Chriſti non elevarent ad ſublimius quid cogitandum, quàm ipſum lumen naturæ dictitare ipſis videbatur. Unde retrò abeuntes dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* At ipſa Chriſti Domini ſuam Divinam authoritatem, miraculosâ ſeptem panum multiplicatione priùs probantis, verba talem requirebant ad ſublimius quoddam myſterium fide ſupernaturali credendum, attentionem ac elevationem, qualem ipſa Chriſti verborum veritas præſeferebat. Hæc verò ex ipsâmet verborum proprietate clarè ſonabat realem carnis Chriſti manducationem. Quam proinde diſertis verbis in Cœnæ Euchariſticæ inſtitutione probavit Chriſtus, dicendo, *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et *Hic eſt Sanguinis meus, qui pro vobis fundetur, accipite, & comedite*, ſive, *bibite ex hoc omnes.* Oportet igitur, ex Divinâ illorum Chriſti verborum authoritate & veritate infallibili credere realem Corporis Chriſti manducationem, fidei tamen lumini proportionatam, atque adeò ſublimiorem illâ, ſolo naturæ lumine à Capharnaitis apprehensâ comeſtione.

74. Eo ipſo autem, quòd Chriſtus de panis à ſe benedicti ſingulis poſt fractionem diviſis etiam particulis verè dixerit, *Hoc eſt Corpus meum*, oportet, illam realem quidem, ſed naturali ſublimiorem carnis Chriſti manducationem taliter intelligere, ut ſub ejuſmodi ſingularum etiam *diviſim* ſumptarum, panis jam in Chriſti Corpus tranſubſtantiati, atquè accidentialium duntaxat *ſenſibiliter* ac *Demonſtrativè* exhibitarum ſpecierum particulis eſſet integer Chriſtus, nec adeò modo naturali ſecundùm extenſionem localem, ſed ſupernaturali modo totus in toto, & totus in quâlibet parte ibi realiter exiſteret, atque adeò *realiter* quidem manducaretur, non tamen ipſe in ſe, ſive *immediatè*, ſed ſub ſpeciebus duntaxat, atque adeò *ſolum mediatè* tangeretur. Conſtat igitur, tum quòd ex ipsâ verborum Chriſti veritate, ſi non

Digitized by Google

non ſolo lumine naturæ metiantur, eruatur Corporis Chriſti intrà Euchariſtiam exiſtentia, & manducatio realis; tum quòd econtrà illa Capharnaitarum & Diſcipulorum retrò abeuntium hæreſis non aliunde exorta ſit, niſi ex apprehenſione manducationis ſolo naturæ lumine cognitæ. At reverà præcitata Confeſſio Tigurina, dum ſermo eſt de reali, ſeu corporali Corporis Chriſti manducatione, non extendit ſe, niſi ad talem, qualem illi Diſcipuli retrò abeuntes apprehendebant, Corporis manducationem. Hac proinde rejectâ, ita ſe continent in ſuo ſenſu ac ſpiritûs ſui Reformati inſtinctu proprio, ut non attendant ad Veritatem ac proprietatem verborum Chriſti, ſed hæc trahant ad figuram, nec in Evangelio, *uti viſum eſt ſuprà*, fundatam, nec ab antiquis Orthodoxis Patribus cognitam, imò mediante ſomnio per monitorem, quem neſciunt, an albus, vel ater fuerit, à Zvvinglio noviter acceptam. Viderint ergo hujus Confeſſionis Miniſtri, an non retrò abierint, durum vocando ſermonem Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, dum Chriſti Domini verba ſecundùm proprium, lumine tamen naturæ ſuperiorem, ac fidei lumini, ipſiſſimæquè verborum ejuſmodi veritati proportionatum ſenſum accipienda decernit.

Ad *octavam* Reſp. Eo ipſo, quòd circà illa Chriſti Domini verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, ritè intelligenda, caro non prosit quidquam, oportet, ea non eſſe accipienda in ſenſu, quem caro & ſanguis, ſive lumen naturale, minùs monitor, de quo dubitatur, an albus, vel ater ſit, in ſomnio revelavit, ſed quem æterni Patris, ac Chriſti vivificans Spiritus tradidit. At ſenſus ab iſto Spiritu vivificante per ipſummet Chriſti ſacroſanctum os traditus clarè exprimitur tum iſtis verbis: *Caro mea verè eſt cibus*, item, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Item, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis*, item, *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Huic verò ſenſui, utpote per Chriſti Spiritum vivificantem revelato, ex debitâ ad Chriſtum ceu Primam Veritatem revelantem reverentiâ, ita ſtandum foret, captivando intellectum in obſequium Chriſti, ut conſequenter omnis in contrarium ratiocinatio Zvvinglij *praced. præſertim cap. n. 28.* deducta ſilere debuiſſet; eò vel maximè, quòd hæc ipſa ratiocinatio non poſſit reduci in Chriſti Spiritum vivificantem, ſed in proprij luminis naturalis, ſeu Pſeudoreformatoris inſtinctum, à nullo hactenùs veram fidem tenentium Patrum agnitum. Atqui retento per Spiritum vivificantem tradito, & ex ipſâmet Chriſti verborum proprietate cognito ſenſu, ita oportet diſtinguere inter manducationem realem Corporis Chriſti, & ſpiritualem hinc ortam, mediante Gratiâ & Charitate, ac fide per Charitatem formatâ, animæ cum Chriſto unitivam ſupernaturalem nutritionem, ut hæc ad illam

(margin: 75. at "Ad octavam"; 76. at "trum agnitum")

illam ſe teneat tanquàm effectus ad cauſam illius, æternæquè vitæ repromiſſivam, juxta illud: *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo &c.* Item: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* In quo proinde Confeſſio Tigurina vel maximè errat, quòd effectum ſeparando à causâ, reali ſcilicèt Corporis Chriſti per hunc ipſum Dominum noſtrum disertè aſſertâ, ſecundùm modum tamen ſupernaturali manducatione, hoc ipſo ſuos ſectatores faciat expertes ejuſmodi effectûs, nè ſpiritualem manducationem, ſeu nutritionem ſupernaturalem, mediante Spiritu vivificante, in ſuâ Cœnâ accipere poſſint.

77. Ad *nonam* Reſp. Sic argumentando. Quo modo Divus Auguſtinus *hic citatus* dixit, Apoſtolos non hoc Corpus, quod ab ipſis videbatur, manducaturos, nec bibituros hunc ſanguinem, quem crucifixores erant fuſuri, eo modo *tract. 95. in Ioan.* ſuper iſta verba: *Vado ad Patrem, & non videbitis me*, ait, à tempore, quo Chriſtus vaderet ad Patrem, non viſuros Apoſtolos hunc Chriſtum. At mox exemplis ex ſacrâ Scripturâ petitis probat, hoc ita eſſe intelligendum, ut ſcilicèt Apoſtoli non ampliùs eſſent viſuri talem Chriſtum, ſive quomodò tunc erat mortalis &c. Ergo ſecundùm ipſummet Sanctum Auguſtinum prioris quoquè ſententiæ verba ita accipienda ſunt, ut ſcilicèt Apoſtoli Corpus Chriſti non eo modo, quo videbatur, eſſent manducaturi, nec bibituri ejus ſanguinem eo modo, quo crucifixores erant eum fuſuri. At per hoc eatenùs excluditur manducationis modus carnalis, quem Capharnaitæ apprehendebant, ut conſequenter illa Chriſti verba: *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis*, eſſent ſpiritualiter intelligenda. Hic verò ſpiritualis intelligendi modus, utpote fidei luminis proprius, debebat eſſe conformis verbis Chriſti. At iſta important realem Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſtentiam. Oportet igitur, illam intelligentiam ſpiritualem non ita ſe habere, ut iſtam realem præſentiam excludat, ſed ſub altiori *ſuprà n. 73. & 74.* expoſito, & ex ipſiſmet Chriſti Domini verbis probato modo attingat Chriſtum in Euchariſtiâ *realiter* exiſtentem.

78. Ad *decimam* Reſp. Ingentem hic committi fallaciam & æquivocationem. Nam alius alimoniæ Eucharisticæ percipiendæ modus ſpectat ad effectum Euchariſtiæ perceptæ, quà recipiendum in ſubjecto; alius verò ſe tenet ex parte ipſius Euchariſtiæ, quà Cauſæ nutritionem ſpiritualem in animâ efficientis. Iam ergo quæro à Miniſtris Reformatis, an credant, talem debere eſſe analogiam inter cauſam & effectum, ut, qualis eſt modus exiſtendi in effectu, talis debeat eſſe modus exiſtendi in causâ? Si negent, erit peremptum totum illud principium, ex quo procedit illa ſpiritûs Reformati argumentatio. Si affirment, tunc ita licebit argumentari. Modus exiſtendi in

di in cauſâ debet eſſe talis, qualis eſt in effectu. At effectus Sacramentorum eſt effectus Humanitatis Chriſti quà exiſtentis in Verbo. Ejuſmodi verò Sacramentales effectus juxta Reformatorum principium non ſunt ſecundùm realem alicujus ſupernaturalis formæ impreſſionem, ſed ſecundùm imputationem duntaxat,& obſignationem extrinſecam. Ergo etiam modus exiſtendi in Verbo competens Humanitati Chriſti non poteſt, ſtante illo Reformatorum principio, eſſe realis ſecundùm conjunctionem aliquam intrinſecam Hypoſtaſis Verbi *ſubſtantialiter* unitivam, ſed ſecundùm conjunctionem duntaxat extrinſecam. At iſtud conſequens hæreſin Neſtorianam apertè importans, eſt omninò eliminandum ex Eccleſiâ. Ergo & illud principium Reformatorum, eò vel maximè, quòd, attentis etiam Philoſophicis principijs, in cauſâ *eminenter* contentivâ effectûs poſſit longè ſublimior eſſe Eſſendi ac Exiſtendi ratio, quàm in effectu. Si proinde aliqua inter alimoniam 79.
Eucharisticam, & hujus alimoniæ percipiendæ modum debeat analogia intervenire, oportet, hanc eſſe ex parte effectûs, ut, ſicut ipſa nutritio, ſive alimonia actualis ceu effectus Eucharisticus eſt purè ſpiritualis, ſic ejuſdem alimoniæ percipiendæ modus ſe tenens ex parte effectûs, debeat eſſe purè ſpiritualis. At iſte modus ex *parte effectûs ſecundùm ſe ſpectati* eſt cauſalitas effectiva nutritionis ſpiritualis, conſiſtentis in gratiæ augmento & Charitatis fervore; *ex parte verò hujus effectûs quà recipiendi in ſubjecto* eſt hujus diſpoſitio. Iſte igitur modus conſiſtit in actibus purè ſpiritualibus. At verò modus ali- 80.
moniæ Eucharisticæ percipiendæ ſe tenens ex parte cauſæ ſecundùm ipſoſmet Reformatos eſt ſumptio corporalis. Hæc autem, cùm ſit longè inferioris conditionis, quàm effectus Eucharisticus, nequit conſequenter cum ijs habere *analogiam æqualitatis*, ſed *analogiam inſtrumentariæ duntaxat applicationis*, in Euchariſtiâ ceu Cauſâ per eam applicatâ ſupponentis talem exiſtendi modum, qualem ipſemet Chriſtus Dominus definivit: *Hoc*, inquiens, *eſt Corpus meum*. Cùm igitur hiſce verbis apertè ſignificetur realis Corporis Chriſti intrà Euchariſtiam exiſtentia, non eſt, cur Reformati ex principio aliquo Neſtorianiſmum (uti ſuperiùs oſtenſum eſt) fundante, illa Chriſti Domini verba ex ſuâ proprietate detorqueant ad ſenſum alienum.

81.
Ad *undecimam* Reſp. Quærendo, an credant, Chriſtum eatenùs aſſumpſiſſe humani corporis naturales proprietates, ut eas tamen haberet in ſuæ Divinitatis, imò & ipſius Humanitatis quà Verbo Divino *Hypoſtaticè* unitæ poteſtate? Nunquid enim ambulavit ſuper aquas, ſui adeò corporis proprietatem à ſuo naturali effectu cohibens? Nunquid januis clauſis intravit ad diſcipulos, ſui adeò corporis cum alio corpore impenetrabilitatem ſuperans? Nunquid habuit proprietate humani corporis longè ſublimiorem poteſta-

tem, ponendi animam ſuam, & iterum eam ſumendi? Etſi proinde humani corporis proprietas naturalis ſit, eſſe in uno duntaxat loco, ipſemet tamen Chriſtus de omnibus particulis in Apoſtolos diſtributis dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, atque adeò illam naturalem in uno tantùm loco exiſtendi proprietatem virtute ſuâ tranſcendit. Sicuti ergo Capharnaitæ & Diſcipuli retrò abeuntes prolapſi ſunt in hæreſin, dum ſui naturalis duntaxat luminis inſtinctui pertinaciter inhæſerunt, ſic vobis, ô Reformati cavete, nè ad naturales corporis humani proprietates nimis intenti, excideritis à ſublimiore Divinæ Virtutis, creatam naturam infinitè ſuperantis, oſtenſivo Fidei lumine.

82. Ad *duodecimam* Reſp. Quærendo ex Reformatis, an credant, effectus, & actiones, ac formas ſupernaturales *Contradictoriè* pugnare cum creatâ naturâ, ejuſquè proprietatibus? Si affirment, apertæ ſe reos hæreſeos faciunt, ac lumine gloriæ, Viſioneque Beatificâ extorres, dum ex creatâ naturâ tollunt omnimodum ſupernaturalem effectum ac formam. Si negent, ruit hoc ipſo principium oppoſitæ argumentationis. Noverint igitur, realem Chriſti in Eveharìſtiâ præſentiam nihil aliud eſſe, quàm actionem ſpecierum Evchariſticarum in *genere Cauſa Efficientis* ſuſtentativam, eamquè ſupernaturalem à Corpore Chriſti *Inſtrumentaliter*, à Divinitate verò eidem *Hypoſtaticè* unitâ *Principaliter* procedentem, & ut ſic accidentium illorum cum Corpore Chriſti non *in genere Cauſa Materialis* ac *Formalis*, ſed *in genere Cauſa Efficientis* unitivam. At iſta ſupernaturalis præſentia ex præallegato fundamento non jam *Contradictoriè*, ſed *Diſparatè* tantùm ſe habet ad Dimenſivam & Circumſcriptivam Corporis Chriſti in cælis præſentiam. Quia ergo ipſimet quoquè Reformati admittere debent diverſas, *Diſparatè ſolum* repugnantes, diverſi præſertim ordinis formas poſſe ſimul eſſe in eodem ſubjecto, conſequens eſt, nec impoſſibile fore, quòd Chriſti Domini Corpus habeat plures *Diſparatè ſolum* repugnantes præſentias, ita ut ſecundùm unam, eamque naturalem ſit *Dimenſivè* ac *viſibiliter* in cælo, ſecundùm alteram verò *inviſibiliter* ac *ſupernaturaliter*, ſive *Sacramentaliter realiter* ſit in Evchariſtiâ.

83. Ad *decimamtertiam* Reſp. Hic peccari non contrà unum duntaxat, ſed contrà plura tam Philoſophica, quàm Theologica principia. Nam 1. Angeli ſubſtantia habet modum exiſtendi abſque ullis dimenſionibus Quantitativis, & tamen non ſequitur, eſſe ubique. Ergo nec ex eo, quòd Corpus Chriſti in Evchariſtiâ ſit abſque aliquâ in ordine ad locum actuali & Dimenſivâ extenſione, ſequitur, eſſe ubique. 2. Falſum eſt, quòd Corpus Chriſti in Evchariſtiâ *Subjectivè* & *Informativè* habeat dimenſionem panis, quamvis iſtam mediante actione ſuſtentativâ *in genere Cauſa Efficientis* teneat,

&ut

& ut ſic modo *ſuperiùs* dicto cum eâ uniatur, 3. Licèt intrà Evchariſtiam careat ſuâ dimenſione actuali *in ordine ad locum*, habet tamen extenſionem Quantitativam *in ordine ad ſe*, organicarum Chriſti Corporis partium *realiter actualiter* diſtinctivam. In quibus omnibus non tantùm non eſt abſurditas, ſed ipſa ex Chriſti Domini verbis ritè intellectis, ac debito modo penetratis deducta veritas.

Ad *decimamquartam* Reſp. Quærendo ex Reformatis, an non credant, 84.
animam hominis eſſe *Totaliter* totam in quâlibet corporis parte? Si negent, ſequitur, ipſos adſtruere animam materialem, ad inſtar formæ brutalis, ſanè non jam meliorem animâ aſininâ. Si affirment, ruit totum argumentum, cùm animæ ſubſtantia ſit ita *Totaliter* tota in toto corpore, ut tamen non ſit ubique. Quamvis verò iſta proprietas animæ ſit naturalis, Divinam tamen Virtutem poſſe proprietatem ſpiritui propriam *ſupernaturaliter* communicare Corpori, conſtat ex agilitate, incorruptibilitate, ſubtilitate & penetrabilitate, ceu Dotibus corporis glorioſi. Quid ergo, ô vos Reformati, evincitis veſtris argutijs, niſi quòd oſtendatis, vos ita defixos in naturali lumine, ut Fidei lumini locum non admittatis, utpote veſtrum ex Zwinglij ſomnio acceptum inſtinctum præferentes proprio Chriſti Evchariſtiam inſtituentis verborum ſenſui?

Ad *decimamquintam* Reſp. Sic argumentando. Si Exiſtentia, ſive Eſſe 85.
actuale Accidentis ſit ab ejus Eſſentiâ diſtinctum, erit conſequens, actualem Accidentis in ſubjecto inhæſionem non eſſe de ipſius Eſſentiâ, ſiquidem hæc inhæſio non ſit Accidentis, niſi quà Exiſtentis; atque adeò ſit conſequens Exiſtentiam, & à fortiori Eſſentiam ejuſdem. Atqui Accidentis Exiſtentiam eſſe diſtinctam ab ejus Eſſentiâ, evincitur authoritate Ariſtotelis *lib. 3. de Animâ tex. 9.* docentis, quòd *Aliud ſit magnitudo, & aliud magnitudinis Eſſe.* Oportet igitur, eatenùs diſtinguere Aptitudinalem ſeu Radicalem, & Actualem Accidentis in ſubjecto inhæſionem, ut illa ſecundùm Ariſtotelem *lib. 5. Metap. tex. 35.* ſit quidem de Eſſentiâ ipſius, iſta verò ſecundùm Philoſophum *cit. tex. 35. de Anim.* ſit extrà ejus Eſſentiam. At ex eo, quòd ſubſiſtentia ſit diſtincta à naturâ, potuit in Humanitate Divina potentia eatenùs impedire creatæ ac propriæ Hypoſtaſis emanationem, ut eam ſuppleret per Divini Verbi Perſonalitatē, humanæ in Chriſto naturæ *Hypoſtaticè* unitam. Pari ergo ratione quia actualis Accidentis in ſubjecto inhæſio eſt diſtincta à Quidditate Accidentis, poteſt Deus ſuâ Divinâ Virtute iſtam inhæſionem eatenùs impedire ac ſupplere, ut conſequenter poſſit Accidens *ſupernaturaliter* exiſtere extrà ſubjectum, debeatquè proinde de ordinario duntaxat naturæ curſu accipi Divi Auguſtini ſententia ex oppoſito allegata.

Digitized by Google

86. Ad *decimamſextam* Reſp. Eucharisticam Panis Quantitatem nullatenùs poſſe dici ſubſiſtentem: quia, licèt non ſit in alio tanquam ſubjecto, dependet tamen à ſubſtantiâ Corporis Christi, non quidem *in genere Cauſæ Materialis*, ſed *in genere Cauſæ Efficientis* per Divinæ Virtutis ſibi impreſſam elevationem, ſuſtentante ejuſmodi Quantitatem.
87. Probatur iſta veritas ex ipſiſmet Christi Domini verbis, *Hoc eſt Corpus meum.* Nam per *Tò Hoc* ſignificatur individua ſubſtantia quà demonſtrabilis per ſenſibilia accidentia, cum quibus illa eſt conjuncta. At ipſa verbi, ſeu copulæ *Eſt* proprietas importans identitatem ſubjecti cum prædicato, contrahit illud Pronomen *Hoc* ad ſubſtantiam Corporis Christi. Ergo illis Christi Domini verbis ſignificatur Corporis Christi ſubſtantia, quà individuè ſubſiſtens ſub accidentibus ſibi conjunctis, ut ſic ejuſdem Corporis Dominici demonſtrativis. At eo ipſo, quòd Corpus Christi ex Pronomine *Hoc* demonſtretur quà individuè ſubſiſtens ſub illis accidentibus, ſequitur, ex vi Veritatis verborum ejuſmodi, non poſſe ſub illis accidentibus ſubſiſtere panis ſubſtantiam. Conſequens igitur eſt, virtute illorum verborum exiſtere accidentia panis abſque hujus ſubſtantiâ. Eo ipſo autem, quòd ſub illis ſit demonſtrabilis ſubſtantia Corporis Christi, oportet, hanc ſub ipſis ſubſiſtere. At eo ipſo, quòd in illis accidentibus ſit dimenſio Quantitativa, oportet, deſtructâ panis ſubſtantiâ, manere non tantùm hujus Qualitates ſenſibiles, ſed etiam Quantitatem. Hæc verò non poteſt recipi in ſubſtantiâ Corporis Christi tanquàm ſubjecto informationis, eò quòd iſta ſubſtantia jam ſit actuata per propriam ſuam Quantitatem. Oportet proinde, ſubſtantiam Corporis Christi ſubſiſtere ſub accidentibus Eucharisticis, non quà ſubjectum *in genere Cauſæ Materialis*, atque adeò *in genere Cauſæ Efficientis* per Divinam virtutem *Inſtrumentaliter* motæ, ac elevatæ ad actionem eorundem ſuſtentativam. At verò illa forma, quæ ſecundùm ſuam Exiſtentiam ab altero tanquàm ſuſtentante, ejuſque adeò connaturalem à ſubjecto inhæſionis dependentiam *Efficienter* ſupplente, eſt dependens, non poteſt dici ſubſiſtens. Quarè ex verbis Christi Domini ritè ponderatis conſtat, Quantitatem Eucharisticam eatenùs eſſe ſine ſubſtantiâ panis, ut tamen minimè ſit ſubſiſtens, utpote dependens à ſubſtantiâ Corporis Christi, non quà *ſubjecto inhæſionis*, ſed quà *Cauſâ Efficienter ſuſtentante*, & ut ſic per Divinæ Virtutis elevationem ſupplente connaturalem illius à ſubjecto dependentiam.

88. Ad *decimamſeptimam* Reſp. Qualitates, ſecundùm quas in ſpeciebus Eucharisticis virtute cauſarum naturalium fit alteratio, eſſe receptas in Quantitate tanquàm ſubjecto inhæſionis. Probatur iſta veritas. Eſt enim in Philoſophiâ receptum, quòd Quantitas ſit ſubjectum *Quo* reliquorum materialium

lium accidentium, utpote ex illâ participantium extenſionem ac dimenſionem tum Entitativam, tum etiam Localem. At licèt eorundem Accidentium ſubjectum *Quod* ſit Subſtantia: attamen iſta à Subſtantiâ tanquàm ſubjecto *Quod* dependentia actualis in Accidentibus Euchariſticis ſuppletur per ſuſtentativam Corporis Chriſti actionem; *uti praecd. Reſp. deductum eſt.* Ex hac verò ſuſtentatione ſupernaturali fit, ut, quemadmodùm Hypoſtaſis Verbi creatam Humanitatis Subſiſtentiam ſupplens, Chriſti Naturam habilitat, ut poſſit eſſe tum principum *Quod* accidentium connaturalium; ſic illa Quantitatis Euchariſticæ ex Corporis Chriſti ſupernaturali influxu dimanans ſuſtentatio habilitat eandem Quantitatem, ut poſſit eſſe ſubjectum naturaliter receptivum alterationum & qualitatum à cauſis ſecundis impreſſarum. Conſtat proinde, ſi intellectum noſtrum non ita defixum intrà limites naturæ teneamus, ſed ſecundùm altius Fidei lumen elevemus ad myſteria Divinitùs revelata; optime intelligi, qualiter in ſpeciebus Euchariſticis abſque ſubſtantiâ panis ibi præſentibus, à cauſis ſecundis *naturaliter* fieri poſſint præadductæ alterativæ mutationes. Deinde Alterativæ mutationes ex cauſarum ſecundarum impreſſione eò devenire poſſunt, ut in Quantitatem Euchariſticam introducatur diſpoſitio proxima ad aliam formam ſubſtantialem. Hac autem diſpoſitione proximâ ſtante, oportet, eatenùs jam eſſe corruptam diſpoſitionem formæ ſubſtantialis panis, ut hæc, ſi adeſſet, eo ipſo deſtrueretur. At quia ipſa Chriſti Domini verba, *Hoc eſt Corpus meum* per iſtud Demonſtrativum *Hoc*, ſui Corporis in Euchariſtiâ præſentiam alligant ad Accidentia panis propria, ut ſic Corporis Chriſti ſub ſe ſubſiſtentis *ſenſibiliter* demonſtrativa, oportet, in illo caſu, quo proxima jam eſt ad aliam formam ſubſtantialem diſpoſitio, deſinere ibi eſſe ſubſtantiam Corporis Chriſti. Eo ipſo autem, quòd corruptio unius ſit generatio alterius, oportet, ſtante proximâ ad aliam formam ſubſtantialem diſpoſitione, hanc introduci. Quia ergo corruptis ſubſtantiæ panis Accidentibus, & introductâ proximâ ad aliam formam ſubſtantialem diſpoſitione, accidit, ut Chriſti Corpus deſinat eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, conſequens eſt, pro tali inſtanti *Naturaliter* produci novam formam ſubſtantialem. At eo ipſo, quòd pro iſto inſtanti unà cum Corpore Chriſti deſinat hujus influxus, accidentium ejuſmodi ſuſtentativus, ſequitur, Deum ceu Authorem Naturæ ad iſtorum accidentium connaturalem exigentiam jam ſupponere novam Materiam primam, itaquè generari novum ſubſtantiale Compoſitum. Patet igitur, ſi lumen naturale ac Philoſophicum ita combinemus cum lumine Fidei, ac verborum Chriſti Veritate, ut hanc tanquàm prædominantem, illam verò tanquàm ancillam in obſequium Fidei captivam tenea-

89.

neamus, optimè poſſe omnes difficultates ab adversâ parte objectas eatenùs ſolvi, ut non proinde opus ſit, quemquam retrò abire, ac Chriſti Domini verba ad ſomnium Zwinglianum detorquere.

90. Ad *decimamoctavam* Reſp. In illâ nihil, niſi æquivocationem & fallaciam contineri. Oportuiſſet enim Petrum Martyrem, ſi veritatis lucem amaret, ex Philoſophiâ diſtinguere inter ultimam, & non ultimam diſpoſitionem. At iſta eò uſque in Quantitate Eycharisticâ progredi poteſt, ut ſtante adhuc Corpore Chriſti, pro inſtanti immediato exigat ultimam pro aliâ formâ ſubſtantiali diſpoſitionem. Quâ proinde ultimâ diſpoſitione ſubſequente, ita deſinit ibi eſſe ſubſtantia Corporis Chriſti, ut ex virtute cauſæ tum ſecundæ, tum Primæ *Naturaliter*, id eſt ſecundùm ipſammet naturæ exigentiam ſuccedat nova forma ſubſtantialis, atque adeò Materia prima. Quamvis proinde Quantitas Eycharistica non poſſit eſſe receptiva ultimæ ad aliam formam diſpoſitionis, poteſt tamen eſſe receptiva diſpoſitionis non ultimæ, ad quam illa unà cum novâ formâ & materiâ Divinitùs productâ ſuccedat. Patet proinde, talem diſpoſitionem non eſſe fictitiam, ſed figmentum hoc retorqueri in Petrum Martyrem ex hoc faſcinatum, quòd tam in Philoſophiâ ex lumine naturali, quàm in Theologiâ ex lumine Fidei oſtenderit ſe malè argumentantem.

COROLLARIUM.

91. EX dictis infertur, Vedroſium *suprà in initio hujus Diſſertationis relatum* vanè eſſe gloriatum, quaſi Georgius præterijſſet præcipuum de realis Corporis Chriſti intrà Eycharistiam præſentiâ myſterium, cùm ſanè dilucidum de hoc extet argumentum Georgij *cap. 1. hujus ſect. n. 2.* deductum, ſed à Vedroſio minimè ſolutum, imò prorsùs intactum. Quibus proinde ita ſe habentibus, tale licet formare argumentum. Illius Reformationis ſpiritus non eſt Divinus, qui verborum Chriſti proprietatem ab omnibus Evangeliſtis diſertè traditam, & ab Orthodoxis primorum ſæculorum Patribus uniformiter retentam detorſit ad ſenſum figuratum, in antiquâ Eccleſiâ incognitum, & illius Reformationis Anteſignano inſpiratum per ſomnium, quod ipſe Reformator dicit, eſſe excitatum à Monitore, quem neſciebat, aternè, vel albus eſſet. At hæc omnia in Reformatione Eccleſiæ Tigurinæ ita planè contigiſſe circà præcipuum Eycharistiæ de reali Corporis Chriſti præſentiâ Myſterium, clarè oſtenſum eſt *præced. c. 3.* Inſuper argumenta in contrarium objecta ex veritate intrà Romanam Eccleſiam ab ipſiſmet Chriſti Domini verbis ritè ponderatis clarè oſtenſâ diſplodi, conſtat *ex cap. 4.* Vi-

4. Viderint ergo ipſimet Doctores Reformati, quomodò ſuæ Reformationis ſpiritus poſſit eſſe Divinus.

SECTIO II.

De Tranſubſtantiatione.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc Author *ſuæ Facis Rat. 36. n. 54.* oſtendit ex Sculteti Annalibus 1.
Dec. 2. ad Annum 1530. Confeſſionem Auguſtanam admiſiſſe Tranſubſtantiationem. Econtra *n. 59.* inducit Scharpium *Curſ. Theol. III. de Antich. q. 6. Arg. II.* ex mente Reformati Miniſterij dogma de Tranſubſtantiatione arguentem Antichriſtianiſmi. Unde *n. 60.* ſic argumentatur. 2.
Reformati contendunt, inter Auguſtanam & Helveticam Confeſſionem eſſe in fundamentalibus Orthodoxum, atque adeò cum Chriſto concordantem conſenſum. At Confeſſio Auguſtana admittit Tranſubſtantiationem, quam Helveticæ Reformationis Confeſſio arguit Antichriſtianiſmi. Repugnat autem, Antichriſtianiſmum eſſe ex alterutrâ illarum partium, in quibus eſt Orthodoxus cum Chriſto concordans conſenſus. Ex ipſorum igitur Reformatorum ſibimet contradicentium principio ſequitur, vel dogma de Tranſubſtantiatione non eſſe Antichriſtianiſmum, vel Confeſſionem Reformationis Helveticæ taliter ſtatuere Orthodoxum in fundamentalibus conſenſum, ut vel hinc ſe probet alienam à veritate, atque adeò jure deſerendam.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Adverſariorum.

VEdroſius *in Man. ſect. 7. pag. 186.* ait: Suorum cum Lutheranis 3.
controverſiam non eſſe de Tranſubſtantiatione. Attamen illam Vedroſij aſſertionem vel ex ipsâ Confeſſione Auguſtanâ redargui, jam in aperto eſt. Verùm hoc miſſo, ad ulteriora procedamus.

Arguit 1. Vedroſius *ſui Man. pag. 113.* Alphonſum à Caſtro *adverſ hæreſ. lib. 8. v. Indulgentia* ſic loqui: *De Tranſubſtantiatione panis in Corpus Chriſti rara eſt in ſcriptoribus antiquis mentio, de Proceſſione Spiritus Sancti multò rarior.* 4.

Item

Item *pag. 162.* ait: Artolatriæ in Papatu fundamentum eſſe Tranſubſtantiationem in Concilio Lateranenſi IV. Anno 1215. primùm ſtabilitam, & à Monachis Mendicantibus avidiſſimè arreptam. Et *pag. 180.* inquit, Ioannem Duns Scotum non Doctoribus & ſæculis fortunatioribus attribuere inventionem Tranſubſtantiationis, quæ abominationem deſolationis venerabili Cœnæ Dominicæ attulerit Sacramento: ſed rotundè profiteri, non niſi poſt periculoſum Lateranenſe Decretum ſub Innocentio III. conditum Anno 1215. obſtetricante ubique barbarie, editum, ſubſtantialem illam converſionem in rem ridiculam abijſſe, & inter neceſſarios fidei articulos relatam fuiſſe. Nullam Scripturæ ſententiam reperiri, nullam ante Lateranenſe illud Concilium determinationem Eccleſiaſticam, quæ vel expreſsè doceat, vel ex quâ evidenter inferri poſſit, non manere in Euchariſtiâ poſt conſecrationem, panis ſubſtantiam *In 4. Sent. diſt. 11. q. 3. n. 3. 5. 13. 14. 15.*

5. Arguit 2. Vedroſius *pag. 163.* Tranſubſtantiationem & Artolatriam à nemine Veterum creditam fuiſſe, niſi forſan ab Eutychianis, qui apud Theodoretum *Dial. 11.* à Transmutatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini, argumentati ſint ad mutationem Corporis Domini in Divinam Eſſentiam. Theodoretum autem *lib. 1. Dial.* ita habere: *Chriſtus viſibilia ſigna appellatione Corporis & Sanguinis honoravit, non tranſmutans Symbolorum naturam, ſed naturæ Symbolorum adijciens gratiam.* Gelaſium porrò Papam idem confirmare *lib. de duab. in Chriſto natur.* aſſerendo, Panem & Vinum ita tranſire in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Dominici, ut tamen non deſinat eſſe ſubſtantia, vel natura panis & vini. Quam proinde eſſe Patrum tranſmutationem non *Eſſentialem* illam, ſed *Relativam*, naturæ Sacramentorum congruam.

6. Arguit 3. Petrus Martyr *in lib. contra Gardiner. object. 13.* Sicut Dominus *Ioan. 6.* de ſe dixit: *Ego ſum panis*; ita *Matth. 26.* dixit: *Hoc eſt Corpus meum.* At cùm ajebat: *Ego ſum panis*, non ſe mutavit in panem. Ergo cùm dicebat, *Hoc eſt Corpus meum*, non mutavit panem in Corpus ſuum.

7. Arguit 4. Petrus Martyr *citatus object. 59.* In Confeſſione Berengarij per Concilium Romanum approbatâ & relatâ *Can. Ego Berengarius. de Conſec. diſt. 2.* dicitur, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem eſſe non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini, ſenſualiterque ac in veritate Sacerdotum manibus tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri. At iſta non poſſent dici de carne Chriſti ſine ingenti blaſphemiâ. Oportet igitur, in Euchariſtiâ eſſe panem verum, qui ſenſualiter tractari, frangi, & atteri queat.

Arguit

Arguunt 5. Reformati. Si ex vi verborum, *Hoc eſt Corpus meum* fiat Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, & vi verborum, *Hic eſt Sanguis meus*, fiat Tranſubſtantiatio vini in Sanguinem Chriſti, ſequi, quòd Corpus & Sanguis Chriſti ſeparentur. 8.

Arguit 6. Kemnitius. Non poteſt fieri Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, ſi in Euchariſtiâ maneat panis. At, quòd res ita ſe habeat, evinci ex Ambroſio *lib. 4. de Sacr. cap. 5.* ita diſſerente: *Si tanta vis fuit in ſermone Chriſti, ut inciperent eſſe, quæ non erant, quantò magis operatorius erit, ut ſint, quæ erant, & in aliud convertantur?* 9.

Arguit 7. Heideggerus *ſuæ Synodal. Diſſert.* §. 17. Si per conſecrationem Euchariſtici panis & vini, horum ſubſtantia convertitur in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſequitur, ipſummet Chriſtum in ſuum Corpus & Sanguinem convertiſſe panem & vinum. At hoc leve quidem videtur illis hominibus, qui ſtrophas ſophiſticas imbiberint penitùs, atque ſolem lunam eſſe, & noctem diem, evincere poſſe, ſibi videantur. Adhæc ſequi, quòd Chriſtus non panem, ſed Corpus ſuum ederit, nec vinum, ſed Sanguinem ſuum biberit in ultimâ Cœnâ. At hanc eſſe monſtroſam non in ſcholâ cœleſti veritatis, ſed falſitatis notam aſſertionem. *Neceſſum enim* eſſe (uti probè moneat Cyrillus Alexandrinus *de Trinit. Dial. 5.*) *id, quod in participatione alicujus eſſe creditur, alterius eſſe ab ipſo natura, nè ipſum ſui ipſius dicatur & videatur eſſe particeps. Nihil enim planè ſui particeps eſt.* Unde infert, non potuiſſe Chriſtum ſui eſſe participem: ſi enim ſe ipſum comediſſet, eundem fuiſſe cibum & cibo utentem, agentem & patientem, comedentem & comeſtum, cauſam & cauſatum. Talia proinde qui aſſerere non verecundentur, non illos rationibus, ſed plus quàm uno jugere hellebori curandos eſſe, 10.

Arguit 8. idem Heideggerus *in ſuis Vindic. n. 4. propè finem.* Circà Tranſubſtantiationem inter ipſos etiam Pontificios Theologos eſſe grave prælium, Dominicanis *Productivam*, Franciſcanis verò *in inſtanti adductivam* in Cœnâ Domini mutationem urgentibus. 11.

Digitized by Google

CAPUT III.

Oſtenditur ex ipsâ veritate verborum, quibus Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus*, per conſecrationem panis & vini fieri Tranſubſtantiationem, id eſt converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti. Ex Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. 4.*

Probatio prima, ex ſacris Litteris.

12. NAm in hiſce Chriſti Domini verbis, *Hoc eſt Corpus meum* (idem eſt de iſtis, *Hic eſt Sanguis meus*) fit demonſtratio ſubſtantiæ Corporis Chriſti quà exiſtentis ſub præſentibus accidentibus, *uti in præcedentibus fusè eſt probatum*. At iſta Demonſtratio eo ipſo, quòd fit per Pronomen *Hoc*, eſt ſubſtantiæ Corporis Chriſti quà individuæ. Eſt autem natura Individuationis, ut ſub illâ ratione, ſub quâ ſubſtantia conſideratur quatenùs individua, ſit excluſiva alterius ſubſtantiæ. Cùm igitur iſta individualis Demonſtratio ſit ſubſtantiæ Corporis quà exiſtentis ſub iſtis panis accidentibus, ſequitur, ab hiſce vi hujus Demonſtrationis debere eſſe excluſam alteram, panis ſcilicèt ſubſtantiam. At eo ipſo, quòd Chriſti Domini verba ſint infallibilis Veritatis, oportet, ut vel ſupponant veritatem rei ſub ipſis ſignificatæ, vel veritatem priùs non exiſtentem in virtute potentiæ Chriſti efficiant pro illo inſtanti, in quo verborum ejuſmodi ſignificatio completa eſt.
13. Eſt autem ex ſacris Litteris clarum, antecedenter ad benedictionem Chriſti fuiſſe ſubſtantiam Panis. Super quâ proinde ubi Chriſtus pronunciavit illa verba, *Hoc eſt Corpus meum*, oportuit, in inſtanti completæ iſtorum verborum ſignificationis ſub accidentibus panis eatenùs exiſtere Chriſti Corpus, ut *conſequenter* deſineret ſubſtantia panis, itàque ſubſiſteret veritas per Chriſtum pronunciata. Ejuſmodi autem ſubſtantiæ panis ſub ſuis accidentibus deſitio, & ſubſtantiæ Corporis Chriſti ſub his accidentibus ſucceſſio convenienter dicitur Tranſubſtantiatio, id eſt, totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti tranſmutativa converſio. Conſequens igitur eſt, per conſecrationem ſeu benedictionem illis Chriſti Domini verbis peractam virtute Chriſti ceu Verbi Omnipotentis eatenùs fieri id, quod dicitur, ut infallibilis illorum verborum veritas omninò requirat, virtuſque adeò Divinitatis efficiat Tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti.
14. At quod Chriſtus illis verbis in ultimâ Cœnâ effecit, hoc ut facerent in ſui commemorationem, mandavit, atque

quę adeò poteſtatem dedit Apoſtolis. Eo ipſo autem, quòd iſta poteſtas in ultimâ Cœnâ Apoſtolis tradita, ipſiſmet etiam Reformatis fatentibus, ſit connexa cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, oportet, illam ipſam Tranſubſtantiationem, quam Chriſtus Dominus effecit, fieri à perpetuis Apoſtolorum ſucceſſoribus, atque adeò Sacerdotibus. Planum proinde eſt, ex vi ac veritate illorum verborum hodieque, uſque ad finem mundi à Sacerdotibus fieri Tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti.

Probatio ſecunda, ab Authoritate Patrum deſumpta.

NAm Iuſtinus Martyr *Apol. 2. ad Antonin. Pium* cum verbis *praced. ſect. cap. 3. probat. 11. n. 45.* relatis dixiſſet: *Per preces Verbi Dei ab ipſo factum cibum eſſe Incarnati Ieſu carnem*; hujus ſubdit rationem: *Nam Apoſtoli in Commentarijs à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Ieſum; eum enim, pane accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in meam commemorationem, Hoc eſt Corpus meum.* 15.

Tertullianus *lib. 4. cap. 6.* ſic ait: *Chriſtus acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis, Corpus ſuum illum fecit HOC EST* (inquiens nimirum) CORPUS MEUM. 16.

Cyprianus de Cœnâ Domini: *Panis iſte, quem Dominus Diſcipulis ſuis porrigebat &c. non effigie, ſed naturâ mutatur, Omnipotentiâ Verbi factus eſt Caro &c.* 17.

Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 3. Myſtag.* ita diſſerit: *Cùm Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque de pane dixerit, Hoc eſt Corpus meum, quis audebit deinceps dubitare, ac eodem quoquè confirmante & dicente: Hic eſt Sanguis meus, quis unquàm dubitet, & dicat, non eſſe illius Sanguinem. Aquam aliquando mutavit in vinum, quod ſanguini eſt propinquum, in Canâ Galilææ ſolâ voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in Sanguinem tranſmutâſſet?* 18.

Chryſoſtomus *Hom. 93.* loquens de Euchariſtiâ quà Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſe continente, inquit: *Miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc ſanctificat & immutat, ipſe eſt.* 19.

Gregorius Niſſenus *in Orat. Catechet. cap. 37. Rectè ergo*, ait, *nunc quoquè Dei Verbo ſanctificatum panem in Dei veri Corpus credo tranſmutari.* 20.

Ambroſius *lib. de ijs, qui myſterijs initiantur cap. 9.* ait: *Quid dicemus de ipſâ Conſecratione Divinâ, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur &c. Nam Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur &c. De totius mundi operibus legiſti, quia ipſe dixit, & facta ſunt &c. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare, quod non erant?* Et *lib. 4. de Sacram. cap. 5. Antequam conſecretur, panis eſt, ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti. Accipite & edite ex hoc omnes, Hoc eſt Corpus meum. Et ante ver-* 21.

Digitized by Google

ba Chriſti Calix eſt vini & aquæ plenus; ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti univerſa convertere.

22. Auguſtinus *tum alibi, tum Serm. 28. de Verb. Domini: Dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur; ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed Corpus appellatur. Et in cap. 10. 1. Corinth. Non omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit Corpus Chriſti.*

23. Ex quibus ita licet argumentari. Panis accipiens benedictionem fit Corpus Chriſti. *Ex S. Auguſtino proximè citato.* Hæc autem benedictio eatenùs fit per verba Chriſti, ut non jam panis dicatur, ſed Corpus. *Ex eod. S. Doctore.* Oportet igitur, per Verbum Chriſti ceu veri Dei, panem ſanctificari, ut in verum Dei Corpus tranſmutetur. *Ex Divo Gregorio Niſſeno.* Hoc autem eatenùs fit, ut in tali Conſecratione Sacerdotes quidem teneant ordinem Miniſtrorum, ipſe verò Chriſtus ſit, qui ſanctificet & immutet. *Ex S. Chryſoſtomo.* At verba Chriſti, quorum virtute fit iſta ſanctificatio & immutatio, ſunt iſta: *Hoc eſt Corpus meum.* Et *Hic eſt Sanguis meus*, ita ut, antequam conſecretur, ſit quidem panis, ubi autem verba Chriſti acceſſerint, ſit Corpus Chriſti: & ante verba Chriſti ſit Calix vini & aquæ plenus, ubi autem verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficiatur, qui plebem redemit. *Ex Divo Ambroſio.* Manifeſtum igitur eſt, Sacerdotibus quidem Miniſtrorum ordinem tenentibus, ipſomet autem Chriſto ſanctificante & immutante, panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutari per Chriſti ſermonem, potentem omnia convertere. Cùm enim de Deo legatur; *quia ipſe dixit, & facta ſunt*, conſequens eſt, ſermonem Chriſti omnia ex nihilo facere potentis, poſſe unius quoquè ſubſtantiæ in aliam facere tranſmutationem. *Ex S. Doctore proximè citato.* Quare pro indubitato tenendum eſt, Chriſtum dicendo, *Hoc eſt Corpus meum*, ita feciſſe Corpus ſuum, ut panis non effigie tantùm, ſed naturâ mutatus, Omnipotentiâ Verbi ſit factus Caro. *Ex Juſtino*

24. *Martyre, Tertulliano, & Cypriano.* At verò niſi ludatur in nomine, iſta ſecundùm ipſam ſubſtantiæ panis & vini naturam in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutatio, convenienter dicitur Tranſubſtantiatio; de quâ tantò minùs dubitare licet, quòd Chriſtus aliquando aquam in vinum mutârit ſolâ voluntate. *Ex Cyrillo Hieroſol.* Quia proinde ejuſmodi totius ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem ſecundùm naturam, adeoquè phyſica & realis Tranſmutatio, ſeu Tranſubſtantiatio eſt ex illâ poteſtate, quam, advertente Cyrillo *citato*, Chriſtus Dominus dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, etiam Apoſtolis communicavit, eſtquè adeò ſecundùm perpetuum Eccleſiæ ſtatum uſque ad finem mundi in eorum ſucceſſores Sacerdotes

Digitized by Google

dotes eatenus transferibilis, ut propterea Chryſoſtomus, *ubi ſuprà*, aſſeruerit, Sacerdotibus Miniſtrorum ordinem tenentibus, ab ipſomet Chriſto fieri ſanctificationem & immutationem, idcircò manifeſtè ſequitur, quòd ejuſmodi Tranſmutatio ſeu Tranſubſtantiatio hodieque fiat, & uſque ad finem mundi facienda ſit à Sacerdotibus per illa Chriſti Domini verba: *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus.*

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ.

AD *primam* Reſp. 1. Retorquendo argumentum. Ait enim Vedroſius, rariorem in ſcriptoribus antiquis fieri mentionem de nomine Proceſſionis Spiritûs ſancti. At hoc non obſtante, Proceſſionem Spiritûs ſancti in Symbolo per Concilium Conſtantinopolitanum edito, habendam eſſe pro Fidei articulo; videre licet ex Breitingeri *inform. fundam. pag. 184.* Sicut ergo ex hoc, quòd illud nomen Proceſſionis Spiritûs ſancti non erat frequentatum ab antiquis, minimè infertur, illud myſterium non eſſe de Fide, ſic quoad Tranſubſtantiationem res ipſa inſpicienda eſt, quam ut ſic in ſacris Scripturis, & Patribus antiquis eſſe fundatam, conſtat ex deductis *ſuperiùs.* Unde Reformati ex tali nominis *Tranſubſtantiatio* adinventione arguentes Myſterium illo nomine ſignificatum, ſe ſuſpectos faciunt de illo ſpiritu, qui in Arianis etiam ex nominis *Homouſion* tunc novâ inventione arguebant ipſum Conſubſtantialitatis Filij Myſterium ſub tali voce expreſſum. Et verò ſi novorum nominum ad profundius aliquod Fidei Myſterium aptiùs exprimendum adinventio derogaret ipſi Myſterio ac rei ſignificatæ, quomodò ſtabit Euchariſticum Reformatæ Eccleſiæ Sacramentum, cùm (uti videre eſt apud Heideggerum *in ſuis Vindic. n. 9.* & Vedroſium *præf. ſect. n. 5.*) explicetur Chriſti in illo præſentia per nomina *Modi Relativi & Sacramentalis*, non tantùm antiquiorum, ſed etiam proximiorum ſæculorum Doctoribus omninò incognita? 160

Reſp. 2. Vedroſium in referendo Scoto (dum Alphonſum quoque de Caſtro ſub ſenſu à mente hujus Doctoris prorſus alieno inducit) eſſe apertè reum de crimine falſi. Hic enim ſubtilis Doctor *n. 3.* ſolùm refert ſententias de modo, realis tamen ac veræ Chriſti intrà Euchariſtiam, præſentiæ. Exinde *n. 5.* adducit argumentum ſuæ intentioni ac Fidei contrarium, cui ſe opponit *n. 13.* authoritatibus firmando Tranſubſtantiationem, ſive ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti converſionem. Et *num. 14. ac 15.* refutat argumenta in contrarium adducta, atque, illud Tranſubſtantiationis Myſte- 161

rium

tium re ipsâ fuiſſe ſemper de Veritate Fidei; ſed à Concilio Lateranenſi eſſe magis *explicitè* poſitum ex hoc ipſo Spiritu, quo tradita ſit nobis fides. En igitur Vedroſi, quàm fraudulenter egeris, dum ex Scoto non tantùm apertè falſa refers, ſed more tuo illa commiſces variis ſcommatibus, & venenoſis tuis erga Concilium Lateranenſe cavillationibus.

27. Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando ex dictis ſuprà *Diſſert. 4. ſect. 4. c. 4. n. 60. & ſeqq.* Ibi enim probatum eſt, Theodoretum *citatum* apertis verbis tradidiſſe, quòd poſt ſanctificationem panis & vini, contentum ita appelletur Corpus & Sanguis Chriſti, ut credat, ſe per ſumptionem (ipſius) fieri participem Corporis & Sanguinis Chriſti. Exinde prææallegatâ Eutychianorum objectione factâ, reſpondet, ſigna myſtica quoad figuram, formam, & circumſcriptionem ita manere in ſuâ naturâ, ut ſub hiſce ſignis ſit adorandus Dominus ipſe, & ejus Corpus vivificum, potentius omni interitu, utpote quod ſit illud ipſum, quod ſeſſione ad Dexteram Patris ſit dignatum. Ex quibus proindè patet, Theodoretum ita agnoſcere veritatem Corporis Chriſti in Eucharistiâ, mediante ſanctificatione panis Transmutativâ, atque adeò mediante Tranſubſtantiatione ſub myſticis ſymbolis ſeu ſpeciebus *realiter* ponendi, ut exinde etiam refutet Eutychianos, naturæ humanæ veritatem à Chriſto auferentes. Tantùm igitur abeſt, quòd per Tranſubſtantiationem faveamus Eutychianis, ut Vedroſius potiùs hoc ſpiritu ſe aſperſum probet.

28. Deinde Gelaſius (non ille, qui erat Papa, ſed longè alius, uti patet ex Cano *lib. 6. de Locis Theolog. cap. ult.*) ait, in Eucharistiâ ita permanere naturam panis (non Eſſentialem, ſed Accidentalem, uti patet ex contextu) ut aſſerat tamen, panem & vinum tranſire in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti. Hinc autem infert, quòd, ſicut in Myſterio Eucharistico *realiter* permanent ea, ex quibus conſtat hoc Sacramentum, nempe natura, id eſt proprietas naturæ panis & vini, & ipſum Chriſti Corpus & Sanguis: ſic in Myſterio principali Verbi Incarnati *realiter* permaneant, ex quibus conſtat, nempe Humanitas & Divinitas. *Ex contextu.* At verò ſi panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Tranſmutatio eſſet tantùm *Relativa*, & *Myſtica*, non *phyſica* ſeu *realis*, tunc ex illo argumento non refutaret Eutychianos, ſed his potiùs faveret. En igitur Vedroſi, quomodò tuis (falsò etiam impetendo Gelaſium) argumentationibus non tam ferias veritatem Tranſubſtantiationis, quàm te fautorem Eutychianorum demonſtres, *uti magis etiam patet ex proximè citatâ Diſſert. 4. ſect. 4. cap. 4. n. 63.*

29. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Eo ipſo quòd verba Chriſti Domini ſint infallibilis Veritatis, oportet, ea vel ſupponere veritatem, vel

hanc

hanc efficere. At iſta verba: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*, ſignificant Suppoſitum Verbi quà Incarnati, cui verè convenit, eſſe panem ſuperſubſtantialem, quo & Angeli per viſionem beatificam fruuntur. Unde illa Chriſti Domini verba, quia veritatem per ſe ſignificatam ſupponebant, non debebant eam efficere. Ergo à contrario, quia hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, non ſupponunt veritatem realis præſentiæ Chriſti, oportet, ut eam efficiant. Hæc autem actio Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Eucharisticis Individualiter conſtitutiva, debet hoc ipſo eſſe excluſiva ſubſtantiæ panis. Ergo debet eſſe Tranſmutativa *ſubſtantialiter*, quæ convenienter dici poteſt *Tranſubſtantiatio*.

Ad *quartam* Reſp. Illo Canone dici 1. Quòd panis & vinum poſt Con- 30.
ſecrationem non tantùm ſint Sacramentum, ſed verum Corpus & Sanguis Chriſti. At eo ipſo, quòd virtute Conſecrationis panis & vinum ita fiant Sacramentum, ut ſint verum Corpus & Sanguis Chriſti, oportet, panis ſubſtantiam non ampliùs exiſtere ſub ſuis accidentibus, debetquè adeò fieri Tranſubſtantiatio, *uti ſuperiùs eſt deductum*. Ergo ex illo Canone ritè expoſito omninò evincitur Tranſubſtantiatio. 2. Illo Canone decernitur, 31.
Corpus & Sanguinem Chriſti ſenſualiter non ſolùm in Sacramento (notandum hîc, iſtas voces *non ſolùm* eſſe omiſſas in oppoſitâ argutiâ, ad talem ſenſum fraudulenter eliciendum, quaſi diceretur Corpus Chriſti *immediatè* tangi &c.) ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, tangi, & fidelium dentibus atteri. At ſi hoc ex integro expendatur, manifeſtum eſt, reddi ſenſum, quòd Corpus Chriſti mediante Sacramento, in veritate tractetur manibus Sacerdotum, fideliumque dentibus atteratur. Ejuſmodi verò Sacramentum ut ſic importat ſpecies Sacramentales quà contentivas Corporis & Sanguinis Chriſti. *Ex contextu*. Ergo illo Canone decernitur duntaxat, quòd Corpus & Sanguis Chriſti, mediantibus Sacramentalibus ſpeciebus, in veritate tractetur manibus Sacerdotum, & fidelium dentibus atteratur. Ex hoc autem fit, quòd iſtæ actiones ſenſibiles non quidem *immediatè phyſicè* attingant Corpus & Sanguinem Chriſti, poſſint tamen *Demonſtrativè* hiſcè attribui, eo ipſo, quòd in veritate ſub talibus ſpeciebus contineantur Corpus & Sanguis Chriſti. Conſtat proinde, illum Canonem nihil decernere, niſi quòd Myſterio Euchariſtico, & Tranſubſtantiationi ſit conforme: adſtipulantibus etiam Patribus antiquis, ſpeciatim Chryſoſtomo *Hom. 83. in Matth. hom. 45. in Ioan. hom. 24. in 1. Corinth.* Cyrillo *lib. 12. in Ioan. cap. 58.* ubi videre licet ſimiles loquendi formulas ad Corporis & Sanguinis Chriſti realem in Euchariſtiâ præſentiam comprobandam. Et reverâ Chriſtus Do- 32.
minus *Lucæ 8.* dicebat: *Quis me tetigit?* cùm tamen ſolùm *mediatè*, in veſti-

bus

bus ſeu fimbriâ attingeretur. Pari proinde ratione dicere licèt, Corpus Chriſti in Sacramento Evchariſtico tangi, videri, atteri, licèt non *immediatè* in ſe ipſo, ſed *mediantibus ſpeciebus Sacramentalibus* terminet hujuſmodi actiones.

33. Ad *quintam* Reſp. Aliud eſſe, ſi Tranſubſtantiationis actio ſpectetur *Intentionaliter* & *Abſtractivè* cum ordine ad formalem verborum Conſecrationis ſignificationem: aliud verò eſſe, ſi ſpectetur *Phyſicè*, cum ordine ad ſuum terminum realem. Si proinde actio Tranſubſtantiativa ſpectetur priori modo, rectè dici, quòd *ex vi verborum Formaliter* ſub ſpeciebus panis non ponatur niſi Corpus & Sanguis Chriſti. Hoc verò Chriſti Corpus & Sanguis non dicit puram materiam, ſed Corpus quà *ſubſtantialiter* organicum. Hæc verò Corporis quà organici ratio & forma importat *realiter* ipſam animam rationalem, non quidem in gradu ſpecifico, ſed generico conſideratam. Conſequens igitur eſt, ſub ſpeciebus Evchariſticis *vi verborum Conſecrationis Formaliter* eatenùs intelligi Corpus Chriſti poni in Evchariſtiâ, quâ intentionaliter abſtractum à ſanguine, ut ſub hac ipſâ intentionali verbis conſecratorijs proportionatâ abſtractione ſingulare lateat Myſterium, ad Chriſti mortem, ſanguinis omnimodâ effuſione conſummatam taliter repræſentandam.

34. At verò ſi Tranſubſtantiationis actio ſpectetur *Phyſicè*, tunc eo ipſo, quòd attingat Corpus Chriſti quà vivum & ſuppoſitatum, oportet, ut non ſolius Corporis, ſed etiam Sanguinis & animæ, totiuſquè adeò Humanitatis, quà Increatâ Verbi Divini Hypoſtaſi terminatæ, ſit conſtitutiva ſub qualibet ſpecie Evchariſticâ. Quod equidem inſinuavit ſacrum Concilium Trident. *Seſſ. 13. cap. 3.* definiendo, Corpus Chriſti exiſtere ſub panis, & Sanguinem ſub ſpecie vini *ex vi verborum*, ipſum autem Corpus ſub ſpecie vini, & Sanguinem ſub ſpecie panis, animamquè ſub utrâque, *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ*, quâ partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore & Animâ Hypoſtaticam unionem. Conſtat proinde, argutiam præſentem eo ipſo laborare æquivocationis fallaciâ, quòd ex actione Tranſubſtantiativâ *Intentionaliter*, cum ordine ad præciſam verborum ſignificationem conſideratâ, procedat ad eandem *quà Phyſicè & realiter* ſpectatam. Unde ſophiſticè ac falsò inferri, quòd Corpus & Sanguis Chriſti ſeparentur in Evchariſtiâ. Quæ porro Kemnitius ex Patribus non tam verè, quàm ſophiſticè quandoquè opponit, efficaciter refutata invenies apud Valentiam *Diſp. 6. de Evchariſt. q. 3. punct. 2. §. 7.* Et apud Bellarminum *to. 2. lib. 3. cap. 23.*

35. Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. Divus Ambroſius ait, Sermonem Chriſti in conſecratione panis & vini ita eſſe operatorium, ut ſint, quæ erant, & in

& in aliud convertantur. At quod convertitur in aliud, ita deſinit eſſe, ut tamen aliquid ipſius maneat: *ex ipsâmet Converſionis definitione à Philoſophis traditâ.* Oportet igitur, panem & vinum virtute Conſecrationis Eucharisticæ ita deſinere, ut aliquid eorum tamen maneat: *ex præallegatis Divi Ambroſij verbis.* At in Converſione deſinit terminus *A quo*, manente illo, ſub quo incipit exiſtere terminus *Ad quem.* Eſt autem ex ejuſdem Sancti Doctoris *lib. de Sacramentis cap. 5. & alibi* verbis *præced. cap. n.* 20. adductis, manifeſtum, Terminum *A quo* Converſionis Eucharisticæ eſſe ſubſtantiam panis & vini, quæ ita tranſit in Corpus & Sanguinem Chriſti, ut hæc tamen maneant ſub ſpeciebus Eucharisticis. En igitur, qualiter ex Sancto Ambroſio Tranſubſtantiatio Eucharistica omnimodè evincatur.

Ad *ſeptimam* Reſp. Non ex ſtrophis ſophiſticis, uti falsò calumniatur 36.
Heideggerus, procedi, neque noctem pro die, vel lunam pro ſole vendi, ſi veritas ex ipſis Chriſti Domini verbis adſtruatur. Etenim Chriſtus in Evangelio verè dixit, eſſe Corpus ſuum & Sanguinem, quod ſub ſpeciebus panis & vini in ultimâ Cœnâ offerebat. At Pronomina *Hoc* & *Hic* in verbis Euchariſtiæ conſecratorijs ſunt *Demonſtrativè* ſignificantia individuam ſubſtantiam quà contentam ſub præſentibus panis & vini ſpeciebus. Unde, cùm Individuatio ſit excluſiva alterius ſubſtantiæ, ſequitur, illorum Chriſti verborum veritatem non admittere aliam ſubſtantiam, niſi Corporis & Sanguinis Chriſti, atque adeò oportere, panis & vini ſubſtantiam deſinere eſſe ſub illis ſpeciebus, & ſuccedere Corporis & Sanguinis Chriſti ſubſtantiam, eſſequè adeò ab ipſomet Chriſto Domino factam ſubſtantiæ panis & vini converſionem in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis ſui. Vides igitur Heideggere, ſi veritatis lucem, non verò ſomniorum tenebras quæreres, tuum intellectum omninò redigeres in obſequium Chriſti, ejuſque verborum, prout Redingius quoque in *ſuis Refutat. Diſſert. 8. §. 2* à te minimè refutatus, tibi monſtravit; ubi *§. 4.* refutantur etiam, quæ ex Cyrillo Alexandrino ineptè prorsùs produxiſti. Sed audire rursùs libeat 37.
lubricam tuam Philoſophiam eo, ſed falſo principio nixam, quòd idem ſuppoſitum non poſſit eſſe agens ſimul & patiens. At nunquid Anima Chriſti à Corpore reſoluta propriâ ſuâ virtute deſcendit ad inferos? Nunquid Chriſtus, qui habuit poteſtatem ponendi Animam, & iterum ſumendi eam, propriâ virtute ſe reunivit Corpori, & ita reſurrexit tertiâ die? Nunquid humanitas Chriſti propriâ virtute aſcendit in cœlum, & redibit eâdem virtute ad judicandum vivos & mortuos? En igitur Heideggere, qualiter illud tuæ falſæ Philoſophiæ principium, quod adversùs ex-

Digitized by Google

ceptiones præfatas *in tuis Vindicijs* defendere præterijſti, impingat in plura Chriſti Myſteria.

38. Ad *octavam* Reſp. Oportere diſtinguere inter id, quod ex ipsâ verborum Conſecrationis veritate evincitur, & id quod ſuppoſitâ iſtâ veritate, per ſubtilitatem ſcholaſticam ex rationibus ſolum probabilibus, illis tamen definito fidei dogmati minimè repugnantibus, inter Theologos Scholaſticos concertatur. At prius continet veram & realem Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam, paniſque ac vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Tranſſubſtantiationem, in quibus Fidei articulis inter Pontificios Doctores nè minima quidem eſt controverſia. Quâ proinde veritate ſuppoſitâ, & utrinque firmiter retentâ, controvertitur inter Thomiſticam & Scotiſticam Scholas, *An iſta Converſio fiat per actionem Corporis Chriſti productivam, vel ſolummodò introductivam*? Quæ proinde controverſia non eâ dun-

39. taxat ratione ſuſtinetur, quòd nullum fidei veritati generet præjudicium, ſed vel maximè quòd conſequentijs etiam remotioribus per rationes veriſimiles penetratis, facilius ſit, occurrere erroribus in doctrinâ fidei pullulantibus; probabiles ejuſmodi in rebus quoquè Divinis argumentationes approbante Eccleſiaſtico *cap. 39.* ubi dicitur: *Sapientis eſſe, exquirere ſapientiam antiquorum, & conſervare narrationes virorum nominatorum, & in verſutias parabolarum introire.* En igitur Heideggere, hoc eſſe diſcriminis inter Pontificios & Reformatos Doctores, quòd illi non ratiocinentur, niſi ſupponendo fidei veritatem, atque huic ceu unico Theologico principio innitendo: iſti verò proprietatem verborum Chriſti ab Eccleſiæ Orthodoxis Patribus inconcuſsè retentam, fideique adeò veritatem reijciendo declinent, exemplo Zvvinglij ad ſomnium, illius veritatis in figuram translativum.

COROLLARIUM.

40. INfertur. Georgij *ſuprà cap. 1.* adductam ratiocinationem à Vedroſio nullibi ſolidâ, imò vel probabili ratione ſolutam, ſtare adhuc inconcuſſam: indequè ſic licere argumentari. Illius Eccleſiæ ſpiritus non eſt Divinus, qui Eccleſiam Romanam de novitate *nominis Tranſubſtantiationis* ita redarguit, ut ipſe tamen ſubſtituat nomina, non tantùm noviter inventa *Præſentiæ & Tranſmutationis Relativa*, ſed inſuper evertat proprietatem verborum Chriſti, ſuper quorum tamen veritate apertè evincitur fundata, & ſecundùm rem ipſam ſemper credita Tranſubſtantiatio Euchariſtica. At hæc omnia ſic ſe habere circà Reformatam Eccleſiam, conſtat ex dictis. Ergo hujus Eccleſiæ ſeu Reformationis ſpiritus non poteſt eſſe Divinus, utpote veritatem proprietate verborum Chriſti ſemper creditâ nixam evertens

Digitized by Google

vertens, ac ex inſtinctu ſuo proprio per ſomnium ab atro fortè monitore inſpiratum ſubſtituens ſenſum figuratum, antehac incognitum.

SECTIO III.

De Communione ſub unâ tantùm ſpecie.

GEorgius Rhætus *in ſuâ Face* non meminit quidem hujus materiæ: attamen quia Vedroſius *ſua Antiquit. Sect. 4. in Exam. Rat. 3. doc. 12. in init.* exprobravit illi authori calicis ablationem ab ipſo omiſſam; idcircò hîc operæ pretium eſt viſum, ad iſtam exprobrationem magis retundendam, præmittere aliquod argumentum Georgij, Doctores Reformatos ex mutuâ inter ſe contradictione confundentis, intentioni conſentaneum. 1.

CAPUT I.

Refertur fundamentum intentioni Georgij conſonum.

CAlvinus *lib. 4. inſt. cap. 17. §. 47.* de ablatione Calicis ita debacchatur. *Ex eâdem* (diaboli) *prodijt officinâ & altera conſtitutio, quæ dimidiæ Cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata eſt, vel eripuit, nempè ſymbolum Sanguinis, quod laicis &c. interdictum, paucis raſis & unctis in peculium ceſſit. Edictum æterni Dei eſt, ut omnes bibant.* 2.

Econtrario Reformati Galliæ *in ſuâ Diſcip. Eccleſiaſt. cap. 12. a. 7.* ſic ſtatuunt. *Panis Cœnæ adminiſtrandus eſt, non bibentibus vinum, præmiſſâ proteſtatione, quòd non fiat ex contemptu, tantumquè conantibus, quantum poterunt, etiam Calicem accipiendo, & ori propinquando, quouſque poterunt, ac jungendo illud labijs, ut omne ſcandalum præcaveretur &c.* 3.

Ex quo ita licet argumentari. Vel *Calicis* ſumptio in Cœnâ Euchariſticâ eſt de eſſentiâ Sacramenti, vel non? Si prius, quomodò licuit Reformatis Galliæ in illo diſpenſare quoad non bibentes vinum? cùm nullo caſu ſit licitum, nulliter adminiſtrare Sacramentum, quod tamen fieret, ſi interveniret defectus eſſentialis. Si poſterius, erit conſequens, quòd tota ſubſtantia Cœnæ ſubſiſtat ſine ſumptione Calicis, nec adeò tenebit ſententia Calvini, calumniantis Eccleſiam Romanam, populo Dei abſtuliſſe Cœnam (*Eſſentialiter*) dimidiam. Adhæc ſi, ut omnes bibant Calicem, ſit Edictum Dei, ſequitur; Reformatos Galliæ diſpenſâſſe in Dei Edicto. Annè igitur poteſtas diſpenſandi in illo Dei Edicto competit Reforma- 4. 5.

 tis

tis ex poteſtate Divinitùs traditâ? At ſi hoc ſit, cur Calvinus aſſerit, Calicis ablationem eſſe ex officinâ diaboli? Sanè hinc patet, niſi ipſoſmet Galliæ Reformatos quis contendat, prodijſſe ex diaboli officinâ, debere Calicis uſum in Cœnâ Euchariſticâ non ita eſſe Divinitùs definitum, quin
6. ex cauſis præſertim rationabilibus prætermitti quandoquè poſſit. Quinimò Philippus Melanchton *lib. de uſu integri Sacram.* ſcripſit Ruthenis; quòd *rectè facerent, ſi loco vini aquâ mellitâ, vel medone uterentur in Sacramento.* Cui concordat Molinæus *lib. 7. cont. 12. pag. 972.* ſic ſcribens: *Quoad terras, in quibus vinum non eſt, præſtat, ſequi exemplum Eccleſiarum Æthiopiæ, quæ utuntur alio liquore ibi viſitato, ſicut in terris, ubi panis non eſt, quin & liceat uti, quod locum panis teneat &c.* At verò ex Evangelio apertè conſtat, materiam Euchariſtiæ à Chriſto determinatam eſſe panem & vinum. Quo igitur jure licet Reformatis, Divinæ inſtitutionis jus infringere? An quia Molinæus ſcribit, hoc in uſu eſſe apud Æthiopes? At hos, conſtat, nefarijs Neſtorianâ & Eutychianâ hæreſibus infectos, inter ſe conflictari? Siccinè igitur Eccleſia Reformata, quia ex ſomnio Zvvinglij per atrum monitorem inſpirato prodijt, Æthiopes æmulatur?

CAPUT II.

Referuntur Adverſariorum argutiæ.

7. ARguunt Reformati 1. Chriſtus Sacramentum Euchariſtiæ pro omnibus inſtituit ſub utrâque ſpecie. Ergo etiam præcepit, ut omnes illud ſub utrâque participarent.

8. Arguunt 2. Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut facerent, quod ipſe fecit, *Hoc facite*, inquiens, *in meam commemorationem.* At Chriſtus non ſolùm conſecravit ſub utrâque ſpecie, ſed etiam diſtribuit Euchariſtiam ſub ambabus ſpeciebus. Ergo & Sacerdotes tenentur idem facere.

9. Arguunt 3. cum Calvino *lib. 4. Inſtit. cap. 17.* Æterni Regis edictum eſſe, ut omnes bibant de Calice Euchariſtico, juxta illud: *Bibite ex hoc omnes.* Sicuti ergo præceptum ſumendi Euchariſtiam omnes tangit ex eo, quòd Chriſtus dixerit: *Manducate ex hoc omnes*; ſic quia dixit: *Bibite ex hoc omnes*, ſequitur, uſum Calicis eſſe omnibus præceptum. Ex Luthero *in lib. de Captivit. Babylon. cap. de Euch.*

10. Arguunt 4. Chriſtus dixit *Ioan. 6. Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At hiſce verbis clarè exprimitur neceſſitas Euchariſtiæ ſub utrâque ſpecie.

11. Arguit 5. Vedroſius *ſuæ antiquit. pag. 59. in fine.* Quod Auguſtinus *ſupra*

præ Levit. dicit: *A Sanguine hujus ſacrificij neminem prohiberi, ſed ad bibendum potiùs omnes exhortari, qui volunt habere vitam*: hoc debuiſſe Georgium conciliare cum Concilio Tridentino *Seſſ. 21. can. 1. de communione ſub utrâque ſpecie* taliter definiente. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Anathema ergo (concludit Vedroſius) ipſis ſit Auguſtinus.

CAPUT III.

Oſtenditur, nullum extare Divinum præceptum de communione utriuſque ſpeciei laicis, ſeu Sacerdotibus non ſacrificantibus dandâ, vel accipiendâ.

Probatio prima, ex ſacris Litteris.

NAm Euchariſtiæ Sacramentum non confert ſuum effectum, niſi ejus ſumptio fiat conformiter ad inſtitutionem ac præceptum Chriſti Domini. At effectum Euchariſticum conferri per ſumptionem ſub unâ tantùm Corporis Chriſti ſpecie, evincitur ex illo *Ioan. 6. v. 59. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Oportet ergo, ſumptionem Euchariſtiæ ſub unâ tantùm Corporis Chriſti ſpecie conformem eſſe inſtitutioni, ac præcepto Chriſti Domini. Unde Apoſtolus *1. Corinth. 11. v. 27.* ſub diſiunctione locutus eſt. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* At ea eſt natura particulæ diſiunctivæ, ut ſufficiat, alterutram partem amplecti. Planum proinde eſt, Euchariſticæ à Chriſto inſtitutæ ac præceptæ ſumptioni ſatisfieri, ſi vel una tantùm ſpecies accipiatur. At hujus rationem inſinuat *ibidem* Apoſtolus hiſce verbis: *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ex hoc enim evincitur, Corpus & Sanguinem Chriſti eatenùs eſſe ſub quâlibet illarum ſpecierum, ut per alterutrius ſumptionem indignam quis reddatur *Copulativè* reus Corporis & Sanguinis Chriſti. Conſequens igitur eſt, ex eo, quòd Corpus unà cum Sanguine Chriſti, imò totus Chriſtus ſit ſub panis ſpecie Euchariſticâ, per hujus ſolius ſumptionem extrà ſacrificantem eatenùs ſatisfieri præcepto ac inſtitutioni Chriſti, ut taliter communicans non minus accipiat, quàm Sacerdos communicans ſub utrâque ſpecie. 12.

Probatio ſecunda, ab exemplo primorum Chriſtianorum, id approbantibus ipſiſmet Apoſtolis.

ETenim *Act. 2. v. 42.* ita habetur: *Erant autem perſeverantes in doctrinâ Apoſtolorum* 13.

lorum, Communione fractionis Panis, & orationibus. Et *Act. 20. v. 7. Unâ autem Sabbathi cùm veniſſemus ad frangendum Panem, Paulus diſputabat.* At hiſce locis eſſe ſermonem de Communione Eucharisticâ, fatentur ipſi quoque adverſarij, Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 35.* & Lutherus *in Serm. de Euch.* Eo ipſo autem, quòd Communio deſcribatur peracta per fractionem Panis, abſque ullâ Calicis expreſſione, ſequitur, uſum Calicis non fuiſſe neceſſarium ad Communionem Eucharisticam; eò vel maximè, quòd integra Cœna Eucharistica perficiatur ex unius tantùm ſpeciei, utpote non ſolum Chriſti Corpus, nec ſolum Sanguinem, ſed integrum Chriſtum in ſe continentis ſumptione: hinc enim Chriſtus ſumptâ ſolâ Corporis ſui ſpecie jam dicebatur *cœnâſſe*, juxta illud *1. Corinth. 11. v. 25. & Lucæ 22. v. 20. Similiter & Calicem poſtquàm cœnavit* (ſumptâ ſcilicet Corporis ſui unicâ ſpecie) *dicens.* In quem adeò ſenſum Divus Auguſtinus *Epiſt. 118. cap. 5.* ait: *Ipſam Cœnam potuit appellare, quia jam Corpus acceperant, ut deinde Calicem acciperent.* Conſtat igitur, ex ſolâ Corporis Chriſti ſpecie, utpote integrum Chriſtum continente, acceptâ, ita perfici Cœnam Eucharisticam, ut ipſorum etiam Apoſtolorum tempore, dicat ſacra Scriptura, peractam fuiſſe ſacram Communionem ſub ſpecie Panis, quin fiat aliqua mentio Calicis.

Probatio tertia, ab ipſiuſmet Chriſti Domini exemplo deſumpta.

14. NAm *Lucæ 24. v. 30.* ſic habetur. *Et factum eſt, cùm recumberet cum eis* (diſcipulis ſcilicet in Emaus profectis) *accepit panem, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis.* At verò ſub iſtâ fractione panis fuiſſe peractam myſticam & Sacramentalem Cœnam, ſeu Communionem Eucharisticam, teſtantur præter alios Patres Sanctus Auguſtinus *Epiſt. 59. ad Paulin. in ſolut. quæſt. & lib. 3. de conſenſ. Evangeliſt. cap. 25.* Hychius Hieroſolymitanus *lib. 2. in Levit. cap. 9.* Theophylactus *in cap. 24. Lucæ. Inſinuatur*, inquiens, *& aliud quiddam, nempè quòd oculi eorum, qui benedictum panem aſſumunt, aperirentur, ut cognoſcant illum; magnam enim & invincibilem vim habet caro Domini.* Ex quo proinde evincitur, ex unius tantùm ſpeciei ſumptione Diſcipulos Chriſti in apertione interiorum mentis oculorum, Chriſtiquè adeò cognitione, ita obtinuiſſe effectum Eucharisticum, ut Calice tamen non fruerentur, utpote Chriſto mox, cùm porrecto pane agnoſceretur, evaneſcente. At verò Chriſtus illo ſuo facto non immutavit inſtitutionem Sacramenti Eucharistici in ultimâ Cœnâ factam, ſed Eucharistiam Eccleſiæ traditam eſſe ejuſdem virtutis cum illo pane in Emaus per Chriſtum benedicto, & ut ſic (ceu verâ ſuâ ſecundùm Theophylactum carne ſuâ) Diſcipulis porrecto, conſtat etiam ex Sancto Chryſoſtomo *Hom. 16. imperfecti operis in Matth.*

Con-

Digitized by Google

Conſequens proinde eſt, Evchariſtiæ inſtitutionem Divinam nullatenùs exigere, ut ejus communio fieri debeat ſub utrâque ſpecie.

Probatio quarta, ex uſu antiquæ Eccleſiæ.

ETenim in Eccleſiâ antiquâ morem fuiſſe, ut fideles Evchariſtiam ſecum deferrent domum, ibique à ſe ipſis (uti Divus Baſilius *infrà citandus* ſpeciatim loquitur de vitam ſolitariam agentibus) communicarent, teſtantur Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem.* Origenes *hom. 13. in Exod.* Dionyſius Alexandrinus *in Epiſt. ad Fabium Antioch. relatâ ab Euſebio Cæſar. lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 36.* Cyprianus *lib. de lapſ. ſerm. 5. duobus folijs ante finem.* Baſilius Magnus *in Epiſt. ad Cæſar. Palutium.* Ambroſius *Orat. funeb. de Exceſſu Satyri.* Hieronymus *Apolog. pro libris contra Jovinianum ad Pammachium.* Atqui ſolum Corporis, non verò Sanguinis Sacramentum fuiſſe illis antiquioribus temporibus delatum ad privatas domos, teſtantur non ſolùm Patres *præcitati*, plura de hoc memorabilia exempla recenſentes, ſed idipſum confirmant Sanctus Athanaſius *Apol. 2. contrà Arianos.* Cyprianus *de lapſis.* Ex quorum adeò teſtimonijs conſtat, Sacramentum Sanguinis non fuiſſe permiſſum, ut à fidelibus ad domos ſuas privatas deportaretur, ſed in Eccleſiâ tantùm diſtribueretur, atque adeò Communio ſub unâ duntaxat ſpecie in domibus proprijs à fidelibus frequentaretur. Conſequens proinde eſt, antiquis jam temporibus fuiſſe fidelibus in uſu communionem ſub unâ tantùm Sacramenti Corporis ſpecie. At temerarium foret, hanc Antiquitatem à Patribus *præcitatis* approbatam arguere de temeratâ Divinâ Sacramenti Evchariſtici inſtitutione. Manifeſtè igitur ſequitur, Communionem ſub unâ tantùm Sacramenti Corporis Chriſti ſpecie non eſſe alienam ab inſtitutione Divinâ. 15. 16.

17. Confirmatur ex miraculoſo quodam exemplo relato à Sozomeno *lib. 8. hiſt. cap. 5.* & Nicephoro *lib. 13. cap. 7.* de quâdam fœminâ hæreſi Macedonianâ infectâ. Hæc enim ex intentione ſimulandi Religionem Catholicam, cùm Sacramentum Corporis in Eccleſiâ in manus acceptam ſe mox inclinando, occuleret, & panem communem loco illius ori imponeret, accidit, ut iſte in lapidem fuerit converſus, eiquè adeò cauſa fuerit accedendi ſanctum Chryſoſtomum, ac veniâ petitâ, hæreſiquè ejuratâ, recipiendi veram Fidem. Ex quo adeò exemplo patet, in publicâ etiam Eccleſiâ tempore Sancti Chryſoſtomi, fuiſſe uſum Communionis Evchariſticæ ſub unâ tantum Sacramenti Corporis ſpecie. Si enim omnes poſt acceptum Sacramentum ſub ſpecie panis, etiam Calicem ſumere debuiſſent, non potuiſſet illa mulier poſt acceptum Sacramentum Corporis ſe inclinando, ſubſtituere panem prophanum, ſed neque potuiſſet declinare Calicem, vel vinum loco Sacramenti

menti Sanguinis, utpote non in manus traditi, ſed à Diacono ſubminiſtrati ſubſtituere, fuiſſetquè adeò illa fraudulenta per panis & vini ſubſtitutionem intenta ſimulatio impoſſibilis.

Probatio quinta, petita ex Decretis Eccleſiaſticis.

18. ETenim ante tempora Leonis I. qui Concilium 1. Generale Chalcedonenſe circà Annum 440. confirmavit, fuiſſe in uſu, ut ſacra Communio ſub unâ tantùm Panis ſpecie accipi poſſet à non ſacrificantibus, colligitur ex ejuſdem *Serm. 4. de Quadrageſimâ.* At ubi Manichæi, teſte Divo Auguſtino *lib. de hæreſ. cap. 46.* vinum tanquàm creaturam malam deteſtantes, ex Africâ Romam veniſſent, & ut laterent inter Catholicos, communionem quidem ſacram, ſub panis tamen ſpecie duntaxat ſumerent, ad hos dignoſcendos Leo Papa *in cit. Serm. 4.* ita diſſeruit: *Cùmque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant* (Manichæi) *intereſſe Myſterijs, ita in Sacramentorum Communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno Chriſti Corpus accipiunt, Sanguinem autem Redemptionis noſtræ declinant.* Ex quo adeò patet, potuiſſe Manichæos unam duntaxat ſpeciem Sacramenti Corporis accipiendo, adhuc latere inter fideles, quod impoſſibile fuiſſet, ſi iſti univerſim fuiſſent obligati ad Communionem ſub utrâque ſpecie. Quare ad Manichæos à ſacrâ Communio-

19. ne ſecuriùs arcendos, Gelaſius Papa Leonis ſucceſſor tulit mandatum Communionis ſub utrâque ſpecie. *Cap. Comperimus. De Conſecrat. diſt.* 2. Ex quibus igitur planum eſt, Communionem ſub unâ tantùm ſpecie in non ſacrificantibus eatenùs non diſcordare ab inſtitutione Divinâ, ut neque Auguſtinus, neque Epiphanius hæreſes Manichæorum exactè recenſentes, ex hoc ipſos condemnârint, ſed iſti inter veros Catholicos ex tali Communione latere potuerint, atque adeò Communio vel ſub unâ, vel ſub utrâque ſpecie fuerit in Eccleſiâ antiquâ liberè permiſſa à fidelibus, donec ex causâ Manichæos à ſacrilegâ Communione arcendi, fuerit à Papâ latum præceptum

20. Communionis ſub utrâque ſpecie. Quia proinde Manichæorum hæreſi ceſſante, ceſſavit iſta Communionis ejuſmodi ratio, conſequens eſt, legem illam ita exſpirâſſe, ut hodiè meritò ferri potuerit lex Communionis ſub Panis duntaxat ſpecie, tum ad demonſtrandum, quòd Chriſti Corpus & Sanguis non exiſtant ſeparatim in Evchariſtiâ, ſed quòd ſub alterutrâ ſpecie ceu integro Evchariſtico Sacramento contineatur integer Chriſtus; tum ad evitandas inconvenientias, ex uſu Calicis ob ſpecierum Vini in rudi populo facilem effuſionem quandoque occurrentes, tum ad deteſtandum errorem Neotericorum, unius ſpeciei Communionem inſtitutioni Chriſti contrariam

am falsò clamitantium, ac eo ipſo antiqüæ Orthodoxæ Eccleſiæ morem iniquè condemnantium.

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ.

AD *primam* Reſp. Negando Conſequentiam. Non enim omnia, quæ Divinitùs ſunt inſtituta pro omnibus, obligant omnes ſub aliquo præcepto. Nunquid enim Matrimonium eſt Divinitùs inſtitutum pro omnibus, & tamen non omnes ſunt ad illud taliter obligati, ut Divini præcepti reus ſit, qui vivit in cœlibatu? Nunquid Ordo Eccleſiaſticus in Miniſtrum Eccleſiæ, & munus prædicandi ſunt Divinitùs inſtituta pro omnibus, & tamen non omnes tenentur ad tale officium ſuſcipiendum, ſed eſt in liberâ electione? Nunquid omnes articuli Fidei ſunt Divinitùs Inſtituti, & tamen Reformatio hodierna diſtinguit ipſos in Fundamentales ſive Neceſſarios, & non Fundamentales, vel non Neceſſarios? Quæ equidem diſtinctio licèt in ſenſu Reformatorum minimè teneat, eò quòd reverentia Primæ Veritatis non permittat, ut alicui veritati Divinitùs revelatæ liceat *poſitivè* diſſentire: verum tamen eſt, aliquos ex Fidei articulis eſſe *Formaliter* ac *Explicitè* credendos ab omnibus, alios verò non niſi *Virtualiter* ac *Implicitè*. Unde etiam conſequitur, ea, quæ Divinæ inſtitutionis prærogativam habent, non ſortiri parem neceſſitatis gradum, omnes omnino homines æqualiter afficientem. Quamvis proinde Eychariſtiæ Sacramentum ſit Divinitùs inſtitutum pro omnibus ſub duabus ſpeciebus, harum tamen ſumptionem Chriſtus *Ioan. 6.* præcepit ſolùm ſub diſiunctione. Ea autem eſt natura præcepti *Diſiunctivè* lati, ut non ſit neceſſarium, ambas ejus partes adimpleri, ſed tota ipſius ſubſtantia adimpletur in alterutrâ parte. Cùm igitur diſpenſatio Sacramentorum extra eorundem ſubſtantiam ipſiſmet etiam adverſarijs *præc. Diſſert. 5. ſect. 3. cap. 3. & infra ad 6. Item ſeq. ſect. cap. 4. ad 1.* fateri coactis, ſit in poteſtate Eccleſiæ, conſequens eſt, ex hujus ordinatione poſſe Sacramentum Eychariſtiæ non ſacrificantibus diſtribui vel ſub duplici, vel ſub alterutrâ duntaxat ſpecie. 21.

Ad *ſecundam* Reſp. Quærendo ex Reformatis, An diſtributio Calicis ex inſtitutione Chriſti competat omnibus fidelibus, vel non? Si affirment, rurſùs quæro ex ipſis, cur in Diſcipli. Gallicâ *cap. 12. a. 9.* ita decreverint: *Monentur Eccleſiæ, ſolis Miniſtris competere adminiſtrationem Calicis, ut obvietur malis conſequentijs.* Si proinde negent, retorquetur in ipſos argumentum præſentis argutiæ. Chriſtus enim in ultimâ Cœnâ præcepit, ut id, quod ipſe feciſſet, 22.

facerent in ſuam commemorationem. At Chriſtus & conſecravit, & diſtribuit omnibus Apoſtolis utramque ſpeciem Eucharisticam. Niſi ergò Reformati illa Chriſti Domini verba reſtringant ad ſolos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Sacerdotes, oportet, eorum decretum ſuperiùs expreſſum pugnare cum ipsâmet Divinâ Eucharistiæ inſtitutione. At eo ipſo, quòd illud Chriſti Domini in ultimâ Cœnâ latum mandatum ſit reſtrictum ad Sacerdotes, ſive ſacrificantes (vel uti Reformati loquuntur) Eccleſiæ Miniſtros, ſequitur, Communionem ſub utrâque ſpecie vi illius præcepti non eſſe omnibus fidelibus neceſſariam. Quam proinde neceſſitatem Paulus Apoſtolus *1. Corinth. 11. v. 25.* excluſit, ubi *non æquè abſolutè* de Calice, ſicut de Sacramento Corporis Chriſti, ſed *ſub conditione* dixit: *Hoc facite. QUOTIESCUNQUE BIBETIS, in meam commemorationem*: ex hoc ſatis apertè circà Calicis uſum inſinuando libertatem.

23. Ad *tertiam* Reſp. Quærendo ex Calvino ac Luthero, an illud æterni Regis Edictum *abſolutè* ac *ſimpliciter*, vel *in ſenſu tantùm accommodo* credant extendi ad omnes? Si prius aſſerant, oportebit, ut afficiat etiam infideles, vel ſaltem parvulos fideles. At iſtam conſequentiam nè Reformati quidem admittunt. Conſequens igitur eſt, illa verba eſſe accipienda in *ſenſu tantùm accommodo* reſpectu certi hominum generis. At iſta ad certum hominum genus reſtrictio non ex privato cujuſque cerebro petenda eſt, ſed ex ſacro contextu. Hic verò ſatis liquidè oſtendit, illa Chriſti Domini verba: *Bibite ex eo omnes*, fuiſſe directa ad ſolos Apoſtolos, atque adeò afficere illos duntaxat, qui in poteſtate ſacrificativâ, ſeu Sacramenti Effectivâ tunc Apoſtolis collatâ ijſdem ſuccedunt.

24. Ad *quartam* Reſp. Illorum Chriſti Domini verborum: *Niſi manducaveritis Carnem Filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, poſſe, attentâ vocum naturâ, duplicem formari ſenſum, nempè *Collectivum*, ac *Diſtributivum*. At ſi verba illa eſſent accipienda *in ſenſu collectivo*, omninò tunc neceſſum foret, utramque ſpeciem Eucharisticam ſumi à quocunque fidelium. Si verò reddant *ſenſum Diſtributivum*, tunc in duplicem illam ſpeciem cadit neceſſitas ſub aliquâ Diſtributione, ita ut, qui neutram ſumit, ſit privandus vitâ ſupernaturali, non ille verò, qui unam ex illis accipit. Quis proinde ex his duobus ſenſibus ſit tenendus, oportet, ex ipſis ſacris Litteris indagare. At idem Chriſtus Dominus, qui protulit illa verba, *Niſi manducaveritis &c. & biberitis &c.* dixit etiam: *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hinc autem concluditur, illa Chriſti Domini verba, quæ utriuſ-

utriuſque ſpeciei mentionem faciunt, non de utrâque *Collectivè* ſumptâ, ſed de ambabus *Diſtributivè* ſpectatis inducere neceſſitatem, ita ut hæc expleatur per unius etiam ſpeciei ſumptionem: Apoſtolo Paulo *1. Corinth. 11. v. 27.* apertis verbis id conteſtante ſub iſtâ disjunctivâ enunciatione: *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ex hoc enim manifeſtum eſt, ad Corpus & Sanguinem Chriſti etiam *Copulativè* participandum ſufficere alterutram ſpeciem, ut vel hinc utriuſque ſpeciei ad vitam æternam neceſſitas excluſa intelligi debeat.

Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Nulla eſt ex jure Divino neceſſitas ad id, à quo de jure quidem Divino non prohibemur, ſed ad id potiùs exhortamur, *uti patet ex 1. Corinth. 7. cap.* Atqui nemo de jure quidem Divino prohibetur à Calice Domini, ſed ad bibendum potiùs omnes exhortamur. *Ex S. Auguſtino citato.* Ergo nulla eſt de jure Divino neceſſitas ad uſum Calicis. Unde cùm abſoluta ſalutis neceſſitas non ſit niſi ex vi juris Divini, jure optimo Concilium Tridentinum dixit Anathema adversùs illum, qui dixerit, Communionem ſub utrâque ſpecie ex Dei præcepto & neceſſitate ſalutis obligare omnes Chriſti fideles. Quare Vedroſio dictum eſt illud Anathema, non verò Divo Auguſtino, utpote ſecundùm cujus doctrinam uſus Calicis ſit materia duntaxat exhortationis, ſitque adeò ritus indifferens ac liber Eccleſiæ. At idem Vedroſius *ſeq. ſect. cap. 2. citandus* apertè fatetur, licere Eccleſiæ variare in ritibus Sacramentorum liberis ac indifferentibus. Deſinat ergo hic Miniſter cavillari, quòd Eccleſia Romana tempore quidem Manichæorum in deteſtationem hujus hæreſis receperit uſum Calicis, hodie verò in deteſtationem erroris Reformatorum, Calicis ex jure Divino neceſſitatem vi proprij duntaxat inſtinctûs clamitantium, urgeat communionem ſub unâ tantùm Panis ſpecie. 25.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Contradictiones Reformatæ Eccleſiæ circà Communionem Euchariſticam, imò circà ipſammet hujus Sacramenti materias ſubſtantiales *cap. 1.* deductas variationes, ita coarguere iſtam Reformationem, ut hinc tale poſſit formari argumentum. Illa Reformatio non eſt ex Spiritu Divino, quæ circà Euchariſtiam non abſque mutuâ Doctorum ſuorum contradictione contendit adſtruere alicujus ritûs Divinitùs quidem inſtituti, non tamen obinde præcepti neceſſitatem à Patribus hactenùs incognitam, & ipſo uſu antiquæ Eccleſiæ refutatam, imò per ſacros etiam textus reprobatam. Econtrà verò ex nullo ſacræ Scriptu- 26.

Digitized by Google

turæ apice, vel Divinæ Traditionis, ſed proprij duntaxat ſuorum Reformatorum cerebri inſtinctu arrogat ſibi authoritatem variandi materiam, atque adeò Eſſentiam illius Sacramenti. At hæc omnia ita contingere circà Reformationem hodiernam, conſtat ex dictis *cap. 1. & 3.* Ipſimet ergo Reformati Doctores viderint, an, & qualiter ſua Reformatio poſſit procedere ex Divino veritatis Spiritu?

SECTIO IV.

De More aſſervandi ſacram Altaris Hoſtiam, ac deferendi ad ægrotos.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. Hic Author *ſua Facis Rat. 3. doc. 12. à n. 75.* morem deferendi ſacrum Euchariſticum Viaticum ad moribundos, probat inprimis ex Concilio Nicæno *Can. 13.* ſic ſtatuente: *De his verò, qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obſervabitur etiam nunc, ita ut, ſi fortè quis recedat ex corpore, neceſſario vita ſua Viatico non defraudetur.* Quem porrò ritum apud Veteres viguiſſe, confirmat confeſſione Doctorum Reformatorum, Calvini *inſtit. lib. 4. cap. 17. ſect. 39.* Bezæ *lib. quaſt. par. 2. q. 241.* Petri Molinæi *lib. 4. Anatom. Miſſ. cap. 3. §. 1.* Praxis pietatis *cap. 52.*

2. Ex quo tandem concludit Georgius, hac etiam in parte diſcordare Reformatam Eccleſiam à piâ Antiquitate, per ipſummet ſacrum Concilium Nicænum probatâ; econtrà cum hac concordare Eccleſiam Romanam. Cùm igitur penes illam Antiquitatem fuerit vera Orthodoxia, oportet, iſtam quoad hoc etiam punctum perſiſtere in Romanâ, non autem Reformatâ Eccleſiâ, ita ut propterea Beza *citatus* optârit, ut ille ritus à ſuâ Reformatione abolitus reſtitueretur.

CAPUT II.

Referuntur argumenta Vedroſij.

3. Iſte Reformationis prætenſæ Miniſter *Antiquit. ſua ſect. 4. pag. 60.* Arguit 1. Mirum certè eſſe, quòd Georgius, miſſis alijs maximi momenti in hoc capite dubijs, hunc producat ritum, in quo ceu libero & indifferenti Eccleſiæ, Doctoreſque quoquè Reformati incolumi amicitiâ variârint, alijs

alijs hunc morem retinentibus, & alijs omittentibus, diverſiſſimâ tamen ab Eccleſiâ Romanâ mente.

Arguit 2. Georgium haud dubiè ſuggillare voluiſſe Synodi Rhæticæ leges, ſacram Cœnam per domos ad ægros circumferri prohibentes. At non pudere ſe hujus inſtituti, cùm privatæ hujus celebrationis apud ægros nec mandatum extet in Scripturâ, nec exemplum, quippe quæ deſcribat tanquàm actum publicum in Communione Eccleſiæ peragendum. *1. Corinth. 11. v. 18. & 20.* 4.

Arguit 3. Experientiam docere, quòd ſani ſub ſpe Communionis privatæ negligentiùs nonnunquam uſurpent publicam; quòdque ægri fideli memoriâ recolentes Communionem antegreſſam, ſpirituali Communioni, *Crede & manducâſti*, piè acquieſcant. Hinc Communionem privatam eſſe ſublatam, ut hoc modo penitùs ex animis populi fidelis deleretur error Romanæ Eccleſiæ; quæ ſymbola ſacrà aſſervanda, ex opinione Gratiæ ex opere operato conferendæ doceat porrigenda. 5.

Arguit 4. Georgium dicere, non tamen probare, quòd Hoſtia, vel ſymbola ſacra fuerint aſſervata ab Eccleſiâ veteri. Clementis III. qui Romanum Pontificatum geſſerit circa Annum 1188. Canonem ita habere: *Tanta in Altari certè holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quòd ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore & tremore Clericorum diligentiâ conſumantur.* 6.

Arguit 5. Innocentium III. demum ſub Annum 1215. ex quo Tranſubſtantiatio in rem judicatam tranſierit, Ciboria erigi juſſiſſe, in quibus Euchariſtia conſervetur. Quod futurum prævidiſſe Benigniſſimum Salvatorem noſtrum *Matth. 24. v. 26.* dicentem: *Si dixerint vobis: Ecce in penetralibus Chriſtus, nolite credere.* Inſcriptionem enim horum ſcriniorum ſic habere: *Hîc Deum adora.* Vel: *Flecte genu: Lapis hic venerabilis hoſpite Chriſto.* 7.

Arguit 6. Hinc Honorium III. Anno 1220. juſſiſſe, ut presbyter Hoſtiam depromptam ad ægros deferret, cùm olim ex ipsâ Synaxi duntaxat ad fideles tranſmiſſa fuerint ſacra ſymbola, teſte Iuſtino Martyre per Georgium *pag. 49. citato*: *Poſteà*, inquiente, *Diaconi ex eo per preces & gratiarum actiones ſanctificato pane & vino, perferebant in ædes pariter eorum fidelium, qui eâ ipsâ horâ* (non quocunque tempore) *à communione aberant.* 8.

Arguit 7. Ex hac Iuſtini ſententiâ notandum eſſe, quid Diaconi, utique poſt Conſecrationem pertulerint nempè panem & vinum ſanctificatum, & quidem ſanctificatum per preces & gratiarum actiones, non per ſola quinque verba. Et quidem ſi *rei Eſſe* ſpectetur, non potuiſſe Georgium ignorare, quòd nil frequentius ſit apud Patres, cumprimis Auguſtinum, 9.

Digitized by Google

num, quàm quòd vocula *Eſt* in verbis ſacræ Cœnæ exponatur per *Significare & Repræſentare*, quòdquè *Panis & vinum vocentur Corporis & Sanguinis Chriſti ſigna, figuræ, ſymbola, typi, myſteria, exemplaria, ſimilitudines, imagines, memoriæ*, prout videre ſit apud Hottingerum *hiſt. Eccleſ. cap. ſeu ſect. 5. pag. 290. & in Apolog. Euch. ſect. 6. pag. 60. & 61.*

CAPUT III.

Oſtenditur, morem aſſervandi ſacram altaris hoſtiam ac deferendi ad ægrotos, eſſe conformem Divinæ Fidei doctrinæ, ac Orthodoxæ Antiquitati.

Probatio prima, petita ex illis Chriſti Domini verbis Ioan. 6. Niſi manducaveritis carnem filij hominis &c. non habebitis vitam in vobis.

10. HIſce namque verbis clarè oſtenditur neceſſitas Eucharistiæ. Quæro proinde ex Reformatis, an credant, certum pro iſto manducationis Eucharisticæ præcepto tempus eſſe à Chriſto definitum? Si affirment, oportet, ut ſecundùm ſuæ Reformationis principium id oſtendant ex ſacris Litteris. Si negent, oportebit, ne illa Chriſti Domini comminatio ſit fruſtranea, fideles obſtringi præcepto, ſaltem antè egreſſum ex hac vitâ ſumendi hoc Sacramentum. Ponamus ergo, aliquem ex moribundis jam perveniſſe ad uſum rationis, & nunquàm antehac communicâſſe, tunc ſanè manifeſtum erit, ipſum teneri ad Eucharistiam, inſtante morte ſuſcipiendam. Nunquid ergo Eccleſiæ Miniſtro ceu Paſtori incumbet, ipſi providere de hoc Sacramento. At quia defectu virium ad Eccleſiam accedere non poteſt, nec Eucharistiæ conſecratio pro quovis tempore abſque competenti ſolemnitate decenter fieret, idcircò ſanè oportebit, ad ipſum deferre Eucharistiam pro iſto uſu in Eccleſiâ aſſervatam.

Probatio ſecunda, prioris continuativa.

11. CUm enim ex prææallegatis Chriſti Domini verbis clarè conſtet de neceſſitate ac præcepto Eucharisticæ ſumptionis; neque verò Chriſtus certùm tempus pro iſtâ manducatione determinârit, oportet, tempus pro iſto præcepto adimplendo definire ex Fine hujus legis. Hic autem Finis per ipſummet Chriſtum expreſſus eſt in hoc, ut mediante iſtâ ſacrâ communione, habeamus vitam in nobis, obtineamuſque vitam æternam, *ex cit. Ioan. 6. cap.* At teſte Confeſſione Tigurinâ *cap. 27*, dæmon nunquàm magis inſidiatur homi-

homini, quàm morte inſtante, imminetquè tunc maxima neceſſitas contrà ſpirituales nequitias armandi & muniendi ægrotum, & confirmandi in Fide, itàque conſervandi in vitâ ſcilicet gratiæ, ac perducendi ad æternam gloriæ vitam. Cùm igitur præcepti alicujus obligatio determinetur ex Fine, utpote animâ & formâ legis, illius verò de ſumptione Evchariſticâ præcepti Finis ſit conſervatio vitæ Gratiæ, & conſecutio vitæ gloriæ, iſtius verò Finis neceſſitas vel maximè urgeat in mortis articulo, conſequens eſt, tunc præcipuè obligare præceptum Evchariſticæ ſumptionis. Pro quo proinde præcepto ritè adimplendo, Eccleſiæ vel maximè incumbit, ut ægrotantibus provideat per Evchariſtiæ in Eccleſiâ aſſervationem, & ubi opus fuerit, ad ægrotantes deportationem: ut adeò Beza *lib. Quæſt. par. 2. q. 241.* ejuſmodi Romanæ Eccleſiæ morem in ſuâ quoquè Reformatione reſtitutum cuperet: *Fuit Veteris Eccleſia*, inquiens, *initio hæc conſuetudo, ut ægrotis à publico conventu abſentibus tranſmitteretur per Diaconum Evchariſtia. Quoniam quos unus morbus adeſſe corpore prohibebat, haberi pro præſentibus par erat. Neque dubito, quin ea res magnam ægrotis conſolationem attulerit. Quem morem magnopere velim reſtitutum.*

Probatio tertia, ex Authoritate Patrum deſumpta.

NAm imprimis de uſu Evchariſtiam deferendi ad ægrotos, & ante mortem hoc Sacramento reficiendi, apertum & clarum teſtimonium tulit Dionyſius Alexandrinus florens circà Annum Chriſti 260. *in Epiſt ad Fabium Antiochenum.* relatâ ab Euſebio Cæſarienſi *lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 36.* Unde ſanctus quoquè Auguſtinus *Serm. 215. de tempore* ſic ait: *Quotiens aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt Iacobi 5. impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros.* Similia de Evchariſtiæ circà mortis articulum ſumptione, ejuſque neceſſitate tradunt Sanctus Chryſoſtomus *lib. 6. de Sacerdotio*, & Patres communiter, qui idcircò Sacramentum iſtud appellaverunt Viaticum, prout videre licet in Concilio Nicæno I. *can. 12.* & Carthaginenſi IV. *can. 77. & 78.* ubi ſtatutum eſt, ut diſceſſuri ex hac vitâ, ſacrâ Evchariſtiâ ſe muniant. Quia proinde ſecundùm præallegatam Tigurinam Confeſſionem Miniſtris Eccleſiæ maximè incumbit, providere moribundis, ut contrà diabolicos inſultus muniantur, idcircò expendendum ipſis relinquo, utrùm ſuo muneri non deſint, dum moribundis ſubtrahunt illud ſacrum Viaticum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

14. AD *primam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius, falsò licèt, tradit, aſſervationem Evchariſtiæ, ejuſque ad ægrotantes deportationem eſſe ritum indifferentem ac liberum. At ſtante iſtâ indifferentiâ ac libertate, Synodus Rhætica ſancivit legem de abolendo illo ritu. *Ex eod. Vedroſio in ſeq. argut.* Cur ergo non econtrario liceat Eccleſiæ Romanæ hunc morem jam ab antiquâ Eccleſiâ obſervatum retinere, maximè pro ægrotantium ex diaboli tentationibus ſummoperè periclitantium munimine, in ordine ad vitam gratiæ retinendam, & gloriæ vitam conſequendam?

15. Ad *ſecundam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an ſacra Scriptura Communionem tanquàm actum publicum in Eccleſiâ peragendum deſcribens, prohibeat privatam ægrotantibus in domo ſuâ porrectam ſacram Communionem? vel non? Si affirmet, convincitur ſibimet contradicere, ſiquidem priùs dixerit, Evchariſtiæ ad ægrotos delationem eſſe ritum indifferentem ac liberum. Si neget, tunc ita licebit argumentari. Sacra Scriptura *Corinth. 11. v. 18. & 20.* Communionem ſacram tanquam actum publicum deſcribens, non prohibet privatam ægrotantium Communionem, ſed hanc ceu ritum liberum ac indifferentem (uti Vedroſius, falsò tamen ait) relinquit. At ex eo, quòd iſte ritus ſit indifferens, contendit Vedroſius, huic licuiſſe, ut prohiberet ſacræ Cœnæ ad ægrotos delationem. Multò ergo magis licuit noviſſimè Concilio Tridentino *Seſſ. 13. de Evch. cap. 6. & can. 6.* ſtatuere, ut ſanctiſſimum hoc Sacramentum aſſervetur in ſacrario, ac deferatur ad ægrotantes, juxta antiquum Eccleſiæ morem, à Nicæno Concilio *cap. 11. & 14.* Rhemenſi *c. 2.* Lateranenſi ſub Innocentio III. *c. 26.* Anzyrano *cap. 61.* Carthaginenſi IV. *c. 77. & 78.* Agathenſi *c. 15. &c.* jam priùs ſtatutum. Quæ proinde Concilia Vedroſi perpende, an tutâ conſcientiâ fuerint reprobata ab unius Rhætiæ Reformatorum Synodo.

16. Ad *tertiam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an ratio hîc deducta ita ſit convincens, ſacriſquè Litteris adeò conſentanea, ut Synodus Rhætica exinde fuerit meritò permota ad ferendam illam legem, nec nè? Si affirmet, erit conſequens, prææallegata Oecumenica Concilia incurriſſe imprudentiæ notam, dum ad illud à Synodo Rhæticâ prætenſum negligentiæ periculum minimè advertendo, ſtatuerunt, ut ſacrum viaticum moribundis

17. præberetur. Neque Confeſſio Tigurina iſtam imprudentiæ notam evadit, dum *cit. cap. 25.* verbis tam ſerijs hortatur ſuos Miniſtros, ut moribundos

con-

confortent in fide, & muniant adversùs diabolicos incurſus? Cur enim non timeant, ne fideles ſui adhuc incolumes inde fiant negligentiores, dum credunt, ſe armaturi tam firmis in fine ſuæ vitæ fore muniendos à ſuis Prædicantibus? Si neget, tunc in aperto erit, Synodum Rhæticam ſibi arrogâſſe poteſtatem adversùs prædictorum Oecumenicorum 16
Conciliorum ſtatuta, ferendi legem in ſacris Litteris minimè contentam, neque ratione convincente nixam. En igitur Vedroſi, oportere, vel Confeſſionem Tigurinam, vel tuam legem Synodalem Rhæticam impegiſſe in rationem à te productam.

Ad *quartam* Reſp. Conveniendo Vedroſium, cur non citaverit locum 17
Canonis (*23. diſtinct. de Conſecrat.*) hîc allegati? Utiquè nè in ſuâ fraude & crimine falſi deprehenderetur. Etenim poſt præadducta verba ſtatim ſubijcitur: *Qui autem reſidua Corporis Domini, quæ in Sacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant.* En igitur ſacras Corporis 18
Domini Hoſtias reſervatas in ſacrario. Unde Gloſſa in verbo *Reſerventur*, advertit, in præcedentibus per Vedroſium allegatis verbis eſſe ſermonem de Hoſtiarum reſervatione ad opus conſecrantium, in alijs autem Canonibus, uti & in præſentis Canonis verbis poſterioribus reſervationem Hoſtiarum in ſacrario ſtatui pro opere morientium.

Ad *quintam* Reſp. Vedroſium iterum convinci de falſi crimine, cùm 19
ex Canone Clementis III. per ipſummet *præced. argumtâ* allegato planè conſtet, reſervationem Eucharistiæ in ſacrario, ſive ſanctuario jam priùs fuiſſe in uſu, nec adeò primitùs præceptum eſſe ab ejus ſucceſſore Innocentio III. Sed quid ais? Chriſtum Dominum hunc Eucharistiæ in ſacrario reſervandæ uſum notâſſe hiſce verbis: *Si dixerint vobis: Ecce in penetralibus Chri-* 20
ſtus, nolite credere. Verùm obſervare debuiſſet ex ſacro contextu, hoc dici de Pſeudoprophetis & Pſeudochriſtis, quorum verbis, ac ſi ab ipſomet Chriſto promanâſſent, ne fides haberetur, præmonuit Chriſtus. At ſi ipſummet ſacrum Evangelium Chriſti teſtetur, aliqua verba eſſe à Chriſto prolata, oportet, ipſis omnino credere, ſeque conformare eorum veritati, ac proprietati ab Orthodoxis Primævæ Eccleſiæ Patribus uniformiter receptæ, & ab ipſis Evangeliſtis, atque Apoſtolis unanimiter traditæ. Ipſemet autem Chriſtus apertis verbis dixit: *Hoc eſt Corpus meum.* Quæ verba ex proprietate ab Evangeliſtis & Apoſtolis unanimiter traditâ, & à Patribus Orthodoxis uniformiter receptâ ſignificant verum Verbo Divino *Hypoſtaticè* unitum Chriſti Corpus, quà ſub hiſce ſenſibilibus ſpeciebus *realiter* præ- 21
ſens. Qui ergo hiſce Chriſti Domini verbis ſub tali proprietate inſiſtunt, non incurrunt illam Benigniſſimi Salvatoris cenſuram, ſed illi, qui ſomnio

Ppp per

Digitized by Google

per monitorem, quem ipſemet Zwinglius neſciebat, an ater, vel albus eſſet, ſuggeſto eatenùs inſiſtunt, ut à verborum proprietate ab Evangeliſtis uniformiter traditâ, & à Patribus Orthodoxis unanimiter receptâ recedant, & declinent ad ſenſum figuratum, ex illius ſomnij ſuggeſtione inſpiratum.

21. Ad *ſextam* Reſp. Vedroſi, iterum deprehenderis extrà veritatis ſemitas abiiſſe, quia illa Juſtini verba *loco per te citato* non extant apud Georgium. Sed ijs poſitis, per te formatur iſta conſequentia: Nempe, *Ex ipsâ Synaxi duntaxat ad fideles tranſmiſſa fuerunt ſacrata Symbola. Ergo antiquitùs non ſolebat Eucbariſtia deferri ad agros, ſed Honorius III. primùm Anno 1220. ordinavit, ut Presbyteri*
22. *Hoſtiam depromptam deferrent ad ægros.* At in hujus conſequentiæ Antecedente iterum falſitatem committis, cùm in Juſtini Martyris verbis per te adductis non contineatur illa particula excluſiva *Duntaxat*. Imò cùm Juſtinus Martyr dicat; ſacra Symbola fuiſſe delata ad ædes privatas fidelium illâ horâ abſentium, exinde tua argutia communionem privatam excludens, &
23. non niſi publicam in Eccleſiâ admittens, apertè reprobatur. Et verò quos fidelium putas juſtiores abſentiæ cauſas habuiſſe, quàm ægros, ut ſacra Hoſtia ad ipſos deferretur? Quando verò hanc ſacræ Eucharistiæ ex Eccleſiâ ad ægros deportationem concludis, non eſſe factam niſi horâ Synaxeos in Eccleſiâ perceptæ, tuam in argumentando imperitiam oſtendis, dum ex eo, quòd Juſtinus Martyr horâ Synaxis dicat, Eucharistiam ad fideles abſentes deportatam, infers, aliâ horâ non fuiſſe ad ægros delatam, faciendo nimirùm illationem ex Affirmativis ad Negativam, cujuſmodi argumentandi genus eſſe ineptum, norunt, qui vel limina Dialectices attigerunt. Quamvis proinde poſterioribus temporibus ſit majoris reverentiæ causâ ſtatutum, ut Presbyteri jam debeant Eucharistiam deferre ad ægros, attamen Hoſtiæ ſacratæ ad ædes privatas, morte præſertim inſtante, delationem Diaconis, imò & Laicis concreditam fuiſſe antiquitùs, apertè teſtantur Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem.* Dionyſius Alexandrinus *in Epiſt. ad Fabium Antiochen. relatâ ab Euſebio Cæſarienſi lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 36.* Cyprianus *de lapſis ſerm. 5.* Baſilius Magnus *in Epiſt. ad Cæſar. Palatium.* Ambroſius *in orat. funebri Satyri*, & alij. Quibus coronidis loco hîc reproducitur Concilij Nicæni Canon decimustertius à Georgio *Rat. 22. n. 21.* adductus, & à Vedroſio minimè refutatus, ſed omninò prætermiſſus, qui ita ſe habet: *Exeuntes de corpore non debent juxta veterem & canonicam legem noviſſimo juvamine* (SS. nempè Eucharistiæ) *privari.*

24. Ad *ſeptimam* Reſp. Panis taliter ſanctificatus, ut de eo verificentur Chriſti Domini verba: *Hoc eſt Corpus meum*, eatenùs eſt tranſubſtantiatus in verum Chriſti Corpus, ut ibi non ampliùs maneat ſubſtantia panis materialis

rialis. At panis Euchariſtici conſecrationem ſeu ſanctificationem taliter fieri, *ſuprà præc. ſect. cap. 3.* oſtenſum eſt ex ipſis Chriſti Domini verbis. Cùm igitur Juſtinus Martyr (juxta verba per te citata) dixerit, fuiſſe ad fideles abſentes delatum panem ſanctificatum, conſequens eſt, hunc Sanctum Martyrem ejus fuiſſe ſententiæ, quòd verum Chriſti Corpus in Euchariſtiâ fuerit ſuo tempore delatum ad ædes privatas. Et verò ut hanc meã conſequentiam iſtius ſancti Martyris ſententiæ omninò conſentaneam noveris, 25.
Vedroſi, audi ipſummet *in Apolog. ad Anton. Cæſarem* differentem in hæc verba: *Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Evchariſtia, quod nulli alteri participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto &c. Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodùm per Verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus Salvator noſter carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ habuit, ad eundem modum etiam eam, in quâ per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Ieſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus; nam Apoſtoli in Commentarijs à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Ieſum; eum enim pane accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in mei commemorationem, Hoc eſt Corpus meum.* En igitur Vedroſi, qualiter Juſtinus Martyr ex veritate iſtorum quatuor verborum inferat realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam, promanantem ex poteſtate Apoſtolis, eorumquè adeò ſucceſſoribus Sacerdotibus traditâ. Cùm proinde Vedroſio fatente, Juſtinus Martyr faſſus ſit, ad fideles abſentes delatum fuiſſe panem ſanctificatum, ſub iſto autem, aſſerente *præcitato* Martyre, intelligatur Caro & Sanguis Chriſti, evidenter ſequitur, Carnem & Sanguinem Chriſti quà realiter contentum in Euchariſtiâ, ex mente S. Juſtini, ad fideles abſentes delatum fuiſſe.

Quæ porrò Vedroſius in fine addit, quòd vocula *Eſt* in verbis ſacræ Cœnæ à Sanctis Patribus, præſertim Auguſtino, exponatur pro *Significare* aperta eſt falſitas *præſ. Diſſert. ſect. 1. cap. 3. & 4.* claris teſtimonijs refutata.

COROLLARIUM.

16. EX dictis infertur, Argumentum Georgij *cap. 1.* deductum ſubſiſtere adhuc firmum, cùm Vedroſius non tantùm prætermiſerit reſpondere ad Canonem Concilij Nicæni, ſed ipſoſmet Reformatos quoſdam Doctores ſibi, Rhætiæque ſynodali legi repugnantes *ſuprà arg. 1.* non obſcurè faſſus ſit. Ex quibus ita licet argumentari. Illius Reformationis ſpiritus non eſt Divinus, qui ſibimet, & Patribus contradicendo, exeuntes ex hac vitâ defraudat Juvamine ſacri Viatici, quo nè privarentur, erat vetus &

canonica lex per Oecumenicum Nicænum Concilium allegata. At rem ita ſe habere circà hodiernam Reformationem mordicùs negantem moribundis ſacrum Viaticum, conſtat ex *præſentis ſectionis cap. 1. 3. & 4.* Videant ergo Reformati, an ſuæ Reformationis Spiritus ſit Divinus?

SECTIO V.

De Adoratione Chriſti in Euchariſtiâ.

CAPUT I.

Referuntur argumenta ſtylo ac intentioni Georgij conſentanea.

1. DIvus Auguſtinus (in quo Reformati apud Georgium *Rat. 3. à n. 2* unanimem quaſi conſenſum Orthodoxæ Antiquitatis conſpiràſſe fatentur) *in Pſalm. 98. ſuper illum verſum: Adorate ſcabellum pedum ejus*, adorationem Chriſti in Euchariſtiâ apertè docuit ſequentibus verbis. *Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic & invenio; quomodò ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus: ſuſcepit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ eſt, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsâ carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat* (NB.) *niſi priùs adoraverit; inventum, quemadmodùm adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccæmus non adorando.*

2. Ex quo ita licet argumentari. Chriſtus ſuam carnem ita manducandam dedit, ut nemo fidelium manducet, niſi priùs adoraverit: imò is, qui non adorat, peccet. At Reformati Doctores adeò impugnant iſtam adorationem, ut eam Artolatriæ inſimulent. Quomodò ergo ſecundùm mentem Sancti Auguſtini ſunt fideles? & quomodò non ſunt obnoxij peccato?

3. Quinimò ex ipſiſimet Reformatis Doctoribus exiſtunt, qui ſuppoſitâ reali Corporis Chriſti intrà Euchariſtiam præſentiâ, urgeant iſtam adorationem. Sic enim habent Authores Neuſtadienſis admonitionis *cap. 9. Anil. 56. Sanè poſitâ Chriſti præſentiâ corporali in pane, tam non poteſt negari honor adorationis in pane, quàm non poterat ei negari à Thomâ &c. tùm prouidens clamabat; Domine mi, & Deus mi.* Et Polanus *Comment. in Dan. cap. 6. v. 11.* ita habet: *Eſt impium, & in Chriſtum contumelioſum, quòd Ubiquitarij reſpondent, Chriſtum adeſſe ſuo Corpore in pane Euchariſtiæ, non ut in eo adoretur, ſed ut in eo edatur.*

Non

Digitized by Google

Non enim juſſiſſe, ſe ibi adorari, ſed edi. Hoc, inquam, reſponſum eſt impium, & contumelioſum in Chriſtum, ſufficit enim univerſale Dei mandatum de adorando Chriſto.

Ex quo ita licet argumentari. Hi Reformati Doctores fatentur, ex ipſo fidei lumine nos edoceri de Chriſto adorando in Euchariſtiâ, ſi ibi ſit realiter præſens. At ipſum fidei lumen iſtorum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, in proprietate ab ipſiſmet Evangeliſtis & Apoſtolis traditâ, & à Patribus unanimiter receptâ ſuſceptivum nos docet, Chriſtum eſſe realiter præſentem in Euchariſtiâ. Ergo ipſummet fidei lumen nos docet, Chriſtum eſſe adorandum in Euchariſtiâ, convincunturque adeò cæcutire Reformati, utpote ab iſto fidei lumine declinantes. 4.

CAPUT II.

Referuntur Adverſariorum argutiæ.

ARguit 1. Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 17. ſ. 37. Auſcultandum eſſe, quòd ipſe* (Chriſtus) *dixit: Accipite, manducate, bibite &c. non adorari jubet.* Unde etiam Apoſtoli non leguntur proſtrati in terram, adoraſſe Sacramentum, cùm communicarent. 5.

Arguit 2. Vedroſius *ſui Manualis ſect. 6. pag. 162.* Hoſtiæ adorationem in Euchariſtiâ eſſe Artolatriam, quam primus ſanxerit Honorius Papa III. auxerit verò Urbanus IV. inſtituto feſto Corporis Chriſti, non illius, quod ex Virgine Mariâ natum, ſedeat ad dexteram Patris glorioſum, ſed à ſacrificulo ex farinâ triticeâ factum ſit. 6.

Arguit 3. Kemnitius contrà Proceſſionem & circumgeſtationem Venerabilis Sacramenti. Nam *1. Reg. 4.* legi, filios Iſrael bonâ quidem intentione, ſed abſque Dei mandato adduxiſſe Arcam Dei in caſtra, exiſtimantes per eam Arcæ circumgeſtationem, ſe victoriam de hoſtibus relaturos. Sed contrà accidiſſe, cùm & exercitus fuſus ſit, & Sacerdotes occiſi, qui Arcam adduxerant, & ipſa Arca ab hoſtibus capta fuerit. 7.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 13. cap. 5. Demonſtrativè* probare, quòd Euchariſtia utpote Chriſtum realiter in ſe continens, cultu Latriæ ſit adoranda.

Probatio prima, ex ſacris Litteris petita.

NAm quia Chriſtus id, quod ſub ſpecie panis offerebat, *Lucæ 22. Ioan. 6. 2. Corinth. 11.* verè dixit, eſſe Corpus ſuum, ſequitur ma- 8.

niſe-

niſeſtè; ſub iſtâ ſpecie Euchariſticâ contineri Corpus quà ſuppoſitatũ Chriſti Hypoſtali. Hæc verò ſecundùm indubitatam fidei Veritatem non eſt alia, quàm increata Filij Dei Perſona. At de hoc Filio ſuo ſibi conſubſtantiali Pater æternus, eum introducens in orbem terrarum, dixit *Pſalm. 96. & Heb. 1. Adorent eum omnes Angeli ejus.* Quem proinde etiam Magi procidentes adoraverunt *Matth. 2.* fuiſſeque ab Apoſtolis adoratum, Scriptura ſacra teſtatur *Matth. 28. & Luca 24.* Quia ergo ex illis Chriſti Domini verbis oportet, indubitanter credere, Chriſtum Filium Dei eſſe præſentem in Sacramento Euchariſtiæ, conſequenter præcitatum Concilium Tridentinum concludit, nullum dubitandi locum relinqui, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholicâ Eccleſiâ ſemper recepto, ac infrà *probat. 3.* ex Patribus probato, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant.

Probatio ſecunda, cujuſdam Adverſariorum objectionis refutatoria.

9. NAm ex parte Adverſariorum objici poteſt, adorationem Euchariſtiæ etiam terminari ad ſpecies, quibus cultum Latriæ haberi non poſſe abſque idololatriâ. Verùm oporteret, adverſarios in Latriâ diſtinguere inter cultum *Reſpectivum & Tranſitivum, ac Concomitantem, ſeu Indirectum*, nec non inter cultum *Abſolutum & Intranſitivum,* atque *Formalem ſeu Directum.* Nunquid enim ipſimet vos Reformati panem veſtrum Euchariſticum non tractatis ut prophanum, ſed tanquã ſanctum? Nunquid ſub iſtius Euchariſtici panis, ceu typi Chriſtum figurantis ſumptione aſſeritis, veſtras mentes erigi in ipſum Chriſtum taliter figuratum, ac in cœlis exiſtentem, adorandum in ſpiritu & veritate? Nunquid mulier illa Evangelica fluxum ſanguinis paſſa piè ac religiosè tangendo, atquè adeò *Reſpectivè* & *Tranſitivè*, ſeu *Concomitanter* venerando veſtimentum Chriſti, in ipſum Chriſtum dirigebat ſuam intentionem, dum dicebat *Matth. 9. v. 20. Si titigero tantùm veſtimentum ejus,*
10. *ſalva ero*? Sic proinde quia ſpecies Euchariſtiæ arctiori, quàm veſtimenta ad Chriſtum unionis vinculo cum ſubſtantiâ Chriſti, utpote *in genere cauſæ Efficientis* earundem ſuſtentativâ ſunt conjunctæ, ideò nos Catholici adorando Euchariſtiam, eatenùs *Abſolutè, Ultimatè, Intranſitivè, Formaliter,* & *Directè* Latriam exhibemus Chriſto, ut ſolùm *Concomitanter, Indirectè, Tranſitivè ac Reſpectivè* venerationem religioſam habeamus ſpeciebus panis & vini. Quod equidem nequè Petrus Martyr *Claſſ. 4. locor. com. cap. 10. §. 49.* improbare potuit, dum Sanctorum Patrum teſtimonijs à ſe allegatis convictus ita ſcripſit: *In Sacramento diſtinguimus ſymbola* (ſecundùm veram fidem ſubintellige ſpecies panis & vini accidentarias) *à rebus* (ſecundùm fidem

Ortho-

Orthodoxam ſubintellige Corpus & Sanguinem Chriſti ſub illis ſpeciebus realiter contentum) *& ſymbolis quidem aliquem honorem tribuimus &c. ſunt enim ſacra res &c. quoad verò res ſignificatas* (ac ſecundùm fidem Catholicam ſimul realiter ibi exiſtentes) *nimirum Corpus & Sanguinem Chriſti, eas promptè & alacriter adorandas eſſe concedimus.*

Probatio tertia, deſumpta ex authoritate SS. Patrum.

ETenim SanctusDionyſius Areopagita *de Hierarch. Eccleſiaſt. cap. 3. par. 3.* adratione Sacramenti Eucharistici ſuomet exemplo nobis demonſtravit hiſce verbis. *O Diviniſſimum & ſacroſanctum Sacramentum, obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperi, & perſpicuè nobis, fac, appareas, noſtroſquè ſpirituales oculos, ſingulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.* 11.

Origenes *hom. 5. in diverſa loca Evang. de puero Centurionis* nos clarè docet modum adorandi Chriſtum in Euchariſtiâ. *Quando ſanctum*, inquiens, *cibum, illudquè incorruptum accipis epulum, quando vita Pane & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub pectus tuum ingreditur. Et tu ergò humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum &c.* 12.

Gregorius Nazianzenus *in Orat. de obitu Gorgoniæ* referens illam morbo incurabili affectam, nocte quâdam in templum ſeſe proripuiſſe, ſic ait: *Ante Altare cum Fide procubuit, ac illum* (nempe Chriſtum in Euchariſtiâ) *quem venerabatur, magnâ voce, ac omni invocavit conamine, eiquè miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit.* 13.

Ambroſius *lib. 3. de Spiritu S. cap. 12.* tractans illud Pſalm. *Adorate ſcabellum pedum ejus*, inquit: *Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodiè quoquè in Myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli in Domino adorârunt.* 14.

Theodoretus *in 2. Dialog.* de Euchariſtiâ ſic ait: *Intelliguntur autem ea, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint, quæ creduntur.* 15.

Chryſoſtomus *Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſ.* accedentem ad Euchariſtiam ſic hortatur: *Adora, & manduca.* Et *Homil. 61. ad populum Antioch. At pura ſint veſtimenta, adora, & communica.* Et *Homil. 24. in 1. ad Corinth. cap. 10. Item in orat. de S. Philogonio* hortatur, ut fideles adorent Corpus Chriſti in Altari poſitum, quod Magi in præſepi poſitum adorârunt. 16.

Auguſtinus *in Pſal. 98.* ita habet de iſto Sacramento. *Nemo illam carnem manducat, niſi priùs adoraverit.* Videri quoquè poteſt *in Epiſt. 118. cap. 3. Epiſt. 120. cap. 27. in Pſal. 21. Conc. 1.* 17.

Ex quibus proinde evidenter patet, morem in antiquâ Eccleſiâ ab ipſumet 18.

ſiſmet Orthodoxis Patribus probatum extitiſſe, ut Chriſtus in Euchariſtiâ adoraretur. Viderint ergo Reformati, quo ſpiritu induxerint illam novitatem in abrogando Latreutico Euchariſtiæ cultu.

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ.

19. AD *primam* Reſp. Quærendo ex Calvino, vel ejus ſectatoribus, an credant, Chriſti Corpus utpote Divinæ Verbi Hypoſtaſi unitum, eſſe cultu Latriæ adorandum, ubicunque reperiatur? Si negent, ſanè ſe reos Divinæ in Chriſto majeſtatis produnt. Si affirment, rurſus quæro ex ipſis, an non igitur, quando Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, *virtualiter* & *per conſequentiam* credant præceptam hujus Corporis adorationem. Annè igitur Apoſtolos Divino Spiritu tunc interius motos, credant huic adorationi tali modo præceptæ ſecundum interiorem cultum (ſiquidem exterior quoad corporis proſtrationem ſit tantum ſecundarius) defuiſſe? Certè hinc patet, illam Calviniſticam objectionem nihil ſpirare, niſi impietatem in Sacramentum, & calumniam in ſanctos Apoſtolos.

20. Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſium nihil aliud hic agere, niſi quòd adorationem Euchariſtiæ de Artolatriâ coarguendo, ſe faciat prædictæ Calvinianæ impietatis participem. Quinimò & falſitatis convincitur, dum Sacramenti illius adorationem, ipſo jure Divino ſub ejus ſtatim inſtitutione *Virtualiter* præceptam, reducit in Honorium III. tanquam primum authorem; conſtat enim ex præcedentibus, Patres Orthodoxos iſto Pontifice longè anteriores illam agnoviſſe, ceu debitam ex ipsâ Corporis Chriſti ibi præ-
21. ſentis dignitate Hypoſtaticâ. Sed quid reperit redarguendum in inſtitutione Feſti Corporis Chriſti? An quia non exponitur illud Corpus Chriſti, quod ſedet glorioſum ad dexteram Patris, ſed factum ex farinâ? At hæc blaſphemia refutata eſt ſuprà *Diſſert. 4. ſect. 4. cap. 4. n. 57. & præf. Diſſert. ſect. 1. cap. 3. & 4.* An quia illa Feſtivitas noviter & citra Dei mandatum fuit inſtituta per Urbanum IV? At in Veteri etiam Teſtamento inveniuntur Feſta ſine ullo Dei mandato inſtituta, uti patet de Feſto Sortium per Mardochæum & Eſther, item de Feſto victoriæ Iudith, ac de Feſto Encæniorum per Machabæos inſtitutis, & à populo Iudaico ritè receptis. *Eſther 9. Iudith 16. 1. Machab. 4.* Cujuſmodi Feſtum ipſemet etiam Chriſtus *Joan. 10.* celebravit, ut doceret Eccleſiam, Feſta per hanc in cultum Dei, ac memoriam beneficiorum Divinorum inſtituta probari à Deo. An quia ſub illo Feſto Venerabile Sacramentum per publicam proceſſionem colitur? At ſolen-

ſolennis Arcæ ſeptem diebus celebrata circumgeſtatio ita placuit Deo, ut Hiericho ab Iſraelitis ſine ſanguine ipſorum caperetur, *Ioſue 6.* Quia ergo talem ſolennitatem Deus probavit in figurâ, magis ratam habet in veritate ſeu Sacramento, Chriſtum non tantùm præfigurante, ſed *realiter* exhibente.

Ad *tertiam* Reſp. Cauſam tot malorum in ſacris Litteris *1. Reg. 2. & 3.* apertis verbis reduci in peccata Iſraelitarum, præſertim Ophni & Phinees. Quòd autem ſine mandato Dei Arca fuerit circumgeſtata, nullatenùs concitâſſe iram ac vindictam Divinam, cùm potiùs *2. Reg. 6. & 7. item 3. Reg. 8.* legantur ſolenniſſimæ proceſſiones, ac de loco in locum Arcæ abſque Dei mandato factæ translationes, quas Deus non tantùm non improbavit, ſed gratiſſimas habuit. Quare ſi per ſolennes ejuſmodi proceſſiones etiam abſque mandato Dei celebratas, licuit Deum venerari in figuris, majori æquitate ac jure licebit, talem ſolennitatem & cultum publicum exhibere Chriſto in Evchariſtiâ, ceu Sacramento veritatis. 22.

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur. In Reformatos meritò retorqueri illam Chriſti Domini *Ioan. 4. v. 22.* increpationem: *Vos adoratis, quod neſcitis.* Nam (uti Redingius *in ſuis Reſut. Diſſert. 5. n. 3.* ab Heideggero *in ſuis Vindicijs* minimè refutatus oſtendit) ipſius Eccleſiæ Reformatæ Miniſtri, ſpeciatim Bullingerus *part. ult. adverſ. Brentium cap. de natur. propriet.* Calvinus *Inſtit. lib. 4. cap. 18. ſect. 11.* affirmant, antiquos Patres rectè ſenſiſſe de Evchariſtiâ. At *ſuprà ſect. 1. cap. 3. prob. 11. & præſent. ſect. cap. 3. prob. 3.* fusè probatum eſt, Patres primorum Eccleſiæ ſæculorum unanimiter aſſeruiſſe veram & realem Chriſti in Evchariſtiâ præſentiam. Quam cùm Lutherus quoque, diversâ tamen ab Orthodoxis Patribus ratione, defendiſſet, Zwinglius & Calvinus, eorumque ſectatores antiquis hæreſiarchis deteriorem proclamârunt. Et tamen Hottingerus, *uti ſuprà Diſſert. 2. ſect. 2. cap. 3. n. 50. & cap. 4. n. 78. viſum eſt,* nuperrimè ſuaſit Reformatæ Eccleſiæ, ut illam Lutheranorum ac Zwinglianorum de Chriſti intrà Evchariſtiam præſentiâ controverſiam perinde haberent, ac ſi eſſet in materiâ adiaphorâ. Quomodò igitur Reformati ſcire poterunt, quid adorent, & ſumant in ſuâ Cœnâ Evchariſticâ 23.

Quinimò Heideggerus in ſuâ Synodali adversùs ſacras peregrinationes Diſſertatione §. 4. ait, fuiſſe olim umbratilibus cæremonijs adhuc vigentibus, magiſque umbris jam non ampliùs obtinentibus, ſed veritate ſuccedente hodie eſſe Idololatriam, adorare Deum quaſi cum fictione habitationis typicæ, ſive in figurâ, quam Deus in figuram non elegerat. At Chri- 24.

ſtus ipſemet apertis verbis dixit de Sacramento Eucharistiæ, *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.* Ubi *Tò Eſt* ſi non *Umbratiè*, ſeu *Figuratè* ac *Tropicè* accipiatur, ſignificat exiſtentiam & præſentiam realem. Unde Zwinglius per ſomnium à monitore, quem neſciebat aternè, vel albus eſſet, inſpiratum accipiens illa verba, ac ſi diceretur, *Hoc ſignificat Corpus meum,* ſive *Hoc eſt Figura Corporis mei*, convincitur ſanè, veritatem eatenùs tranſtuliſſe ad Figuram, ut ſanè jam adoret Chriſtum in fictione habitationis Typicæ, ſive in Figurâ, quam Deum non inſtituiſſe ſeu elegiſſe, oſtenditur. Viderint ergo Reformati, an non meliori jure in ipſos retorqueatur Idololatria, quam verbis contumelioſis impingere ſolent Pontificijs?

DISSERTATIO VIII.

De Miſſæ Sacrificio.

1. CUm ea, quæ in Veteri Teſtamento fiebant, eſſent quædam figuræ veritatem Novi Teſtamenti repromittentes, idcircò Miſſæ Sacrificium ceu præcipuum Legis Evangelicæ myſterium probare licet argumentis utriuſque Teſtamenti.

SECTIO I.

Qualiter Miſſæ Sacrificium probetur ex Antiquo Teſtamento.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

2. HIc Author *ſua Facis Rat.* 3. *à n.* 88. oſtendit Miſſæ Sacrificium tum ex Prophetiâ Malachiæ, tum ex præfigurativo ſacrificio Melchiſedechi. Nam prophetia illa Malachiæ *cap.* 1. *v.* 10. ita ſe habet: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum; & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda.*

3. Ex quo Georgius *à n.* 91. ita argumentatur. Paulus Apoſtolus *ad Romanos* 15. *v.* 16. ad illam prophetiam reſpiciens, ſecundùm Geneveñſem, & Ioannis Deodati verſionem Italicam ſcripſit in hæc verba. *Ut ſim Miniſter Gentium, incumbens Sacrificio Evangelij Dei; quò Gentium oblatio ſit accepta, & per Spiritum*

vitum ſanctum ſanctificata &c. Hinc autem clarè erudimur, dari omninò verum & propriè dictum Sacrificium in Evangelicâ Eccleſiâ, apud Gentes, juxta allatum Malachiæ vaticinium, jugiter & in omni loco celebrandum; adſtipulante etiam Vetuſtate Orthodoxâ, per Sanctum Auguſtinum *Epiſt. 49. q. 3.* ſequentibus verbis expoſitâ. *Diſpartita autem Divinis eloquijs Sacrificia, pro temporum congruentiâ, ut alia fierent antè manifeſtationem Novi Teſtamenti, quod ex ipsâ verâ & in unius Sacerdotis victimâ, hoc eſt, effuſo Chriſti ſanguine miniſtratur; & aliud nunc, quod huic manifeſtationi eſt congruum, qui jam declarato nomine Chriſtiani appellamur, offeramus, non ſolùm Evangelicis, verùm etiam Propheticis litteris demonſtratur &c.* At Sanctum Auguſtinum hîc loqui de vero & propriè di- 4.
cto Sacrificio, clarè conſtat ex contextu, expreſsè inculcante juxta Novi etiam Teſtamenti litteras conſtrui templa, Sacerdotia inſtitui, & Sacrificium fieri, hæcquè omnia non niſi Vero Deo deberi, uti apud Georgium *citatum* fuſiùs videre licet. Conſequens igitur eſt, verum & propriè dictum Novæ Legis Sacrificium evinci ex S. Litteris tam Evangelicis, quàm Propheticis, dummodo iſtas juxtà Orthodoxæ Vetuſtatis ſenſum intelligere dignemur. Cujus adeò Sacrificij rationem idem Sanctus Doctor *lib. 20. contra Fauſtum cap. 18.* deſcripſit verbis ſequentibus: *Chriſtiani peracti Sacrificij* (in Cruce nempe) *memoriam celebrant ſacroſanctâ oblatione Corporis & Sanguinis Chriſti.*

Idem author *à n. 88.* probat, Sacerdotium & Sacrificium Melchiſedech 5.
fuiſſe figuram Sacerdotij & Sacrificij Chriſti, juxta illud *Pſal. 109. v. 4. Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quam proinde prophetiam præter alios Patres Divus Auguſtinus *lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. & lib. 18. cap. 35. item in Pſal. 33. & Pſal. 109. v. 4.* eatenùs dicit accipiendam eſſe de Sacerdotio Chriſti, per quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum in omni loco à ſolis ortu uſque ad occaſum, ut ſublato ſacrificio Aaron, cœperit eſſe illud Sacrificium ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Ex quibus Georgius tandem concludit, adeò planum eſſe, quòd in Lege Evangelicâ detur verum ac propriè dictum Sacrificium, ut Reformati hoc negantes, participare convincantur cum antiquâ Manichæorum hæreſi, apud Sanctum Auguſtinum *lib. 20. cap. 3. contra Fauſtum* relatâ.

***

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

6. ISte Miniſter *ſua Antiquit. ſect. 4. pag. 62.* arguit 1. Illam actionem, quâ Melchiſedech prolato pane & vino, Abrahamum victorem cum ſuo exercitu regio quaſi epulo excipere voluit, non ad Melchiſedechi Sacerdotium ſpectâſſe, ſed ad regiam ejus munificentiam. Falſam enim eſſe verſionem vulgatam, quæ ſic habeat *Gen. 14. v. 18. Melchiſedech rex Salem proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, & benedixit ei.* Textum originalem habere copulam, *Et erat Sacerdos Dei altiſſimi, & benedixit ei.* Benedictionem itaque, quam Abrahamo impertitus eſt, pertinuiſſe ad ejus Sacerdotium, non autem panis & vini prolationem.

7. Arguit 2. Hinc Pererium *ad Gen. 14.* Cajetanum *ibi* & Lombardum dicere, quòd Melchiſedech voluerit eo munere ſuam erga Abrahamum benevolentiam, & ex victoriâ ejus lætitiæ voluptatem declarare.

8. Arguit 3. Sanctum proinde Apoſtolum Paulum in multis collationem inter Melchiſedechum & Chriſtum, Sacerdotij reſpectu, inſtituendo nuſquàm imaginarij hujus Sacrificij meminiſſe, in quo formalis ratio Melchiſedechianæ functionis à Romanâ Eccleſiâ ſtatuitur. In his enim conferri Chriſtum Melchiſedecho, quòd ſimul Sacerdos ſit & Rex, quòd ſine patre & matre, ſine Genealogiâ, quòd in Sacerdotio nec anteceſſores habeat, nec ſucceſſores. Prolationem panis & vini non attingi, utpote quæ ad regiam ejus munificentiam ſpectârit.

9. Arguit 4. Veterum quoſdam Allegoriarum captandarum, & intelligentiæ dictis imponendæ potius, quàm ex dictis exſpectandæ (uti Hilarius *de Trinit. lib. 1.* loquatur) unicè ſtudioſos, actionem hanc Melchiſedechi cum Evchariſtiâ, quæ illis ſæpè Sacrificium dicatur, contuliſſe. Alios tamen ſenſui hiſtorico inſtitiſſe & docuiſſe, Melchiſedechum non Deo, ſed Abrahæ panem & vinum obtuliſſe. Quod apertius eſſe, quàm ut negari poſſit.

10. Arguit 5. Auguſtinum *de Civit. Dei lib. 16. c. 22.* ſic habere: *Et obtulit Abrahæ*, non utique ſacrificium, cùm iſte honor nulli creaturæ juxta ipſum Auguſtinum à Georgio *pag. 54. citatum*, debeatur. Idem ſentire Lombardum *diſt. 8. lib. 4.* ita differentem. *Hujus etiam Sacramenti ritum oſtendit, ubi panem & vinum obtulit.*

11. Arguit 6. Romanam Eccleſiam, quicquid ſentiat Auguſtinus *præcitatus*, corporalia pariter ac ſpiritualia creaturis, cumprimis B. Virginis ſacrificia

cia ad exemplum Iudæorum apud Ieremiam *cap. 44.* Cœli Reginæ ſacrificantium, offerre, fatente Iacobo de Voragine, & Pelbarto apud Hottingerum.

Arguit 7. Eſto, Veteres ſentire, Cœnam Dominicam in illâ Melchi- 12.
ſedechi munificâ actione adumbratam fuiſſe: at nemini ſano perſuaſurum Georgium, quòd illi ſtatuerint, ſacram Cœnam Sacrificium eſſe propitiatorium, propriè ſic dictum, in quo realiter Chriſti Corpus & Sanguis ſub accidentibus panis & vini Deo offerantur.

Arguit 8. Quærendo. Cùm enim ſoli Chriſto incommunicabiliter 13.
conveniat eſſe Sacerdoti æterno, & in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, cujus Ordinis Sacerdotes ſint Romanæ Eccleſiæ Sacrifici? At ex quo Chriſtus crucifixus eſt, nunquam eſſe Sacerdotium ſecundùm Ordinem Aaron, juxta ſcripturam & Auguſtinum de *Civit. Dei lib. 17. cap. 17.* Melchiſedecianinè? At id ſucceſſores non capere. Cujus igitur Ordinis ſint, ipſis divinandum relinqui.

Arguit 9. Georgium opportunè locum *Mal. 1.* cum illo Pauli loco *ad* 14.
Rom. 15. v. 16. conferre, & unà ſecum ſtatuere eam, quæ Malachiæ dicitur *Oblatio munda in omni loco nomini Dei offerenda,* Paulo dici *Sacrificium Evangelij, quò Gentium oblatio ſit accepta.* Unde ſe quærere, utrùm per Gentium oblationes aliud aliquid intelligi poſſit, quàm perſonæ & religioſæ earum ad Deum, Evangelij prædicatione adductarum actiones, nempè preces, eleemoſynæ, corpora noſtra, quæ appellentur thymiamata, victimæ, hoſtiæ, oblationes Deo acceptabiles, ſanctificatæ, ſanctæ vitæ, hoc eſt, ut Malachias vocat, *Munda.* Cultum enim Dei, qui ſecundùm verbum ſuum redditus ſit, eſſe mundum in hiſce, etiamſi in miniſtris ſit aliquis defectus. Mundum eſſe, cùm Deo offeratur in Ieſu Chriſto, teſte Petro 1. *Epiſt. cap. 2. v. 5.* Mundum eſſe, utpote ſanctificatum per Spiritum Sanctum, Paulo teſte *Rom. 15. v. 16.* Et hunc cultum etiam alium eſſe ab eo, quem fideles in Veteri Teſtamento exhibuerunt. Eſſe enim nos nunc novum populum: eſſe novas preces, orationem præcipuè Dominicam, de quâ Cyrillus Alexand. *in Ioan. Nova hæc invocationis formula Veteribus pijs prorſus incognita.* Eſſe novum modum colendi Deum per Ieſum Chriſtum mortuum, reſuſcitatum, & pro nobis in cœlo intercedentem. Prædicationem Evangelij, quam Paulus Sacrificium vocet, de redemptione in cruce factam eſſe novam.

CAPUT III.

Oſtenditur, Miſſæ Sacrificium efficaciter probari ex Figuris ac Prophetijs Veteris Teſtamenti.

Probatio prima, deſumpta ex illo Malachiæ *1. v. 10. Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ: ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus Exercituum.*

15. ETenim iſta Prophetia eſt quidem per verba de præſenti, *Offertur*,
Sacrificatur: attamen Scripturæ ſacræ familiariſſimum eſt, ut prop-
ter certitudinem Prophetiæ prædicat quaſi præſentia, uti patet ex
illo *Iſaia 6. v. 9. Parvulus natus eſt nobis.* Et *Malach. 3. Ecce ego mitto Angelum*
meum. Quare illa verba reſpiciebant illud ipſum tempus futurum, quo in-
cœperant aboleri ſacrificia Veteris Teſtamenti, juxta ſacrum contextum,
Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. At Deus in
eodem ſacro textu ait, tempore reprobatæ Synagogæ ab ortu ſolis uſ-
que ad occaſum eatenùs fore magnum nomen ſuum in Gentibus, ut in om-
ni loco Nomini ſuo ſit ſacrificanda & offerenda oblatio munda. Hanc ve-
rò oblationem mundam eſſe ipſummet Miſſæ Sacrificium, ſitum in Cor-
poris & Sanguinis Chriſti ex pane & vino Tranſubſtantiativâ conſecratio-
ne ſeu oblatione, ſemper creditum eſt in Eccleſiâ à primis ſtatim Apoſto-
16. lorum temporibus, prout probare licet ex teſtimonijs Orthodoxorum Pa-
trum, Iuſtini Martyris Apoſtolorum Diſcipuli *in Dialogo cum Tryphone.* Cy-
priani *lib. 1. contrà Iudaos cap. 16.* Euſebij Cæſarienſis *lib. 1. Demonſtrat. Evan-*
gel. Hieronymi *in Comment. illius loci Malachia.* Chryſoſtomi *in Pſal. 95. jun-*
ctâ Homil. 42. in Epiſt. ad Corinth. Et Homil. 2. in 2. ad Timoth. item orat. 2. adver-
sùs Iudaos. Quæ proinde teſtimonia cuique petenti exhibere paratus ſum,
17. duo duntaxat hîc per extenſum brevitatis causâ poſiturus. Ita enim circa
Annum 180. ſcripſit S. Iræneus *lib. 4. adversùs hæreſes cap. 32. Eum, qui ex crea-*
turâ panis eſt, accepit (Chriſtus) *& gratias egit dicens, Hoc eſt Corpus meum, &*
Calicem ſimiliter, qui eſt ex eâ creaturâ, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum Sanguinem con-
feſſus eſt, & Novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis ac-
cipiens, offert Deo in univerſo mundo ei, qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuo-

rum

Digitized by Google

rum munerum, de quo in duodecim Prophetis *Malachias ſic præſignificavit: Non eſt mihi voluntas &c.*

Sanctus porrò Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei cap. 35.* ita habet: *Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum jam cernimus propagatam; Iudæis apertiſſimè dixit ex perſonâ Dei: Non eſt mihi voluntas in vobis &c. in omni loco ſacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda &c. hoc ſacrificium per Sacerdotium Chriſti ſecundùm Ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videamus offerri &c.* De quo proinde Sacrificio idem Sanctus Doctor *lib. 1. contrà adverſ. Legis & Prophet. cap. 20.* ait, Eccleſiam ab Apoſtolorum temporibus ad nos uſque propagatam, & perpetuò duraturam, *Immolare Deo in Corpore Chriſti Sacrificium laudis &c. non ſecundùm Aaron, ſed ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Ex quibus adeò manifeſtè patet, illam Malachiæ Prophetiam tum ex ſe ipsâ, ponderatis ſingulis verbis, tum ex ſenſu Patrum intelligi de Corporis & Sanguinis Chriſti Sacrificio. 18.

Probatio ſecunda, petita ex Figurâ & Vaticinio Sacrificij Melchiſedech, juxta illud Gen. 14. v. 18. At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Altiſſimi, benedixit ei.

EX hoc enim ſacro textu conſtat, hunc Melchiſedechi actum in proferendo, ſeu (uti Patres infrà citandi loquuntur) offerendo pane & vino, fuiſſe proprium Sacerdotij ipſius; ſic namquè ſignificat illa cauſalis; *Erat enim Sacerdos Altiſſimi.* Nec eſt, cur Reformati contrà iſtam cauſalem excipiant, quaſi vulgata verſio ſit falſa; hoc enim excutietur *ſeq. cap. 4. ad 1.* At verò actus Sacerdotij proprius ut ſic habet rationem Sacrificij. Oportet igitur, Melchiſedechum ſub illo actu feciſſe Sacrificium, uti Patres inferiùs allegandi uniformiter teſtantur. At verò *in Pſalmo 109.* quem de Chriſto propheticè dictum Chriſtus *Lucæ 20. v. 41.* teſtatus eſt, ita habetur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Quod proinde Ordinis Melchiſedechiani Sacerdotium in Chriſto pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu firmatum, teſtatus etiam eſt Paulus *ad Heb. 5. & 7.* At verò omnis Pontifex ad offerendum munus & hoſtias conſtituitur, undè neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat. *Ad Heb. 8. v. 3.* Oportet igitur, Chriſti Sacerdotio perpetuo reſpondere Sacrificium perpetuum, id eſt, cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexum, quod *Danielis 12. v. 7.* dicitur *Iuge Sacrificium.* Atqui Chriſtus Dominus in Cruce peregit quidem pro totius mundi ſalute Sacrificium cruentum, hoc tamen non erat ſecundùm Ordinem Melchi- 19. 20.

ſedech,

ſedech, nec niſi effectu ſuo, non autem *Formaliter* in ſe ipſo eſt connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu; atque adeò cùm Sacerdotium perpetuum requirat Sacrificium *in ſe Formaliter* perpetuum, conſequens erit, Chriſti perpetuo Sacerdotio reſpondere aliud Sacrificium incruentum ſecundùm Ordinem Melchiſedech, *Formaliter* importans Corporis & Sanguinis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus oblationem, prout Sancti Patres mox adducendi unanimiter intellexerunt.

Probatio tertia, ex Patrum authoritatibus deprompta.

21. NAm Sanctus Cyprianus *lib. 2. Epiſt. 3. aliàs Epiſt. 63. ad Cæcilium* ita ſcripſit: *In Sacerdote Melchiſedech Sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod Scriptura Divina teſtatur, & dicit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum, fuit autem Sacerdos Dei ſummi &c. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portârit, declarat Spiritus Sanctus ex perſonâ Patris ad Filium dicens &c. Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Qui Ordo utique hic eſt de illo Sacrificio veniens, & inde deſcendens, quòd Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, & quòd panem & vinum obtulit, & quòd Abraham benedixit; nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem & vinum, ſuum*

22. *um ſcilicèt Corpus & Sanguinem.* Nè verò quis hallucinetur exiſtimando, Cyprianum ſenſiſſe, quòd panis & vini ſubſtantia maneant in Euchariſtiâ, ſintque Corpus & Sanguis Chriſti ſolùm *Figuratıvè*, ſe ipſum explicat *Serm. de Cœnâ Domini poſt init. Significata*, inquiens, *olim à tempore Melchiſedech prodeunt Sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera ejus, ſummus Sacerdos panem profert & vinum, Hoc eſt, inquit, Corpus meum; manducaverunt & biberunt de eodem pane, ſumendo formam viſibilem, ſed ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat; ſed ex quo à Domino dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus &c. panis ille ſubſtantialis eſt, & Calix benedictione ſolemni ſacratus ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit, ſimul Medicamentum & Holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates &c.*

23. Similia habent Epiphanius *hæreſi 55.* Ambroſius *in cap. 5. ad Heb. & lib. 5. de Sacram. cap. 1.* Hieronymus *Epiſt. 17. ad Marcell. cap. 2. item in quæſt. ex Geneſ. circa cap. 14. & in Comm. ad cap. 22. Matth. item in cap. 26. Matth. circa verba: Cœnantibus illis.* Chryſoſtomus *Homil. 35 in Geneſ. & Hom. 36.* Auguſtinus *lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. lib. 17. cap. 17. lib. 18. cap. 35. lib. 1. cont. adverſ. Leg. & Prophet. cap. 20. Epiſt. 95. & in Pſal. 33. Conc. 2.* Ubi inter alia ſic habet: *Ipſe* (Chriſtus) *de Corpore & Sanguine ſuo inſtituit Sacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech,*

Ex

Digitized by Google

Ex quibus proinde ita licet argumentari. Ex Patribus præallegatis (quorum teſtimonia brevitatis causâ hîc non extenſa cuilibet exhibere ſum paratus) planum eſt, Melchiſedech ceu Sacerdotem Altiſſimi, proferendo panem, celebrâſſe ſacrificium. Hoc autem erat figura Sacrificij, quod Chriſtus inſtituit de Corpore & Sanguine ſuo. *Ex S. Auguſtino proximè adducto.* At iſtud ita evenit, ut, licèt ante Conſecrationem panis & vinum eſſent cibus communis, poſt verba tamen conſecratoria & ſolemnem benedictionem eſſet Holocauſtum, complectens ipſam carnem & ſanguinem Chriſti. *Ex S. Cypriano, ac reliquis Patribus.* Conſtat proinde, ſecundùm uniformem Patrum ſententiam ex figurâ Sacerdotij & Sacrificij Melchiſedechiani omninò probari Sacrificium Evchariſticum, conſiſtens in actione Corporis & Sanguinis Chriſti Conſecratoriâ, atque adeò Tranſubſtantiativâ. 24.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an non temeritatis ſit, illum ſacræ Scripturæ ſenſum, quem Patres unanimiter pro legitimo tenent, reprobare tanquàm illegitimum? Atqui Patres *præced. cap. prob. 3.* adducti uniformiter ſentiunt, Sacrificium Melchiſedechi fuiſſe in proferendo pane & vino, & ut ſic ſecundùm expreſſum ſacrum Textum *Pſal.* 109. *& ad Heb.* 6. præfigurâſſe Sacerdotium & Sacrificium Chriſti. Qui ſenſus eſt conformis vulgatæ verſioni, ubi, cùm dictum eſſet, quòd Melchiſedech panem & vinum protulerit, mox ſubjungitur: *Erat enim Sacerdos Altiſſimi.* Quæ proinde particula *Enim*, utpote cauſalis, manifeſtè oſtendit, illum actum fuiſſe Sacerdotij, atque habuiſſe rationem Sacrificij. 25.

Neque pugnat cum Hebraico textu, in quo loco *Enim* ponitur particula *Et*: ſiquidem phraſi Hebrææ ſit familiare, ut Cauſalem exprimat per particulam copulativam *Et*. Sic enim *Geneſ. 20. v. 3.* in latino dicitur: *En morieris propter mulierem, quam tuliſti, habet enim virum.* In Hebræo autem legitur: *Et ipſa habet virum.* Item *Iſaiæ 64. v. 5.* dicitur: *Tu iratus es, & peccavimus*, cùm tamen ſenſus ſit, *Quia peccavimus*, vel, *peccavimus enim.* Cùm igitur neque Hebraica phraſis diſſentiat à vulgatâ verſione, hujus verò ſenſus uniformiter retineatur à Patribus Orthodoxis, nec ullus ante modernam Reformationem (uti apud Lyranum *in Geneſ. 14.* ante trecentos annos ſcribentem videre licet) præter Iudæos textum falſificantes, in contrarium allegari poſſit; quinimò antiquiores Rabbini Samuel *in lib. Bereſchit.* Rubba *ad cap. 14. Gen.* Phinees *in cap. 26. Num. ibidem.* Moyſes Hadarſan *ad cap. 14. Gen.* eundem cum latinâ verſione 26.

 ſen-

ſenſum circà præallegatum textum tenuerint: idcircò ipſimet Vedroſio expendendum relinquo, quantâ temeritate vulgatam latinam verſionem argueri falſitatis. Hæc proinde falſitatis nota in ipſum, ceu Iudæorum recentiorum in odium Chriſti, textum illum pervertentium imitatorem retorquetur, ſiquidem non tantùm benedictionem Abrahæ ſed ipſam panis & vini prolationem Scriptura ſacra, juxta Sanctorum Patrum unanimem ſenſum, & textum non vulgatæ duntaxat editionis, ſed Hebraicum, legitimè expoſitum, & ab antiquioribus Rabbinis agnitum, cenſeat in Sacrificio Melchiſedechi tanquàm Sacerdotis Dei Altiſſimi.

27. Ad *ſecundam* Reſp. Nullatenus pugnare cum actu Sacrificij, quòd fiat in gratiam alterius, ad demonſtrandam erga ipſum benevolentiam, & ad lætitiæ pro beneficio aliquo Divinitùs accepto cum gratiarum actione erga Deum voluptatem declarandam. Cur igitur Vedroſius tam impudens eſt, ut ex iſtâ ratione neget, Pererium, Cajetanum, & Lombardum ſenſiſſe, quòd Melchiſedech, proferendo panem & vinum, exercuerit actum ſacrificij. Quinimò impudens eſt, dum iſtorum Doctorum verba mutilè ac infideliter allegando ſcripſit, quæ *directè* ac *expreſſè* pugnant cum ipſorum intentione, *uti patebit expendenti ipſorum verba hic brevitatis causâ omiſſa.*

28. Ad *tertiam* Reſp. Iſtam argutiam procedere à ſimplici authoritate Negativâ, cujuſmodi argumentandi genus quàm ſit ineptum, ac deceptionibus plenum, ipſimet Vedroſio expendendum relinquo. An enim, quia Sanctus Ioannes Evangeliſta faciens tam accuratam in ultimâ Cœnâ geſtorum mentionem, inſtitutionis tamen Evchariſticæ non meminit, inde inferre liceat, hoc Sacramentum tunc non eſſe inſtitutum? Pari proinde ratione ex hoc, quòd Paulus Apoſtolus *ad Heb. cap. 7.* deſcribens Melchiſedechum, eumquè cum Chriſto comparans, non meminerit ejus Sacrificij in pane & vino peracti, malè infertur, hanc panis & vini prolationem non fuiſſe Sacrificium. Quinimò Apoſtolus *ad Heb. cap. 5. v. 10.* expreſsè dicit, Chriſtum eſſe appellatum à Deo Pontificem *juxta Ordinem Melchiſedech.* Imò *cap. quoquè 7. v. 18.* meminit Chriſti quà *Sacerdotis ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* At omnis Pontifex ad offerendum munus & hoſtias conſtituitur *cap. 8. ad Heb. v. 3.* Oportet ergo, Sacerdotio Chriſti ſecundùm Ordinem Melchiſedech reſpondere aliquod Sacrificium. Hoc autem eſſe Evchariſticum Sacrificium, docent Patres ſuperiùs adducti, inſinuatquè Apoſtolus, quòd Sacerdotium ejuſmodi dicat æternum, cum perpetuo adeò Eccleſiæ ſtatu connexum, atque adeò requirens Sacrificium perpetuum. Eo ipſo autem, quòd Sacrificium Chriſti cruentum in Cruce conſummatum non ampliùs eſſet reiterandum, non poteſt iſtud Sacrificium in ſe *Formaliter*, ſed *Virtualiter* tantùm eſſe

per-

Digitized by Google

perpetuum. Meritò igitur dicendum cum Sanctis Patribus, Sacerdotio Chriſti ſecundùm Ordinem Melchiſedech reſpondere Sacrificium Eychariſticum tanquàm perpetuum.

Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius fatetur, Veterum quoſdam actionem illam Melchiſedechi cum Eychariſtiâ, quæ illis ſæpè Sacrificium dicatur, contuliſſe. Hinc autem patet, Reformatum Miniſterium ex duplici capite, tum de illâ actione Melchiſedechi, tum de Eychariſtiâ, rationem ſacrificij negando, diſcrepare cum illis Veteribus Doctoribus, quibus Vedroſius non erubeſcit calumniam quoquè impingere, dum eos non tam veritatis, quàm allegoriæ captandæ ſtudioſos in principali hoc circà Eychariſticum ſacrificium Fidei ac Religionis dogmate inſimulat. 29.

Sed quid ex hoc, quòd alij ſenſui hiſtorico inſiſtentes dicant, Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum non Deo, ſed Abrahæ, Vedroſi intendis? An quia non fuerit Sacrificium, utpote ſoli Deo debitum & conveniens? At fallis, dum ais, litteralem ſacræ Scripturæ ſenſum ſtatuere, quòd illa oblatio panis & vini non ſit Deo facta, hoc enim ſatis nervosè innuit ſacer contextus, dum actionem ejuſmodi reducit in Melchiſedechi Sacerdotium, cujus actum proprium, conſtat ex Apoſtolo *ad Hebræos* 8. eſſe ſacrificium. Fallis inſuper, dum ex eo, quòd Abrahæ fuerit prolatus panis & vinum, ab Affirmativâ ad concluſionem Negativam procedendo, infers, iſtam oblationem non eſſe Deo quoquè factam. Nunquid enim in Sacrificijs pacificis antiquitùs mos erat, ut poſt oblationem Deo factam, rei oblatæ fierent alij participes? Nunquid & ipſemet Chriſtus panem Eychariſticum priùs Deo Patri, utpote gratias agendo, & benedicendo offerebat, & poſteà de eo diſtribuebat diſcumbentibus? Siccinè Vedroſi argumentationes tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ non niſi ineptiam ſpirantes producis? 30. 31.

Ad *quintam* Reſp. Vedroſi, valdè imprudens, ac impudens es in allegando pro te tum Sancto Auguſtino, tum Lombardo: hunc enim, ut ipſemet legas, te invito, deprehendeſquè tibi ſanè contrarium. Illum verò tibi adverſantem audi *ex cit. lib. 16. de Civit. Dei cap. 22.* Ibi enim, cùm egiſſet de oblatione Melchiſedech, ſubjungit: *Ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturquè illud, quod longè poſt factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech, non ſecundùm Ordinem Aaron, qui Ordo fuerat auferendus &c.* Ex quo adeò conſtat, illam Melchiſedechi oblationem fuiſſe præfigurativam Sacrificij jam in toto orbe terrarum inter Chriſtianos offerendi. Quod proinde ſacrificium, teſte eodem Sancto Doctore *lib. 17. de Civit. cap. 13. protulit Melchiſedech,* 32.

Digitized by Google

quando benedixit Abrahám. Conſtat igitur, ſecundùm mentem ſancti Auguſtini, illam Melchiſedechi prolationem eatenùs habuiſſe rationem ſacrificij, Deo primò oblati, & exinde ſecundùm quandam participationem Abrahæ communicati, ut omninò verum ſit, illa Prophetæ verba, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech*, eſſe intelligenda de Sacerdotio Chriſti & Sacrificio per Melchiſedechum præfigurato, & jam frequentato in toto orbe terrarum. *Ex cit. cap. 17. lib. 17. & cap. 22. lib. 16. Item cap. 35. lib. 18. de Civit.* At hoc ipſum Sacrificium eſt de Corpore & Sangune Chriſti, *ex eod. S. Auguſtino in Pſal. 33. Conc. 3.* Vides igitur Vedroſi, quàm imprudenter & impudenter pro te allegâris ſanctum Auguſtinum.

33. Ad *ſextam* Reſp. Hic non niſi calumniam & blaſphemiam unà cum mendacijs apertiſſimis effutiri. Blaſphemia enim eſt in ſanctiſſimam Deiparam, quòd eam, ejuſquè cultum æquipares cum idololatrico *Ieremiæ 44. v. 19.* deſcripto Reginæ cæli, nempè lunæ cultu. De quo *infra diſſert. 14. ſect. 1.* Calumnia verò & mendacium apertum eſt, quòd nos Catholicos inſimules, quaſi Beatiſſimæ Virgini ſacrificia offeramus: cujus calumniæ Hottingerum quoquè conſortem adſtruis: neque enim Iacobus de Voragine, neque Pelbartus *abſolutè* ac in ſenſu per te expoſito unquàm dixerunt, nos ſacrificare ſanctiſſimæ Deiparæ: quanquàm verum ſit, nos Deo offerre Sacrificium Miſſæ in honoré ſanctiſſimæ Deiparæ, gratias agendo nimirũ pro prærogativis à Deo & Chriſto in eam collatis, nec non ad ejus ſuffragia, Chriſto tamen ſubordinata, efflagitanda, ac recognoſcendam Divinam in eâ tam ſublimiter dotandâ immenſam munificentiam, eâque mediante Divinæ Majeſtatis thronum, ac ipſius Filium eatenùs adeundo, ut tamen Formalis ratio ſacrificij *Directè* ac *per ſe* in ſolum Deum dirigatur, præinſinuatâ Virgineæ Deiparæ veneratione, ac recordatione ad id ſe habente *Concomitanter*, vel *Materialiter*, vel *Indirectè* duntaxat. De quo aliàs plura.

34. Ad *ſeptimam* Reſp. Omnes Patres ſuprà *cap. 3. prob. 3.* adductos ſuis claris teſtimonijs probare, quòd Melchiſedechi oblatio eatenùs fuerit typus ſacrificij Evchariſtici, ut in hoc dicant, ſub accidentibus panis & vini realiter offerri Deo Corpus & Sanguinem Chriſti. Unde patet, Vedroſium non niſi aerem verberare ſuis argutijs.

35. Ad *octavam* Reſp. Ita argumentando. Si Chriſtus Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini offerendo æterno Patri, taliter erat Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech, ut iſtam Sacerdotij ſui poteſtatem *Participativè* communicaret Apoſtolis, eorumquè ſucceſſoribus, Novi Teſtamenti Sacerdotibus, ſequitur, etiam hos eſſe Sacerdotes ſecundùm Ordinem Melchiſedech, non quidem *Authoritativè* & *Abſolutè* inſtar Chriſti,

ſed

Digitized by Google

ſed *Participativè* & *Miniſterialiter* cum ſubordinatione ad Chriſtum. At Chriſtum Dominum poteſtatem conſecrandi, atque adeò offerendi Corpus & Sanguinem ſuum, participâſſe Apoſtolis, atque adeò eorum ſucceſſoribus Sacerdotibus, Patres præcitati, ſpeciatim Cyprianus *Serm. de Cœnâ Domini*, probant ex illis Chriſti Domini verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Vides igitur Vedroſi, quomodò non divinatione opus ſit, ſed ex ipsâ Evangelicâ veritate probetur, Sacerdotes Novi Teſtamenti eſſe ſecundùm Ordinem Melchiſedech, non quidem *Authoritativè* & *Abſolutè* inſtar Chriſti, ſed *Miniſterialiter* & *Participativè* cum ſubordinatione ad Chriſtum, ceu Principalem & Authoritativum in illo Ordine Sacerdotem.

Ad *nonam* Reſp. Taliter argumentando. Id, quod Malachiæ 1. dicitur *Oblatio munda in omni loco Deo offerenda*, Paulo dicitur *ſacrificium Evangelij, quo Gentium oblatio ſit accepta*. At ſub illâ per Malachiam prædictâ oblatione mundâ Patres communiter *ſuprà cap. 3. prob. 1. à n. 16.* intelligunt ſacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti, in Eccleſiâ Gentium quotidiè oblatum. Ergo iſtud ſacrificium ſecundùm Paulum Apoſtolum eſt ſacrificium Evangelij, quo Gentium oblatio ſit accepta: paterquè adeò, ineptam & fruſtraneam eſſe interrogationem Vedroſij quærentis, quid per illud Evangelij ſacrificium à Paulo inſinuatum intelligatur; hanc enim quæſtionem ex ipſomet ſacro Textu Patres præallegati pro Romanâ, non autem Reformatâ Eccleſiâ dilucidè ſolverunt. 36.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Nullum ex Georgij *ſuprà cap.* 1. deductis argumentis eſſe vel in apice aliquo à Vedroſio ſolutum, ſed firma & valida omninò ſubſiſtere. Unde quæro Vedroſium, quid ſentiat de illo ſpiritu, qui æquè, ac in Synagogâ jam reprobatâ, ita retinet corticem ac litteram Antiqui Teſtamenti, ut tamen in Myſterijs Chriſti non penetret ad ſpiritum ac ſenſum à Patribus Orthodoxis uniformiter in antiquâ Eccleſiâ agnitum. At rem ita ſe habere de ſpiritu modernæ Reformationis, ut retento cortice Antiqui Teſtamenti Scripturarum, circà Eucharisticum Corporis Chriſti & Sanguinis Sacramentum, ceu præcipuum Fidei Myſterium toto cœlo diſtet à ſenſu, à Patribus antiquis Orthodoxis agnito, patet ex dictis *cap. 3.* 37.

Divinet igitur Vedroſius, quiſnam iſte ſit ſpiritus, aternè, vel albus Zwinglij monitor?

SECTIO II.

Qualiter Miſſæ Sacrificium efficaciter probetur ex Novo Teſtamento?

1. ARgumenta Novi Teſtamenti propria, ſunt partim deprompta ex ſacris Legis Evangelicæ Textibus, partim ex vivâ fidelium fide illibatè in Eccleſiâ ſemper obſervatâ, & ad nos uſque propagatâ, atque *Inſtrumentariè* traditâ per ſcripta Patrum Orthodoxorum in aliquo Fidei dogmate uniformiter ſentientium. Quod utrumque adeò probationum ex lege Evangelicâ genus, pro præſenti circà Sacrificium Miſſæ puncto, hîc expendam.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

2. HIc Author *ſuæ Facis Rat. 3. Doc. 12. n. 68.* inducit SS. Ambroſium *Epiſt. 33. ad Marcell.* & Auguſtinum *Serm. 251. de Tempore*, clarè atteſtantes, quòd Miſſa ſuis temporibus fuerit in uſu & obſervantiâ.

Exinde *n. 69.* inducit Helveticam Confeſſionem *cap.* 21. ſic inquientem: *MISSA, qualis aliquando fuerit apud VETERES, tolerabilis, an intolerabilis, modò non diſputamus.*

3. Ex quibus ſic argumentatur. In aperto jam eſt, Miſſam Veterum ævo celebratam fuiſſe. Unde Reformatum Miniſterium tendens in everſionem hujus juſtiſſimæ de Miſsâ doctrinæ, falſum omninò eſſe oportet, imò blaſphemum, omni adeò anathemate dignum.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

4. HIc Miniſter *in Exam. cit. Doc. 12. pag. 52. ac ſeq.* arguit 1. Miſſæ nomen totis fermè quadringentis annis ignotum fuiſſe. Ambroſium id ſemel, Auguſtinum bis enunciare, & alio ab Eccleſiâ Romanâ ſignificatu. Etenim Auguſtini Sermonem *251. de Temp.* à Georgio productum omninò ſpurium eſſe; quanquàm & *ibi* Sorex ſuo indicio ſe perimat, mentionem faciendo Miſſarum (non exſpectant Sanctarum Miſſarum celebrationem) in numero plurali. Quod proinde ſi de dimiſſione tum Catechumenorum, tum fidelium ſumatur, uti ſumi debebat, à ſe ad-

Digitized by Google

admitti: ſecùs, ſi de ſacrâ Cœnâ: neminem enim de eâ, ceu pluribus fuiſſe locutum.

Arguit 2. Ambroſium *Epiſt. 33. ad Marcellam* ita quidem ſcribere: *Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi, dum offero, raptum cognovi à populo Caſtulum.* Ex quo Georgium inferre, Miſſam in Veteri Eccleſiâ, ſicut in hodiernâ Romanâ certò, celebratam fuiſſe. At iſtam illationem eſſe ridiculam: per iſta enim verba, *Miſſam facere cœpi*, non ſignificari Miſſam celebratam, cantatam, ſed dimiſſionem Catechumenorum, qui ſacræ Cœnæ non fiebant participes. 5.

Arguit 3. Sermonem *237.* qui etiam Auguſtino, at perperàm attribuatur, ita habere: *Poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis.* Quod intra Eccleſiam Romanam perinde eſſe, ac ſi diceretur: Catechumenis adminiſtratur ſacra Domini Cœna. Hoc autem eſſe riſu excipiendum: ſiquidem Catechumeni olim non ſolùm à Communione, verùm etaim à conſpectu hujus myſterij arcerentur. Se miſereri horum hominum, qui ubicunque in formulam *Miſſam facere*, incidunt, ſuam Miſſam ſomnient. Haud dubiò etiam Caligulam Miſſam cantâſſe, cùm juxtà Suetonium *in Calig.* Miſſam fecerit Lolliam Paulinam. Et verò nihil eſſe magis tritum popello ſcholaſtico hac formulâ, *Fac ipſum Miſſum, vel ipſam Miſſam.* 6.

Arguit 4. Hæc ſi minùs placeant, oportere, ut arrideat ſaltem B. Rhenani in Tertullian. ſententia. Hunc enim ita habere. *Ite Miſſa eſt, id eſt Miſſio eſt, quod olim initio dicebatur, antequàm ipſa myſteria inciperentur. Hinc juxta vulgi conſuetudinem Ambroſius Miſſas facere dixit.* Et in *Epiſt. præfixâ Liturgiæ Chryſoſtomi* ita haberi: *Loquitur Ambroſius de Miſsâ fidelium, qui ſacroſanctæ Communionis futuri participes* (participes, non inanes ſpectatores) *in templo remanebant.* 7.

Arguit 5. Non alia de Miſsâ inveniri apud Patres quarti ſæculi. Duas enim illas conciones præparantes ad Miſſam, quæ Ambroſij nomine à Georgio *pag. 46.* proferantur, Eraſmo, & Gillotio judicibus, ejus non eſſe. 8.

Arguit 6. Rectiſſimè itaque Confeſſionem Helveticam miſſam feciſſe Miſſam, utpote quæ novitatis ſtigma in fronte gerat, & Apoſtolico charactere careat. 9.

Arguit 7. Quod ad nomenclaturam Sacrificij attinet, eam ſacratiſſimæ tribui, eo nempè ſenſu, quo pia Cœnæ actioni vetuſtas Euchariſtiâ credidit Sacrificium, ſed ut vox ſonat Euchariſticû, non propitiatorium propriè dictum: quippe Euchariſtiam dicere, & ſimul propitiationem, eſſe contradictoria; gratiarum enim actionem ſequi propitiationem jam factam. 10.

Arguit

11. Arguit 8. Lombardum *lib. 4. diſt. 12.* audiendum eſſe. Ubi ad quæſtionem, *An, quod facit Sacerdos, propriè dicatur Sacrificium, vel immolatio? An Chriſtus quotidie immoletur, vel an tantùm ſemel ſit immolatus?* Ex Patribus reſpondere in hæc verba: *Illud, quod offertur & conſecratur à Sacerdote, vocatur Sacrificium & Oblatio, quia repræſentatio eſt & memoria Sacrificij & ſanctæ immolationis factæ in arâ Crucis.* Et: *Semel Chriſtus mortuus eſt in Cruce, ibi immolatus eſt in ſemetipſo. Quotidiè autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum eſt ſemel.*

12. Arguit 9. In Decreto Gratiani *de Conſecrat. diſt. 2.* in eandem planè ſententiam accipi verba Ambroſij, Auguſtini, Proſperi. Ubi ad verba Proſperi, *Quotidie immolatur in Sacramento*, ita habere Gloſſam: *Immolatur, id eſt ejus immolatio repræſentatur, & fit memoria paſſionis.* Euſebium *Demonſt. Evangel.* dicere: *Hujus Sacrificij memoriam in menſâ celebrari per Symbola Corporis ipſius, & ſalutaris Sanguinis.* Hinc vocari *Incruentum Sacrificium, per quod nos Chriſto, ipſiuſque paſſionibus & Divinitati communicemus.* Gregorium Nazianzenum orat III. & Oecum. *in cap. 10. Heb.* ita habere. *Quid igitur, nonne & nos incruenta offerimus ſacrificia: imò verò unica mortis Chriſti commemorationem facimus. Atque hanc eſſe illam ſimilitudinem Sacramentalem, propter quam Sacramenta ipſarum rerum, quarum Sacramenta ſunt, nomina accipiunt*, juxta Auguſtinum *Epiſt. 23. ad Bonifacium.* Eundem *lib. 2. cap. contra Fauſtum Manichæum* ita ſcribere. *Hujus Sacrificij caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimarum ſimilitudinem promittebatur: poſt aſcenſionem Chriſti per Sacramentum memoria celebratur.*

13. Arguit 10. Nec difficulter hoc largiri Georgium *pag. 303.* dicentem: *Sacrificij Miſſatici finem eſſe commemorationem & applicationem pretij infiniti, aut fructuum cruenti illius Sacrificij in Cruce.* Hinc concludere ſe, quòd in Miſſâ non ſit ejuſdem pretij oblatio, cùm in commemorativo & repræſentativo Sacrificio rem ipſam, quæ repræſentatur & ſignificatur, reverâ præſentem eſſe, & actu offerri, quiſquis ſomniaverit, is ad Anticyras ſit relegandus.

14. Arguit 11. Georgium *pag. 302.* dicere, quòd *Sacrificium Crucis omnibus gradibus & numeris perfectiſſimum ſit.* Ubi verò tam plenum & perfectum extat Sacrificium, ejus repetitione ſub aliâ facie opus non eſſe. Agnoſcere quidem ſe, opus eſſe ſitulis, quibus ex hoc fonte hauriamus, & eum nobis applicemus, & has inter etiam Sacramenta eſſe, ſed ut illis annumeretur Miſſa, quâ Chriſti Corpus & Sanguis ſub accidentibus panis & vini *verè* ac *realiter* offeratur pro peccatis vivorum & mortuorum, id ſe planè improbare: eò quòd Paulus poſt eam in Cruce comparatam remiſſionem peccatorum, *abſolutè* neget, ullam reſtare oblationem pro peccatis *Heb. 10. v. 18. Et quia Chriſtus unicâ oblatione* (in Cruce peractâ) *conſummavit, ſive conſecra-*

Digitized by Google

ſecravit in æternum eos, qui ſanctificantur. Ex quo, ait Vedroſius, quòd nulli alteri ejus generis oblationi locus ſupereſſe poſſit, cùm nequeat oblatio illius ſimul eſſe unica & multiplex.

Arguit 12. Hinc Theodoretum ita diſſerere. *Illic, ſcilicèt apud Iudæos, & Sacerdotum, & hoſtiarum multitudo, nulla verò utilitas. Hic autem unus & idem Sacerdos & hoſtia, & peccatorum ſolutionem efficit, & alio non eget ſacrificio.* 15.

Arguit 13. Huc referenda eſſe, quæ ex conſtitutionibus Concilij Nicæni 1. Georgius *pag.* 242. affert: *Nè in Divinâ Menſâ* (aras enim ait gloſſando Vedroſius, primos Chriſtianos non habuiſſe, ſed menſam ſacram & mobilem) *intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum, ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacrâ illâ Menſâ Agnum illum Dei tollentem peccata mundi.* Situm non *Corporaliter*, ſed per commemorationem & *Symbolicè*, non quaſi ſit in, cum, & ſub ſymbolis, ſeu ſymbolorum accidentibus, ſed quia per illa nobis repræſentetur, & ob oculos depingatur. *Gal.* 3. *v.* 2. 16.

Arguit 14. Manere enim *myſticè* ſymbola in priore ſubſtantiâ, figurâ, & ſpecie, & cerni, tangive poſſe, ſicut anteà. Intelligi autem, quæ facta ſunt, & credi & adorari, quaſi eſſent illa, quæ creduntur, juxta Theodoretum (quem Leo Epiſcopus Romanus ab omni hæreſeos maculâ mundum teſtatus ſit) *Dial.* 2. Macarium *Homil.* 27. ſic habere: *In Eccleſiâ offertur panis & vinum Antitypus carnis ejus, & ſanguinis ejus, & qui participant de viſibili pane, ſpiritualiter Chriſti carnem comedunt.* 17.

CAPUT III.

Oſtenditur ex Novi Teſtamenti argumentis, in Miſſa offerri Deo verum & propriè dictum Corporis & Sanguinis Chriſti Sacrificium.

EXplicatur, quomodò hoc ex ſacris Litteris erui poſſit. Etenim Myſterij alicujus Divini ſeu Fidei veritas, ſub certâ verborum formulâ exponi ſolita dupliciter intelligitur contineri ſacris Litteris, 1. *in Actu ſignato* ſecundùm ipſas voces pro tali Myſterio explicando uſurpatas. 2. *in Actu quaſi exercito* ſecundùm ipſam rei Fide Divinâ credendæ veritatem. At prius non ita neceſſarium eſt, quin oppoſitum in præcipuis Fidei Myſterijs oſtendi poſſit. Sic enim de Fide eſt, in Deo eſſe Trinitatem Hypoſtaſum ſeu Perſonarum, & unitatem Naturæ ac Subſtantiæ ſeu Eſſentiæ. At ubi hoc *in Actu ſignato* reperitur expreſſum in ſacris Litteris? Sic de Fide eſt, Filij Dei cum Patre æterno Conſubſtantialitas, per vocem *Homouſios* exponi conſueta: item Naturarum Divinæ & humanæ in Chriſto 18.

diſtinctio, earundemquè in Divinâ Verbi Perſonâ unio Hypoſtatica. At ubi iſthæc myſteria *in Actu ſignato* ſub tali verborum formulâ inveniuntur expreſſa ſacris Scripturis? Pari proinde ratione, licèt Tranſubſtantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, & ratio ſacrificij tali Tranſubſtantiationi *Formaliter* conveniens, ſub ejuſmodi ſeu æquipollentium verborum formulis *in Actu ſignato* non eſſent ſacris Litteris expoſitæ, nullatenùs adhuc inferre liceret, talia Myſteria non eſſe de Fide, maximè cùm ipſorum veritas ex ipſiſmet Scripturis Divinis demonſtrari poſſit, uti *ſeq. probat. conſtabit.*

Probatio prima, quâ oſtenditur, Eucharisticam Conſecrationem, ceu verum ac propriè dictum Sacrificium, ſaltem in Actu exercito, ac reipsâ tradi ſacris Novi Teſtamenti Paginis.

29. Etenim Sacrificium re ipsâ nihil aliud eſt, quàm Cæremonia ſacra per Divinam præſertim authoritatem inſtituta ad Divinæ Majeſtatis, ejuſque ſupremæ in vitam, & mortem poteſtatis, abſolutiquè Dominij excellentiam ſub proportionatâ rei ſacrificatæ immutatione publicè proteſtandam. At Chriſtus Dominus dicitur ab Evangeliſtis in ultimâ Cœnâ benedixiſſe panem & vinum, *Gratias agendo.* Ejuſmodi verò Chriſti ex Divinâ Patris ordinatione in totius humani generis Caput conſtituti benedictio & gratiarum actio non potuit non eſſe publica Divinæ ſupremæ Excellentiæ proteſtatio. Hæc ipſa verò erat inſtituta quà commemorativa mortis Chriſti, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*; atque adeò eatenùs erat proteſtativa Divinæ Excellentiæ, ut eo ipſo abſoluti in ipſam etiam Chriſti ex Dei præcepto mortui, ceu omnium noſtrum Capitis vitam Do-
30. minij Divini eſſet recognoſcitiva. Eidem porrò benedictioni Chriſti Domini inerat talis vis, ut per ejus veritatem omninò verificaretur id, quod Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum,* Et *Hic eſt Sanguis meus.* Ex vi autem hujus veritatis omninò ſubſiſtebat Tranſubſtantiativa panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti mutatio, *uti patet ex Diſſert. preced. ſect. 2. cap. 3.* Hoc ipſum verò, quod ſub ſenſibilibus panis & vini ſpeciebus demonſtrando, Corpus & Sanguinem ſuum dixit Chriſtus, dedit in ultimâ Cœnâ Apoſtolis manducandum & bibendum. At totius illius à ſe facti imitationem, ut ſimiliter in ſuam commemorationem facerent, Chriſtus Dominus mandavit, atque adeò poteſtatem dedit Apoſtolis pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu, eorumque adeò ſucceſſoribus Sacerdotibus: *Hoc facite,* inquiens, *in meam commemorationem.* Ex Divino igitur Evangelio apertè conſtat, quòd Chriſtus Dominus in ultimâ Cœnâ per Tranſubſtantiativam panis & vini in Corpus

& San-

Digitized by Google

& Sanguinem ſuum mutationem, nec non ſpecierum Eucharisticarum manducationem Sacramenti ejuſmodi conſumptivam exhibuerit talem Cæremoniam pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu inſtitutam, ut ſub congruâ rei ſanctificatæ immutatione eſſet publicè proteſtativa ſupremæ Patris æterni Excellentiæ ac Majeſtatis, abſolutiquè in mortem ac vitam Dominij. Cui proinde convenit integra Sacrificij definitio. At hoc ipſum hodie & antiquitùs dici ſolebat Miſſæ ſacrificium. Manifeſtum igitur eſt, Miſſæ ceu verum & propriè dictum Sacrificium quoad rem ipſam *in Actu exercito* demonſtrari ex ſacris Novi Teſtamenti Paginis.

Probatio ſecunda, quâ oſtenditur, non deeſſe in ſacris Novi Teſtamenti Textibus voces, ſub quibus Miſſa Sacrificium in Actu ſignato quodammodò exprimatur.

NAm Chriſtus Dominus poteſtatem conſecrandi Eucharistiam Apoſtolis, eorumquè ſucceſſoribus Sacerdotibus dedit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* At verbum *Facere* in Scripturis ſacris quandoquè uſurpari pro *Sacrificare*, patet *ex Exodi 29. v. 38. Hoc eſt, quod facies in Altari, Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter. Et Levit. 15. v. 14. Die autem octavo ſumet duos turtures, aut duos pullos columbæ &c. dabitque eos Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum.* Item *Levit. 23. v. 19. Facietis & hircum pro peccato, & duos Agnos anniculos hoſtias pacificas.* Denique *3. Reg. 18. v. 23.* ajebat Elias: *Dentur nobis duo boves, & illi* (falſi ſcilicet Prophetæ Baal) *eligant bovem unum, & in fruſta cædentes ponant ſuper ligna, ignem non ſupponant; & ego faciam* (id eſt ſacrificabo) *bovem alterum, ignem autem non ſupponam &c.* Ex quibus patet, verbum *Facere* quandoquè in ſacris Litteris ita uſurpari pro *Sacrificare*, ut ex ſacro contextu, ipſâque rei, de quâ agitur, naturâ, oporteat id determinare. Cùm igitur Myſterium, quod in ultimâ Cœnâ à Chriſto peragebatur ſecundùm ſacrum contextum, ipſamquè rei naturam ſortitum ſit veri ſacrificij rationem ac definitionem, prout conſtat ex dictis *præced. prob. 1.* conſequens eſt, in hiſce verbis Chriſti, *Hoc facite in meam commemorationem*, *Tò Facere* accipi debere pro *Sacrificare.* Cujus proinde ſacrificij inſinuatio quoquè fit *Act. 13. Miniſtrantibus illis Domino &c.* Nam conformiter verſioni Græcæ Eraſmus pro verbo *Miniſtrantibus*, vertit *Sacrificantibus.* Porrò Sanctus Paulus *1. ad Corinth. 10.* ait: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* At menſa dæmoniorum hîc accipitur pro Altari, in quo ipſis ſacrificabatur, ut adeò argumento à contrario per menſam Domini debeat *ibidem* intelligi Altare, in quo ipſi ſacrificabatur, cujus meminit idem Apoſtolus *ad Heb. 13. Habemus Altare, de quo edere non habent faculta-*

21.

22.

23.

Digitized by Google

tem, qui tabernaculo deſerviunt. Unde Sanctus quoquè Chryſoſtomus *in cit. 1. Corinth. cap. 10.* ſcribens, ſub menſâ Domini eatenùs intellexit Altare, ut hujus dixerit fideles eſſe participes, edendo hoſtias Corporis Domini, & Calicis benedictionis, ſeu Sanguinis Chriſti. Cui concordat Sanctus quoquè Auguſtinus *lib. 1. cont. adverſ. Leg. & Proph. cap. 19.* Conſtat igitur, Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti non tantùm re ipsâ *in Actu* quaſi *Exercito* contineri ſacris Litteris, ſed *in Actu* etiam *ſignato* ſub ipsâ Sacrificij, vel aliâ æquipollente voce eſſe expreſſum Divinis Scripturis.

Probatio tertia, deſumpta ex vivâ in fidelium mentibus incorruptè propagatâ Fide, ac demonſtratâ Patrum Orthodoxorum authoritatibus.

24. NAm Abdias Apoſtolorum Diſcipulus *lib. 7. Apoſt. hiſt.* refert, Matthæum Apoſtolum & Evangeliſtam ſacra Myſteria ad *Altare* celebrantem ab Hirtaci ſatellitibus fuiſſe affectum martyrio.

Ex litteris quoquè Presbyterorum Achaiæ, referente Philacteto, patet, Andream Apoſtolum ſub tempore martyrij ſui, cùm ab Ægeâ Proconſule ad immolandum Dijs urgeretur, dixiſſe: *Ego Omnipotenti Deo, qui unus & verus eſt, IMMOLO quotidiè non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari.*

Clemens Romanus *lib. 5. Conſtit. Apoſtol. cap. 20.* nomine Apoſtolorum ait ad Sacerdotes Novi Teſtamenti. *Quare vos quoquè, ſuſcitato Domino, offerte Sacrificium veſtrum, de quo vobis præcepit per nos dicens: Hoc facite in meam commemorationem.*

25. Iuſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone: A nemine*, inquit, *Deus hoſtias accipit, niſi à Sacerdotibus ſuis. Univerſis igitur, qui per nomen iſtius Sacrificia (offerunt) quæ Ieſus Chriſtus fieri tradidit &c.*

Irenæus *lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 32. Eum, qui ex creaturâ panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: Hoc eſt Corpus meum. Et Calicem ſimiliter, qui eſt ex eâ creaturâ, quæ eſt ſecundùm nos, Sanguinem ſuum confeſſus eſt, & Novi Teſtamenti novam docuit Oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo.*

26. Cyprianus *lib. 2. Epiſt. 3.* ait: *Si Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri primus obtulit, & hoc in ſui commemorationem fieri præcepit, utique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur, & SACRIFICIUM VERUM ET PLENUM TUNC OFFERT in Eccleſiâ Deo Patri &c.*

27. Similia, Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti à Chriſto inſtitutum, in verâ Eccleſiâ celebratum, clarè aſſerentia teſtimonia videre licet apud

apud alios Sanctos Patres, ſpeciatim Gregorium Niſſænum *Orat. 1. de Feſto Paſchæ.* Ambroſium *in cap. 10. ad Heb. & in Pſal. 38.* Chryſoſtomum *Homil. 24. in cap. 10. 1. ad Corinth. & in Epiſt. 2. ad Timoth. Hom. 2.* Auguſtinum *lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. lib. 20. contrà Fauſtum cap. 21. Epiſt. 5. ad Marcellinum poſt init. Item in Pſal. 33. Conc. 2. lib. 83. qq. quæſt. 61. & alibi.*

Probatio quarta, ex ipſomet à temporibus Apoſtolorum ad noſtra uſque tempora derivato uſu petita, ut ſic demonſtrativa illibatæ circà hoc Sacrificium Traditionis in vivâ fidelium Fide radicatæ.

EXtat enim Liturgia Sancti Iacobi Apoſtoli, de quâ Patres ducenti, vi- 28
ginti ſeptem in Trullo ſub Conſtantino Pogonato congregati in ſextâ,
vel (uti vocant) Quiniſextâ Synodo *can. 32.* teſtimonium ferunt. Extat Li-
turgia Romana Petri Apoſtoli, de quâ *to. 12. magnæ Biblioth. Patrum Edit. Pari-
ſienſ. pag. 386.* Extant inſuper Liturgiæ Marci Evangeliſtæ *eod. to. 12. pag. 274.*
Liturgia Æthiopicæ Eccleſiæ *to. 6. ejuſdem Biblioth. pag. 42. uſque ad* 202. Litur- 28
giæ tres Sancti Baſilij Magni, Gregorij Theologi, Cyrilli Alexandrini ex
Arabico converſæ *to. 6. ejuſd. Biblioth. pag. 1.* ejuſdem Anaphora ex vetuſtiſſi-
mo codice Syriacâ linguâ ſcripta *ibid. pag. 13.* Liturgia Conſtantinopolitana
Sancti Ioannis Chryſoſtomi *cit. to. 12. pag. 299.* Ex quarum Liturgiarum om-
nium formulis patet, Miſſam ſub ratione veri Sacrificij fuiſſe celebratam.
Miſſæ porrò ceu veri Sacrificij ininterruptum, & in Eccleſiâ illibatè conſerva- 29
tum uſum teſtantur Clemens primus, Iuſtinus Martyr, & Iræneus *præced.
probat.* allegati; item Hippolytus Martyr circa Annũ 220. *Biblioth. Patrum edit.
Colon. pag. 16. lib. de conſum. mundi.* Methodius Palaucenſis circa Annum 260. *l.
de rebus ab initio mundi geſtis.* Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 4. in Ordinat. Sacerdot.* Euſe-
bius Cæſar. *lib. 1. demonſt. Evang. cap. ult. & Orat. de laudib. Conſtantini.* Cyrillus
Hieroſolymitanus *Catech. 5. Myſtag.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 4. in Iuli-
an.* Ambroſius *lib. 1. Officiorum cap. 41. Et in Pſal. 38 item ad caput 4. 1. ad Ti-
moth. lib. 4. de Sacram. cap. 6.* Gregorius Niſſænus *in Orat. 1. ad Reſurrect. Chriſti.*
Hieronymus *in Epiſt ad Hebidiam q. 2. item lib. 3. adverſ. Pelagian. cap. 5. lib. 1. ad- 29
verſ. Jovinian. cap. 19.* Chryſoſtomus *lib. 3. & lib. 6. de Sacerdot. item Homil. 24. in
1. Corinth. & Hom. 17. ad Hebræos circà finem. de Dignit. Sacerdot. cap. 5.* Auguſti-
nus *Epiſt. 23. ad Bonifacium lib. 22. de Civit. cap. 10. lib. 2. quæſt. Evangelic. q. 3. Epiſt.
59. ad Paulinum ad quæſt. 5. Epiſt. 118. cap. 4.* Quibus accedunt Oecumenica Pa- 30
trum Orthodoxorum Concilia, Nicænum I. *can.* 14. Epheſinum *Epiſt. De-
cretali Cyrilli & Synodi ad Neſtorium.* Synodus ſexta (vel uti vocant) Quiniſex-
ta *can. 32. & 52.* Lateranenſe ſub Innocentio III. *Cap. Firmiter.* Toletanum XII.

can.

can. 5. Bracharenſe III. *can.* 1. Antiſiodorenſe *can.* 8. Carthaginenſe III. *can.* 13.
Laodicenſe *can.* 19. Arelatenſe I. *can.* 20. Florentinum *in unione Armenorum.*
Conſtantienſe *in damnatione quinti articuli Wiclephi*, & Tridentinum *Seſſ.* 22.
Ex quibus omnibus (cuique per extenſum, ſi quis deſideret, demonſtrandis, ac brevitatis duntaxat gratiâ hîc omiſſis) nimis clarum eſt, uſum Miſſæ Sacrificij fuiſſe ab Apoſtolorum temporibus ſemper interruptum, ac illibatè omni loco in Eccleſiâ Dei ſervatum ac retentum, adeò ut Lutherus
31. *lib. de captivit. Babylon.* hoc ipſum fateri debuerit, ſcribens in hæc verba: *Miſſa creditur paſſim eſſe Sacrificium, quod offertur Deo; accedunt his dicta Sanctorum Patrum, tot exempla, tantuſquè uſus per orbem conſtanter obſervatus.* Et infrà: *Non moveat, quòd totus orbis contrarium ſenſum & uſum habeat.* Quod ipſum non abſque tamen blaſphemiâ Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 18. §. 18.* nolens volens fateri coactus eſt. *Sed horrenda,* inquiens, *abominationis caput eſt, quum &c.* (ſathan) *peſtilentiſſimo errore totum penè orbem obcæcavit, ut crederet, Miſſam Sacrificium & oblationem eſſe ad impetrandam remiſſionem peccatorum.* Et §. 11. *Quid ſupereſt, ait, ut cæci videant, etiam hanc Miſſæ abominationem, quæ in Calice aureo propinata omnes reges ter-
32. ra & populos à ſummo uſque ad noviſſimum inebriavit.* Quibus proinde taliter conſtitutis, ſic argumentari licet: Quæ univerſa tenet Eccleſia, ab Apoſtolis præcepta benè traduntur, quanquàm ſcripta non reperiantur. *Ex S. Auguſtino lib. 5. de Baptiſ. cap. 13. & Epiſt. 118. cap 5.* ubi adduntur ſequentia. *Similiter etiam, ſi quid horum totâ die per orbem frequentat Eccleſia, nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Atqui ex uniformi antiquorum Patrum; imò & Conciliorum Oecumenicorum teſtimonio, propriâque Pſeudoreformationis authorum confeſſione conſtat, Miſſam pro vero ſacrificio quovis Novi Teſtamenti tempore in omnibus orbis Chriſtiani locis fuiſſe habitam. Hoc igitur eatenùs eſt credendum, ceu traditum ab Apoſtolis, ut inſolentiſſimæ inſaniæ ſit, diſputare, an ita ſit faciendum.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

33. AD *primam* Reſp. Tres hîc falſitates in unam argutiam coacervâſti Vedroſi. Etenim dicis 1. Miſſæ nomen totis fermè quadringentis annis ignotum fuiſſe. At oppoſitum manifeſtè patet ex Alexandri I. circa Annum 109. *Epiſtolâ 1. cap. 4. apud Iodocum Coccium*, ubi ſic habetur: *In Sacramentorum quoquè oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt.* Similia habent Teleſphorus circà Annum 127. *Epiſt. ad omnes univerſaliter. cap. 2.* Pius circa Annum 142. *in Epiſt. ad Juſtum Epiſcopum.*

Anicetus circa Annum 154. *apud Burchardum lib. 5. cap. 29.* Porrò Damaſus
circà Annum 370. *in Pontificali de Teleſphoro apud Iodocum Coccium to. 2.* ait: *Hic*
fecit, ut in Natali Domini Miſſæ celebrentur. 2. Vedroſi fucum facis, dum tuo 34.
æquivocè loquendi modo niteris imponere lectori, quaſi Miſſæ nomen
non niſi ſemel ab Ambroſio, & bis ab Auguſtino eſſet antiquitùs uſurpatum.
At hoc efficaciter refellitur tum ex locis *præced. n. 25. & 27.* allegatis, tum ex
Concilijs mox adducendis. Ais 3. Miſſæ nomen alio ab Eccleſiâ Romanâ 35.
ſignificatu fuiſſe antiquitùs in uſu. In quo equidem admitti poteſt, nomen
Miſſæ ex ſua primævâ impoſitione ſignificaſſe dimiſſionem populi, eam-
que duplicem, alteram Cathecumenorum, hi enim ad audiendum Ver-
bum Dei ita admittebantur, ut hoc finito, dimitterentur ex officio, priuſ-
quàm Sacrificium Euchariſtiæ, cui intereſſe ipſis non licebat, inchoaretur.
Altera verò dimiſſio erat fidelium, finito Sacrificio, hodieque uſurpata,
Diacono, vel Sacerdote dicente: *Ite miſſa eſt.* Nihilominùs ex communi
Eccleſiæ conſuetudine jam antiquitùs mos obtinuit, ut Miſſæ nomen pro
toto Divino ipſummet Corporis & Sanguinis Chriſti Sacrificium quoquè
comprehendente officio uſurparetur. Sic enim Leo I. *in Epiſt. 81. ad Dioſco-*
rum cap. 2. habet. *Neceſſe eſt autem, ut quædam pars populi ſuâ devotione privetur,*
ſi unius tantùm Miſſæ more ſervato Sacrificium offerre non poſſint. Et in Concilio
Arelatenſi *cap. 3.* Anno 453. celebrato ita ſtatuitur: *Si quis & contrà conſen-*
ſum fratrum faciens Miſſam, celebrare præſumpſerit &c. Item in Concilio Agathen-
ſi *cap. 47.* Anno 506. ſic habetur: *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas præcipi-*
mus teneri ſpeciali ordine. Ex quibus proinde, junctis ijs, quæ ſuprà *n. 31.* nec
non allegationibus Patrum & Conciliorum *præced. cap. à n. 23. & 26.* addu-
ctis, dicta ſunt, manifeſtè patet, ſub Miſſæ nomine antiquitùs eatenùs fu-
iſſe ſignificatum Sacrificium in Eccleſiâ verâ ſemper retentum, ut conſe-
quenter Georgij ex Sanctis Ambroſij & Auguſtini authoritatibus petita ar-
gumentatio firma ſubſiſtat.

Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Ambroſius loco per Vedro- 36.
ſium *citato* ait, ſe *Obtuliſſe*, ubi Miſſam facere cœperat. At dimiſſio Cathe-
cumenorum non eſt *Oblatio*. Ergo per Miſſam ibi intellexit Sanctus Am-
broſius non præciſam Cathecumenorum dimiſſionem, ſed oblationem
Sacrificij. Cujus etiam meminit *lib. 1. Offic. cap. 41. in Pſalm. 38. lib. 4. de Sa-*
cram. cap. 6. & lib. 10. Item in cap. 10. ad Heb. Item in Pſal. 38. Unde ſequentia
accipe verba. *Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem: vidimus, & audi-*
vimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum: ſequamur, ut poſſumus, Sacerdotes: ut of-
feramus pro populo Sacrificium; nam etſi infirmi merito, tamen honorabiles Sacrificio;
quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chri-

ſti Cor-

Digitized by Google

ſti Corpus offertur; imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat Sacrificium, quod offertur.

En igitur Vedroſi, quàm te confundat Sanctus Ambroſius, utpote apertè aſſerens, per ſe, alioſque Sacerdotes offerri Sacrificium, in quo res oblata ſit Corpus Chriſti, imò Chriſtus, imò ipſe ſit offerens (Principalis) utpote cujus ſermo ſanctificet Sacrificium, quod offertur.

37. Ad *tertiam* Reſp. Egregiè Vedroſi hîc agis illuſorem, cui proinde meritò applicatur illud *Proverb. 9. cap. Si autem illuſor fueris, ſolus portabis malum.* Ais, nos Pontificios riſu excipiendos, dum ſub Miſſæ nomine per Auguſtinum uſurpato intelligimus Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti: eſſeque miſeratione dignos, dum ſomniamus Miſſæ Sacrificium, ubicunque audiamus iſtam formulam, *Miſſam facere.* At hæc tua impoſtura eſt: nos enim qualiter, & quando ſub Miſſæ nomine intelligamus Sacrificium, videre licet ex dictis *ſuprà.* Et verò, quæ ex Sancti Auguſtini *Serm. 237.* allegas, verba, ibi non extant; audi tamen eundem Sanctum Doctorem *in Pſal. 33. Conc. 3.* de Chriſto ſic diſſerentem: *Quia erat ibi* (in Veteri Teſtamento) *Sacrificium ſecundùm Ordinem Aaron, & poſteà ipſe de Corpore & Sanguine ſuo inſtituit Sacrificium ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* En igitur Vedroſi ipſam Sacrificij Miſſæ veritatem à Sancto Auguſtino aſſertam, ut deſinas ex nomine illudere.

38. Ad *quartam* Reſp. Ex dictis ſuprà *ad 1. n. 33.* conſtare, quòd ea, quæ ex Rhenano protulit Vedroſius, nobis minimè contrarientur, omiſſis tantùm Gloſſis ab ipſo confictis. Nè verò hîc etiam abſque confuſione recedat, audiat ipſummet, cujus in argutiâ ſuâ meminit, Tertullianum *lib. de Orat. cap. 14.* ſic diſſerentem: *Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad Aram Dei ſteteris? accepto Corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt & participatio SACRIFICII, & executio officij.* Audiat, cujus quoquè fecit mentionem, Sanctum Chryſoſtomum *hom. 24. in 1. ad Corinth.* ita ſcribentem. *Hic autem multò admirabilius & magnificentius Sacrificium præparavit, quum Sacrificium ipſum commutaret, & pro brutorum cæde, ſe ipſum offerendum præciperet.* En igitur apertè aſſertum Sacrificium, in quo ipſemet Chriſtus offeratur, de quo clarius adhuc teſtimonium vide in ejuſdem Sancti Doctoris *Hom. 17. ad Hebræos circà finem.*

39. Ad *quintam* Reſp. Inſignes ſanè Vedroſi pro illis à Georgio *pag. 46.* allegatis Divi Ambroſij Concionibus reijciendis, ex orco produxiſti judices, Eraſmum & Gillotium. Sed his miſſis, quia non erubeſcis ſcribere, alia præter Auguſtini & Ambroſij teſtimonia de Miſsâ non reperiri apud quarti ſæculi, vel etiam anteriores Patres; ideò apertæ falſitatis reum te

arguo

arguo ex authoritatibus Patrum *tùm præced. ſect. 1. cap. 3. tum præſ. ſect. 2. cap. 3. & 4. tum ſeq. ſect. 3. cap. 1. 3. & 4.* adductis.

Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. Helvetica Confeſſio non potuit Miſſam feciſſe Miſſam, ex eo, quòd novitatis ſtigma in fronte gerat, ſi fateatur, apud Veteres fuiſſe. At ita ſe habent Confeſſionis Helveticæ per Georgium allegata verba, quòd ſcilicèt nolit diſputare, qualis aliquando Miſſa fuerit apud Veteres, tolerabiliſnè, an intolerabilis. Ergo Vedroſius illũ novitatis prætextum ita affricat Helveticæ Confeſſioni, ut neque hujus de Vetuſtate Miſſæ teſtimonium elidat, neque ejuſdem, Antiquitati, ipſomet etiam Reformato Miniſterio teſte, Orthodoxæ, ac piæ intolerabilem errorem dubiè licèt imponentis, calumniandi libidinem excuſet. 40.

Ad *ſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Propitiatio applicatoria ſatisfactionis per Chriſtum in Cruce pro noſtris peccatis oblatæ eatenùs ſupponit perfectum redemptionis noſtræ opus, ut conſequenter debita pro tanto beneficio gratiarum actio minimè repugnet cum illâ applicatoriâ propitiatione: quinimò oporteat, hanc meritò eſſe conjunctam cum tali gratiarum actione. At Vedroſius fatetur, Veteres crediſſe, Euchariſtiam eſſe Sacrificium Evchariſticum, in quo ageretur gratiarum actio pro redemptionis noſtræ opere in cruce peracto. Eatenùs igitur hæc Veterum doctrina retinenda eſt, ut Vedroſianum argumentum nullius ſit valoris, ſiquidem non tantùm non ſit repugnantia, ſed maxima convenientia gratiarum actionis & propitiationis illius applicatoriæ, qualem Veteres (*uti ſeq. ſect.* oſtendetur) attribuēbant Sacrificio. 41.

Ad *octavam* Reſp. Lombardum, ubi dixiſſet, ſemel immolatum eſſe Chriſtum in ſemetipſo, quotidie tamen immolari in Sacramento, mox ſe ipſum explicando, ſubjungere ſequentia. *Quod ſic intelligendum eſt, quòd in manifeſtatione Corporis, & diſtinctione membrorum ſemel tantùm in cruce pependit, offerens ſe Deo Patri hoſtiam redemptionis.* Exinde inducit Sanctum Ambroſium *in Epiſt. ad Hebræos* taliter diſſerentem. *In Chriſto enim oblata eſt hoſtia ad ſalutem potens. Quid igitur nos? Nonnè per ſingulos dies offerimus? Et, ſi quotidie offerimus, ad recordationem mortis ejus fit. Et una eſt hoſtia, non multæ: quia ſemel immolatus eſt Chriſtus. Hoc autem Sacrificium exemplum eſt illius. Idipſum ſemper ad ipſum offertur. Proinde hoc eſt Sacrificium, alioquin quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? Non. Sed unus ubique eſt Chriſtus. Et hic plenus eſt Chriſtus, & illic plenus. Sic, quod ubique offertur, unum eſt Corpus, ita & unum Sacrificium. Chriſtus hoſtiam obtulit, ipſam offerimus & nunc. Sed quod nos agimus, recordatio eſt Sacrificij. Nec causâ ſuæ infirmitatis repetitur, quod perficit hominem, ſed noſtræ, quia quotidie peccamus.* Ex quibus tandem concludit Lombardus, Sacrificium eſ- 42.

ſe & dici, quod agitur in Altari, & Chriſtum ſemel oblatum, quotidie offerri, ſed aliter tunc, & aliter nunc.

43. Quam proinde doctrinam ſub formâ Syllogiſticâ ſic expende Vedroſi. Ex Patribus per Lombardum *citatis* conſtat, Chriſtum quotidie eatenùs offerri ut ſit una & eadem hoſtia, quæ fuit in cruce oblata, & ſit tantùm diverſitas ex parte modi. At iſta diverſitas eſt, quòd in cruce fuerit facta oblatio ſecundùm manifeſtationem corporis, ac diſtinctionem ſeu extenſionem membrorum, atque ſecundùm immolationem realem & materialem. Econtrà verò in Sacrificio Eucharistico fiat ubique oblatio ejuſdem Chriſti ac Corporis ipſius ſecundùm immolationem myſticam ac repræſentativam mortis ipſius. Hæc tamen diverſitas immolationis non impedit, quò minùs ſit, & dicatur Sacrificium. Quamvis proinde verum ſit, Chriſtum quotidie immolari in Sacramento, quatenùs ſcilicet in hoc fiat recordatio materialis in cruce peractæ Chriſti immolationis: verum tamen eſt, quòd oblatio Euchariſtica quà hujus immolationis repræſentativa ſit verum Sacrificium Chriſti, non quidem *Materialiter* ac *Phyſicè*, ſed *Myſticè modo ſupernaturali*, *ac Repræſentativè* immolativum, adeò, ut illud, quod offertur & conſecratur à Sacerdote, cùm ſit repræſentatio & memoria Sacrificij & immolationis factæ in arâ crucis, vocetur Sacrificium, non quidem *Materialiter* & *Phyſicè*, ſed *Myſticè, modo ſupernaturali ac Repræſentativè* Chriſti immolativum. En igitur Vedroſi, Lombardum, ſi fideliter & veraciter eum citâſſes, te ipſum ſanctorum Patrum authoritatibus confodientem.

44. Ad *nonam* Reſp. Vedroſium tum in præſenti, tum in antecedentibus argutijs agere inſignem ſophiſtam. Aliud enim eſt, an *Tò Immolatio* ſecundum nominis proprietatem deſtructionis ſeu immutationis materialis ſignificativum, congruenter tribuatur incruento Euchariſtico Sacrificio. Aliud verò eſt, an ſecundùm rem ipſam Chriſtus in Euchariſtiâ *verè*, licet *Incruentè* ac *Myſticè* offeratur & ſacrificetur. Aliud porrò eſt, an iſtud Sacrificium ſit immolationis Chriſti in cruce peractæ repræſentativum, aliud verò eſt utrùm iſta repræſentatio impediat, quò minùs huic Myſticæ, Chriſti in Cruce immolationem repræſentanti, oblationi *realiter* conveniat vera Sacrificij ratio? Ex quarum adeò quæſtionum ſolutione omninò evaneſcet ſophiſmatis Vedroſiani fucus. Etenim ſi rem ipſam inſpiciamus, Sancti Ambroſius, Auguſtinus & Proſper, ipſomet Vedroſio fatente, docuerunt, Chriſtum quotidie immolari in Sacramento. Hæc autem Euchariſtica immolatio ſecundùm Euſebium *in Demonſtrat. Evang.* cruenti in cruce peracti Chriſti Sacrificij memoriam eatenùs exhibet per ſymbola Corporis ipſius & ſalutaris ſanguinis, ut tamen Vedroſius *in ſuâ argutiâ* ex eodem Euſebio

& Gro-

Digitized by Google

& Gregorio Nazianzeno fateatur, talem memoriam vocari Incruentum Sacrificium, mortis Chriſti commemorativum. At ex eo, quòd iſtud Incruentum Sacrificium ſit Sacrificij cruenti Chriſti commemorativum, minimè infertur, non habere rationem veri Sacrificij, *uti patet ex verbis Divi Ambroſij praeced. Reſp. adductis.* Unde, quando Auguſtinus à Vedroſio *citatus* ait, Sacramenta ipſarum rerum, quarum Sacramenta ſunt, nomina accipere, intendit duntaxat dicere, quòd vox Immolationis ſecundùm primævam originem Sacrificio cruento appropriata ex ſimilitudine Sacramentali eatenus poſſit applicari ad myſticam Eucharíſticam immolationem, ut Chriſtus tamen verè dicatur, quotidie immolari in Sacramento. *Ex cit. Epiſt. 23. ad Boniſacium.* In quâ proinde immolatione idem Sanctus Doctor *lib. 2. cap. 21.* ait: Eatenus exhiberi uni Deo Latriæ cultum ſacrificando, ut hujus Sacrificij caro & ſanguis per Sacramentum memoriæ celebretur, dum nimirùm offertur ſacrificium, quod ipſe Chriſtus de Corpore & Sanguine ſuo inſtituit ſecundùm Ordinem Melchiſedech. *Ex Divo Auguſtino lib. 17. de Civit. Dei. cap. 20. & in Pſal. 33. Conc. 2.* Conſtat igitur, ſi illa Sanctorum Patrum verba integrè accipiantur ſecundùm ſenſus ab ejuſmodi Orthodoxis Doctoribus expreſſos, exinde manifeſtè concludi Eucharíſticum Sacrificium, in quo eatenùs fiat *Materialis* Chriſti in Cruce immolationis commemoratio, ut veram tamen obtineat Sacrificij rationem, ita ut in eo Chriſtus ſecundùm realem ſui ſub ſpeciebus Eucharíſticis continentiam offeratur, tanquàm Hoſtia per immolationem non quidem *materialem* & *cruentam*, ſed *Myſticam, modo ſupernaturali* ſacrificata.

Ad *decimam* Reſp. Si Chriſtus Dominus in ultimâ Cœnâ verè de eo, quod benedicens in manibus tenebat, dixit: *Hoc eſſe Corpus, & Sanguinem ſuum*, ſequitur, non eſſe ſomnium, dicere, quòd res ipſa, quæ ſignificatur & repræſentatur, ſit præſens. At Chriſtum verè dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus*, nemo fidelium dubitare poteſt. Ergo non eſt ſomnium, dicere, quòd res ipſa, quæ repræſentatur & ſignificatur in Sacrificio Eucharíſtico, ſit præſens. Nunquid enim Deus dicendo Moyſi, *Ego ſum, qui ſum*, indicavit nomen ſui ſignificativum, ac repræſentativum? At quis neget. Deum tunc loquentem fuiſſe *realiter* præſentem? En igitur Vedroſi, Pontificios Chriſtum in Sacrificio Eucharíſtico realiter præſentem confitentes minimè ſomniare, ſed ex Zwinglij tui ſomnio loqui convinceris, dum negas, poſſe *realiter* præſentem eſſe rem, quæ ſignificatur ac repræſentatur. 45.

Ad *undecimam* Reſp. Ex Sancto Ambroſio *ſuprà n. 42.* adducto. Ibi enim dicit, Sacrificium Eucharíſticum quotidie repeti non causâ ſuæ infirmitatis, ſed noſtræ, cùm quotidie peccemus. Sed ait Vedroſius, Paulum *Heb.* 46.

10. v. 18. negare, poſt eam in Cruce comparatam remiſſionem peccatorum
47. reſtare aliquam oblationem pro peccatis. Verùm hic Miniſter meminiſſe debuiſſet ſuorum verborum, quibus proximè dicebat, ſe agnoſcere opus eſſe ſitulis quibus ex fonte Sacrificij Crucis hauriatur. At inter has ſitulas in ordine ad juſtificationem conſequendam, Sancti Patres eatenùs ponunt Sacramenta, ut in ordine ad propitiationem ac remiſſionem pœnæ temporalis, nec non ad impetrationem beneficiorum Dei inter ſitulas illas ex fonte Sacrificij Chriſti in Cruce perfecti & conſummati haurientes agnoſcant Miſſæ Sacrificium: *uti ſeq. ſect. probabitur.* En igitur Vedroſi, quomodò principium à te ipſo aſſertum, ſi ex ſenſu Patrum ritè intelligatur, probet, ex illo Apoſtoli ſacro Textu nullatenùs reprobari Miſſæ Sacrificium.

48. Ad *duodecimam* Reſp. Oportuiſſe Vedroſium verba Theodoreti *in cap. 10. Epiſt. ad Hebræos* adducta comparare cum verbis *cap. 8.* expreſſis. In hoc enim loco, ubi ſequentem poſuiſſet quæſtionem: *Si ergo Sacerdotium, quod eſt ex Lege, finem accepit, & Sacerdos, qui eſt ſecundùm Ordinem Melchiſedech, obtulit Sacrificium, & effecit, ut alia Sacrificia non eſſent neceſſaria, cur Novi Teſtamenti Sacerdotes Myſticam Liturgiam, ſeu ſacrificium peragunt?* Reſpondet in hæc verba: *Sed clarum eſt ijs, qui ſunt in rebus Divinis eruditi, nos non aliud ſacrificium offerre, ſed illius unius & ſalutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipſe Dominus. Hoc*
49. *facite in meam commemorationem.* Ex quibus in formam redactis hunc in modum licet argumentari. Theodoretus in ſuâ quæſtione ſupponit, extare Novi Teſtamenti Sacerdotes, qui myſticam Liturgiam ſeu Sacrificium peragunt. At in hoc Sacrificio, ait, Sacerdotes Novi Teſtamenti non aliud ſacrificium peragere, quàm illud, quod obtuliſſet Chriſtus Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Unde, licèt vi Sacrificij per Chriſtum oblati effectum ſit, ut alia ſacrificia non eſſent neceſſaria, hoc tamen ita eſt accipiendum, ut locum tamen habeat ſacrificium, in quo Sacerdotes Novi Teſtamenti, vi illius à Chriſto traditæ poteſtatis, *Hoc facite in meam commemorationem*, peragant memoriam illius unius ſalutaris per Chriſtum oblati Sacrificij. *Ex contextu.* At eo ipſo, quòd Theodoretus aſſerat, illud à Sacerdotibus Novi Teſtamenti oblatum Sacrificium (tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte principalis offerentis Chriſti) non eſſe aliud à Sacrificio per Chriſtum, ceu Sacerdotem Melchiſedech oblato, ſequitur, rem oblatam in illo eſſe verum Chriſti Corpus & Sanguinem, ſeu ipſummet Chriſtum, uti clarè patet ex eodem Sancto Doctore in Dialogo *ſuprà Diſſert. 4. Sect. 4. cap. 4. n. 61. & 62.* adducto. Conſequens igitur eſt, beatum Theodoretum agnoſcere Sacerdotes Novi Teſtamenti, qui in memoriam paſſionis & Sacrificij per Chriſtum conſummati peragunt Sacrificium, in quo offeratur verum

rum

rum Chriſti Corpus & Sanguis, atque adeò Chriſtus ipſe. Vides proinde
Vedroſi, B. Theodoretum *in cap. 10. ad Heb.* eatenùs agnoſcere, quòd in No-
vo Teſtamento ſit unus & idem Sacerdos & Hoſtia peccatorum ſolutio-
nem perfectam efficiens, nec alio adeò egens Sacrificio, ut priùs tamen
agnoverit, in Novo Teſtamento offerri quotidie illam ipſam Hoſtiam,
Chriſtum ſcilicet, ab ipſomet ceu Primario Sacerdote ſecundùm Ordinem
Melchiſedech ſacrificatam, quotidiequè ſacrificandam à Novi Teſtamenti
Miniſterialibus, Chriſtoquè ſubordinatis Sacerdotibus.

Ad *decimamtertiam* Reſp. Illas gloſſas Vedroſianas ex ipſis verbis Con- 50.
cilij Nicæni evaneſcere. Nam iſtud Oecumenicum Concilium, ipſomet
Vedroſio fatente, agnoſcit Menſam Divinam & ſacram, in quâ ſitus eſſet
Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Atqui per Menſam ejuſmodi con-
formiter ad verba Apoſtoli *1. Corinth. 1.* intelligi Altare, in quo perageretur
Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti, clarè teſtantur Sancti Auguſti-
nus *lib. 1. cont. Adverſ. Leg. & Proph. cap. 19.* Chryſoſtomus *in cit. cap. 10. Corinth.*
Quibus quoad Altaria Novi Teſtamenti pro Sacrificio ejuſmodi in Eccle-
ſia vera erigi ſolita, adſtipulantur Clemens Romanus *Can. 3. Apoſt. Conſtit.*
Dionyſius Areopagita *lib. Hierarch. Eccleſ. cap. 3.* Irenæus *lib. 4. cap. 20.* Athana-
ſius *in vita S. Antonij.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 12. in laudem Baſilij, & Orat.
32.* Cyrillus Hieroſolymit. *Catech. 3.* Euſebius Cæſarienſ. *in vitâ Conſtantini, &
lib. 10. Hiſtor. cap. 4.* Gregorius Niſſænus, Chryſoſtomus *loco cit. Item Homil. 53.
ad populum Antiochenum, Hom. 61. ad eundem populum. Homil. Quòd Chriſtus ſit Deus.
lib. 6. de Sacerdotio, poſt initium.* Tertullianus *lib. de Orat. cap. 14.* Cyprianus *lib. 1.
Epiſt. 9. alias 66.* Hilarius *lib. 3. ad Conſtantium Imperatorem Arianum.* Optatus Mi-
levitanus *lib. 1. contra Parmen. & lib. 2. Item lib. 6. ibidem.* Ambroſius *lib. 1. de Sa-
cram. cap. 2. & lib. 5. cap. 2. item lib. de his, qui Myſterijs initiantur cap. 8. lib. 1. de Virg.
circa finem.* Hieronymus *Epiſt. ad Heliodorum. & Epiſt. 3. ad eundem. cap. 10. Epiſt.
4. ad Ruſticum Monachum cap. 8.* Concilium Carthaginenſe III. *cap. 23.* Et Con-
cilium Carthaginenſe V. *cap. 14.* Auguſtinus *loco ſupracitato, & lib. 8. de Civit.
cap. ult. lib. 22. cap. 10. lib. 20. contra Fauſtum. cap. 21. ſerm. 19. & ſerm. 11. de Sanctis,*
taliter diſſerens: *Quid reverentius? Quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illâ Arâ
requieſcere, in quâ Deo ſacrificium celebratur, in quâ offeruntur Hoſtiæ, in quâ Dominus
eſt Sacerdos, ſicut ſcriptum eſt, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſe-
dech? Rectè ſub Altari juſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper Altare Corpus Domini of-* 51.
fertur, &c. Cùm proinde ex omnibus præcitatis Sanctis Patribus (quorum
verba per extenſum proferre ſum omninò paratus) liqueat, in Eccleſiâ verâ
Novi Teſtamenti eſſe Altaria: hæc verò ſint correlata & connexa cum Sacri-
ficio, ſequitur evidenter, in Novo Teſtamento etiamnum extare Sacrificium;

Hoc

Hoc verò conſiſtere in conſecratione & oblatione Corporis & Sanguinis Chriſti, patet ex Patribus aliàs fusè adductis, ſpeciatim Auguſtino proximè allegato, imò ipſomet Nicæno per Vedroſium *citato* Concilio, utpote clarè aſſerente, in illa Menſâ Divinâ (ceu Altari) ſitum eſſe Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, quique *ſine mactatione à Sacerdotibus* (en verba à Vedroſio omiſſa) *immolatur*. At verò Agnum Dei tollentem peccata mundi eſſe ipſummet Chriſtum, non verò ejus duntaxat figuram & ſymbolum, nemo fidelium ignorat: neque ejus immolatio, licèt incruenta, intelligi poteſt ſine ſacrificio. En igitur, quomodò per Concilij Nicæni ab ipſomet allegati verba mactetur Vedroſius, ex hoc etiam ſive ineptiæ, ſive falſitatis coarguendus, quòd ad præſens inſtitutum alleget Apoſtolum *Gal. 3. v. 2.* ubi nè apex quidem pro ipſo facit.

54. Ad *decimamquartam* Reſp. Sic argumentando. Myſtica ſymbola in priore ſubſtantiâ viſibili & tangibili (atque adeò in ſubſtantiâ non purè intelligibili, qualis eſt natura & eſſentia panis ac vini, ſed in ſubſtantiâ ſenſibili, qualis ſunt panis & vini accidentia) nempe figurâ & ſpecie ita manent in ſymbolis Eucharíſticis, ut ſub hiſce tamen credantur, & ut ſic (nempe per fidem) intelligantur & adorentur, quæ facta ſunt. At Theodoretus *in cit. Dialogo 2.* imò & 1. (prout *ſuprà Diſſert. 4. ſect. 4. cap. 4. 60. & 61.* viſum eſt) apertè docuit, id, quod ſub ſymbolicis Eucharíſticis ſpeciebus intelligitur & creditur, eſſe verum Corpus & Sanguinem Chriſti. Sicuti ergo in hiſce verbis *Ioan. 1. Quaſi Unigeniti à Patre, Tò Quaſi* non ſignificat ſimilitudinem, ſed veritatem & proprietatem Unigeniti à Patre, ſic in illis Theodoreti verbis, *Quaſi eſſent illa, quæ creduntur*, intelligi proprietatem & veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti ibi adorabilis, ex eo evincitur, tum quia abſolutè non eſt adorabile purum Eucharíſticum ſymbolum; tum quia id, quod Fide Divinâ creditur, debet ſecundùm veritatem rei eo modo ſe habere, quo creditur. At Theodoretus ait, credi ea, quæ facta ſunt. Hæc verò eſſe
55. Corpus & Sanguinem Chriſti, apertè teſtatur *locus citatus.* Conſtat igitur evidenter, Theodoretum illis verbis docuiſſe veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti quà contenti in Eucharíſtiâ. Deinde Beati Macarij per Vedroſium allegata verba conformiter ad mentem aliorum Sanctorum Patrum reduci poſſunt ad ſequentem argumentationis formam. Etenim *cit. hom. 27.* juxta verſionem Ioannis Piti in Senatu Pariſienſi Claſſium Inquiſitoriarum præſidis, dicitur: In Eccleſiâ offerri panem & vinum, tanquàm exemplar exhibens carnem & ſanguinem Chriſti, ſive antitypum carnis & ſanguinis ipſius, *uti habet verſio per Vedroſium allegata.* At iſtud Exemplar, ſeu Antitypus ita eſt exhibens carnem Chriſti, ut, qui de viſibili pane partici-

pent

pent, ſpiritualiter manducent. Nequit autem ſubſiſtere vera Carnis Chriſti manducatio ſub Exemplari & Antitypo ipſius, niſi caro Chriſti ibi verè exiſtat. Oportet igitur, ſub illo Exemplari, utpote vero, exiſtere verè Chriſti carnem. At eo ipſo, quòd panis quà viſibilis non importet ejus eſſentiam & naturam ſubſtantialem, ſed proprietates duntaxat ſenſibiles, ideo quando ille Sanctus Pater dixit, manducari carnem Chriſti, quando participatur de pane viſibili ceu exemplari (utique verè) exhibente carnem Chriſti, oportet, per iſtum panem quà viſibilem non intelligi eſſentialem panis naturam, ſed hujus proprietates duntaxat accidentales. Eo ipſo autem quòd ſub iſtis panis accidentibus caro Chriſti non exiſtat modo corporali ac viſibili ſeu ſenſibili, ſequitur, non poſſe exhibere Chriſtum quà corporaliter manducandum. Unde idem Sanctus Doctor dixit, ſub illo viſibili panis, ſive hujus accidentibus ſenſibilibus manducari carnem Chriſti non *corporaliter*, ſed *ſpiritualiter*. At cùm iſta carnis Chriſti manducatio eatenus ſit ſpiritualis, ut tamen ſecundùm ipſammet Chriſti verborum proprietatem, & unanimem Sanctorum Patrum & Conciliorum Oecumenicorum conſenſum ſit vera & realis, ſequitur, illam ſpiritualem manducationem non ejus eſſe conditionis, ut excludat realitatem Corporis Chriſti in Eucharistiâ exhibiti, ſub modo adeò exiſtendi non viſibili & corporali, ſed ſupernaturali ac ſpirituali. En igitur, ſi verba Macarij ritè expendantur, juxta verborum, Chriſti præſertim proprietatem, omniumquè Patrum *ſuprà Diſſert. 7. ſect. 1. cap. 3. & alibi* ſæpè allegatorum expoſitiones, non excludi Corporis Chriſti in Eucharistiâ realitatem & veritatem, ſed hanc ita inſinuari, ut apertè quoquè aſſerat oblationē ſeu Sacrificium Eucharisticum.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Georgij argumentationem *Cap. 1.* deductam à Vedroſij argutijs nè in minimo quidem labefactatam, integram adhuc ſubſiſtere. Quâ ſuppoſitâ, ſic argumentari licet. Illud dogma non poteſt ex Spiritu Divinæ veritatis proceſſiſſe, quod pugnat cum Verbo Dei tam ſcripto juxta unanimem Sanctorum Patrum ſenſum ritè expoſito, quàm per vivam fidem eundem, mediantibus Orthodoxorum Eccleſiæ Doctorum atteſtationibus, ac Oecumenicorum Conciliorum definitionibus propagato & conſervato. At dogma Reformationis Miſſæ Sacrificium abrogantis taliter ſe habere, conſtat *ex præced. 1. 2. & 4. Capite*, nec contrà hæc quidquam valent adverſariorum exceptiones ac reſponſiones, quinimo ex his graviùs adhuc læduntur & confodiuntur, uti patebit perpendenti ea, quæ *cap. 3.* dicta ſunt. Viderint ergo ipſimet Reformati, quomodò dogma il- 54

illud

lud Miſſæ Sacrificij abrogatorium poſſit proceſſiſſe ex Divino veritatis Spiritu, maximè cùm Lutherus *in lib. de Miſsâ privatâ & unctione Sacerdotum Anno 1534. duo* palam faſſus ſit, *ſe à diabolo edoctum, quòd Miſſa eſſet ſumma abominatio, id que non per ſomnium, ſed dum vigilaret.* An non ergo jam in aperto eſt ille monitor Zwinglij ſomniantis, quem ipſe minime, benè tamen Lutherus diſcernere potuit, *Utrùm ater, vel albus ſit.*

SECTIO III.

An Miſſa Sacrificium ſit verè propitiatorium?

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. 3. à n. 70.* inducit Sanctos, Cyprianum *Serm. de Cœnâ Domini, & lib. 1. Epiſt. 9.* Ambroſium *Præparat. 1. ad Miſſam.* Chryſoſtomum *lib. 6. c. 4. de Sacerd. Dignit. Et Hom. 69. ad populum.* Hieronymum *in cap. 1. Titi.* Auguſtinum *q. 57. in Levit. Cap. 109. Enchirid. ad Laurent. Item Cap. 110. ibidem. Et ſerm. 34. de Verb. Apoſt.* diſertis verbis docentes: Miſſam proficere ad purgandas iniquitates, in ſalutem & adjumentum omnium tam vivorum, quàm mortuorum, & in propitiationem malorum, eſſequè adeò propitiatorium pro vivis ac defunctis Sacrificium.

2. Exinde *à n. 72.* inducit Zwinglium *Epicher. de Can. Miſſæ.* Calvinum *Inſtit. lib. 5. cap. 5. ſect. 10.* Bullingerum *Decad. 5. ſerm. 9. §. Pro mortuis.* fatentes, tum quòd Veteres omninò oblationem à Chriſti morte diſtinctam agnoverint, tum quòd hanc ipſam ſacram Hoſtiam in mortuorum quoquè refrigerium obtulerint; tum deniquè quòd hunc pro defunctis ſacrificandi & orandi ritum ab Apoſtolis ipſis uſque ad ſe deduxerint.

3. Ex quibus tandem *n. 86.* ſic argumentatur. Reformatorum Miniſterium clarè concedit & aſſerit, Veterem ſanctam Eccleſiam rectè de Cœnâ Domini ſenſiſſe, piumquè adeò & Orthodoxum de ſolo Cœnæ Myſterio ſenſum retinuiſſe. At ejuſdem Miniſterij Doctores fatentur, illam Veterem, ſanctamquè Eccleſiam credidiſſe, docuiſſequè, Cœnam Domini verū eſſe & ſalubre prò vivis & mortuis ſacrificium. Quibus tamen non attentis, ſpiritum Reformatum ita defeciſſe à veritate, ut malit, hanc ipſam veteris illius, ſanctæquè Eccleſiæ puram, piam, Orthodoxamquè hac de re doctrinam nullis non execrationibus inſectari, quàm ſequi & amplexari, adeò ut Beza *quæſt. lib. par. 2. q. 183.* expreſsè dixerit: *Sathanam, invectâ hâc oblationum*

Digitized by Google

tionum pro vivis & mortuis impietate, planè ſeipſum ſuperâſſe. Infælicem igitur eſſe illius Reformationis famam, quæ illud ipſum etiam reijciat & execretur, quod ipſamet alibi ſolenniter prædicet & proteſtetur, pium fuiſſe, ſanctum, Orthodoxum, & rectè cum Chriſto, aut cum ſacrâ Scripturâ concordantem ſenſum.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

ISte Miniſter Reformatus *in Exam. cit. docum. 12. pag. 55.* arguit 1. Nullum Veterum dixiſſe, vel credidiſſe, nec Georgium omnia conando, oſtendiſſe, quòd ſacra Domini Cœna ſit propriè dictum pro vivis & mortuis Sacrificium: cùm Sacramentum & Sacrificium *Formaliter & toto genere* differant, eò quòd illud nomine Dei conferatur hominibus in ſigillum gratiæ, & remiſſionem peccatorum, hoc verò nomine hominum Deo offeratur. 4.

Arguit 2. Georgium prodere imbecillitatem ſuæ cauſæ, appellando teſtem B. Cyprianum *Serm. de Cœnâ Dom.* qui totus ſit ſuæ Reformationis. Dicere enim, *Cibum communem nutriendo corpori tantùm commodum, ex quo à Domino dictum ſit: Hæc Caro mea: Hic eſt Sanguis meus, & quoties his verbis & hac fide agatur, panem illum ſubſtantialem* (notandum, hîc, ait Vedroſius, quòd poſt Conſecrationis verba ſit panis ſubſtantialis) *& Calicem benedictionis ſacratum ad totius hominis vitam, ſalutemque proficere, ſimulque medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtere.* Nempe *obſignativè, & Sacramentaliter*: ſiquidem ipſimet etiam Pontificij juxta Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. cap. 2.* doceant, infirmitates ſanatas, & iniquitates purgatas per Pœnitentiæ Sacramentum, antequàm ad ſacram Communionem accedatur. 5.

Arguit 3. Ejuſdem commatis eſſe, quod ex Cypriano *lib. 1. Epiſt. 9.* Georgius *pag. 49.* adducit: *Pro eâ, qui hac vitâ excedat, & Clericum ad tutelam nominet, non offerendum, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebrandum.* Ridiculum eſſe, qui perſuadere conetur. B. Cyprianum ſtatuere eum, qui Clericum ad tutelam nominet, tam grave patrare ſcelus, ut pro eo apud Deum intercedere non liceat. 6.

Arguit 4. Sacrificium pro dormitione alicujus celebrare, non ſignificare Miſſam cantare ad redimendam animam defuncti ex Purgatorio, ſed oblationibus, quas Cyprianus *Epiſt. 27.* ſportulas vocet, defunctorum legatione, vel amicorum præpoſterâ, & ex Gentiliſmo, juxta *Polyd. Virg.* 7.

Digitized by Google

de invent. rerum lib. 6. c. 9. 10. Et Beat. Rhenanum *in lib. Tertull. de cor. milit.* mutuatâ conſuetudine, in precibus recitato Donatoris nomine benedicere, & poſt pauperibus diſtribuere. Unde has oblationes, legata, ſacrificia pro Martyribus ipſis, pro quibus juxta Auguſtinum injuria eſt orare, collaudatâ eorum conſtantiâ, fuiſſe celebratas. Hinc Cyprianum *Epiſt. 62.* it habere. *Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſariâ commemoratione celebramus.*

8. Arguit 5. Beatum Rhenanum *in lib. Tertull. ad Martyres* dicere: *Gratulatorias potius fuiſſe preces, quibus tum Deo gratiæ agebantur, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignationis contuliſſet, tum ſimile donum cælitùs ſibi concordibus votis flagitabant.*

9. Arguit 6. Cyprianum *loco cit.* expedire ſe ipſum, ſic diſſerendo: *Neque enim ad Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari ſacerdotes & miniſtros ſuos Levitas avocare voluit. Et ideo Victor, cùm contrà formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt, quò pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio*, id eſt, precatio aliqua nomine ejus in Eccleſiâ frequentetur. Nam non niſi à pijs & laudatis dona accepiſſe Eccleſiam, quorum ſalus ſit certa, non pendula ad flammas Purgatorij. Et verò non aliter docere potuiſſe Cyprianum, qui tam disertè, tam confidenter eos, qui moriuntur in Chriſto, rectà Deum adire ad immortalitatem, ſub ipsâ morte tranſire ad Chriſtum, cum quo victuri & regnaturi eſſent, lætâ ſecuritate venire tradiderit. *Contrà Demetri. Tract. 1. de Mortal.*

10. Arguit 7. Succedere Chryſoſtomum à Georgio *citatum*, quem, ſi quiſquam alius, de commemoratione mortuorum magnificè locutum. Quam enim Tertullianus conſuetudinem, Epiphanius Eccleſiæ ſtatutum, Apoſtolicam ſanctionem illum appellâſſe. Quod ſolidè refelli ex Gregorio in *Regiſtro lib. 7. Epiſt. 63.* ubi ſic habeat. *Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem* (Dominicam) *oblationis Hoſtiam conſecrarent.* Ubi ergo (ſubinfert Vedroſius) tum preces pro mortuis? Num de ijs, qui detinentur in purgatorio, Chryſoſtomus cogitavit, qui purgatorium non credidit, ejus nunquam meminit? Attendendum eſſe ad ea, quæ in Moralibus *de Mortal.* dixerit in hæc verba. *Cùm video luctus in plateis, & lamentationes ſuper eos, qui ex hâc vitâ migrârunt, & ululationes, & ineptias alias, credite mihi, erubeſco, & Paganos, & Iudæos, & Hæreticos iſta videntes, & omnes, qui nos irrident. Dic mihi, quid ſibi volunt iſtæ lampades tam ſplendidæ? Quid etiam Hymni: Nonne ut Deum glorificemus, & ei gratias agamus, quòd jam coronavit diſcedentem, quòd à laboribus liberavit, quòd à timore liberatum apud ſe habet? Nonne propter hoc Hymni? Nonne* prop-

Digitized by Google

propter hoc Pſalmodia? Omnia iſta gaudentium ſunt. Num igitur (pergit ille Miniſter) de ijs, qui in Purgatorium longo fletu deduci creduntur, ſic locuturus fuiſſet Chryſoſtomus?

Arguit 8. Se Reformatos non ire inficias, quòd veteres obtulerint ac precari fuerint pro mortuis. At hoc ita accipiendum eſſe, quatenùs mortuorum nomina commemorârint in proprium ſolatium. Quod Matris Auguſtini votum fuiſſe, ut ſui memoria in peragendis myſterijs fieret. Precatos fuiſſe, ſed conſuetudine gentili ſuperatos affectu humano, indulgentiâque quâdam erga recens ex Gentiliſmo converſos, qui fatente B. Rhenano, difficulter ea reliquerint, quibus per omnem vitam aſſueverant. 11.

Arguit 9. Veteres precatos eſſe pro mortuis etiam damnatis, fatente Auguſtino apud Georgium *pag. 46.* ut tolerabilior eorum eſſet damnatio, & miſericordiùs cum eis à Deo ageretur, quàm eorum peccata meruerint. Cujus opinionis veſtigium extare in Miſſæ Offertorio, ubi Deus rogetur, ut liberet animas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus. 12.

Arguit 10. Veteres precatos etiam eſſe pro Prophetis, Patriarchis, B. Virgine, Martyribus, & Sanctis alijs, quos disertè teſtati ſint, eſſe fælices, quoſque nolint adverſarij in Purgatorium detruſos. Sic & Pontificios in Canone Miſſæ pro ijs precari hiſce verbis: *Qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Quod non convenire laborantibus in Purgatorio. 13.

Arguit 11. Precatos Veteres eſſe pro mortuis in ſpem reſurrectionis, ut citiùs reſurgerent. Credidiſſe, alios alijs citiùs reſurrecturos, uti pateat ex Tertulliano *de Monog.* Sic communi litâſſe opinioni Chryſoſtomum locis à Georgio allegatis, etiamſi Homiliæ ad populum Antiochenum à vigeſimâ primâ ad octuageſimam Poſſevino Ieſuitæ ſint cento à Rapſodis conſutus ex fragmentis Chryſoſtomi, quibus fuiſſe proclive, nonnulla adſtruere, quæ non eſſent Chryſoſtomi. 14.

Arguit 12. Quarè oblationes pro defunctis ab initio tantùm fuiſſe Euchariſticas in uſum pauperum & gratiarum actionem, uti conſtet ex Veteribus Canonibus à Gratiano relatis *13. q. 2.* quibus ſtatuerint excommunicandos, qui oblationes, legata, dona defunctorum reddere nollent, ſive Clerici, ſive ſæculares. 15.

Arguit 13. Auguſtinum, ubi cernebat rationes has contrà eos, qui hanc conſuetudinem ſugillabant, non militare, ut tamen eam, quam correctam oportuiſſet, quoquo modo tueretur, periculoſum judicando in mores jam receptos arietare, tres defunctorum ordines conſtituere cœpiſſe; *Bonorum*, quibus opus non eſſet his orationibus, & tamen pro his hactenùs 16.

Digitized by Google

nùs præſertim oratum fuiſſe. *Malorum*, quibus nullæ orationes quicquam prodeſſent, niſi fortè (velut ipſe Auguſtinus dicat) ut fiat illis tolerabilior damnatio, vel (uti Chryſoſtomus aſſerat) in pœnæ levamem. *Mediorum*, qui & ijs indigeant, & ijs juventur.

17. Arguit 14. Verùm quâ fidei certitudine iſta ſtatuta ſint, audiendum deſuper eſſe Auguſtinum *de Civit. Dei lib.* 21. *cap.* 27. ſic diſſerentem. *Sed quis iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum invenire, periculoſiſsimum definire. Ego certè uſque ad hoc tempus, cum inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* Fluctibus nempè (uti gloſſatur Vedroſius) errorum popularium agitatum, quibus obnatare non potuerit, hæc docuiſſe Auguſtinum.

18. Arguit 15. Hunc itaque primum orationes pro defunctis cum tertio loco, quem Purgatorium vocent, copulâſſe; de quo nihilominùs tam hæſitanter *de Civit. Dei lib.* 20. *cap.* 25. *& lib.* 21. *cap.* 26. Item *in Enchiridio cap.* 69. ſcripſiſſe in hæc verba : *Videtur apparere quaſdam quorundam purgatorias pœnas. Tale aliquid poſt hanc vitam fieri, incredibile non eſt.* Et. *Utrùm ita ſit, quæri poteſt. Non redarguo, quia forſitan verum.* Unde concludit Vedroſius ſic quæritando : *Haccine fidei certitudo, quæ in Religionis articulis requiritur?*

19. Arguit 16. Hieronymum, ſi Commentarij *in Epiſt. ad Titum* ejus ſint, quod negent tamen Ambroſius, Catharinus, Sixtus Senenſis, Marianus, Bellarminus & alij, meminiſſe victimarum illibatarum, quas Sacerdos quotidie offerat. Nequè verò cuiquam eſſe credibile, Chriſtum appellari victimas. Oblationes intelligi panis & vini, quarum plures ſint à populo oblatæ, quarumvè pars in uſum ſacræ Cœnæ ſit ſepoſita, pars pauperibus diſtributa, vel erogata in frugalia convivia. Huc facere illud Auguſtini: *Non poſſunt iſta vel ferre oblationem ad Altare Dei, vel invenire ſibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.* Ubi Eleemoſynas vocari *Oblationes*, & menſam, cui imponebantur, *Altare.* Cyprianum de Eleemoſynâ ſic diſſerere. *Tu ſine Sacrificio venis, quæ partem de eo, quod pauper obtulit, ſumis.*

CA-

CAPUT III.

Oſtenditur, Miſſæ Sacrificium eſſe verè propitiatorium pro vivis ac defunctis.

Probatio prima, petita ex ſacris Litteris.

O*Mnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur* 20.
in ijs, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Ex Heb.
5. cap. v. 1. In iſto autem ſacro textu adverbium *Namquè* denotat
cauſam, cur adire nobis liceat cum fiduciâ ad thronum gratiæ, quòd nem-
pè habeamus Chriſtum Pontificem pro nobis conſtitutum in ijs, quæ ſunt ad
Deum, ut offerat Sacrificium pro peccatis. *Ex ſacro contextu.* At *ex cit. cap. 5. &*
7. conſtat, Apoſtolum *ibi* meminiſſe Sacrificij non tantùm in cruce & paſ-
ſione conſummati, ſed quod reſponderet Chriſti Sacerdotio Melchiſede-
chiano in æternum firmato, atque adeò perpetuo Eccleſiæ ſtatui conne-
xo. Hoc verò perpetuum, ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſti Sacri-
ficium eſſe ipſammet Miſſæ oblationem Euchariſticam, ex ſacris Litteris,
ac uniformi Sanctorum Patrum conſenſu, demonſtratum eſt *ſuprà ſect. 1. c. 3.*
Quia igitur omnis ſacerdos eſt conſtitutus, ut offerat ſacrificia pro peccatis,
manifeſtè ſequitur, Chriſtum etiam quà Sacerdotem juxta Ordinem Melchi-
ſedech, offerre ſacrificium pro peccatis. Unde cùm iſtud Sacerdotio Chri-
ſti ſecundùm Ordinem Melchiſedech reſpondens Sacrificium ſit Euchari-
ſticum, conſequens eſt, iſtud eſſe propitiatorium pro peccatis. At quod 21.
Chriſtus in hoc Sacrificio ſub ultimâ Cœnâ fecit, hoc ut Apoſtoli, eorum-
que ſucceſſores facerent in ſui memoriam, præcepit, atque adeò ipſis man-
datum & poteſtatem dedit, offerendi Euchariſticum quà propitiatorium ſa-
crificium, eò vel maximè, quòd eſſet Commemoratio Chriſti, utique non
infœcunda & ſterilis, ſed fœcundata ex meritis ac morte, ceu cruento ſacrificio
Chriſti continens propitiationem pro peccatis. Et hinc quando Latina ver-
borũ Chriſti Euchariſtiam conſecrantis verſio *Lucæ 22.* legit: *Hic Calix eſt Novum*
Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur in remiſſionem (uti *Matth. 26.*
v. 28. habetur) *peccatorum,* habetur in Græco, *qui pro vobis effunditur.* Ex
quo proinde patet, Calicis ſanguinem Chriſti continentis effuſionem non
materialem, ſed myſticam fuiſſe ſanguinis in Chriſti paſſione effundendi
eatenus rememorativam, ut iſtius non eſſet infœcunda memoria, ſed hu-
jus pretium per modum ſacrificialis effuſionis continendo fieret in remiſ-
ſionem peccatorum. Quia igitur idem, quod Chriſtus in ultimâ Cœnâ fe-
cit, in Eccleſiâ faciendi mandatum & poteſtas facta eſt Novi Teſtamen-
tiSa-

Digitized by Google

gi Sacerdotibus, evidenter ſequitur, horum Sacrificium Euchariſticum eſſe pro peccatis propitiatorium.

Probatio ſecunda, deſumpta ex Authoritatibus SS. Patrum.

22. ETenim S. Martialis Divi Petri Diſcipulus circà Annum 90. *in Epiſtolà ad Burdegalenſes cap. 3.* ubi dixerat, *Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti in arâ ſanctificatâ offerri Deo*, ſubdit, hoc fieri *cauſâ noſtræ ſalutis.*

Alexander I. circà Annum 109. *in Epiſt. ad Epiſcopos Orthodoxos* inter alia ſcribit: *Crimina enim, atque peccata oblatis his* (Euchariſticis nimirùm) *ſacrificijs delentur.*

Iuſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone.* Origenes *Hom. 13. in cap. 23. Levit.* Cyprianus *in Serm. de Cœnâ Domini.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 5. Myſtag* Athanaſius Magnus apud Damaſcen. *in ſerm. de Defunctis*, expreſſis verbis dicunt, iſtud Corporis & Sanguinis Chriſti Sacrificium eſſe propitiationis Hoſtiam, ſive propitiationem, facere Deum hominibus propitium, proficere ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates.

23. Divus Ambroſius *to. 1. lib. 1. de Offic. cap. 48.* ſic ait: *Nunc Chriſtus offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat.* Similia habent Sancti Hieronymus *ad cap. 1. Epiſt. ad Titum.* Chryſoſtomus *lib. 6. de Sacerdotio, paulò poſt initium.* Auguſtinus *lib. 3. quæſt. in Vet. Teſtament. q. 57. in Levit.* aſſerens, *Sacrificijs Antiqui Teſtamenti unum hoc Corporis & Sanguinis Chriſti Sacrificium noſtrum ſignificari, in quo vera fiat remiſſio peccatorum.* Ex quibus proinde teſtimonijs (ſi opus ſit per extenſum producendis) manifeſtè elucet, in Eccleſiâ Dei ſemper fuiſſe creditum, quòd Euchariſtiæ ſacrificium jugiter in Eccleſiâ offerendum non ſolùm ſit Commemorativum ſacrificij crucis, ſed etiam Propitiatorium.

Probatio tertia, deſumpta ex praxi Eccleſiæ etiam primæva Sanctorum Patrum Teſtimonijs ac Liturgijs antiquioribus comprobatâ.

24. NAm in Liturgiâ Sancti Iacobi ſic habetur: *Offerimus tibi venerandum hoc & incruentum Sacrificium pro peccatis noſtris & ignorantijs populi.* Similia habent liturgia S. Baſilij, liturgia Syriæ, liturgia Conſtantinopolitana S. Chryſoſtomi, & liturgia Mediolanenſis Divi Ambroſii. Porro de praxi orandi & offerendi Miſſæ Sacrificium pro vivis ac defunctis, tum ad varias gratias impetrandas, tum ad remiſſionem pœnæ pro peccatis debitæ obtinendam, neceſſitateſquè ſpirituales ac temporales per Deum ſublevandas, atteſtationem expreſſam faciunt Patres antiqui *capite proximè ſequen-*

Digitized by Google

ſequenti adducendi. Quia proinde talis Eccleſiæ primævæ ad nos uſque propagata praxis conteſtatur fidem ejuſdem obſervatricem, uti Tertullianus *lib. de Coronâ Militis cap. 2.* loquitur; conſequens eſt, ex ipſâ fidelium intrà Eccleſiam jugiter conſervatâ vivâ fide probari, quòd Miſſæ Sacrificium ſit pro vivis ac defunctis propitiatorium Sacrificium. 5

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Vedroſium, aſſerendo, quòd à Veteribus neque dictum, neque creditum fuerit, in ſacrâ Domini Cœnâ offerri propriè dictum pro vivis & defunctis Sacrificium, habere ſibi repugnantem totam antiquitatem, veluti tum ex *præcedentibus allegationibus* conſtat, tum ex *ſubſequentibus reſponſionibus* patebit. Sed audiamus rationem ipſius, id probantis ex eo, quòd Sacramentum utpote hominis ex Deo ſanctificativum, & Sacrificium, ceu debitæ hominis ergà Deum ſubjectionis ac ſervitutis proteſtativum *Formaliter & toto genere* differant. At nunquid Agnus Paſchalis in Veteri Teſtamento ſimul habebat rationem ſacrificij & Sacramenti? Nunquid comeſtio Agni Paſchalis erat legaliter ſanctificativa, ejuſdem verò Agni oblatio debitæ ergà Deum gratitudinis proteſtativa? Nunquid Vedroſi ſanctificationem ex Sacramento acceptam referre licet in Deum ceu Authorem ipſius ac Principium, ſeu Dominum univerſorum? At ſi hoc ex propriâ tuâ intentione ſit licitum, cur idem non liceat ex inſtitutione Divinâ? Certè ratio ſigni Divinorum beneficiorum repromiſſivi, & noſtræ erga Deum obligationis conteſtativi non minus diverſæ ſunt formalitates, quàm ratio Sacramenti & Sacrificij, & tamen Tigurinus Catechiſmus *art. 97.* utramque iſtam formalitatem combinat in Sacramento. Falſum igitur eſt Vedroſij principium, quòd ſcilicet repugnet, Sacramentum hominis ex Deo ſanctificativum vi inſtitutionis Divinæ eſſe ſimul ſignum latreutici in Deum cultûs, ejuſquè ſupremæ excellentiæ ac majeſtatis, Dominij univerſalis, ac univerſorum Principij & Finis noſtri Ultimi recognoſcitivum, atque adeò induere ſimul rationem Sacrificij. 25. 26.

Ad *ſecundam* Reſp. Fraudem Vedroſij detegendo per ſequentem argumentationem. Etenim in allegatis S. Cypriani verbis ſtudioſè notandum eſt, quòd ſub Pronomine demonſtrativo ac Relativo dixerit *Illum* panem ſubſtantialem &c. eſſe ſimul medicamentum & holocauſtum. At iſta Pronominis τὸ *iſtum* relatio ac demonſtratio reſpicit verba Chriſti Domini 27.

moni, *Hac eſt caro mea. Ex contextu.* Ergo S. Cyprianus per Panem ſubſtantialem non alium intellexit, quàm ipſam Chriſti carnem, quæ conformiter orationi Dominicæ à S. Matthæo *6. cap.* deſcriptæ rectè dicitur Panis ſuperſubſtantialis. At hunc ipſum ſubſtantialem non phyſicum, ſed myſticum panem unà cum Calice benedictione ſacrato ipſummet ſanguinem Chriſti continente, idem Sanctus Doctor ait, eſſe ſimul Medicamentum & Holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. Ejuſmodi verò infirmitatum ſanativum, & iniquitatum purgativum Holocauſtum habet veram & propriam Sacrificij Propitiatorij rationem. Ergo S. Cyprianus illis verbis apertè agnovit in Eucharistiâ rationem Sacrificij Pro-
28. pitiatorij. Nec obſtat, quòd Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. cap. 2.* doceat, infirmitates priùs debere ſanatas, & iniquitates purgatas eſſe per Pœnitentiæ Sacramentum, quàm ad Communionem ſacram accedere liceat. Nam licèt tanti Myſterij dignitas meritò exigat gratiæ ſanctificantis puritatem, omniſquè adeò peccati mortalis expurgationem; hâc tamen ſtante, multæ reſtant ex concupiſcentiâ carnis infirmitates, nec non pœnarum temporalium reatus, ut adeò Sacerdos tam pro ſe, licèt juſtificato, quàm pro alijs ſive juſtis, ſive peccatoribus poſſit omninò fructuosè offerre Miſſæ Sacrificium quà Impetratorium, & quà Propitiatorium.

29. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Sanctus Cyprianus loco per Vedroſium mutilè adducto ita habet: *Epiſcopi anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, nè quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec pro dormitione ejus Sacrificium celebraretur. At qui reſiſtit Poteſtati* Divinitùs inſtitutæ (cujuſmodi eſt Epiſcoporum) *Dei ordinationi reſiſtit, ſibiquè adeò damnationem acquirit. Rom. 13.* Et ideo oportet, fideles neceſſitate ſubditos eſſe tali poteſtati, *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. ibidem n. 5.* Quia igitur illa lex Epiſcoporum per providam & ſalubrem ipſorum conſiderationem lata, erat à Poteſtate Divinitùs inſtitutâ, non eſt, cur Vedroſius rideat non tantùm S. Cyprianum, ſed ejus Anteceſſores Epiſcopos, negantes pro illo, qui legem illam violâſſet, offerendum ſacrificium.

30. Ad *quartam* Reſp. In nullo Epiſtolarum S. Cypriani Baſilææ Anno 1558. editarum libro inveniri vigeſimam ſeptimam & ſexageſimam ſecundam à Vedroſio allegatas epiſtolas. Nequè verò ſportularum nomen in hiſce reperire potui, niſi *lib. 1. Epiſt. 11.* At *ibidem* aſſerit S. Cyprianus, oportere, ſacerdotes eatenùs eſſe in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ut ab altari & Sacrificijs non recedant; provideque adeò ſtatutum fuiſſe à ſuis anteceſſoribus Epiſcopis, ut, ſi quis fra-

Digitized by Google

frater excedens Clericum nominaret ad tutelam, vel curam, pro eo non offerretur, nec ſacrificium pro ejus dormitione celebraretur. Ex quibus adeò patet, quàm malitioſè & doloſè agat Vedroſius, temerè affirmans, Cyprianum ſub oblationibus intellexiſſe ſportulas provenientes à defunctorum legatione, & amicorum præpoſterâ ex Gentiliſmo mutuatâ: cùm tamen ibi expreſsè diſtinguatur inter ſportulas & ſacrificia pro defunctis offerenda, ita ut illis dicat Cyprianus, meritò in eum finem gaudere Sacerdotes, quatenùs liberè vacent ſacrificijs, nec opus habeant ſe immiſcere ſæcularibus negotijs.

Deinde poſterior per Vedroſium ex Sancto Cypriano allegatus locus habetur *in lib. 4. Epiſt. 5.* At *ibi* expreſsè dicitur, pro Martyribus offerri ſacrificia non quidem quà Propitiatoria (hæc enim nefas eſſe, ut pro ipſis offerrentur, ait S. Auguſtinus) ſed quà Gratulatoria (uti Vedroſius *ſeq. arg.* rectè quidem, ſibi tamen contradicendo, ex B. Rhenano advertit) Conſtat igitur, S. Cyprianum *loco* per Vedroſium *citato* apertè agnoviſſe in Novo Teſtamento Sacrificium tum Gratulatorium pro Sanctis, beatificâ fruitione certò potitis, tum propitiatorium pro defunctis, quos quidem ſperare licet, ſtatu gratiæ non excidiſſe, non tamen conſtat, actualiter frui cœleſti beatitudine. At hoc utrumque pugnat cum hodiernâ Reformatione. In aperto igitur eſt, iſtam habere adverſarium S. Cyprianum. 31.

Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius ex Tertulliano per B. Rhenanum allegato agnoſcit antiquitùs frequentatas preces Gratulatorias, quibus tum Deo gratiæ agebantur, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignitatis contuliſſet, tum ſimile donum cælitùs ſibi concordibus vobis efflagitabant. At Tertullianus *lib. de coronâ Militis. cap. 2.* cùm meminiſſet oblationum pro defunctis annuâ die pro natalitijs fieri ſolitarum, nec non ſignaculi Crucis in fronte figendi; poſtea ſubjecit ſequentia: *Harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam* (quæ nimirùm *Formaliter* ac *expreſſè* illud tradat) *invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix &c.* Conſtat igitur, oblationes Gratulatorias pro defunctis Sanctis, pro nobis verò Impetratorias, ex Traditione ceu Fidei obſervatrice eatenùs fuiſſe agnitas à Tertulliano, ut hic quoquè antiquiſſimus Doctorum adverſetur hodiernæ Reformationi. 32.

Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. S. Cyprianus *loco cit.* expreſsè tradit, Oblationem ſive Sacrificium, ſive deprecationem non eſſe faciendam pro eo, qui agendo contrà formam Concilij, peccato (ſcilicet mortali) ſe obſtrinxit, atquè adeò æternæ damnationis reus eſt. Ergo à contrario 33.

tunc licuit in Eccleſiâ verâ offerre, & ſacrificare, ac deprecari pro fidelibus in ſpe gratiæ defunctis. Quomodò enim aliàs Concilium illum, qui contrà formam à ſe præſcriptam egiſſet, ejuſmodi ſuffragijs privare potuiſſet, ſi pro omnibus defunctis æquè non liceret ea applicare? Patet proinde, illam Vedroſianam gloſſam ex ipſiſmet S. Cypriani verbis evaneſcere. Quæ porrò circà ejuſdem Sancti *Tract. 1. contra Demet.* commentatus eſt Vedroſius, inter hujus commenta meritò refertur. neque enim vel unum apicem ibi reperire licet, qui ſenſum ab ipſo confictum probet.

34. Ad *ſeptimam* Reſp. Haberi inprimis pro accepto, quòd Vedroſius fateatur, S. Chryſoſtomum magnificè fuiſſe locutum de commemoratione mortuorum. At ſub iſtâ intellexiſſe talem à ſacerdote interpoſitam deprecationem, quæ Deum pro defunctorum etiam peccatis propitium faciat, apertè teſtantur verba ejuſdem Sancti Doctoris *lib. 6. de Sacerd. paulò poſt initium*, ſic diſſerentis: *Eum enim, qui pro civitate totâ, quid dicam de civitate? imò pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorquè eſt apud Deum, ut hominum omnium non viventium modò, ſed etiam defunctorum peccatis propitius fiat, qualem quaſo*

35. *eſſe, oportet?* Sed ait Vedroſius, S. Chryſoſtomum ſolidè refelli ex Gregorio *in Regiſtro lib. 7. Epiſt. 63.* ſic loquente: *Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem* (Dominicam) *oblationis Hoſtiam conſecrarent.* Verùm ex præcitatis S. Gregorij verbis non 63. ſed 64. *Epiſt.* expreſſis, ſi comparentur cum contextu, clarè patet, illum Sanctum Doctorem aliud non intendiſſe, niſi quòd Ordinatio Cæremoniarum in Miſſæ Sacrificio ſemper penderet ex Miniſtris Eccleſiæ, ac exinde in Eccleſiâ pro diverſis temporibus extiterint diverſæ cæremoniæ accidentariæ, ad ſacrificij Corporis & Sanguinis Chriſti ſplendorem adhibitæ. Et hinc morem Apoſtolorum fuiſſe, ut ad ſolam orationem Dominicam conſecrarent oblationis Hoſtiam. Quam tamen conſecrationem verbis à Chriſto inſtitutis peractam, oratione Dominicâ (uti patet ex præcitato contextu) ad eam ſe habente ſolùm accidentariè, Divus Gregorius *Homil. 14. in Evang.* docet, tantæ virtutis eſſe, ut aſſerat, Chriſtum *in Sacramento Eucharistico Corpus ſuum & Sanguinem vertere, & oves, quas redemerat, carnis ſua alimento ſatiare.* En igitur Vedroſi hunc Sanctum Doctorem tibi

36. in omnibus adverſantem. Sed quàm ineptum te exhibes ſub iſtâ conſequentiâ: *Divus Gregorius dixit, Apoſtolos ad ſolam orationem Dominicam conſecrâſſe oblationis hoſtiam. Ergo non erant ipſis in uſu preces pro mortuis.* Anne Vedroſi, licuit unquàm, ex uno particulari inferre aliud particulare? Annè credis contrà expreſſum Dialectices principium, ex Diſparatis fieri poſſe illationem? Nunquid in ipſomet Zwinglio tuo *Epich. de Canone Miſſæ*, legiſti hæc formalia: *perhibent Auguſtinus & Chryſoſtomus, morem pro defunctis orandi ab Apo-*

ſtolis uſque ad ſe manâſſe? Quâ igitur fronte Reformationis tuæ Anteſignano Zwinglio contradicere auſus fuiſti, ut contenderes, Chryſoſtomum reprobâſſe illum pro defunctis, utpote cælorum gaudia poſt mortem ſtatim ingredi ſolitis, orandi, vel ſacrificandi morem? At audi ipſummet S. Chryſoſtomum falſitatis te redarguentem ſequentibus verbis *Hom. 69. ad populum. Non temerè hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt, ut in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim, illis multum inde contingere lucrum, utilitatem multam &c.* Neque tantus Doctor exiſtimandus eſt ſibi contrarius, dum *Hom. 70. ad populum Antiochenum*, excluſo inordinato luctu pro defunctis, lætitiæ & gaudij ſigna approbavit. Nempè *hoc ipſo loco* ſuam ſententiam firmat ex illo Apoſtoli *1. Theſſal. 4. De dormientibus nolo vos ignorare, ut non contriſtemini ſicut cæteri, qui ſpem non habent.* En igitur vel ex ſolâ gloriæ in animabus purgatorio quoquè detentis omninò aſſecuratæ ſpe voluiſſe Divum Chryſoſtomum abolitum illum inordinatum luctum, nullatenùs verò excluſiſſe orationes pro defunctis: *uti patet ex locis præcitatis.*

Ad *octavam* Reſp. Pro confeſſo inprimis recipi, Vedroſium claris SS. Patrum teſtimonijs adeò convictum, ut jam negare non audeat, Veteres obtuliſſe ac precatos fuiſſe pro mortuis. At commentum eſt Vedroſij, dum aſſerit, hoc ita accipiendum eſſe, quatenùs mortuorum nomina in proprium ſolatium commemorârint. Etenim ſuffragia ejuſmodi in ipſorum ſalutem & utilitatem fuiſſe applicata, clarè patet ex Sanctorum Patrum à Georgio *pag. 49.* expreſſis, & à Vedroſio nullibi refutatis teſtimonijs. Quorum omnium loco hîc loquatur S. Auguſtinus *Serm. 34. de verb. Apoſt. Orationibus verò* (inquiens) *ſanctæ Eccleſiæ, & SACRIFICIO ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordiùs à Deo agatur, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia.* En igitur Vedroſi tibi adverſantem univerſam Eccleſiæ obſervantiam & Orthodoxiam Patrum antiquorum, ergà quos ſanè non niſi apertè calumniatorem te probas, dum ais, Veteres precatos pro defunctis fuiſſe, conſuetudine gentili, affectuquè humano ſuperatos. Sic ſic adeò tua Reformatio nullis veris argumentis, ſed puris calumnijs nititur. 37.

Ad *nonam* Reſp. Duplici Vedroſi te obſtrinxiſti Falſi crimine, cùm neque Georgius *loco* per te *citato*, neque S. Auguſtinus aſſeruerit, Veteres eſſe pro mortuis damnatis precatos, ut eorum damnatio eſſet tolerabilior. At neque horum quid evincis ex Miſſæ offertorio, in quo ſolitum eſt orare, ut Deus liberet animas de ore leonis, nè abſorbeat eas tartarus. Noſſe enim debes, ejuſmodi Eccleſiæ preces poſteriori quidem vitæ jam finitæ tempore peractas, in prævisione tamen Dei ab æterno exiſtentes poſſe Divinitùs 38.

 accepta-

Digitized by Google

ceptari pro ſtatu mortem antecedente. Juxta quam adeò intentionem eatenùs applicantur ab Eccleſiâ, ut, ſuppoſitâ iſtâ æternæ damnationis liberatione, ſive evaſione, pro ſtatu mortem ſubſequente, quem animæ defunctorum gloriâ æternâ necdum *in re*, ſed *in ſpe* duntaxat potiuntes, atque adeò pœnâ tum damni, tum ſensûs pro peccatis adhuc fortè detentæ ſubeunt, offerat ſuas preces ad relevandas ejuſmodi animas; Divo Auguſtino *cap. 109. Enchirid. ad Laurentium* ſequentibus verbis hoc atteſtante: *Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro eis Sacrificium Mediatoris offertur.*

39. Ad *decimam* Reſp. Ex præcedentibus conſtare, quòd triplex ſit Sacrificij Evchariſtici munus, ſcilicet Gratulatorium, Impetratorium, & Propitiatorium. At pro Sanctis gloriâ cœleſti jam potitis offerri poteſt quidem Gratulatorium Sacrificij ejuſmodi munus, in gratiarum ſcilicet actionem pro gratijs in ipſos per merita Chriſti Divinitùs collatis. Unde in ipſos redundare etiam poteſt quædam gloria accidentalis: attamen munus Propitiatorium illius Sacrificij in ipſis locum non habet. Eſt igitur calumnia & fallacia Vedroſij, dum aſſerendo, Veteres precatos fuiſſe pro Sanctis, quos diſertè teſtati ſint, eſſe fælices, ad decipiendos ſimplices lectores videtur impingere Orthodoxis antiquis Patribus, ac ſi munus etiam Propitiatorium in Miſſæ Sacrificio applicâſſent pro defunctis, Divo Auguſtino *Serm. 17. de verbis Apoſtoli circà initium* apertè contradicente ſequentibus verbis: *Ideoque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ibi non PRO IPSIS ORETUR. Injuria eſt enim, pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.*

40. Nec obſtat, quòd Pontificij in Miſsâ precari ſoleant *pro ijs, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Hoc enim totum procedit de animabus in ſomno pacis ſecundùm certitudinem gloriæ cœleſtis non quidem *in re*, ſed *in ſpe* jam aſſecuratæ dormientibus, pro quibus licitè orari, ſanctus quoquè Auguſtinus *Tract. 84. in Ioannem* ſic teſtatus eſt: *Ideo quippe ad ipſam* (Domini) *menſam non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodùm alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro ipſis oremus; ſed magis ut orent ipſi pro nobis, ut eorum veſtigijs inhæreamus &c.* En igitur Vedroſi S. Auguſtinum cum fidelium antiquorum uniformi obſervantiâ tibi iterum iterumquè adverſantem.

41. Ad *undecimam* Reſp. Tertullianum *lib. de Reſurrect. carnis. cap. 25.* diſtinguere inter reſurrectionem ſpiritualem ac corporalem, atque hanc ceu univerſalem non niſi in ultimo mundi die futuram probare ex Apocalypſi. Non potuit igitur iſte antiquiſſimus Doctorum credidiſſe, quòd unus alijs citiùs ſit reſurrecturus. Quinimò *cap. 3. de Coron. Milit.* Et *in exhortat. ad Caſtita-*

tem cap. 11. eatenùs probat preces ac oblationes pro defunctis, ut *lib. de Monogamiâ cap. 10.* aſſerat, expoſtulari refrigerium animarum, & in primâ (ſpirituali ſcilicet, uti patet *ex cit. 25. de reſurrect.*) reſurrectione conſortium. En igitur Vedroſi, quàm impudenter pro te allegâris Tertullianum. Quòd verò S. Chryſoſtomo impingas, quaſi litâſſet errori reſurrectionem in alijs tardiùs, in alijs verò citiùs futuram aſſerenti, meriſſima calumnia eſt, quam validè refutant illius ſancti Doctoris *ſuperius* allegati verba adducta.

Ad *duodecimam* Reſp. Vedroſi nimis apertâ falſitate caput tuum iterum obſtrinxiſti. Etenim veteres Canones à Gratiano 13. *q. 2.* alij, nempe *8. 9. &* 11. loquuntur de oblationibus, quas defuncti legârunt Eccleſijs: alij verò nempe *21. 22. & 23.* ſtatuunt de oblationibus per vivos fideles faciendis pro defunctis; ita ut ejuſmodi oblationibus ſeu ſacrificijs ſacerdotum, atque Sanctorum precibus, ſive charorum eleemoſynis, aut jejunijs cognatorum ſolvantur & juventur animæ defunctorum. 42

Ad *decimamtertiam* Reſp. Siccine Vedroſi Sanctum quoquè Auguſtinum tuorum etiam Reformatorum judicio optimum ac fideliſſimum ex Antiquitate teſtem, omnibus Orthodoxis Doctorem ſupparem arguere præſumis de malè ſuſceptâ defenſione erroris, ſeu conſuetudinis cum Fidei Veritate pugnantis? Verùm nihil ex hoc proficis, ſed magnam tuæ Reformationis confuſionem hinc probari, accipe ex ſequenti argumentatione. Etenim Oecolampadius ad Philippum Melanchtonem apertè fatetur, in eo, quod clarè ſentit S. Auguſtinus, conſentire omnes Orthodoxos ipſum antecedentes Doctores. At Vedroſius hîc nolens volens fatetur, S. Auguſtinum *in Enchiridio cap. 110.* diſtinxiſſe tres defunctorũ ordines, ſcribendo nimirùm in hæc verba: *Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſiâ fiunt &c. Cùm ergo ſacrificia ſive Altaris, ſive quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valdè malis propitiationes ſunt: pro valde malis, etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio.* An non igitur Vedroſi in tam apertâ S. Auguſtini ſententiâ habes tibi repugnantem univerſam antiquam Orthodoxiam? Sed tacere hîc non poſſum apertum denuò falſi crimen à te commiſſum adversùs tantùm Eccleſiæ Doctorem. Ais enim 1. Sanctum Auguſtinum docuiſſe quidem, quòd pro bonis defunctis non ſit opus orare, & tamen pro his hactenùs oratum fuiſſe. At nunquid idem Sanctus Doctor *loco citato* ait: *Orationes pro defunctis valde bonis eſſe gratiarum actiones?* Cur ergo hæc verba prætermittendo apertum fallendi ſtudium prætefers? Ais 2. 43 44

Divum

Divum Auguſtinum docuiſſe, Orationes pro valde malis (defunctis ſcilicet, uti tuus contextus habet) nec quidquam prodeſſe, niſi fortè ut tolerabilior fieret eorum damnatio. At hic Sanctus Doctor apertis verbis dixit, pro valde malis, ſcilicet damnatis nulla eſſe mortuorum adjumenta, eſſe tamen Sacrificia ejuſmodi malorum adhuc *vivorum conſolationes*, quatenùs nimirùm *ipſis proſint, ut vel plena ſit remiſſio, vel certè tolerabilior fiat ipſorum damnatio.* Cur igitur Vedroſi per apertam falſitatem præſumpſiſti S. Auguſtino imponere, quaſi docuiſſet, ſacrificia prodeſſe valde malis defunctis, ut tolerabilior ſit ipſorum damnatio? cùm tamen non niſi de viventibus hoc aſſeruerit, uti expreſſus textus habet.

45. Ad *decimamquartam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *loco* per Vedroſium *citato* aliud non præſtare, niſi quòd imprimis diſtinguat peccata in quotidiana & parva (*ſive uti loqui ſolemus, Venialia*) quæ juſtificatis & ſanctificatis etiam inexiſtant, atque in magna & gravia (*Mortalia dici ſolita*) quibus nimirum extinguatur Iuſtitiæ & ſanctitatis habitualis ſtatus. *Ex contextu.* Quâ proinde diſtinctione ſuppoſitâ, expreſsè ſtatuit S. Auguſtinus *citatus*, illa, non verò iſta conſtituere vitam non tam malam, ut his, qui eâ vivunt, nihil proſint ad capeſſendum regnum cœlorum largitas eleemoſynarum, & Sanctorum preces: quanquàm ſtantibus illis parvis peccatis, neque vita tam bona ſit, quin ad beatitudinem obtinendam indigeat Sanctorum precibus ac meritis. *Ex contextu.* De his igitur parvis & quotidianis peccatis ſanctus Doctor *citatus* tandem concludit in hæc verba: *Sed quis iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum invenire, periculoſiſſimum definire. Ego certè uſque ad hoc tempus, cùm inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* En igitur Vedroſi, quàm fallaciter iterum iterumque agas cum Divo Auguſtino, cùm iſte ſanctus Doctor tuæ Reformationi apertè repugnet, tum quòd diſcernat inter parva ſeu *Venialia*, & magna ſeu *Mortalia* peccata; tum quòd iſtis non quidem extinguatur ſtatus Iuſtitiæ & ſanctitatis, atque adeò jus regni cœleſtis, attamen impediatur perventio ad beatitudinem: tum denique quòd iſtud beatitudinis conſequendæ impedimentum tolli poſſit ſanctorum Dei amicorum precibus. En igitur Vedroſi, Auguſtinum in his à Romanâ Eccleſiâ receptis Fidei articulis minimè fluctuare, ſed in particulari tantùm non potuiſſe definire, quænam in ſpecie ſint iſta parva peccata, *uti diſertis verbis tradit loco citato.* Unde non niſi calumnia tua eſt, quòd aſſeras, ipſum fluctibus popularium errorum agitatum, ipſis obſtare non potuiſſe.

46. Ad *decimamquintam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *locis* per Vedroſium

citatis

ditatis nullatenus hæſitanter ſcripſiſſe vel de purgatorio, vel de purgatione animarum precibus Sanctorum obtinendâ, licèt diſcurrendo de modo, quomodò illa purgatio fiat, tum per ignem materialem, tum per ignem perſecutionum, & tolerantiarum hujus vitæ, nihil in particulari definiat, uti omnia ſincero lectori patebunt, ſi præcitatos illius magni Doctoris textus æquo animo penſet. Malitia igitur Vedroſij eſt, nolentis in illo ſancto Doctore diſtinguere inter ſubſtantiam ex fide definitam, ac modum ex ſingulari Divinâ Providentiâ non ita certò in particulari agnitum.

47. Ad *decimamſextam* Reſp. Hic abſtrahendo ab illâ quæſtione *Facti*, an præcitati Commentarij in Epiſtolam Titi ſint S. Hieronymi, obtinere eos ſaltem authoritatem alicujus antiqui Orthodoxi Doctoris. At ibi *ad cap. 1.* expreſsè dicitur, Epiſcopum, ſive ſacerdotem pro ſuis, populiquè peccatis offerre Deo illibatas victimas. Ejuſmodi verò victimam non quidem *materialiter*, ſeu *modo cruento* mactatam, ſed *ſupernaturali modo* immutatam, & *incruentè* ac *myſticè* oblatam eſſe Chriſtum, conſtat tum ex ſacris Litteris, tum ex Patrum authoritatibus, & uniformi fidelium ad nos uſque propagatâ vivâ Fide, ſuprà *Sect. 1. cap. 3. & 4. ſect. 2 cap. 3. & 4. & hic cap. 3. & 4.* deductis. Quamvis proinde ſub nomine ſacrificij, *latè loquendo* quandoq; veniant eleemoſynæ, aliaquè pia opera in cultum Dei oblata, attamen eo ipſo, quòd mentio fiat talis Sacrificij, quod & peragatur in Altari, & offeratur à Sacerdote, ſequitur, ex ipſâ naturâ iſtorum nominum correlativorum inſinuari ſacrificium *ſtrictè ac propriè* dictum. Unde manifeſtum quoquè fit, Vedroſium tales æquivocationes ita *confusè* inducendo, Patrumquè verba ſub æquivocationibus nominum obſcurando, nihil agere, niſi ut veritatem obfuſcet, ac ſimplicium mentes dubias faciat, quod veri Paſtoris muneri vel maximè repugnat.

COROLLARIUM.

48. Ex dictis infertur ſequens argumentatio. Ille ſpiritus ſanè non eſt Divinus, qui non tantùm Patrum authoritates allegat cum multiplici falſi crimine, ſed vivam fidelium fidem ex antiquâ Orthodoxiâ ad nos uſque derivatam ita miſſam facit, ut nihil pro ſuâ intentione ſolidi poſſit afferre. At rem ita ſe habere circa præſentem de Miſſæ, quà pro vivis ac defunctis Propitiatorio Sacrificio articulum, in aperto eſt *ex præſenti Sect. cap. 3. & 4.* Unde etiam conſtat, nullum ex Georgij fundamentis eſſe a Vedroſio ſolutum. Viderit ergo Reformatio hodierna, an ſui Miniſtri ex Divino Veritatis, vel potiùs huic adverſante ſpiritu procedant.

SECTIO IV.

De Cæremoniјs intra Miſſæ Sacrificium adhiberi ſolitis.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *ſua Facis Rat. 25. n. 9. & 10.* inducit Calvinum, Bezam, & Scarpium docentes, quandoquidem in ſacris Scripturis certa, conceptiſque verbis expreſſa non ſit forma in Sacramentorum adminiſtratione ſervanda, ideò in Eccleſiæ judicio relictum eſſe talem præſcribendi & ordinandi (prout expedire noverit) formam.

2. Ex quo Georgius *n. 10.* ſic argumentatur. Reformati Doctores clarè concedunt, Veteres Pontifices verorum Paſtorum munera obiviſſe, Orthodoxos inſuper fuiſſe, ac ſinceros in Fide Apoſtolicâ, nec non Traditiones Apoſtolicas multis ſæculis retinuiſſe. Ergo tales etiam fuerunt circa hanc ipſam quoquè rituum, & cæremoniarum in Sacramentorum adminiſtratione (atque adeò Sacrificij Miſſæ celebratione) ſervandarum diſpoſitionem.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij. & Heideggeri.

3. ILle Miniſter Curienſis *in ſua Antiquit. Sect. 7. in Exam. Rat. 3. pag.* 178. arguit 1. Georgium, utut perfricuerit frontem, non auſum fuiſſe Apoſtolis acceptam referre Miſſam, & omnem ejus apparatum. Apertius enim eſſe, quàm quòd negari poſſit, citiùs ex pumice aquam, quam ex Scripturâ & primâ Antiquitate extundi poſſe Miſſam. Hinc extrà Divinarum Litterarum pomœria in Traditionum regno à doctiſſimis Papiſtis ſemper fuiſſe collocatam.

4. Addit Heideggerus *ſua Synod. de Peregrinat. Diſſert.* §. 19. Miſſam Pontificiam, ſeu theatricam illam & ſacrificialem repræſentationem mortis Chriſti per verba, ornamenta, ritus, geſtus, actus varios, nec Verbi Divini teſtimonium ullum habere, nec Veteris Eccleſiæ praxi ſubniti, nec Eccleſiæ ſimplicitati & puritati convenire.

5. Arguit 2. Polyd. Virg. *lib. 5. de invent. rerum cap. 11.* poſtquam dixiſſet: *Nuda ab initio omnia, & ſimpliciter myſteria à Chriſto tradita apud Apoſtolos*

erant

erant, nuda omnis ceremoniarum ratio, plus pietatis habens, quàm apparatûs; ſubjungere, qui deincep , & quomodò myſterium hoc auxerint, certis quibuſdam ritibus ex Ethniciſmo in Eccleſiam illatis.

Arguit 3. Dominicum Baronium Pontificium Prædicatorem Valgrani centum abhinc & pluribus annis *lib. de conſtit. hum.* confiteri: Tempore Ignatij & Epiphanij diverſiſſimam ab hodiernâ fuiſſe Miſſæ rationem. Dicere enim, verbo promiſſionis adjuncta fuiſſe ſymbola panis & vini repræſentantia Corpus in Cruce mortuum, & ſanguinem ibidem effuſum; peractâ ſanctificatione panem fuiſſe fractum, & cum vino omnibus, qui præſentes fuerant, adminiſtratum, additâ inſtitutione, nè corpus in ſymbolis, ſed deſuper in cœlis quæreretur, ingeminando, *Surſum corda &c.* Tandem lachrymis dignam pronunciare tanti myſterij & in eſſentiâ, & in circumſtantijs profanationem. Verba ejus cedro digna haberi apud Geringum *cap. 13. ſect. 5.* 6.

Arguit 4. Nec triumphi cauſam in eo eſſe, quòd aliqui ex ſuâ Reformatione Epiſcopos Romanos quorundam rituum Miſſaticorum authores Orthodoxos vocent & ſanctos. Se Reformatos hac in parte expediri à ſæpiùs memorato Ioanne Fero *in Iud. cap. 8. v. 27.* ſic differente: *Quàm multa inſtituerunt ſancti bonâ intentione, quæ tamen nunc videmus partim in abuſum, partim in ſuperſtitionem verti. Exempla ſint feſta, cæremoniæ, Miſſa, imagines, monaſteria. Nihil horum eâ intentione inſtitutum fuit, quâ nunc habetur &c. Tamen Gedeones tacent, non abolent abuſus, non auferunt ſuperſtitiones.* 7.

CAPUT III.

Oſtenditur, cæremonias ſub Miſſæ Sacrificio ex inſtitutione Eccleſiæ uſurpatas habere fundamentum in legislativâ Eccleſiæ, ejuſque Paſtoribus conceſsâ poteſtate, tendereque in legitimum Dei cultum, ac virtutis Religionis publicum exercitium.

Probatio prima, ex fundamento ſacrarum Litterarum petita.

NAm Eccleſiæ poteſtatem eſſe, in Sacramentorum confectione & adminiſtratione decernere ritus accidentales ædificationi fidelium, Deique cultui congruos, evincitur ex ſacris Litteris ſuprà *Diſſert. 5. ſect. 3. cap. 3.* deductis, faceturque Confeſſio Helvetica *cap. 27.* At cæremonias circa confectionem & adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ in Eccleſiâ Romanâ ſub ipſo adeò Miſſæ ſacrificio adhiberi ſolitas, & ex poteſtate 8.

Digitized by Google

ſtate illâ Eccleſiæ Divinitùs traditâ, ipſiſque adeò Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis Romanis, præſertim primævis Pontificibus ex Reformatorum quoquè Doctorum judicio legitimis & Orthodoxis Paſtoribus inexiſtente, definitas eſſe tales, quæ myſterioſas quaſdam ad Divinum cultum, virtutiſque proinde Religionis exercitium publicum ſpectantes contineant, oſtendetur ex ſingulorum ejuſmodi rituum inductione, *ſequentibus probationibus* exprimendâ.

Probatio ſecunda, de veſtibus ſacris, ornamentis, vaſis aureis, & argenteis, ac luminaribus ad Sacrificium Miſſæ adhiberi conſuetis.

9. NAm ſi decuit, ut Sacerdotes ad ſacrificia antiquæ legis celebranda incederent ſub ſpecialibus ornamentis ac veſtibus. *Exod. 28. v. 3. & v. 40.* utique magis, ſub formalitate licèt ſublimiori, hoc jam decet ſacrificium Euchariſticum Novæ legis: ita ut, ſicuti ſub illis antiquæ legis ornamentis præfigurabantur myſteria, per Chriſtum adimplenda, ſic ſub Novæ Legis ornamentis ac cæremonijs repræſentarentur myſteria per Chriſtum jam peracta. Quam proinde ob rationem tum veſtium ſacrarum & ornamentorum, tum vaſorum argenteorum, & aureorum, tum luminarium uſum vel exemplo, vel lege ac definitione aliquâ quovis Evangelicæ Legis tempore probârunt Ioannes Evangeliſta apud Euſebium Cæſarienſem *lib. 5. Ecleſ. Hiſt. cap. 24.* Clemens Romanus circà Annum Chriſti 80. *Can. Apoſt. 72.* & apud Coccium *to. 2. a. 11. Epiſt. 2.* Anacletus circà Annum 84. *cit. a. 11. Epiſt. 1. apud Coccium.* Sixtus I. circà Annum 117. & Stephanus I. circà Annum 255. *in Epiſt. 1. cap. 3. & in Epiſt. 2. apud Coccium to. 2.* Synodus Nicæna I. *can. 63. ex Arabico tranſlato.* Concilium Carthaginenſe IV. *cap. 41. & can. 6.* Athanaſius *in Epiſt. ad Marcum Papam, & in vitâ S. Antonij.* Tertullianus *lib. de Pudicitiâ cap. 7.* Baſilius Magnus *in Liturgiâ.* Damaſus *in lib. Pontif.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 25. contrà Arianos.* Hieronymus *lib. 1. adverſus Pelagianos cap. 9. & ad cap. 44. Ezech. Item Epiſt. ad Theophilum Alexandrinum præfixâ operi Paſchali, nec non in libro 1. contrà Vigilantium.* Chryſoſtomus *in Liturgiâ, & in orat. ad Babylam Martyrem. Item Homil. 51. in Matth. & hom. 14. in Epiſt. ad Ephеſ.* Ambroſius *lib. 2. Offic. cap. 28.* Auguſtinus *lib. quæſt. Veter. & Novi Teſtamenti q. 48. in Pſalm. 13.*
10. Ex quibus (ſi petatur, per extenſum producendis) ad oculum patet, illum ſacrorum ornamentorum ac vaſorum, nec non luminarium uſum, ad nos uſque derivatum, eſſe ex more antiquæ, ipſiſmet Reformatis Doctoribus fatentibus, piæ & Orthodoxæ Eccleſiæ, habentis, teſte Confeſſione Helveticâ, legitimam hæc taliter ordinandi poteſtatem, non niſi Divinitùs conceſſam. At cæremoniæ ex legitimâ

quâ non niſi Divinitùs conceſsâ poteſtate ſtatutæ ab ipſiſmet antiquis Orthodoxis Eccleſiæ Patribus approbatæ, non poſſunt ſuperſtitionis niſi *ſuperſtitiosè* & *blaſphemè* incuſari. Quare Eccleſia Reformata, in ejuſmodi ritus invehi ſolita, meritò viderit, quo ſpiritu id faciat.

Probatio tertia, circà cæremonias Miſſæ in actione conſiſtentes.

EIuſmodi enim cæremoniæ in Eccleſiâ Romanâ uſurpatæ ſunt elevatio & expanſio manuum, ſublevatio oculorum ad cœlum, inclinatio corporis, ac genuflexio, lotio manuum, oſculatio Altaris ac libri, ſignum Crucis, mixtio aquæ cum vino ante conſecrationem, panis & vini conſecrandi ſub Offertorio elevatio, Hoſtiæ conſecratæ per populum adorandæ oſtenſio, fractio Hoſtiæ ſub ſpecie panis, & alicujus de ipsâ partis calici immiſſæ cum ſpeciebus ſanguinem Chriſti continentibus in calice commixtio. At omnes iſtas cæremonias eſſe myſterioſas, Divinorumque in Chriſto peractorum myſteriorum repræſentativas (quarum explicationem hic brevitatis causâ omiſſam paratus ſum ad nutum exhibere) atque probatas in antiquâ Orthodoxâ Eccleſiâ, conſtat partim ex liturgijs S. Petri, S. Iacobi, S. Marci, S. Clementis, S. Baſilij, S. Chryſoſtomi, partim ex Clemente Rom. *lib. 8. conſtit. Apoſtol. cap. 6.* Irenæo *lib. 5. cap. 2.* Dionyſio Areopagitâ *lib. de Hierarch. Eccleſ. cap. 3. par. 3.* Tertulliano *in Apologet. cap. 30.* Cypriano *Epiſt. 63. aliàs Epiſt. 3. libri ſui.* Clemente Alexandrino *lib. 5. ſtromat.* Cyrillo Hieroſolymit. *Catech. 4. & 5. Myſtag. & Catech. 4. Illuminat. §. de Aſcenſ. item Catech. 13.* Ambroſio *lib. 4. de Sacram. cap. 5.* Baſilio *lib. de Spiritu S. cap. 21.* Chryſoſtomo *Homil. 6. ad populum Antiochenum* & alijs. Cùm igitur iſtæ cæremoniæ tanquàm myſterioſæ ac religioſæ ab antiquis Orthodoxis Patribus (ſi petatur, per extenſum ac diſtinctè producendis) recognitæ fuerint, in eas citrà blaſphemiam invehi nequeunt hoderni Reformatores, maximè cùm introductæ fuerint ad exemplum ab ipſomet Spiritu Sancto in ſacris Litteris approbatum *Exod. 17. v. 11. Pſal. 62. v. 5. & Pſal. 140. v. 8. Item 3. Reg. 8. v. 22. & 54. Dan. 6. v. 10. Matth. 14. v. 19. Marci 6. v. 41. Ioan. 17. v. 1. Actorum 21. v. 51. ad Epheſ. 3. v. 14.* 11.

Probatio quarta, circà cæremonias Miſſæ in verbis ab initio Miſſæ uſque ad Canonem uſurpari ſolitis.

HUjuſmodi namque cæremoniæ ſunt recitatio Pſalmi 42. *Iudica me Deus,* cum *Gloria Patri &c.* Confeſſio Sacerdotis Deo & Sanctis facta; *Introitus; Kyrie eleiſon,* & *Chriſte eleiſon* novies repetitum; *Gloria in Excelſis Deo; Dominus vobiſcum* à Sacerdote ad populum converſo dictum; Orationes pro po- 12.

 pulo

Digitized by Google

pulo aliàs *Collecta* dici ſolitæ; Lectio ex libro aliquo Scripturæ *Epiſtola* vocari conſueta; *Graduale* & *Tractus*, ſive *Alleluja*; Lectio aliqua ex Evangelio: Recitatio ſymboli Fidei Conſtantinopolitani, ſeu Nicæni; Offertorium ex ſacrâ Scripturâ deſumptum; Oblatio panis & vini conſecrandi; *Orate fratres* à Sacerdote dictum; *Collecta* ſeu orationes pro Eccleſiâ; *Præfatio*, in quâ præter alia dicitur *Surſum corda*, & *Gratias agamus Domino &c.* *Sanctus* poſt Præfationem ter dicendum. At ejuſmodi ritus eſſe conformes Orthodoxæ Antiquitati, conſtat ex antiquis Liturgijs S. Iacobi, S. Baſilij, S. Chryſoſtomi; Dionyſio Areopagitâ *Eccleſ. Hierarch. cap. 3.* Iuſtino *Apol. 2.* Concilio Valenſi *cap. 3.* Concilio Toletano III. & Concilio Toletano IV. *can. 10.* Chryſoſtomo *Homil. 18. in Epiſt. 2. ad Corinth.* Ambroſio *lib. 4. de Sacram. c. 4.* Cyrillo Hieroſolymitano *Catech. 5. Myſtag.* Auguſtino *Epiſt. 178. & Epiſt. 120. circà finem, ad Honoratum cap. 19. item de bono perſeverantiæ cap. 13.* Dum igitur Reformatio hodierna ejuſmodi ritibus (quos ſigillatim cuique petenti ex Antiquitatis præadductæ argumentis probare, me paratum offero) cavillando illudit, apertè fatetur ſe alienam à piâ & antiquâ Orthodoxiâ.

Probatio quinta, circa Canonem Miſſæ ac ceremonias verbales à Communione uſque ad finem.

13. Nam inter hæc primo loco recenſetur Canon Miſſæ, pluribus orationibus conſtans, quem, licèt falſos ei ſenſus affigendo, & gravibus calumnijs, atque blaſphemijs traducendo, horrendum in modum execrentur hodierni Reformatores: attamen ejus obſervationem in antiquâ jam Eccleſiâ frequentatam probant ea, quæ pluribus adducit S. Ambroſius *lib. 4.*
14. *cap. 4. 5. & 6.* Integrum porrò Canonem, conſtat, tempore Leonis I. circà Annum 440. ſedentis eſſe obſervatum, & à Concilio Generali Chalcedonenſi confirmatum. Quod probatur etiam ex eo, quòd author Pontificalis *in vitâ Leonis* ſcribat, pauca hæc verba: *Sanctum ſacrificium, immaculatam Hoſtiam* poſt verba per S. Ambroſium *cit. cap. 6.* relata ad Canonem addidiſſe. Ioannes quoquè Diaconus *lib. 2. vitæ S. Gregorij cap. 17.* refert, à Gregorio Magno ad Canonem adjecta eſſe illa verba: *Dieſquè noſtros in tuâ pace diſponas.* Ex quibus itaquè patet, Canonem quoad præcipuas ſaltem partes longè ante Gregorium Magnum (ut proinde Reformatores prætacti hunc falsò dicant primum ejus authorem) imò & antè Leonem I. nec non Ambroſium,
15. in Eccleſiâ adeò primitivâ eſſe uſurpatum. Quæ denique Canonem ſubſequuntur in Miſsâ, piæ Antiquitati fuiſſe in uſu, oſtendi poteſt partim ex Liturgijs S. Iacobi, S. Baſilij, S. Chryſoſtomi, partim ex Cyrillo Hieroſolymi-

lymitano *Catechef. 5. Myſtag.* & Auguſtino *Epiſt. 59. ad Paulinum, q. 5.* Ex quibus omnibus (diſtinctiùs, ſi opus ſit, deducendis & probandis) concluditur, ſpiritum Reformationis cæremonias Miſſæ ſub fictitijs per Pontificios nullibi intentis ſenſibus & cavillationibus falſis inſectando, non tantùm antiquæ Orthodoxiæ adverſari, ſed ſibimet contradicere, eò vel maximè, quòd ipſimet Reformati Doctores fateri debeant, talium rituum ordinationem eſſe in poteſtate Eccleſiæ. Unde cùm nulla ſit poteſtas niſi à Deo, is verò, qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtat, viderint jam ipſi, an non talibus Eccleſiæ antiquis ordinationibus obſiſtendo, ipſimet Deo reſiſtant?

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Diſtinguendum eſſe inter ea, quæ in Miſſæ Sacrificio ſunt Subſtantialia, & ea quæ ſunt purè Accidentaria. At ea, quæ Subſtantialia ſunt, probari ex ipſiſmet ſacris Litteris, conſtat *ex præced. Sect. 1. & 2.* Quoad ritus autem accidentarios fatetur præcitata Helvetica Confeſſio, eſſe in poteſtate Eccleſiæ. At iſtam poteſtatem oportet eſſe à Deo. Ordinatio verò, quæ eſt ex poteſtate Divinitùs traditâ, neque pugnat cum ſacrâ Scripturâ, ſed huic vel maximè conformis eſt, neque adverſatur puritati ac ſimplicitati Eccleſiæ. Unde, cùm nefas ſit, dicere, ritus Miſſæ accidentarios, ab antiquâ Orthodoxiâ in Miſsâ uſurpatos ac definitos, non eſſe ex illâ Eccleſiæ Divinitùs conceſsâ poteſtate, ſequitur, eos non niſi calumnioſè & blaſphemè reprobari ab hodiernâ Reformatione. 16.
Imò, cùm poteſtas ordinandi ritus ejuſmodi, ſit annexa perpetuo Eccleſiæ ſtatui, conſequens eſt, hodiequè legitimè uſurpari ab Eccleſiâ verâ, cujuſmodi eſſe Romanam, non autem Reformatam, oſtenſum eſt *ſuprà Diſſert. 3. & 4.* quanquàm & hæc, teſte Confeſſione Helveticâ, hoc ſibi jus arroget, in hoc tam ſibi, quàm Antiquitati puræ & Orthodoxæ contradicendo. Viderit ergo ipſamet, an conveniat cum puritate ac ſimplicitate veteris Orthodoxæ Eccleſiæ? 17.

Ad *ſecundam* Reſp. Polydorum Virgilium *lib. de inventoribus rerum* aptè & congruenter oſtendere, qualiter, & à quibus ritus in Eccleſiâ ſucceſſu temporum inventi ac inſtituti fuerint. Hinc autem evinci quidem, non eſſe ſub ipsâ Sacramentorum inſtitutione à Chriſto Domino inſtitutos, ac pleroſque Apoſtolis eſſe poſteriores. Attamen quid exinde niteris evincere Vedroſi? An quòd tanquàm adinventiones humanæ ſint reijciendi? 18.

Verùm

Verùm Reformationis tuæ Confeſſio Helvetica *cap. 27.* fatetur, in ſuis Eccleſijs eſſe talem variationem rituum, qualis ſanè tempore Apoſtolorum minimè fuit, iſtamquè, variandi ritus, poteſtatem Eccleſijs ſuis vendicat. Annè igitur ex hoc titulo repudiandi? Certè ritus, quorum Polydorus *præcitatus* meminit, erant inſtituti à veteribus Eccleſiæ Paſtoribus, quos ipſimet Reformati Doctores pro veris agnoſcunt, erantquè probati à Patribus ipſius Reformationis teſtimonio Orthodoxis ac pijs. In his autem illa, quam Reformatio ſibi vendicavit, ritus inſtituendi ac variandi poteſtas eſt ab ipſo Deo conceſſa. En igitur Vedroſi, tuam argutiam ita retorqueri in tuam Reformationem, ut nullatenùs tamen antiquis Eccleſiæ Romanæ ritibus derogare valeat. Sed ais, ritus ejuſmodi ex Ethniciſmo illatos eſſe.
19. Verùm huic calumniæ ab Heideggero etiam nuperrimè objectæ opponitur Redingij *in ſuis Refutat. Diſſert. 14. n. 5.* adversùs prætactum Tigurinum Profeſſorem deducta, ac necdum refutata reſponſio. Etenim rituum ejuſmodi ſenſibilium forma eſt intentio eorundem vel ad verum, vel ad falſos Deos directiva: quæ cùm in Eccleſiâ Romanâ toto cœlo diſtet ab illâ Ethnicorum intentione, nequit ſancta Antiquitas calumnioſè argui de Gentiliſmi æmulatione, ſed meliori jure convitium iſtud retorqueri poſſet, ſiquidem Gentiliſmus ſe tenuerit in miniſterio ſathanico; ipſemet autem Lutherus apud Scultetum *Dec. 1. ad Annum 1525. pag. 252.* ob notam de Cœnâ controverſiam dixerit; *Oportere, alterutros Miniſtros ſathanæ eſſe, vel ipſos*, ſcilicet Zwinglianos, *vel ſe*, nimirum Lutherum.

20. Ad *tertiam* Reſp. Aliud eſſe de ſubſtantiali, aliud verò de accidentariâ in ritibus Cæremonialibus conſiſtente, ratione. At falſum eſt, quòd citatus Dominicus Baronius ſubſtantialem Miſſæ rationem dixerit, antiquitùs fuiſſe diverſam ab eâ, quæ hodie tenetur in Eccleſiâ Romanâ. Etſi verò accidentalium rituum ratio variari quandoquè poſſit: hoc tamen minimè obeſt unitati & conformitati antiquitatis cum hodiernâ Romanâ Eccleſiâ, *velut ex ſæpe memoratâ Confeſſione Helveticâ etiam evincitur.*

Quæ porrò Vedroſi ex prææallegato Baronio in alienum ſenſum detorta affers, in caput tuum retorta redarguunt tuam pravam non veritatis probandæ, ſed falſitatis undiquè corradendæ ac fingendæ intentionem.

21. Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius nolens volens fatetur, Epiſcopos Romanos Miſſaticorum quorundam rituum authores à ſuis Reformatis nonnullis Doctoribus vocari Orthodoxos & ſanctos. At ex hoc ita ſe expedit præcitatus Curienſis Miniſter, ut ex Ioanne Fero aſſerat, multa eſſe à Sanctis piâ intentione inſtituta, quæ tamen nunc in abuſum & ſuperſtitionem vertantur. Hinc autem infertur quidem, abuſus ejuſmodi,

(qui

Digitized by Google

(qui tamen ex mente dicti Feri ſunt privatorum, non autem univerſæ Eccleſiæ) eſſe tollendos ac reformandos, ipſam tamen ſubſtantiam non ideò abijciendam, & *abſolutè* damnandam eſſe, utpote quæ ut ſic ex legitimâ poteſtate, & à veris Eccleſiæ, iiſquè ſanctis & Orthodoxis Paſtoribus (ipſomet Miniſterio Reformato fatente) inſtituta ſit in myſterioſam Divinarum rerum ſignificationem, publico Religionis cultui quàm maximè congruam. Cùm proinde Reformatio hodierna non in abuſus, ſed in ipſam cæremoniarum Miſſaticarum antiquitùs inſtitutarum ſubſtantiam invehatur, conſequens eſt, quòd ſecundùm ipſammet pietatis ac Religionis antiquitùs cultæ ſubſtantiam ac eſſentiam diſcordet cum veteri Orthodoxiâ, à pijs & ſanctis ac veris Paſtoribus cultâ. En igitur Vedroſi, tuam argutiam te non expedire ab argumentatione Georgij *cap. 1.* deductâ, ſed ex tuâ reſponſione te magis magiſquè intricari.

COROLLARIUM.

EX quibus infertur. Georgianâ illa Argumentatione omninò inſolutâ, 55.
imò per Vedroſij reſponſum firmiori jam ſubſiſtente, poſſe tale ulteriùs formari argumentum. Etenim illius Reformationis ſpiritus non poteſt eſſe Divinus, qui ritus ab antiquâ, quam tamen piam, ſanctam, & Orthodoxam dicit Eccleſia Reformata, Eccleſiâ inſtitutos & cultos gravibus calumnijs ac dicterijs notat, ſibimet tamen ritus ejuſmodi in Eccleſiâ variandi ac inſtituendi poteſtatem arrogat. Hinc enim convincitur, ſe attollere ſuprà veram antiquam, ſuomet teſtimonio Orthodoxam Eccleſiam, utpote cujus in hoc puncto poteſtatem inceſſat, quam ſibimet tamen vendicare non erubeſcat. At hoc totum præſtare hodiernam Reformationem, conſtat *ex praeced.* Viderit ergo iſta Reformatio, quo ſpiritu ducatur.

DIS-

DISSERTATIO IX.

De Pœnitentiæ Sacramento, ſive Confeſſione, Satisfactionibus & Purgatorio.

SECTIO I.

De Pœnitentiæ Sacramento.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *ſuæ Facis Rat. 3. doc. 13.* pro Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis Sacramento inducit S. Cyprianum *Serm. 5. de lapſis.* ſic diſſerentem. *Confiteantur ſinguli, quæſo vos Fratres, delictum ſuum, donec adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt: dum admitti Confeſſio ejus poteſt: dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.*

2. Inducit Sanctum quoquè Auguſtinum *cap. 10. de Pœnitentiâ*; ubi habentur ſequentia: *Quem ergo pœnitet, omninò pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per Confeſſionem &c.*

3. Inducit porrò Bullingerum *Serm. de dignè & indignè manducantibus* ita ſcribentem: *Agnoſco equidem, in veteri Eccleſiâ receptum fuiſſe, ut communicaturi confiterentur priùs Sacerdoti Pœnitentiario &c.*

4. Inducit deniquè Calvinum *Inſtit. lib. 3. cap. 4. ſect 7.* idem aſſerentem ſequentibus verbis: *Miror autem, quâ fronte auſint* (Canoniſtæ nempè) *contendere, Confeſſionem, de quâ loquuntur, juris eſſe Divini: cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum, fatemur, &c.*

5. Ex quibus Georgius ſic argumentatur. Ex SS. Cypriano & Auguſtino, imò ipſiſmet Reformatis Doctoribus Bullingero & Calvino conſtat, ritum Confeſſionis eâ formâ fuiſſe obſervatum in veteri Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ, qualiter hodiequè retinetur ac exercetur in Romanâ. At verò hunc ipſiſſimum Confeſſionis ritum execratur hodierna Reformatio. Hæc igitur quoad iſtud punctum diſcordando à Romanâ Eccleſiâ, fatetur hoc ipſo ſe diſſidentem à veteri Eccleſiâ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

ISte Miniſter *ſuæ Antiquitatis Sect. 4. in Exam. Docum. 13.* arguit 1. Confeſſionem quidem legi apud Veteres, non tamen auricularem, qualis nulla, ſtatâ lege, ſancita fuerit ante Innocentium III. ſæculo à Chriſto nato, duodecimo: eo nempe tempore, quo, extinctâ pietate & doctrinâ, ſine delectu quidvis licentiæ ſibi ſumpſerint Paſtorum larvæ. 6.

Arguit 2. Vetuſtum confitendi morem fuiſſe, ſed liberum, nec ab omnibus Eccleſijs receptum, nec ſcrupuloſum. Documento eſſe, quod Sozomenus *Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 17.* enarrat; morem confitendi quoquè Conſtantinopoli obtinuiſſe, donec matrona quædam confitentem ſimulans, eâ ſpecie conſuetudinem, quam habebat cum Diacono, prætexuiſſe deprehenſa fuerit. Ob id facinus Nectarium virum ſanctitate ac eruditione clarum, illius Eccleſiæ Epiſcopum, confitendi ritum abrogâſſe. At ſi lex Dei eſſet, vel Sacramentum novæ legis, Nectarium non potuiſſe Confeſſionem refugere, atque convellere. Unde hunc morem in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ non tantùm interruptum fuiſſe, & ad tempus diſſimulatum, ſed obſoleviſſe ad ſuam uſque memoriam, uti Sozomenus affirmet. 7.

Arguit 3. Spurcitiem libidinoſiſſimam Monialium, & matronarum conſtuprationes, & atrocia regicidia Confeſſionis auricularis fructus eſſe; doceri ab Eraſmo in Exomologeſi *Hiſtoriâ inquiſition. Hiſpan.* Martyrologio inſertâ, & celeberrimo Thuano *hiſt. lib. 107. & 111.* 8.

Arguit 4. Cyprianum, quem Georgius produxit *ex lib. de lapſis*, agere de Confeſſione, at non auriculari, ſed publicâ coràm Eccleſiâ, non omnium & ſingulorum peccatorum, ſed notoriorum, non omnium hominum, ſed cumprimis Libellaticorum, & Thurificatorum, qui redimendæ vitæ ſuæ causâ Chriſtum negaverant, & idolis thus adoleverant, aut etiam id facere vel oblatis libellis promiſerant, vel cogitaverant, vel numeratâ pecuniâ libellum, quo à Sacrificijs ſe eximebant, impetraverant. Eum de his loqui, patere ex libri inſcriptione, argumento, & ſermonis filo. 9.

Arguit 5. Auguſtino ſuppoſititio *ex lib. de Pœnit. cap. 10.* per Eraſmum, Bellarminum & Lovanienſes confixo opponi Auguſtinum genuinum *lib. 10. Confeſſ. cap. 3.* ſic diſſerentem: *Quid mihi cum hominibus, ut audiant confeſſiones meas, & quaſi hi ſanaturi ſint omnes languores meos. Curioſum genus ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam. Quid à me quærunt, qui ſim, cùm nolint à te audire, qui ſint, & unde ſciunt, cùm à me ipſo de me ipſo audiunt, an verum* 10.

 dicam

Digitized by Google

dicam, quandoquidem nemo ſcit hominum, quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.

11. Arguit 6. Chryſoſtomum *hom. 31. in Epiſt. ad Heb.* ſic habere: *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud Iudicem confitere peccata, etſi non linguâ, ſed conſcientiæ tuæ memoriâ, & tum demum ſpera, te miſericordiam poſſe conſequi.*

12. Arguit 7. Eccleſias Reformatas, tametſi Confeſſionem auricularem, qualis in Eccleſiâ Romanâ ſub rigidâ neceſſitatis & iudiciarij actûs lege inſigni cum animarum tyrannide & carnificinâ exercetur, proſcribant, legitimam tamen haudquaquàm evertere. Nam præter eam, quæ Deo fit, retinere Confeſſionem publicam, quâ ſcandalum grave fidelibus objectum terminetur; tum ut ſalutariter confundantur lapſi, tum ut offenſis ſatisfiat pro ſcandalo, & faciliùs alij retineantur in officio; tum etiam ut extraneis conſtet, Eccleſiam eſſe Dei donum, Deitatis gymnaſium, non licentiæ receptaculum. Retinere etiam privatam, quæ inſtituitur vel coram proximo, qui offenſus eſt, vel coram Paſtore in gravi conſcientiæ vulnere, ut illa vel dirigatur, vel erigatur, vel legitimâ clavium adminiſtratione ligetur, vel ſolvatur.

13. Arguit 8. Si obijciatur, ſententiam abſolventem præſupponere cognitionem peccati: reſponderi, ſe Reformatos id fateri neceſſarium, at in eo, qui propriè Iudex ſit, & à quo ſententia emanet. Hunc verò eſſe ſolum Deum, cùm nemo præter eum ſcire poſſit, an peccator verè, & ex animo confiteatur, & eum ſeriò pœniteat. De Miniſtris autem Eccleſiæ valere illud Hieronymi in *Eſaiam 6. cap. 14. Solvunt eos* (funibus peccatorum conſtrictos) *Apoſtoli ſermone Dei, & teſtimonijs Scripturarum, & exhortatione virtutum.*

CAPUT III.

Oſtenditur, in Eccleſiâ dari Pœnitentiæ Sacramentum, in quo neceſſaria ſit diſtincta coram Sacerdote mortalium peccatorum Confeſſio.

Probatio prima, ex ſacris Litteris deſumpta.

14. QUam enim poteſtatem Chriſtus Dominus *Matth. 18. v. 18.* promiſerat Apoſtolis, *Amen dico vobis*, inquiens, *quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Hanc ipſam poteſtatem actualiter con-

Digitized by Google

contulit Apoſtolis *Ioannis* 20. *v.* 21. Dum *inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* At iſta poteſtas fuit Apoſtolis conceſſa in ordine ad Eccleſiæ ſtatum, à ſe in lege Evangelicâ noviter inſtitutum. Eo ipſo autem, quòd iſte ſtatus ſit perpetuus uſque ad ultimum diem futurus, ſequitur, illam quoquè poteſtatem cum tali Eccleſiæ ſtatu connexam non exſpirâſſe in Apoſtolis, ſed in horum ſucceſſoribus eſſe perpetuò duraturam. Oportet igitur, illis Chriſti Domini verbis in Eccleſiâ inſtitutam eſſe poteſtatem perpetuò duraturam, abſolvendi à peccatis. Ejuſmodi verò poteſtas exerceri non poteſt, niſi in Sacramento Pœnitentiæ: *uti mox demonſtrabitur.*

Probatio ſecunda, prioris continuativa.

Etenim illa à peccatis abſolvendi poteſtas exercetur per actum peccatorũ abſolutorium. *Ex ſacro textu.* At eo ipſo, quòd hic actus ſit ad homines, oportet, eſſe ſenſibilem. Illa igitur poteſtas exercenda eſt per actũ ſenſibilem, ceu ſignum remiſſionis peccatorum. Atqui talis actus ex Divinâ Chriſti inſtitutione accipit vim peccatorum remiſſionis taliter ſignificativam, ut Chriſtus dixerit, realiter eſſe remittenda peccata. *Ex ſacro textu.* Eſt autem peccatorum remiſſio conjuncta cum dono Spiritûs Sancti. *Act.* 2. *v.* 38. atquè adeò cum gratiâ ſanctificante. Conſequens igitur eſt, illo actu à peccatis abſolutorio vi inſtitutionis Divinæ *realiter* conferri remiſſionem peccatorum unà cum gratiâ ſanctificante. At ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum ad ſignificandam gratiam reconciliationis, *efficaciter* ac *realiter* dandæ, hoc ipſo ſortitur integram & perfectam rationem Sacramenti. Ergo verum Sacramentum perficitur illo actu abſolutorio, ſuppoſitâ tamen Pœnitentiâ & confeſſione peccatoris, *uti mox oſtendetur.* 15.

Probatio tertia.

Nam Chriſtus Dominus illam poteſtatem taliter dedit Apoſtolis, ut oporteat, eos diſcernere cauſam vel dimittendi, vel retinendi peccata. *Ex ſacro textu.* Hæc autem diſcretio vel dimittendi, vel retinendi peccata, nequit ſubſiſtere, niſi præcognito ſtatu ac diſpoſitione peccatoris. Ejuſmodi verò diſpoſitio pro dimittendis peccatis eſt pœnitentia, pro retinendis verò eſt impœnitentia: hinc enim Apoſtolus Paulus 1. *Corinth.* 5. inceſtuoſum adhuc impœnitentem judicavit ſathanæ tradendum; poſteà verò 2. *Corinth.* 2. intellectâ ejus pœnitentiâ, monuit ipſum reconciliari. Oportet igitur, ad poteſtatem illam exercendam ſacerdotem habere diſcretionem cauſæ circà ſtatum ac pœnitentiam peccatoris. At iſte ſtatus tam 16.

quoad pœnitentiam, quàm quoad peccata eſt ab intrinſeco, nempè ex ipſomet voluntatis actu dependens. Nequit autem ſacerdos alterius ſtatum intrinſecum dignoſcere ac diſcernere, niſi ex propriâ ejus confeſſione: *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Oportet igitur, ad illam Divinitùs inſtitutam abſolvendi à peccatis poteſtatem exercendam, præmitti propriam pœnitentis confeſſionem de ſtatu tam peccatorum, quàm pœnitentiæ. At eo ipſo, quòd ſingula peccata mortalia pugnent cum gratiâ ſanctificante per actum illum abſolutorium concedendâ, neque poſſit unius culpæ lethalis fieri remiſſio, niſi omnia ſimul remittantur, ſequitur manifeſtè, pœnitentis ſtatum in ordine ad retentionem ſeu remiſſionem peccatorum, mediante illo ſacerdotis actu abſolutorio accipiendam non poſſe diſcerni ac dijudicari, niſi omnium ac ſingulorum mortalium fiat confeſſio. Conſequens igitur eſt, illis Chriſti Domini verbis, quibus peccata retinendi, ſeu remittendi, atque adeò priùs diſcernendi Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſacerdotibus poteſtas facta eſt, probari neceſſitatem Confeſſionis Sacerdoti faciendæ, in ordine ad remiſſionem peccatorum, mediante abſolutorio Sacramenti Pœnitentiæ ultimatè perfectivo & completivo actu percipiendam: veluti viva in fidelium mentibus propagata & ad nos uſque derivata, ut ſic veri illorum Chriſti verborum ſenſûs demonſtrativa fides, ex Patrum authoritatibus mox deducenda clarè probabit.

Probatio quarta, ex Patrum authoritatibus petita.

17. NAm pro primo Chriſti ſæculo haud obſcurum Confeſſionis exemplum *Act. 14. v. 18.* traditur ſequentibus verbis: *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Hanc enim Confeſſionem eſſe Divo Paulo factam, conſtat ex ſacro contextu, nec adeò dubitandum, quin Paulus ipſis impertierit abſolutionem ſeu reconciliationem, utpote *2. Corinth. 5. v. 8.* ita ſcribens: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis*, talis nimirùm, quæ ad ipſas Eccleſiæ claves ſpectet, ac ſolutionem à peccatis baptizatis relapſis impertiat, uti fatetur etiam Calvinus *Inſtit. 4. cap. 1. §. 22.*

18. Ex ſecundo ſæculo Dionyſius Areopagita circà Annum 100. *Epiſt. 8.* ad Demophilum expreſſis verbis meminit *Confeſſionis peccatorum coram Sacerdote.* Irenæus circà Annum 180 *lib. 1. cap. 9.* enarrat, quales mulieres ab hæretico ſeductæ fuerint confeſſæ, ſeu fecerint *Exomologeſin.* Et *lib. 3. cap. 4.* ita habet: *Cerdon &c. ſæpè in Eccleſiam veniens, & Exomologeſin faciens, ſic conſummavit.*

19. Ex tertio ſæculo Tertullianus circa Annum 200. *lib. de Pœnitentiâ*, ait,

ait, talem peccatorum Presbyteris ſe advolventium Confeſſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, ut, dum quis ſe accuſat, excuſetur, cùm condemnat, abſolvatur. Similia habet Origenes *Hom. 17. in Lucam, & Hom. 21. in Pſ. 37.* circà iſta verba: *Quoniam iniquitatem meam pronuncio*, ubi ait, *occulta etiam peccata eſſe ſacerdoti confitenda, ita ut confitens ſe accuſet, & accuſando delicti veniam obtineat.* Cyprianus circà Annum 250. Confeſſionis & Exomologeſis meminit *lib. 3. Epiſt. 14. item Epiſt. 16. Et ſerm. de lapſis.* præter alia ſic diſſerens: *Quamvis nullo Sacrificij, aut libelli facinore ſunt conſtricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipſum* (ecce delictorum occultorum confeſſionem) *apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, Exomologeſin faciant animi ſui &c.*

Ex quarto ſæculo Lactantius circà Annum 300. *lib. 4. Inſtit. Divin. cap. 17.* ait, *Confeſſionem adeò eſſe ſaluti neceſſariam, ut, qui peccata ſecreta* (non utique Deum, utpote quem latere nihil poſſit, atque adeò Sacerdotem) *celant, veniam non conſequantur.* Cujuſmodi adeò Confeſſionem *cap. ult.* ponit inter notas veræ Eccleſiæ: *Sciendum*, inquiens, *illam eſſe veram Eccleſiam, in quâ eſt Religio, Confeſſio, & Pœnitentia.* Sanctus Athanaſius circà Annum 340. *in ſerm. circa illa verba Evangelij: Invenietis pullum alligatum &c.* inter alia ſic diſſerit circa finem: *Quòd ſi nondum ſoluta ſint vincula, tradas te ipſum diſcipulis Ieſu* (at quomodò te trades ipſis, nimirum Sacerdotibus, niſi per Confeſſionem peccatorum?) *adſunt enim, qui te ſolvant pro poteſtate eâ, quam à Salvatore acceperunt &c. Si quibus, inquit, remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Hilarius circà Annum 360. *Comment. in Matth. can. 18.* ait: Talem Apoſtolis, atque adeò eorum ſucceſſoribus Sacerdotibus eſſe poteſtatem, *ut quos ſolverint, Confeſſione videlicet venia receperint in ſalutem, hi Apoſtolica conditione ſententiæ in cælis quoquè ſoluti ſint.* Baſilius circà Annum 360. *in regulis ſuis fuſiùs diſputatis Reſp. 26.* ita inquit: *Debet unuſquiſque &c. nullum animi ſui motum apud ſe ipſum celatum retinere &c. ſed mentis ſuæ arcana aperire fratribus, quibus datum illud negotium ſit.* Et *in regulis brevioribus Interrogat. 229. in reſponſ.* ait: *Peccatorum confeſſio fieri debet apud eos, qui ea poſſint curare*, ſive uti habet *Interrogat.* 288. *quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.*

Ambroſius circà Annum 370. cùm *lib. 1. de Pœnit. cap. 2.* expreſsè dixiſſet: *Jus hoc remittendi ac retinendi, ſive alligandi & relaxandi peccata ſolis permiſſum eſſe Sacerdotibus.* Exinde *lib. 2. de Pœnit. cap. 6.* ſic ait: *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum, ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum*, quæ nimirum, *uti in exhortat. ad Pœnitentiam* habet, *fiat coràm Sacerdote.* Gregorius Nyſſenus circà Annum 380. meminit Confeſſionis *Hom. 3. in Eccleſiaſten.* Et *in Epiſt. Canonic. ad Epiſcop. Mitylenſ. cap. 1.* ait: *Nos per Pœnitentiam & Confeſſionem à mortuis*

quis operibus ad vitam aſcendere, & ad viventem ſpem tanquàm manu deduci, à quâ per peccatum alienati ſimus &c.

Hieronymus circà Annum 380. de Confeſſione peccatorum etiam oc-
cultorum diſſerit *in cap.* 10. *Eccleſiaſtes. Item Epiſt. ad Pammach.* Et *in Comment.*
ad cap. 16. Matth. ſic ait: *Quomodò ergo ibi* (in Veteri ſcilicet Lege) *leproſum Sa-*
cerdos mundum, vel immundum facit, ſic & hic (in Novâ nimirùm lege) *alligat, vel*
ſolvit Epiſcopus & Presbyter &c. cùm peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus
ſit, ſolvendusve &c.

Chryſoſtomus circà Annum 390. *lib.* 3. *de Sacerdotio circà initium* expreſ-
ſis verbis docuit, *Sacerdotibus eſſe à Chriſto datam poteſtatem judiciariam ſolvendi ac*
ligandi peccata. Cui conformiter *in lib. 2. de Sacerdotio*, ait, *Fideles peccatis obno-*
xios oportere, Sacerdotum curationibus ſe ſe ſubmittere. Hoc verò faciendum eſſe per
puram & ſpecialem occultorum etiam peccatorum coram ſolo Sacerdote
faciendam confeſſionem, tradit *Hom. 20. & 30. in Geneſ. Hom. 33. in Ioan. Hom.*
1. in Pſal. 37. Hom. 4. de Lazaro. Item hom. 31. in Epiſt. ad Hebræos.

31. Ex quinto ſæculo Divus Auguſtinus circà Annum 400. hortatur ad
Confeſſionem peccatorum coràm Medico, qui nempè ſit Epiſcopus, vel ſa-
cerdos *in Pſal. 66. & lib. 5. Homiliarum Hom.* 12. circà illa verba *Iacobi 5. Confi-*
temini alterutrum. Et *Hom.* 50. cùm multis oſtendiſſet Pœnitentiæ neceſſita-
tem ac utilitatem, demum 2. *folio non longè à fine* ſic ait: *Implicatus ergo tam*
mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves
Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terrâ, ut ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia
tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri &c. Idem porrò Sanctus Do-
ctor pergit oſtendendo, iſtas *Eccleſiæ claves adminiſtrari per Antiſtites, ſeu Præpoſi-*
tos, quibus datum ſit judicium, juxta illud: Quæ ligaveritis in terrâ, erunt ligata & in cœ-
lo, & quæ ſolveritis in terrâ, ſoluta erunt & in cœlo: prout iſta fuſiùs traduntur tum
locis citatis, tum *lib. de Civit. cap. 9.*

32. Ex quibus proinde Patrum teſtimonijs ita licebit argumentari. Con-
feſſio peccatorum ſecundùm apertam Orthodoxorum Patrum atteſtatio-
nem primis quinque ſæculis ita fuit in uſu, ut cenſeretur ad ſalutem neceſ-
ſaria, facienda coràm ſacerdote de omnibus etiam occultis mortiferis pecca-
tis, in ordine ad remiſſionem virtute Clavium eatenùs obtinendam, ut me-
diante iſtâ remiſſione, aſcenderet peccator ad viventem ſpem, à quâ per pec-
catum alienatus erat. At iſta Confeſſionis cum Sacerdotis abſolutione con-
junctæ vis non niſi Divinitùs inſtituta, non poteſt non eſſe ſenſibile Gratiæ
per Chriſtum dandæ ſignum, atque adeò Sacramentum. Conſtat igitur ex
Patrum teſtimonijs, quòd vivâ fidelium primævæ Eccleſiæ fide in Eccleſiâ
Dei ſemper fuerit retenta Confeſſio coràm Sacerdote taliter facienda, ut unà

cum

cum abſolutione per Sacerdotem ceu Clavium Eccleſiæ Miniſtrum impertitâ, conſtitueret verum Sacramentum.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

23 AD *primam* Reſp. Sub Confeſſione auriculari (uti ex innatâ ſuâ in rebus ſacris ludendi libidine loqui ſolent pſeudoreformatores) nihil aliud intelligi, quàm privatam coram ſolo Sacerdote faciendam Confeſſionem. At talem confeſſionem fuiſſe penès antiquam Eccleſiam in uſu, apertè conſtat ex S. Chryſoſtomo *Hom. 4. de Lazaro*, ubi ait: *Non cogo te in medium theatrum prodire, ac multos adhibere teſtes, mihi ſoli dic peccatum privatim.* Et *Hom. 31. in Epiſt. ad Heb. Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuſes.* Conſtat igitur, Vedroſium falſitatis argui, dum ſcripſit, Confeſſionem auricularem non legi apud Veteres.

24 Ad *ſecundum* Reſp. Sic argumentando. Illud enim non eſt liberum, ſed neceſſarium homini Chriſtiano in peccata relapſo, ſine quo ſalus & juſtificatio obtineri non poteſt. At præter alios Sanctos Patres Lactantius *lib. 4. inſtit. Divin. cap. 17.* Confeſſionis ad ſalutem neceſſitatem apertè tradidit verbis ſequentibus. *Volens enim* (Deus) *vitæ ac ſaluti noſtræ* (ecce neceſſitatem) *pro æternâ ſuâ pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illâ circumciſione* (Confeſſione nimirùm, uti patet ex contextu) *propoſuit, ut, ſi cor mundaverimus, id eſt, ſi peccata confeſſi, ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur.* Divus porrò Ambroſius *lib. 2. de Pœnit. cap. 6.* Confeſſionis ad juſtificationem neceſſitatem clarè docuit: *Si vis*, inquiens, *juſtificari, fatere delictum tuum; ſolvit enim criminum nexus verecunda Confeſſio peccatorum.* En igitur Vedroſi, Patres Orthodoxos tibi adverſantes, dum aſſerere præſumpſiſti, vetuſtum confitendi morem fuiſſe liberum.

25 Sed ais: Nectarium Conſtantinopolitanum, teſte Sozomeno, Confeſſionem abrogâſſe, indubiè id minimè facturum, ſi lex Dei eſſet, vel Novæ Legis Sacramentum. Verùm ſi virum probum ageres, ex ipſomet Sozomeno *citato* diſtinxiſſes inter Confeſſionem publicam & privatam; è quibus iſta erat de omnibus etiam occultis peccatis, eratque Sacramentum Lege Divinâ ſtatutum, *uti præced. cap. oſtenſum eſt.* Illa verò de peccatis publicis & ſcandaloſis jam prius abſolutis, per modum ſatisfactionis imponebatur à Sacerdote. Quem proinde publicum, non verò occultum *ſacramentaliter* confitendi morem non à Chriſto, ſed occaſione Novatianæ hæreſis ab Eccleſiâ

cleſiâ inſtitutum ratione prætacti ex illâ muliere cauſati ſcandali Conſtantinopoli abrogâſſe Nectarium, conſtat integrè expendenti præallegatum Sozomenum, & Socratem *lib. 5. cap. 19.*

26. Ad *tertiam* Reſp. Vedroſium in eâ non agere ex ratione, ſed ex merâ calumniandi libidine. Et licèt eorum, quæ calumnioſè allegat, aliquid accidiſſet, tam parùm officeret Sacramentali Confeſſioni, quàm parùm Iudas proditor abutens Apoſtolatu, huic potuit derogare: neque enim hominum Divinis rebus abutentium malitia præjudicare poteſt ſacris myſterijs: uti vel ipſe Vedroſius eſt nobis exemplo & argumento evidenti.

27. Ad *quartam* Reſp. Vedroſium eſſe nimis ſtrictæ memoriæ; ajebat enim, Cyprianum *loco* per Georgium *citato* meminiſſe quidem confeſſionis, non tamen Auricularis, neque omnium, ſed duntaxat notoriorum peccatorum. At mox ſui immemor fatetur, Cyprianum *ibi* exegiſſe Confeſſionem ab illis etiam, qui cogitaverant offerre libellos. Ejuſmodi verò in purâ cogitatione conſiſtens libelli facinus erat utique occultum. De cujuſmodi adeò occulti delicti genere S. Cyprianus *citatus* ita habet: *Quoniam tamen de hoc* (libelli ſcilicet facinore) *vel COGITAVERUNT, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolentes* (Ecce Confeſſio occultorum Auricularis, utpote præcisè coràm Sacerdotibus facienda) *& ſimpliciter confitentes, Exomologeſin conſcientiæ faciant animi ſui.* En igitur Vedroſi S. Cyprianum contrà te apertè ſtantem.

28. Ad *quintam* Reſp. Auguſtinum *in lib. Confeſſionum* loqui de peccatis ante Baptiſmum commiſſis. At iſta non ſunt materia Confeſſionis Sacramentalis. Nequit ergo *loco* per Vedroſium *citato* eſſe ſermo de Confeſſione Sacramentali, ſed de illâ publicâ, quam in libro illo non Sacerdotibus, ſed in pœnitentiam, ſuiquè humiliationem toti mundo fecit, Confeſſione. Quam proinde tandem concludit præallegatis verbis, ut hominum in alienâ vitâ indagandâ curioſitatem argueret, eoſquè ab illâ curioſitate revocaret ad ſtudium corrigendæ vitæ ſuæ. En igitur Vedroſi, quàm fraudulenter agas in Confeſſionis Sacramentalis Myſterio, quod ille Sanctus Doctor tum *alibi*, tum *lib. 50. Homil. hom. 12.* diſertis verbis aſſeruit neceſſarium: *Deus noſter*, inquiens, *vult, ut ea* (peccata) *confiteamur in hoc ſæculo, ne pro illis confundamur in futuro.* Et infrà: *Sanat te Deus, confitere tantùm vulnus tuum &c. Sanaberis autem, ſi oſtendas te Medico, non quia ille non videt, ſed ipſa Confeſſio initium ſanctitatis eſt.*

Et tandem *in fine* ubi oſtendiſſet, ſub iſto Medico intelligi Sacerdotem vel Epiſcopum, ait: *Tu feciſti, tu reus es, tu peccata tua confitere, tibi ignoſcitur; ſi dixis, non ego feci &c. peccati reus es, & non illius peccati tantummodò, quod feciſti, ſed hujus etiam ſuperbiæ, quòd confiteri noluiſti.* Conſtat proinde ex mente S. Auguſtini con-

confeſſionem neceſſariò faciendam eſſe Epiſcopo, vel ſacerdoti Medico.

Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. Sanctus Chryſoſtomus *Homil. 31. in Epiſt. ad Hebreos* eatenùs docuit, Confeſſionem non in publico, ſed coràm Deo eſſe faciendam, ut tamen *Hom. 4. de Lazaro* diſertis verbis dixerit: *Mihi ſoli dic peccatum privatum.* Hinc autem evincitur, iſtum ſanctum Doctorem eatenùs exegiſſe Auricularem peccati etiam occulti coràm Sacerdote faciendam Confeſſionem, ut publicam duntaxat traderet, non neceſſariam. Unde *lib. 2. de Sacerdotio* quoquè dixit: *Multâ quidem arte opus eſt, ut, qui laborant Chriſtiani, ultrò ſibi ipſi perſuadeant, Sacerdotum curationibus ſe ſe ſubmittere oportere.* En igitur Vedroſi, Sanctum Chryſoſtomum tibi non tantùm non faventem, ſed apertè reluctantem. 29.

Ad *ſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Patres Orthodoxi ex neceſſitate ſalutis ac juſtificationis requirunt confeſſionem peccatorum etiam occultorum particulariter ac diſtinctè faciendam in ſecreto, coram Sacerdote, habente Claves ligandi & ſolvendi: *uti conſtat ex dictis præced. cap. 3. Prob. 4.* Atqui talem Confeſſionem repudiat hodierna Reformatio. Quo igitur jure Vedroſius dicit, Eccleſiam Reformatam utpote in hoc apertè pugnantem cum Patribus Orthodoxis, retinere Confeſſionem legitimam? Adhæc non poteſt legitima Clavium adminiſtratio ſubſiſtere in illâ Eccleſiâ, quæ nullam ab Apoſtolis habet Paſtorum ſucceſſionem. At Reformatio hodierna oſtendat, ſi poſsit, ſuorum Paſtorum ab Apoſtolis ſucceſsionem. Quo igitur jure dixit Vedroſius, ſuam Reformationem retinere confeſsionem privatam coram Paſtore in gravi conſcientiæ crimine, ut legitimâ Clavium adminiſtratione ligetur, vel ſolvatur? 30.

Ad *octavam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius cum ſuâ Reformatione fatetur, abſolutionem peccati præſupponere ipſius cognitionem in eo, qui propriè Iudex eſt, & à quo ſententia emanat. At, licèt ſententia peccatorum abſolutoria *Principaliter* emanet à ſolo Deo, tanquàm *abſoluto* ac *primario* Iudice, attamen *Inſtrumentaliter* emanat etiam à Sacerdote, tanquàm Iudice *miniſteriali, ſubordinato* Deo ac Chriſto, in cujus adeò nomine ac virtute eatenùs ſolvit in terrâ, ut eo ipſo Deus ſolvat in cælis, uti planum eſt ex Chriſti Domini verbis *præced. cap. 3.* ponderatis. E hinc Patres tum *locis præallegatis*, tum Gregorius Nazianzenus *Orat. ad cives timore perculſos.* Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio.* Ambroſius *lib. 1. de Pœnitentiâ cap. 2.* illam in Sacerdotibus abſolvendi poteſtatem vocant Ius ſolis Sacerdotibus permiſſum, vinculum, poteſtatem terreſtri principum ſæcularium poteſtate ſublimiorem, imò & imperium. Quibus conformiter S. Hieronymus *in Eſaiam 6. cap.* de Sacerdotibus Eccleſiæ Miniſtris aſſerendo, quòd ſermone Dei ſolvunt 31. 32.

 funi-

Digitized by Google

funibus peccatorum conſtrictos, apertè indicat illam abſolutoriam, atque adeò judiciariam poteſtatem. Quia igitur abſolutio à Miniſtro Eccleſiæ tanquàm *ſecundario*, licèt Iudice facienda, fatente Vedroſio, præſupponit confeſſionem delictorum, clarè infertur, hunc ipſum Reformationis Miniſtrum teneri ad Confeſſionem coram Sacerdote faciendam, ut blaſphemiarum & contumeliarum ſuarum obtinere poſſit abſolutionem.

COROLLARIUM.

33. Infertur ex dictis. Vedroſium in præſenti etiam puncto non niſi aërem verberâſſe, nihil prorsùs agendo in refutandis Georgij argumentis. Unde ſic licere argumentari. Illa Eccleſia non eſt vera, quæ abrogat Medium ſalutis & Iuſtificationis eatenùs neceſſarium, ut ejus retentio ac uſus cenſeatur inter notas veræ Eccleſiæ. At rem ſe ita habere circa Confeſſionem à Reformatis abrogatam, clarè conſtat ex prætactis, ſpeciatim *ex cap. 3. Prob. 4.* Viderint ergo iſti Reformati, quàm remoti ſint à veræ Eccleſiæ notâ.

SECTIO II.

De Satisfactionibus pro peccatis.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. Hic Author *ſua Facis Rat. 3. Dot. 14.* inducit S. Cyprianum *Serm. de lapſis* ſic diſſerentem: *Satisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.* Item S. Auguſtinum *cap. 10. de Pœnit.* ita loquentem: *Multum ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentia dominans, nihil eorum, quæ commiſit, Nuncio Dei denegavit.*

2. Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 4. ſect. 38.* taliter arguentem: *Parum autem me movent, quæ in Veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter omnes verè, quorum libri extant) aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè ac durè locutos. Sed non concedam, eos ipſos adeò fuiſſe rudes & imperitos, ut eo ſenſu illa ſcripſerint, quo à novis iſtis ſatisfactionarijs leguntur.* Et paulò poſt: *Scio Veteres interdum duriuſculè loqui, ut minor dixi, lapſos eſſe, nego &c.*

3. Ex quibus ita argumentatur Georgius. Ex SS. Cypriano & Auguſtino patet, eandem, quam hodie tenet Romana Eccleſia, ſententiam de ſatisfactionibus fuiſſe creditam ab Orthodoxâ Antiquitate. At hoc ipſum ita fatentur hodierni Reformatores, ut tamen in ſatisfactiones ejuſmodi

graviter invehantur, criminando etiam, quòd Eccleſia Romana doceat, nos eodem modo Deo ſatisfacere, quo Chriſtus ſatisfecit. Cùm igitur Reformatio hodierna inſectetur Romanam Eccleſiam, ſatisfactiones non in iſto fictitio, ſed in vero ab antiquis Orthodoxis Patribus credito ſenſu aſſerentem, conſequens eſt, Reformationem hodiernam ſcienter recedere ab Orthodoxâ antiquitate, hodiequè cultâ ab Eccleſiâ Romanâ.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

HIc Reformationis Miniſter *ſua Antiquit. cit. ſect. 4. in Exam. Docum. 14.* 4.
arguit 1. Quemadmodùm pueri ſibi Reformatis ſonantibus affingant, quod ipſi cantillant, ſic Papiculas Veteribus. Reperto enim apud eos vocabulo ſatisfactionis, confeſtim Papaliſticas ſomniare ſatisfactiones, quarum tamen, ut & Purgatorij & Indulgentiarum novitatem ingenuè fateantur Alphonſus à Caſtro, Petrus de Soto, Roffenſis item, & Navarrus, utpote quos non latuerit illa ſancta Confeſſionis Leonis Rom. Pontif. *Epiſt. 83.* ſic ſcribentis: *Accepêre juſti, non dedêre coronas, & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ: ſingulares quippè fuêre eorum mortes, nec alterius quiſpiam debitum ſuo fine perſolvit, quum inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt & ſuſcitati.*

Arguit 2. Si dicatur, Cyprianum & Auguſtinum commendare ſatisfactiones; negare ſe, quòd id fecerint in ſenſu Papiſtico, quatenùs ſumuntur pro redemptione pœnarum temporalium poſt remiſſionem culpæ & abſolutionem. 5.

Arguit 3. Satisfactiones fieri vel in foro Soli, eſſequè hominum ad homines, quæ vigente diſciplinâ Eccleſiæ, pœnitentibus olim impoſitæ fuerint. De quibus Auguſtinum *in Manuali ad Laurent. Quia plerumque dolor alterius occultus eſt, alteri rectè conſtituuntur ab his, qui Eccleſiæ præſunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in quâ remittuntur ipſa peccata.* Vel in foro Poli, & eſſe hominis ad Deum, atque tales præter unius Ieſu Chriſti unicam ſatisfactionem, ut modò ex Leone monuerit, eſſe nullas. 6.

Arguit 4. Culpæ agnitionem, de peccatis dolorem, eorumquè deprecationem nonnunquàm à Cypriano & alijs dici ſatisfactionem, conſuetudine quidem linguæ latinæ, quâ ij, qui verbis aliquem læſerant, juramento, ſe nolle ea dicta eſſe, ſatisfeciſſe dicebantur. 7.

Arguit 5. Si vocabulum Satisfactionis ſumatur pro redditione æquivalen- 8.

valentis, & juſtis offenſarum compenſationibus, ut ab Eccleſiâ Romanâ ſu-mmatur, meritò ſe eas deteſtari & à Veteri Eccleſiâ eas diſſentientes verè aſſerere, & ſimul deplorare ejus cæcitatem, quòd, cùm perfectiſſimæ & indubitatæ Chriſti Iuſtitiæ imputationem, quam Scriptura doceat, exſibilat, & putativam nuncupat, magno mercetur menſtruatæ & incertæ hominum Iuſtitiæ applicationes per Indulgentias.

9. Arguit 6. Georgium *pag. 62.* quiritari de injuriâ, quam Reformati Eccleſiæ Romanæ faciant, dicentes, quòd doceat, homines eo modo ſatisfacere debere, quo ſatisfecerit Chriſtus: cùm tamen ex ſenſu Pontificiorum *Satisfacere nihil aliud ſibi velit, quàm perfectiſſimam Chriſti ſatisfactionem ſibi applicare: ſatisfactiones quippe noſtras omnem ſuam vim & virtutem ex ſatisfactionibus Chriſti ſortiri.* Verùm enim verò nihil æquè abſurdum eſſe, ac ſtatuere, ſatisfactionem Chriſti per ſatisfactiones humanas applicari, ac ſolutionem alienam applicari debitori per propriam. Cui enim bono ſolutio aliena perfecta cenſeatur? Et ſanè ſtatuere ſolutionem pro aliquo præſtitam, eâ conditione ratam eſſe, ſi ipſe propriâ ſolutione illam ſibi applicet, eſſe paulò minùs, quàm inſanire. Applicationem ſanè ſatisfactionis Domini neceſſariam eſſe, ſed per media à Deo ordinata, qualia ſint tum Externa, tum Interna: *Externa*, Verbum & Sacramentum: *Interna*, Spiritus ſanctus & palmarium ejus donum, Fides, quibus partim ſupponatur & exhibeatur, partim recipiatur & obſignetur.

10. Arguit 7. Nec difficultati huic mederi Georgium, quòd aſſerat, ſatisfactiones noſtras virtutem ſuam ſortiri à perfectiſſimâ Chriſti ſatisfactione, vel (ut alij loquuntur) ſatisfactiones noſtras fundari in ſanguine Ieſu Chriſti. Verum quidem eſſe, quòd ſanguis Chriſti ſit ſolidiſſimum Satisfactionis pro peccatis noſtris fundamentum, ſi accipiatur pro eâ, quâ Chriſtus per ſe ipſum in propriâ ſuâ perſonâ præſtitit. Sed, quòd Chriſtus ſanguine ſuo meritus ſit, ut ſimus Salvatores noſtri, noſtriſquè actionibus poſſimus ſatisfacere Iuſtitiæ Dei, Scripturæ fundamentis prorsùs adverſari. Nuſquàm enim dicere, Chriſtum meruiſſe, ut redimamus nos ipſos, vel ſatisfaciamus pro peccatis noſtris: ſed aſſerere Scripturam; *Eum* (Chriſtum) *purificatione peccatorum noſtrorum per ſe ipſum facta, ſediſſe ad Dexteram Majeſtatis. Heb. 1. 13.* Et: *In ipſo nos habere Redemptionem. Eph. 1. 7.*

11. Arguit 8. Scripturam aſſerere, quod Chriſtus ſatisfecerit ſemel Deo: econtrà Eccleſiam Romanam dicere, quòd ſatisfaciat quotidie. Illam aſſerere, quòd Chriſtus ſatisfecerit per ſemetipſum, hanc dicere, quòd ſatisfecerit pro nobis in nobis ipſis.

Digitized by Google

CAPUT III.

Oſtenditur, culpâ jam remiſsâ, plerumque remanere reatum pœnæ temporalis, quæ tolli poſſit propriâ pœnitentis ſatiſfactione & ſatiſpaſſione.

Probatio prima, ex ſacris Litteris.

ETenim Davidi pœnitenti nomine Dei Nathan Propheta dixit *2. Reg. 12. Tranſtulit quoquè Dominus peccatum tuum: verùmtamen filius, qui natus eſt tibi, morietur.* At per hoc apertè docemur, culpâ ac pœnæ æternæ reatu jam dimiſſis, Deum pœnâ temporali per mortem filij punire voluiſſe Davidem; uti Divus Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum cap. 67.* diſertè & clarè oſtendit. Similiter *Exodi 32.* ubi Deus populo Iſraelitico tum propter ejus pœnitentiam, tum propter Moyſis interceſſioem remiſerat peccatum Idololatriæ, nihilominus comminatus fuit: *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* At iſta ultio, culpâ remiſsâ, non erat æterna, ſed temporalis. Pari proinde ratione *Num. 12.* culpâ murmurationis ſorori Moyſis jam remiſsâ, fuit punita per lepram ſeptem dierum. Denique *2. Reg. ult.* Propheta Gad Davidi, ubi jam pœnituiſſet peccati ambitionis in numeratione populi admiſſæ, fecit Dei nomine optionem, ut è tribus unum eligat ad illius peccati vindictam. Conſtat proinde, culpâ unà cum pœnâ æternâ per pœnitentiam jam remiſsâ, manſiſſe reatum pœnæ temporalis, quam ſatiſfactione, vel ſatiſpaſſione potuiſſe quoquè extingui, conſtabit ex dicendis.

12.

13.

14.

Probatio ſecunda, prioris continuativa.

NAm cùm Davidi *cit. 2. Reg. 12.* poſt peccati ac pœnæ adeò æternæ remiſſionem eſſet Divinitus nunciata pœna temporalis in morte filij, ipſe tamen jejunavit & flevit, deprecatuſquè eſt Dominum pro parvulo, dicens: *Quis ſcit, ſi fortè donet eum mihi Dominus, & vivat infans? v. 22.* At fruſtranea imò impia fuiſſet iſta Davidis deprecatio & pœnitentia, ſi ex eâ non licuiſſet ſperare pœnæ temporalis ſibi impoſitæ remiſſionem. Deinde Deus *Exod. 32.* ad deprecationem Moyſis taliter remiſit populo Iſraelitico culpam Idololatriæ, ut tamen comminaretur viſitationem in die ultionis. At illa Moyſis pro peccatis populi ſui deprecatio eatenus flectebat Deum ad miſericordiam, ut haberet rationem alicujus ſaltem congruitatis, ex quâ Deus furorem ſuum mitigaret, & moveretur ad miſerationem. Illa ipſa autem Dei

15.

16.

Digitized by Google

ad miſericordiam motrix ac flectrix deprecationis congruitas dicitur à no-
17. bis Satisfactio, non quidem *ſimpliciter* & Condigna, qualis erat in Chriſto, ſed Congrua, & *ſecundùm quid.* Porrò *Num. 12.* Deus ad deprecationem Moyſis Mariam ob peccatum leprâ infectam ita recepit in gratiam, ut non niſi ſeptem diebus excluderetur extrà caſtra. Similiter *2. Reg. 24. v. 25.* habetur, Dominum definitâ licèt peſtilentiæ in populum pœnâ ad orationem, holocauſtorumquè & pacificorum oblationem à Davide factam, ita fuiſſe propitiatum, ut cohiberetur plaga ab Iſrael. In ejuſmodi verò tum Moyſis, tum Davidis deprecationibus & oblationibus aliqua utique inerat congruitas, ut Deus iram verteret in miſericordiam, remitteretquè de pœnâ temporali, cùm alioquin fruſtrà & ſine ratione pro placando Deo fierent oblationes ac deprecationes hujuſmodi. Talis proinde ad Deum propitium reddendum deprecationis & oblationis congruitas aptè dicitur Congrua Satisfactio pro pœnâ temporali Divinitùs inflictâ. Niſi ergo Reformatores hodierni malint vel ludere in voce vel, *uti infra conſtabit*, vocem Satisfactionis malitioſè, & contrà manifeſtam Pontificiorum intentionem interpretari, oportet, ipſos nolentes volentes fateri, ſatisfactionem à Pontificijs aſſertam fundari in ſacris Litteris.

Probatio tertia, cujuſdam oppoſitæ exceptionis refutatoria.

18. Dicet enim aliquis fortaſsè, illa exempla contigiſſe in antiquo Teſtamento, antequàm Chriſtus pro nobis ſatisfecerit: at iſtâ Chriſti Domini ſatisfactione jam perfectâ, non eſſe, cur ab hominibus ulterior pro peccatis exigatur ſatisfactio. Verùm Reformatores hodiernos oporteret, meminiſſe, quòd nullum à tempore lapsûs Adami fuerit tempus, in quo non omnes fuerint redempti per Chriſti Domini ſatisfactionem ab æterno Patre acceptatam, ita ut nullus prorsùs vel ſatisfactionis, vel gratiæ ac remiſſionis peccatorum fieret effectus, niſi ex reſpectu ad Chriſti Domini in Cruce tandem conſummatam ſatisfactionem. Unde *Apocal. 5.* dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*, in acceptatione nimirùm Divinâ fructûs Paſſionis & Satisfactionis Chriſti, extendente ſe ad omnia tempora. At hoc non obſtante, ſatisfactiones pro peccatis modo *ſuperiùs prob. 2.* expoſito, habuerunt locum in antiquo Teſtamento. Ergo ſatisfactionis Chriſti perfectio pro omni tempore non ſufficiens duntaxat, ſed ſuperabundans non obſtat, quò minùs in Novo etiam Teſtamento poſſit à puro homine exhiberi ſatisfactio pro pœnâ præſertim temporali, eò vel maximè, quod ejuſmodi ſatisfaciendi modus *quoad ſubſtantiam* ſit de Moralibus, non autem Cæremonialibus, vel Iudicialibus obſervantijs Antiquæ legis: nequè verò in novo

Digitized by Google

Novô Teſtamento ſint abrogata Antiquæ legis Moralia, ſed Cæremonialia duntaxat & Iudicialia præcepta ſeu obſervantiæ, Catechiſmo Tigurino *a. 6.* id atteſtante, dum Decalogum Veteris Teſtamenti (quà moralia nimirùm præcepta continentem) hodieque in Novâ lege dicit, eſſe ſcitu & obſervatu neceſſarium ad ſalutem. Imò Confeſſio Tigurina Anno 1644. impreſſa *pag. 60.* in tantum approbat exemplum Zachæi pœnitentis, quadruplum reſtituentis, ut expreſsè ſtatuat, ad veram pœnitentiam præter contritionem ac internum de peccatis dolorem requiri non tantùm reſtitutionem injuſtè ablatorum, ſed opera miſericordiæ ac eleemoſynæ. At peccatori ac perfectè contrito ſacra Scriptura iteratis ac expreſſis verbis promittit remiſſionem culpæ, atque adeò pœnæ æternæ. Ad quid ergo ſubſequens ultrà injuſtè ablatum ex miſericordiæ motivo facta erogatio ſeu eleemoſyna requiritur à pœnitente, niſi in ordine ad remiſſionem pœnæ temporalis? 19.

Probatio quarta, petita ex vivâ fidelium fide ad nos uſque propagatâ, & Patrum Authoritatibus firmatâ.

NAm Iuſtinus Martyr *Dial. cum Tryph.* ſic habet: *Verùm enim verò, ſi viro tanto (Davidi) non eſt ante noxa remiſſa, quàm pœnitentia, ac tum demum, cùm tantoperè flevit, & res tantas fecit magnus iſte Rex, & unctus Propheta, quam tandem impuri iſti &c. niſi pœnitentiam egerint, ſpem habere poſſunt, non imputatum illis iri à Domino peccatum?* En igitur exemplum Davidis accommodari etiam ad tempus Evangelicæ Legis. Atqui vi contritionis in tantum meruit audire: *Tranſlatum eſt tuum peccatum*, ut tamen temporaliter puniretur, & has pœnas temporales ſuis afflictionibus, jejunijs & humiliationibus, ſeu caſtigationibus, & ad Deum deprecationibus redimere ſtuderet. Conſequens igitur eſt, in Novâ etiam Lege adhuc tenere, quòd poſt dimiſſam culpam remaneat aliquis pœnæ temporalis reatus, qui bonis operibus redimi, atque adeò (in ſano ſenſu) ſatisfieri poſſit. 20.

Cui conformiter S. Irenæus *lib. 4. cap. 24. adversùs hæreſ.* ita diſſerit: *Quoniam autem ea, quæ poſſidentur, pauperibus diviſa ſolutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zachæus facit manifeſtum: Ecce, dicens, dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi cujus quid defraudavi, reddo quadruplum.* Origenes *Homil. 6. ſuper Exod.* ait: *Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo* (peccator) *deleat, quod admiſſum eſt.* Similia habet *ſuper Levitic. & ſuper lib. Iud. Hom. 3.* 21.

Tertullianus *lib. de Pœnit.* inter alia ſic loquitur: *Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ Deus mitigatur.* Et infrà: *Quam ineptum,* inquit, *pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere?*

Hoc

Hoc eſt pretium non exhibere &c. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit, hâc pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem.

Sanctus Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 3.* Novatianos ita redarguit: *Datur opera, nè ſatisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimantur.* Divus Baſilius *Hom. 3. in dictum illud: Attende tibi ipſi*, ita diſſerit: *Magnum eſt & grave peccatum. Multâ opus habes confeſſione, lachrymis amarulentis, peracti contentione vigiliarum.*

22. Divus Gregorius Nazianzenus *Orat. de Pauper. amore*, ſic ait: *Per miſericordiam & fidem peccata purgantur. Purgemur itaquè per miſericordiæ officia.* S. Ambroſius *de Heliâ & jejunio cap. 20. Habemus etiam plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecuniâ tuâ. Vilis pecunia, ſed pretioſa eſt miſericordia. Eleemoſyna, inquit, à peccato liberat.* Divus Hieronymus *lib. 3. Epiſt. 295. Si faciem ejus in confeſſione præoccupaverimus, hoc eſt ante præſtitutum diem per res ipſas ei ſatisfecerimus, in judicio miſericordiam conſequemur.* Et *in Epitaph. Paulæ ad Euſtoch. Affligendum corpus, quod multis vacavit delicijs, longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu, mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima aſperitate cilicij commutanda &c.*

Sanctus Chryſoſtomus *Serm. de lapſu primi hominis. Oſtendit Dominus, quibus officijs poſſint delicta purgari, oſtendit, confeſſione & deformitate cultûs veniam poſſe facillimè impetrari.* Et Orat. de B. Philogonio : *Tu quibus rebus provocâſti Deum, per has rursùs facito propitium &c.*

Divus Auguſtinus *in Pſal. 44. Puniendum eſt peccatum: ſi puniendum non eſſet, nec peccatum eſſet. Preveni illum* (Deum) *non vis, ut ipſe puniat, tu puni &c. Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita eſſe peccata non poſſunt. Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipſo &c.*

23. Ex quibus ita licet argumentari. Conſtat ex S. Iuſtino, exemplum Davidis poſt peccatum à Deo condonatum pœnas temporales ſui corporis & animi afflictionibus, pijſque operibus eluentis, hodieque locum habere debere. Atqui ad remiſſionem & condonationem peccati obtinendam, oportet, Deum ita præoccupare in Confeſſione, ut Confeſſione ſatisfactio diſponatur, ac mediante Confeſſione per res ipſas (meritorum ſcilicèt Chriſti operatum opus) Deo ſatisfaciamus. *Ex Tertulliano & S. Hieronymo.* Hac verò peccati remiſſione per Confeſſionem obtentâ, opus eſt adhuc pœnitentijs, afflictionibus corporis & animi, eleemoſynis, alijſque pijs operibus exemplo Zachæi, Deum mitigare, atque res ipſas punire, Deumque facere propitium. *Ex Iuſtino Martyre, Irenæo, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino.* At verò talia Deum mitigan-

Digitized by Google

tigantia opera pia, redemptiones, ſolutiones, ſatisfactiones, compenſationes vocantur à S. Irenæo, Origene, Tertulliano, S. Cypriano, Ambroſio &c. Manifeſtum igitur eſt, illum, quem Pontificij hodieque retinent pro peccatis ſatisfaciendi modum, fuiſſe quoquè obſervatum in antiquâ Orthodoxa Eccleſiâ, ita ut, ſicut hodie à prætenſis Reformatis, ſic olim à Novatianis, teſte S. Cypriano, fuerit impugnatus.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Vedroſium egregiè hîc prodere ſuam perfidiam in allegando Leone Papâ. Hic enim ſummus Pontifex *loco* per Vedroſium *citato* agens contrà illos, qui veritatem carnis & Sanguinis Chriſti negant, infert, iſtos non poſſe in Sacramento regenerationis ſeu Baptiſmatis ullam ponere ſpem, nec adeò poſſe ex Sanctorum mortibus obtinere libertatis donum, ſeu peccati remiſſionem, cùm nullius inſontis occiſio fuerit propitiatio mundi, ſintque adeò de fortitudine fidelium exempla quidem nata patientiæ, non dona juſtitiæ, nullo Sanctorum debitum pro alijs ſuo fine perſolvente, ſed ſolo Domino noſtro Ieſu Chriſto exiſtente, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſuſcitati fuerint. Ex quibus adeò manifeſtum eſt, *loco præallegato* eſſe ſermonem de ſatisfactione per valorem ſuum condignum *immediatè* extinctrice peccati, ac *ſimpliciter ex opere operato* juſtificatrice. At Pontificij unanimi conſenſu fatentur, iſtam ſatisfactionem non niſi merito hominis Dei, ſeu Chriſti poſſe reſpondere, quanquàm ex Divinâ tam in ſacris Litteris, quàm per fidelium perpetuum & ex Patribus probatum uſum firmatâ fide profiteantur, poſſe pia opera flectere Divinam miſericordiam, ut per gratiam Dei perveniat quis ad Sacramentum reconciliationis, imò contritionem Charitate formatam *immediatè* conducere ad miſerationem Dei taliter movendam, ut ex reſpectu ad Chriſti Domini in Cruce conſummatam oblationē conferat juſtificationis gratiam, ſeu peccatorum remiſſionem. Quâ proinde obtentâ, unà ſimul deleri quidem æternæ pœnæ reatum, ut tamen remaneat pœnæ alicujus temporalis reatus, pro quo exhibenda ſit ſatisfactio aliqua, de quâ præter Patres ſuprà adductos Leo Papa *Epiſt. 91.* ita ſcribit: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent: & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Conſtat igitur, condignam pro

24.

25.

Digitized by Google

peccatis ſatisfactionem eatenus eſſe Chriſti Domini propriam, ut tamen locum habeat illa à Pontificijs aſſerta tum pro reſiduo temporalis pœnæ reatu, tum ad Dei, remedium ſatisfactionis Chriſti applicatorium condonantis, miſerationem flectendam, pœnitentis, aliorumque piorum ho-
26. minum ſatisfactio congrua. Quàm perfidè porro egerit Vedroſius in citandis Alphonſo à Caſtro, Roffenſi, Petro de Soto, & Navarro, quaſi Purgatorium, indulgentias & ſatisfactiones non tantùm quoad nomina (cujuſmodi tamen novorum nominum pro rei veritate meliùs exprimendâ, ipſiſmet etiam Reformatis fateri coactis, non improbari poſſe, conſtat ex dictis *ſuprà diſſert. 7.*) ſed quoad rem ipſam novitatis arguiſſent, ad oculum patebit cuivis legenti illos authores, præſertim Navarrum diverſis in locis, ut vel hinc in aperto ſit, argutias Vedroſianas non niſi impoſturis turgere.

27. *Ad ſecundam* Reſp. Inprimis ſic argumentando. Calvinus *lib. 4. Inſtit. ſect. 38.* ſcribit, ſe parum moveri ex ijs, quæ in Veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt, cùm omnes ferè, quorum libri extant, aut hac parte lapſi ſint, aut nimis aſperè ac durè ſint locuti. At niſi veteres Orthodoxos Doctores quoad ſatisfactionem ſuæ Reformationi adverſantes credidiſſet Calvinus, minimè tam durè & aſperè, imò pertinaciter ſcrip-
28. ſiſſet. Deinde Vedroſius negat, Cyprianum & Auguſtinum de ſatisfactionibus locutos fuiſſe in ſenſu Papiſtico, quatenùs nimirùm ſumuntur pro redemptione pœnarum temporalium poſt remiſſionem culpæ & abſolutionem. Atqui Vedroſius non niſi pervicaciter negare poteſt, quòd Sancti Cyprianus & Auguſtinus taliter fuerint locuti de ſatisfactionibus, qualiter earundem exemplum præbuerit Regius Pſaltes David: ſiquidem de hoc Divus Auguſtinus *in Pſal. 50.* ſuper iſta verba: *Et à delicto meo munda me*, ita diſſerat: *Reſpondeat David, reſpondeant lapſi, reſpondeant cum David, ut miſericordiam mereantur ſicut David, & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam, non impunitum erit: ſed ideò nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio.* Ex ſacris autem Litteris *ſuprà cap. 3. Prob. 1. & 2. deductis* manifeſtum eſt, Davidem culpâ jam remiſsâ, ſuis deprecationibus & afflictionibus contendiſſe coram Deo, ut pœnæ temporalis adhuc ſolvendæ reatum condonaret, vel mitigaret. Conſequens igitur eſt, Sanctos Cyprianum & Auguſtinum de ſatisfactionibus
29. locutos fuiſſe in ſenſu Papiſtico. Quinimò Divus Cyprianus *lib. 1. de lapſis*, adverſus Novatianos conqueſtus eſt in hæc verba: *Quibus etiam non ſatis fuit ab Evangelio receſsiſſe, ſpem lapſis ſatisfactionis & pœnitentiæ ſuſtuliſſe fraudibus, involutos, vel adulterijs commaculatos, vel ſacrificiorum funeſtâ contagione pollutos, nè Deum*

Digitized by Google

um rogarent, nè in Eccleſiâ Exomologeſin criminum facerent, ab omni ſenſu & fructu pœnitentiæ removiſſe. Audiamus proinde Reformationis prætenſæ ſpiritum ex Luthero, quoad hoc punctum minimè diſcordantem cum Novatianis, utpote qui *to. 1. Epiſt. fol. 345.* ad ſuum Philippum taliter ſcripſerat: *Eſto peccator, & pecca fortiter, ſed fortiùs fide, & gaude in Chriſto, qui victor eſt peccati, mortis & mundi; peccandum eſt, quamdiu hic ſumus, vita hæc non eſt habitatio Iuſtitiæ, ſed exſpectamus, ait Petrus, cœlos novos, & terram novam, in quibus Iuſtitia habitat, ſufficit, quòd agnovimus per divitias gloriæ Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi, ab hoc non avellet nos peccatum, etiamſi millies millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Hæc igitur Vedroſi perpende, & conſidera, an iſtæ tuæ quoquè Reformationi familiaris Lutheri ſpiritus melior ſit ſpiritu Novatianorum? 30.

Ad *tertiam* Reſp. Vedroſi rectè diſtinxiſti inter ſatisfactiones, quæ fiunt in *Foro Soli*, & in *Foro Poli*. At peccas in eo, quòd ſatisfactiones, vigente Eccleſiæ diſciplinâ, in publico fieri ſolitas ita dicas eſſe hominum ad homines, ut nullas omninò admittas in ordine ad Deum, ſed ſublatis ſatisfactionibus *in Foro Poli*, unicâ Chriſti ſatisfactione (Leone ad hoc tuum intentum falsò licet, *uti ex dictis n. 24. patet*, allegato) contentos nos eſſe jubeas: S. Cypriano *lib. 3. Epiſt. 14.* præter alios *præced. cap. Prob. 3.* adductos Patres, apertè refragante ſequentibus verbis: *Hæc* (remedia reconciliationis) *qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros, ut, qui poſſunt, agentes pœnitentiam veram, Deo Patri ad miſericordiam precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, ut magis pereant.* 31.

Ad *quartam* Reſp. Non ſolam culpæ agnitionem ac de peccatis dolorem, eorumquè deprecationem, ſed etiam opera pia Sanctus Cyprianus *proximè* citatus ait, taliter eſſe ſatisfactoria coràm Deo, ut idem ſanctus Martyr *lib. 1. Epiſt. 3.* aſſerat, ejuſmodi ſatisfactionibus redimi delicta. Hinc autem manifeſtè concluditur, ſatisfactionem Sancto Cypriano non eſſe meram culpæ retractationem, ſed reatûs inde contracti redemptionem. In aperto igitur eſt, hunc ſanctum Doctorem falsò allegari à Vedroſio, dum ait, ipſum nomine ſatisfactionis aliud non intellexiſſe, niſi quòd ſe declaret, nolle peccatum à ſe factitatum. 32.

Ad *quintam* Reſp. Vedroſium in hoc ſe apertè agere reum de crimine Falſi. Ubi enim Eccleſia Romana aſſerit, homines peccatores pro ſuis adversùs Deum offenſis poſſe reddere æquivalentem & juſtam compenſationem? Dicimus quidem, Contritionem Charitate formatam eſſe *Congruam*, minimè tamen *Condignam* & juſtam pro peccato mortali ſatisfactionem. Quâ proinde poſitâ, ex pacto inter Chriſtum & Deum Patrem in cruce confirmato & conſummato, aſſerimus, applicari peccatori Condignam Chriſti 33.

Domini pro noſtris peccatis oblatam ſatisfactionem, ad quam Deus reſpiciendo ac remittendo peccata, faciat quidem Iuſtitiam erga Chriſtum, ſed puram miſericordiam erga peccatorem. Quòd porrò ille Curienſis Miniſter cavillando aſſerat, per Indulgentias magnò mercari menſtruatæ & incertæ hominum juſtitiæ applicationes, videre de hoc licet, quæ *ſuprà locis in Indice verbo* Indulgentia *allegatis*.ex ſolidis Fidei fundamentis dicta ſunt.

34. Ad *ſextum* Reſp. Annè Vedroſi patieris tuum Miniſterium argui de injuriâ illatâ Romanæ Eccleſiæ, dum iſti obtrudit, quòd doceat homines eo modo ſatisfacere debere, quo ſatisfecerit Chriſtus? Obmutuiſti ſanè ad querelam Georgij de hac injuriâ conquerentis, quia ejuſdem calumniæ te reum ſciebas, dum proximè anteà non abſque falſitate ſcripſeras, Romanam Eccleſiam exigere talem pro peccatis ſatisfactionem, quæ eſſet redditio æ-
35. quivalentis, & juſta offenſæ Divinæ compenſatio. Sed quid ais, æquè abſurdum eſſe, *Quòd ſatisfactio Chriſti per ſatisfactiones humanas applicetur*, ac ſi dicatur, *Solutionem alienam applicari debitori per propriam.* Vel *Solutionem pro aliquo præſtitam eâ conditione ratam eſſe, ſi ipſe propriâ ſolutione illam ſibi applicet.* Verùm ex te quæro, Vedroſi, an non credas Cauſam Primam, nempè Deum, ex ſe ſolo potentem eſſe ad quaſvis creatas ſubſtantias producendas? Cur ergo utitur cauſis ſecundis, ſuumquè cum iſtis influxum conjungit in ordine ad effectus ejuſmodi producendos? An quia ex ſpeciali ſuæ Divinæ Providentiæ conſilio ita ordinavit? At ipſemet fateris, applicationem ſatisfactionis Chriſti neceſſariam eſſe per media à Deo ordinata. At nunquid ſuprà *Arg. 4.* ex Sancto Cypriano faſſus es, tale medium eſſe culpæ quoquè agnitionem, de peccatis dolorem, eorumquè deprecationem, quæ ab illo ſancto Martyre & alijs ſanctis Patribus dicantur ſatisfactiones? An non igitur nolens volens fateris, ex Dei ordinatione factum eſſe, ut ſatisfactio Chriſti pro noſtris peccatis applicetur per aliqualem peccatoris ſatisfactionem? Etſi proinde abſurdum foret, alienam Chriſti ſatisfactionem ac ſolutionem applicari per propriam, dum hæc foret æquè Condigna, ejuſdemquè cum illâ ordinis & gradûs; eo ipſo tamen, quòd noſtra ſatisfactio non tantùm non ſit condigna, ſed gradûs infinitè inferioris, quàm ſit Chriſti Domini ſatisfactio, imò ſit huic tam *Efficienter* quoad ſui, mediante gratiâ per Chriſtum donatâ, poſitionem, quàm *Formaliter*, quoad ſui ab æterno Patre acceptationem ſubordinata; ſequitur, æquè non eſſe abſurdum, quòd ſatisfactio Chriſti applicetur per noſtram ſatisfactionem, ac non ſit abſurdum, quòd Cauſa Prima pleroſquè effectus creatos non producat, niſi influxum ſuum conjungendo cum causâ ſecundâ. En igitur Vedroſi, quomodò tuæ argutiæ inſtar fumi evaneſcant.

Digitized by Google

Ad *ſeptimam* Reſp. Eam non niſi ex falſo ſuppoſito, atque puro Vedroſij commento procedere. Quis enim Pontificiorum unquàm ſomniavit, quòd Chriſtus ſuo ſanguine meritus ſit, ut ſimus Salvatores noſtri? Ad hoc enim requireretur, ut exhiberemus ſatisfactionem ex ſuo proprio valore ſufficientem, peccatiquè ex ſuo Condigno pretio reparativam. Cujuſmodi nemo Pontificiorum attribuit noſtris, quantumvis ex gratiâ Chriſti factis actionibus, utpote *de Congruo* duntaxat ſatisfactorijs, atque non *Cauſaliter* tantùm, ſed *Formaliter* ſubordinatis ſatisfactioni Chriſti. Unde etiam fit, eatenùs verificari, nos habere Redemptionem in Chriſto, & Chriſtum purificatione peccatorum noſtrorum per ſe ipſum factâ, ſedere ad Dexteram Majeſtatis, ut ipſomet tamen Vedroſio *ubi ſuprà* fatente, opus ſit hujus à Chriſto præſtitæ ſatisfactionis, applicatione tum per Sacramenta, tum per pœnitentiam & ſatisfactionem propriam, *uti Patres ſæpiùs allegati diſertis verbis teſtati ſunt.*

Ad *octavam* Reſp. Ex hac tuâ argutiâ Vedroſi convinceris, quòd ineptè ſimul, & malitioſè procedas. Ineptè procedis, quia non diſtinguis ſatisfactionem Chriſti quâ *Formaliter* in ſe ipſâ, tanquàm Cauſam totius erga peccatores propitiationis Divinæ, & quâ *Effectivè* conſideratam, ſecundùm Divinæ miſerationis effectus ex illâ promanantes. At Eccleſia Romana dicit, ſatisfactionem Chriſti in *ſe Formaliter* ſpectatam, ceu univerſæ in peccatores propitiationis Divinæ cauſam, eatenùs in Cruce per ipſummet Chriſtum ſemel eſſe conſummatam, ut *Effectivè* tamen quoad Divinæ Miſerationis ex illâ promanantes effectus ſuum vigorem in nobis peccatoribus jugiter exerceat, mediantibus tum Sacramentis, tum pœnitentiæ operibus. Quâ proinde diſtinctione ineptè neglectâ, convinceris, etiam malitioſè proceſſiſſe, Romanæ Eccleſiæ affingendo illos loquendi modos, quibus ſignificari videtur, Chriſti ſatisfactionem *Formaliter* in ſe ipſâ fieri quotidie in nobis: cujuſmodi tamen loquendi modum nullatenùs invenies uſurpatum in Romanâ Eccleſiâ. 36.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur, Vedroſium nè in apice quidem ſolvere argumenta Georgij *cap. 1.* deducta: quibus adeò firmiter ac illibatè ſubſiſtentibus, licebit hunc in modum argumentari. Ille ſpiritus non eſt Divinus, qui Pœnitentiæ opera, quibus ſatisfactio Chriſti non tantùm non minuitur, ſed ex præſcripto Dei ab Orthodoxæ Eccleſiæ Doctoribus tradito, eorumque authoritatibus firmato, & in antiquâ ſecundùm ipſoſmet Reformatos Doctores verâ Eccleſiâ obſervari ſolito eatenùs applicatur Chriſti in Cruce conſummata ſatisfactio, ut hæc *principaliter* ac *de Condigno*, illa *minùs principaliter* 37.

ac-

Digitized by Google

ac *Diſpoſitivè* cum ſubordinatione ad illam, ſolumquè *de Congruo* operetur remiſſionem peccatorum. At hæc ita ſe habere, ut Eccleſia Romana retineat talem ab Orthodoxiâ antiquâ receptum, mediantibus Pœnitentiæ operibus, ſatisfaciendi modum, ſpiritus verò Reformationis hodiernæ illum abroget, conſtat ex dictis. Viderit ergo iſta Reformatio, an ſpiritus ſuus poſſit eſſe Divinus?

SECTIO III.

De Purgatorio.

1. CUm in *præcedenti ſectione cap. 3.* ſit probatum, culpâ remiſſâ, remanere poſſe reatum alicujus pœnæ temporalis, ideò non incongruè hîc ſubijcitur materia de Purgatorio, utpote in quo accidat, luere defunctos, qui pro illo pœnæ temporalis reatu ante vitæ ſuæ finem non ſatisfecerint.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Georgij.

2. HIc Author *cit. Rat. 3. Docum. 32.* inducit S. Chryſoſtomum *Hom. 41. in 1. ad Corinth. & Hom. 69. ad populum.* diſertis verbis docentem, in Divinis Myſterijs agi memoriam, & orari pro defunctis, imò commemorationem ejuſmodi ab Apoſtolis eſſe ſancitam, quòd ſcirent, illis multum indè contingere lucrum, utilitatem multam &c.

Inducit etiam Sanctum Auguſtinum *cap. 109. & 110. Ench. ad Laurent. item c. 1. de curâ pro mortuis. Et cap. 4. nec non Serm. 34. de verb. Apoſt.* expreſsè aſſerentem: Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro ipſis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſiâ fiunt. Quam pro defunctis orandi conſuetudinem in Machabæorum libris aſſertam, firmari authoritate univerſalis Eccleſiæ, eſſequè traditam à Patribus, id eſt Apoſtolis.

3. Inſuper *n. 157.* inducit Zwinglium *Epich. de Can. Miſſæ* fatentem, Auguſtinum & Chryſoſtomum licèt perperàm, perhibuiſſe, quòd mos pro defunctis orandi ab Apoſtolis ad ſe manârit.

Inducit etiam Bullingerum *Decad. 4. Serm. 10. §. Hi ipſi, & §. Verùm.* aſſerentem, Verum ſanè eſſe, quòd Veteres orârint pro defunctis; atque hoc traditum eſſe ab Auguſtino, Chryſoſtomo, alijſque viris vetuſtis, dubita-

Digitized by Google

re tamen ſe, an rectè in hoc fecerint: imò ſcire ſe, quòd Aerius orationes pro defunctis inutiles aſſerens, ſit damnatus.

Inducit porrò Calvinum *Inſtit. lib. 3. cap. 5 ſect. 10.* dicentem, Veteres humani aliquid paſſos eſſe, quòd precationes fuderint pro mortuis.

Inducit denique Molinæum *Art. 24. de Purgat. Clyp. Fid. pag. 292.* affirmantem, vetuſtos Patres tertij, quarti, & quinti ſæculi ſæpe de purgatorio quodam igne loqui poſt hanc vitam, quem ad noviſſimum uſque diem differant.

Ex quibus tandem Georgius *n. 162.* concludit, in aperto jam eſſe, quòd articulus de ſuffragijs pro defunctis, & conſequenter de purgatorio eatenùs habuerit locum in antiquâ verâ & Orthodoxâ Eccleſiâ, ut conſequenter Reformatio hodierna ab iſtâ manifeſtè deviârit, Romana verò Eccleſia quoad iſtud dogma hodie perſeveret in antiquâ Orthodoxiâ. 4.

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

ISte Miniſter in *ſua Antiquitatis cit. Sect. 4. Exam. Doc. 32.* arguit 1. Georgium conari Purgatorij antiquitatem perſuadere teſtimonijs Auguſtini & Chryſoſtomi: in quibus tamen de Purgatorio altum ſit ſilentium. Fieri ab his quidem mentionem commemorationis demortuorum in precibus Eccleſiæ. Hanc tamen non juvare Purgatorium, *uti ſuprà Doc. 12. bujus Sect. ſit oſtenſum.* 5.

Arguit 2. Admirandam eſſe Georgij perſpicacitatem, quâ in Antiquitate cernere hunc ignem potuerit, quem ante ipſum perſpicaciſſimi non viderint. Etenim ignem purgatorium, quem Sixtus Senenſis *Bibl. lib. 5. annot. 171.* Origeni acceptum referat, per quem nimirùm omnes, qui ad Paraclitum redire deſiderant, David, Ezechiel, Ioannes, Petrus, Virgo Deipara, omnes, uno Chriſto excepto, ſub poſtremi judicij tempus purgandi, juxta Orig. Ambroſium, Hilarium, Hierony. falsò etiam juxta Eccleſiam Romanam cenſeantur; eſſe alium à Purgatorio Romanæ Eccleſiæ. Atque illum non eſſe hunc, cujus apud Veteres mentionem fieri, aſſerat Molinæus à Georgio *pag. 326.* citatus. 6.

Arguit 3. De Purgatorio Eccleſiæ Romanæ Ioannem Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem in Angliâ, & Papæ Martyrem contra Lutherum ſcribendo, *art. 18.* fateri: *Non eſſe in promptu, adducere unam aliquam ſcripturam, quæ protervientem adigat, ut velit, nolit, confiteatur. Purgatorium eſſe. Et ſi aliqua eſſe poſſit, tamen diligentiſſimos inquiſitores hactenùs latuiſſe.* Unde Petrum Cottonum Ieſuitam à diabolo quæſiviſſe, quis eſſet in Scripturâ locus, ex quo probari poſſit 7.

ſit evidenter Purgatorium. Hinc Petrum à Soto *Lect. 1. de Purg. in Sacerd. inſtruct.* innuere, *Non eſſe utendum Scripturâ ad probandum Purgatorium.*

8. Arguit 4. Nec ab Antiquitate probari Purgatorium, Roffenſi atteſtante, quòd de Purgatorio apud Priſcos illos nulla, vel quàm rariſſima fiebat mentio, ſed etiam Græcis ad hunc uſque diem non eſt creditum, Purgatorium eſſe &c. Undè concludere in hæc verba: *Cùm tam ſerò cognitum fuerit ac receptum univerſæ Eccleſiæ, quis jam de Indulgentijs mirari poteſt, quòd in principio naſcentis Eccleſiæ nullus fuerit earum uſus.* Alphonſum à Caſtro, qui Concilio Tridentino interfuerit, *adverſ. hæreſ. lib. 8. in verbo Indulgentiæ* ſic loqui: *De Tranſubſtantiatione panis in Corpus Chriſti rara eſt in ſcriptoribus antiquis mentio, de Proceſſione Spiritûs multò rarior, de Purgatorio ferè nulla, potiſſimùm apud Græcos ſcriptores: quâ de causâ uſque in hodiernum diem Purgatorium non eſt à Græcis creditum.* Quare preces pro mortuis non eſſe ſuperſtruendas Purgatorio, utpote quas Græci abſque Purgatorio retinuerint. In eandem ſententiam Navarrum *Comment. de Iubil.* ſic diſſerere. *Nemo jam dubitat Orthodoxus, an Purgatorium ſit, de quo tamen apud Priſcos nulla, vel quàm rariſſima mentio.* Malè itaque Georgium convenire cum Gregalibus ſuis. Hunc enim *pag.* 316. dicere, omnium ſæculorum veram Eccleſiam purgatorias pœnas poſt hanc vitam ſtatuiſſe: illos verò aſſerere, ignem purgatorium ſerò cognitum ac receptum fuiſſe univerſæ Eccleſiæ.

9. Arguit 5. Si ergo quæratur: Quorſum preces pro mortuis, quæ juxta Auguſtinum ſint *Conſuetudo Eccleſiæ univerſæ?* Reſponderi, eſſe conſuetudinem, non doctrinam & mandatum Dei. Conſuetudinem ad fænum pertinentem, atque ſtipulam, quæ Purgatorium non accendant. Tertullianum *de veland. Virg.* ita habere: *Exurge Veritas, nullam volo conſuetudinem defendas.*

10. Arguit 6. Se non diffiteri, quòd Epiphanius *hæreſi* 75. preces pro mortuis, quas Aerius impugnabat, defenderit: verùm alijs rationibus, quàm Eccleſia Romana, nimirùm in Fidei noſtræ de Sanctis cum Chriſto teſtimonium: Item ut Dominum Ieſum Chriſtum ab hominum ordine ſeparemus, ceu pro quo nemo oret &c. In quibus eundem Epiphanium etiam ſe valdè intricatum oſtendere. Si enim Purgatorium eâ ætate creditum fuiſſet, facili negotio occluſurum fuiſſe os Aerio; ſed ejus non meminiſſe, ſed potiùs id deſtruxiſſe *hæreſi* 59. ſic diſſerendo. *Poſt mortem, qui decertârunt, quieſcunt, qui autem non decertârunt, non ampliùs adſunt, & omnia palàm conſummata ſunt poſt factum hinc diſceſſum.*

11. Arguit 7. His congruere ea, quæ Hieronymus in verba Apoſtoli *ad Galat. Quiſque onus ſuum portabit*, proferat: *Docemur*, inquiens, *per hanc ſententiolam novum dogma, quod latitat, dum in præſenti SAECULO ſumus, ſive orationibus,*

Digitized by Google

bus, ſive conſilijs invicem nos coadjuvari. Cùm autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, non Noë rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemque portare onus ſuum.

Arguit 8. Producendo Chryſoſtomum ſic diſſerentem: *Deplorabo eos, qui in divitijs mortui ſunt, & nihil conſolationis ſuis ipſarum animabus ex divitijs ſuis procurârunt, qui, cùm poteſtatem peccata ſua diluendi accepiſſent, noluerunt. Hos defleamus, ſed cum modeſtia decore, defleamus iſtos, juvemus eos pro viribus, procuremus aliquid auxilij, modici quidem, attamen juvemus eos; quomodo? Quavè ratione? Precantes adhortemur & alios, ut pro ijs orent, pauperibuſquè indeſinenter pro illis eleemoſynam demus.* 12.

Arguit 9. Se non negare Antiquitatem Purgatorij. Notum enim hoc fuiſſe Homero *Odiſſ. L. 11.* Virgilio *Æneid. 6.* Platoni *lib. de an.* teſte Euſebio *lib. 2. de Præparat. Evang. cap. ult.* Inducit denique Scharpium *in Curſu Theolog. to. 2. pag. 5. 25.* ſic diſſerentem: *Patres nihil certi ad Gregorij Magni tempora de Purgatorio habuerunt, qui in Dialogis (quos multi adulterinos putant, quia fabuloſi, barbari, & tanto homine indigni) lib. 4. 39. primus pronuntiavit, eſſe ignem in terræ viſceribus, quo minima peccata purgantur. Circa idem tempus etiam Mahumetus in Alcarano, Purgatorium eſſe, credendum docuit, hoc ſecuti Scholaſtici, & alij ſuperſtitioſi Monachi, qui de pœnis, meritis, ſatisfactionibus, & indulgentijs diſputârunt, quæ omnia ex apparitionibus, ſomnijs, & teſtimonijs eorum, qui in extaſin rapti fuerunt. Denique de Purgatorio in Concilijs nihil concluſum fuit antè Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. In Concilio etiam Tridentino frigidè admodùm diſputatur, ut patet ex Seſſ. 14.* 13.

CAPUT II.

Oſtenditur, Dogma de Purgatorio eſſe fundatum in ſacris Litteris, & vivâ à primævis fidelibus ad nos uſque propagatâ, Sanctorumquè Patrum authoritatibus, communiquè credentium uſu firmatâ Fide.

Probatio prima, deſumpta ex ſacris Litteris, quibus inſinuatur, pro fidelibus piè defunctis ad animarum juvamen & ſolatium ritè fieri Sacrificia, preces ac eleemoſynas.

SI enim verum ſit, animas fidelium poſſe juvari vivorum ſacrificijs, precibus, ac eleemoſynis, ſequitur evidenter, ipſos non eſſe in ſtatu beatitudinis. At cùm in inferno nulla ſit redemptio, oportet, tales animas non eſſe in ſtatu damnationis. Conſequens igitur eſt, ipſas eſſe in 14.

ſtatu quidem pœnali, non tamen æternali, ſed temporali duntaxat, utpo-
te redimibili, quem Purgatorium dicimus. Atqui poſſe animas fidelium
defunctorum juvari vivorum ſacrificijs, ac precibus, apertè oſtenditur *ex
Machab. 12. v. 34.* ubi Iudas legitur *duodecim millia drachmas argenti miſiſſe Hiero-
ſolymam, offerri pro peccato ſacrificium.* Ex quo laudatur etiam à Scripturâ, quòd
15. *Sancta & ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Etſi verò
moderni Pſeudoreformatores illum Machabæorum librum ex libris Cano-
nicis velint expunctum, attamen ipſos hac in parte ſpecialiter refutavit S.
Auguſtinus *lib. 2 de Doct. Chriſt. cap. 8. & lib. 18. de Civit. Dei. cap. 36.* ubi de quibuſ-
dam S. Scripturæ libris loquens, ait: *In quibus ſunt & Machabaeorum libri, quos
non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet &c.* In Concilio etiam Carthaginenſi
III. *Can. 47.* pro Canonicis S. Scripturæ libris recenſentur omnes libri, pro-
ut in Concilio Tridentino nominatim referuntur, inter quos ſunt etiam li-
bri duo Machabæorum. Unde præfatus ſanctæ Eccleſiæ Doctor *lib. de Curâ
pro mortuis cap. 1. Et lib. de Orig. animæ cap. 11.* ex præallegatis verbis probat, quòd
ſacrificia pro defunctis oblata ipſis proſint.

Probatio ſecunda, prioris continuativa.

16. Etenim *Tobiæ 4. v. 14. 18.* ſic habetur: *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam
juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Quem proin-
de ſacrum Textum SS. Patres eatenus exponunt, ut dicant, oblatum fu-
iſſe panem & vinum pro eleemoſynâ in refrigerium juſti defuncti. De-
17. inde *Lucæ 16. v. 9.* dixit Chriſtus: *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammo-
nâ iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* At iſtum lo-
cum SS. Patres, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij exponunt de
Sanctis cum Chriſto regnantibus, quatenùs iſti poſſint ſuis precibus juva-
re illos poſt mortem, qui in vitâ illis præſtiterunt eleemoſynas. Conſtat
igitur, animas defunctorum, ſi juſtæ ſint, & in gratiâ deceſſerint, juvari
poſſe precibus Sanctorum, eleemoſynis, orationibus, & ſacrificijs vivo-
18. rum; prout expreſsè tradunt antiqui primæ Eccleſiæ Doctores Dionyſius
Areopagita *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7.* Clemens Romanus *in Epiſt. 1.* Euſebi-
us Alexandrinus *Hom. de Dominicâ.* Concilium Nicænum I. *Can. 65. Arab.*
Concilium Carthag. III. *cap. 29.* Concilium Carthag. IV. *cap. 29.* Tertullia-
nus *de coronâ milit. cap. 3. & in exhort. ad caſtit. cap. 2. Item lib. de Monogamiâ cap. 10.*
Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 9.* Euſebius Cæſarienſ. *in vitâ Conſtantini lib. 4. c. 71.* Atha-
naſius *lib. Quæſt. ad Antiochum Principem q. 34.* Ephrem *in ſuo Teſtamento.* Cyril-
lus Hieroſolymit. *Catech. 5. Myſtag.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 10.* Epi-
phanius *to. 1. lib. 3. hæreſ. 75.* Chryſoſtomus *Hom. 32. in Matth. Hom. 6. in Ioan.*

hom.

Digitized by Google

hom. 21. in Acta Apoſtolorum. Hom. 41. in 1. ad Corinth. Serm. 3. in Epiſt. ad Philipp. Hom. 69. ad populum Antioch. Theodoretus *lib. 5. Eccleſ. Hiſt. cap. 36.* Ambroſius *lib. 4. contra Gentes circa finem, Orat. 1. de præparat. ad Miſſam. Orat. de exitu Theodoſij Imperatoris. lib. 8. Epiſt. ad Fauſtinum.* Hieronymus *in Epiſt. ad Pammach. & in fine contrà Vigilantium.* Paulinus *Epiſt. 1. ad Amandum.* Auguſtinus *Serm. 32. de verb. Apoſt. lib. de curâ pro mortuis. lib. 20. de Civit. cap. 9. lib. 21. de Civit. cap. 24. in Enchirid. de Fide, Spe, & Charitate, cap.* 110. *Tract. 84. in Ioan. Serm. 17. de verb. Apoſt. lib. 9. Confeſſ. cap.* 11. Quia igitur ex hoc, quòd animæ juſtorum poſt hanc vitam juvari poſſint fidelium & Sanctorum precibus, eleemoſynis, & ſacrificijs, concluditur Purgatorium, *ut ſuprà n. 14. oſtenſum eſt*; manifeſtè ſequitur, Patres Orthodoxos ſuffragia pro mortuis adeò concorditer tradentes (quorum teſtimonia cuivis petenti exhibere ſum paratus) illâ ſuâ doctrinâ *virtualiter* ac *implicitè* docuiſſe Purgatorium.

Probatio tertia, expreſſior ex ſacris Litteris.

NAm *Matth. 5. v. 22.* traditur unum genus peccati, cui reſpondeat reatus Gehennæ, traditur autem & aliud peccati genus, cui Iudicij vel Conſilij, non autem gehennæ reatus reſpondeat, ſitquè adeò compatibilis cum ſtatu Gratiæ & Iuſtitiæ. Ponamus ergo iſtum non jam æternæ, ſed temporalis pœnæ reatum non dilui in hac vitâ; ſanè oportebit, illum eluere in alterâ vitâ, deberque proinde admitti aliquis ſtatus, ſeu locus animarum in gratiâ decedentium, in quo eluatur ille pœnæ temporalis reatus: Chriſto Domino *cit. cap. 5. Matth. v. 25.* illum conteſtante verbis ſequentibus: *Nè Iudex tradat te miniſtris, & in carcerem mittaris: amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* In quem proinde ſenſum accipi quoquè poteſt illud *1. Corinth. 3. v. 12. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet: ſi cujus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Etenim iſte ignis non poteſt eſſe infernalis, eò quòd per illum ſint purgandi, qui præter inutilia opera, ob quæ detrimentum patientur, ſunt propter alia ſancta opera recepturi mercedem, ſintque ſalvi tandem futuri. Oportet igitur, per illum ignem intelligi ignem temporaliter duntaxat purgatorium, prout intellexerunt etiam SS. Patres Cyprianus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus &c. *inferiùs* adducendi. 19. 20.

Probatio quarta, deprompta ex vivâ fidelium fide, ad nos uſque derivatâ, & Patrum authoritatibus firmatâ.

ETenim verum ſacrarum Litterarum ſenſum vel maximè cognoſci ex vivâ fidelium fide, illibatè traditâ, & à primævæ Eccleſiæ tempo- 21.

Digitized by Google

ribus interruptim propagatâ, & in perpetuum propagandâ, *patet ex Diſſert. 1. ſect. 1. cap. 3.* ubi *Prob. 4. præſertim* ad oculum demonſtratur, iſtâ vivæ fidei & Traditionis Dogmaticæ regulâ neglectâ, vix poſſe ullam hæreſin efficaciter refutari ex ſacris Litteris. At iſta vivæ in fidelibus propagatæ, & illibatè conſervatæ fidei traditio probatur ex SS. Patrum authoritatibus. Unde ad præallegatos ſacros textus in ordine ad probandum Purgatorium ritè intelligendos vel maximè juvat ejuſmodi Orthodoxorum Doctorum ſententias hîc attexere.

22. Ad præſens igitur hoc inſtitutum noſtrum ita loquitur Tertullianus *lib. de Animâ cap. 35. Nè Iudex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, niſi modico quoquè delicto morâ reſurrectionis expenſo.* En modicum delictum poſt hanc vitam expiari debere in carcere non jam perpetuo, ſed temporali duntaxat.

Sanctus Cyprianus *ad Antonian. lib. 4. Epiſt. 2.* ſic habet: *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire, aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem; aliud ſtatim Fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum, emendari & PURGARI IGNE, aliud peccata omnia paſſione purgâſſe, aliud denique pendere in die judicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.*

Origenes *Homil. 14. in Levit. Poſſumus etiam adhuc illud addere, quòd natura peccati ſimilis eſt materiæ, quæ igni conſumitur, quam ædificari, Paulus Apoſtolus à peccatoribus dicit, qui ſuprà fundamentum Chriſti ædificant ligna, fœnum, ſtipulam. In quo manifeſtè oſtenditur, eſſe quædam peccata ita levia, ut ſtipulæ comparentur, cui utique IGNIS illatus diu non poteſt immorari; alia verò fœno eſſe ſimilia, quæ ipſa non difficulter ignis abſumat, verùm aliquantò tardiùs, quàm in ſtipulis immoretur &c.*

23. Similia de purgatione per ignem habet Baſilius Magnus *ad cap. 4. & 9. Iſaiæ*, in quorum poſteriori loco ſuper illa verba, *Ut germen aridum devorabitur ab igne*, ſic ait: *Si per Confeſſionem detexerimus peccatum, jam ſuccreſcens gramen areſecimus, dignum planè, quod depaſcatur ac devoret PURGATORIUS IGNIS.*

Gregorius Nyſſenus *lib. de Animâ & reſurrect. Orat. quòd non ſit dolendum ob eorum obitum, qui in fide diſceſſerunt*; ſæpius meminit Purgatorij ignis; inter alia verò ſic habet: *Non potuit Divinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immixtas PURGATORIUS IGNIS abſtulerit.*

Hilarius *in Pſal. 118.* circa illa verba: *Concupivit anima mea, ut deſiderem judicia tua*, ſic ait: *Nobis eſt ille indefeſſus ignis obeundus, in quo ſubeunda ſunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ ſupplicia.* Ambroſius ſimilia docet *in Pſal. 36. & in cap. 3. prioris ad Corinth.: Sed cùm Paulus dicit, ſic tamen quaſi per ignem, oſtendit quidem, ſalvum illum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, ut per ignem purgatus*

fiat

Digitized by Google

ſuis ſalvus, & non ſicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur.

Idem docuit Hieronymus *lib. 1. contra Pelag. Et in cap. 66. Item in cap. 7. Mich.* ſuper illa verba: *Iram Domini portabo, vel ſuſtinebo*, ita diſſerens: *Denique poſt cruciatus atquè ſupplicia educta de tenebris exterioribus anima, & reddito NOVISSIMO QUADRANTE, dicit: Videbo juſtitiam ejus &c.* 24.

Euſebius Emiſſenus *hom. 3. de Epiph. Hac pœna illis manebit, qui amiſſo, & non ſervato Baptiſmo, in æternum perierunt &c. Hi verò, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt &c. per FLUVIUM IGNEUM, per vada ferventibus globis horrenda tranſibunt.* Theodoretus *ad cap. 3. prioris ad Corinth. Dicit Apoſtolus, qui ſalvabitur ſic, tanquàm per ignem conflatorium, ignem purgantem &c. Quidquid intervenit per incautelam præteritæ vitæ, ſaltem pedum terreni ſensûs, in quo tamdiu manet, quamdiu quidquid corruptelæ & terreni ſensûs inhæſit, purgetur, pro quo Mater Eccleſia hoſtias & dona pacifica devotè offert.*

Divus Auguſtinus Purgatorij clarè meminit: *Lib. 1. de Geneſi contrà Manichæos cap. 20. lib. 21. de Civit. cap. 13. 16. Et cap. 24. in Pſal. 37. In Enchirid. ad Laurent. cap. 110. ſerm. 41. de Sanctis*, uti aliqui ex his textibus *infrà ſeq. cap. 4. ad 1.* exprimendi, ad oculum demonſtrabunt. Intereà autem ita licebit argumentari. Patres Orthodoxi ſupra adducti ſcrutando ſacras Scripturas clarè teſtati ſunt, poſt hanc vitam supereſſe pœnam temporalem, ſeu Ignem Purgatorium. At ejuſmodi Patrum teſtimonia ita proferunt verum & Orthodoxum ſacræ Scripturæ ſenſum, ut ſimul atteſtentur de vivâ circà tale dogma fidelium Fide. Ejuſmodi verò fides intrà fidelium mentes in Eccleſiâ verâ jugiter conſervata, non poteſt non eſſe vivum Dei teſtimonium. Huic proinde vivo Dei teſtimonio in ipſis ſacris Litteris etiam fundato, apertè adverſatur Reformatum Miniſterium, negando Ignem Purgatorium, ſeu pœnam temporalem poſt mortem. 25.

CAPUT III.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Sic argumentando. Purgatorium in ſubſtantiâ nihil aliud eſt, quàm reatus pœnæ temporalis poſt hanc vitam ab animâ defuncti eluendus, & precibus, atque Sacrificijs fidelium ſeu Sanctorum redimibilis. Atqui S. Chryſoſtomus *locis* per Georgium *citatis* ait, non fruſtrà, ſed ad eorum multum lucrum, & utilitatem multam pro animabus Defunctorum fieri in Divinis myſterijs commemorationem, atque hanc eſſe ſancitam ab Apoſtolis. Idem porrò Sanctus Doctor *Hom. 32. in Matth. Hom. 21. in Acta Apoſtol. Hom. 41. in 1. ad Corinth.* teſtatur, ejuſmodi 26.

com-

Digitized by Google

commemorationem per preces, eleemoſynas &c. fieri in juvamen, atque conſolationem defunctorum, & ad requiem ipſis obtinendam. Hæc verò clarè inſinuant reatum pœnæ temporalis adhuc luendæ à defunctis, & taliter per ſuffragia piorum redimendæ, ut requiem adipiſcantur. Planum igitur eſt, S. Chryſoſtomum cum Antiquitate ex ipſis etiam Apoſtolis fundatâ, agnoviſſe *in ſubſtantiâ* Purgatorium.

27. Deinde S. Auguſtinus *lib. de Gen. contrà Manich. cap. 20.* ſuper illa verba: *Maledicta erit tibi terra*, præter alia ſic habet: *Si quis fortè agrum ſuum non coluerit &c. poſt hanc vitam habebit vel IGNEM PURGATIONIS, vel pœnam æternam.* Et *lib. 21. de Civit. Dei cap. 13.* inter alia ſic ait: *Sed temporarias pœnas alij in hac vitâ tantùm, alij poſt mortem, alij & nunc & tunc; veruntamen ante judicium illud ſeveriſſimum, noviſſimumque patiuntur.* Ibidem *cap. 16.* clarè agnoſcit *tormenta poſt mortem purgatoria.* Et *cap. 24.* meminit *hominum non quidem malè, nec tamen omninò benè viventium, pro quibus defunctis* ait, *piorum exaudiri orationes, quos alioquin conſtet, ante diem Iudicij per pœnas, quas eorum ſpiritus patiantur, purgatos, receptis corporibus æterni ignis ſupplicijs non tradendos.* Item *in Pſal. 37.* mentionem facit *Emundatorij ignis*, ab illis ſcilicèt ſufferendi, qui ædificant ſuprà fundamentum ligna, ſtipulam, fænum. Et *Hom. 16. lib. 50. hom.* inter alia ſic ſcribit: *Hi verò, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit: Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem &c. per fluvium igneum, & vada ferventibus globis horrenda tranſibunt; quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora &c.* Item *ſerm. 41. de Sanctis* inter alia ſic habet: *Illo tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus: ipſe autem ſalvus erit, ſic quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* En igitur Vedroſi, Purgatorium ignem clarè ac diſertè aſſertum à S. Auguſtino, & fundatum in Antiquitate Orthodoxâ, imò in Apoſtolis & Scripturis Canonicis.

28. Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſium confundere illum ignem, qui ſub extremi Iudicij diem purgabit mundum, nec non ignem in vi pœnæ temporalis Purgatorium peccatorum, quoad culpam jam remiſſorum. At hunc poſteriorem, ceu fidei dogma ſemper credidit Orthodoxa Antiquitas, *uti ex prætactis conſtat*, ſtatim à morte purgativum. De illo autem priori igne Sixtus Senenſis *citatus* docet, eam prævalere ſententiam, quòd, licèt cuncti mortales, quos Iudicij tempus viventes invenerit, talem ultimæ conflagrationis ignem ſint intraturi, attamen ex electis quidam expiatione adhuc indigentes, ſint quidem cum dolore purgandi, quidam autem, in quibus nihil erit purgandum, ex eo ſine ullo cruciatu evaſuri. Quoad Sanctos verò ante Iudicium defunctos, præſertim Apoſtolos & Mariam Dei Genitricem falsò aſſeruit Vedroſius, doceri ab Eccleſiâ Romanâ, eſſe pur-

purgandos eo igne. Quinimò Sixtus Senenſis hac etiam in parte infideliter allegatus à Vedroſio ex ſententiâ Theologorum Pontificiorum, & & S. Auguſtini *in 20. de Civit. cap.* 8. contrarium hiſce rationibus adſtruit: tum quòd mortui non ſint reſurrecturi, niſi poſtquàm ignis ille ab officio purgationis ceſſaverit, purgandi facultate depoſitâ: tum quòd Sanctorum corpora poſt reſurrectionem adeò ſint futura impaſſibilia, ut igneæ purgationis non ampliùs ſint capacia. En igitur Vedroſi, non eſſe, cur illudas perſpicacitati Georgij, ſed potiùs quòd ipſammet tuam fictitiam in falſis commentis affingendis perſpicacitatem doleas.

Ad *tertiam* Reſp. Aliud eſſe, an aliqua extet Scriptura ſacra, ex quâ is, qui cum debitâ erga legitimum a Patribus Orthodoxis receptum, & vivâ fidelium fide ſemper retentum & propagatum ſenſum accedit ad ſacræ Scripturæ intelligentiam hauriendam, poſſit hinc promoveri ad credendum Purgatorium? Aliud verò eſſe, an in promptu ſit aliquis ſacer textus, ex quo proterviens nolens volens adigi poſſit, ut confiteatur Purgatorium? At iſtud poſterius tantum negavit Roffenſis; quod tamen non magis obeſt illius dogmatis veritati, quàm ut conſubſtantialitati Filij ac Divinitati Spiritûs Sancti obſtare poſſit, quòd nullus extiterit in ſacris Litteris textus Divinus, ex quo illi Hæretici protervientes adigerentur, ut nolentes volentes confiterentur talia fidei myſteria. Et hinc, ſicuti iſti Hæretici Verbum Dei traditum, ac per ipſammet vivam fidelium in Eccleſiâ Dei ſemper propagatam fidem, firmatum reijciendo, ſe fecerant incapaces, ut nunquàm pertingerent ad verum de illis Divinis Dogmatibus ſenſum, ac fidei lumen, ſic idem de pluribus fidei myſterijs, ſpeciatim etiam de Purgatorio, hodieque accidit prætenſo Reformato Miniſterio. Quod unicè inſinuare voluit Petrus de Soto, aſſerendo, in probatione Purgatorij non eſſe (nude ſcilicèt, rejecto Dei Verbo tradito) utendum Scripturâ. Quod denique de Petro Cottono Ieſuitâ calumnioſè effuſijt Vedroſius, in ipſius mendax caput retorquetur. 29.

Ad *quartam* Reſp. Quid ex hoc evincis Vedroſi, quòd ante ſecundum, vel tertium ſæculum *Expreſſe* ac *Formaliter* nulla ſit facta Purgatorij mentio, cùm tamen hoc dogma *Virtualiter* ac *Implicitè* ſit acceptum ab Apoſtolis, & fundatum in ſacris Litteris, & à primæ Eccleſiæ Patribus traditum, atquè vivâ fidelium fide ad nos uſque propagatum, *uti patet ex dictis praced. cap. 3. Probat. præſertim 1. ac ſeq. nec non præſentis cap. 4. ad 1.* Nunquid ipſe met fateris dogma de Proceſſione Spiritûs Sancti rariùs eſſe expreſſum à Patribus antiquis? Nunquid myſterium Conſubſtantialitatis Filij voce *Homouſius* expreſſum, ante exortam hæreſin Arianam ſub talibus 30.

voci-

vocibus *Formaliter* erat ab aliquo Orthodoxo Patre traditum? At hoc minimè obſtante, dogmata ejuſmodi erant Veritatis omninò immobilis & inconcuſſæ. Conſequens proinde eſt, Veritati dogmatis de Purgatorio æquè non obſtare, quòd ejus apud antiquiores primorum duorum, aut trium fortè ſæculorum Doctores non ita *Expreſſe* ac *Formaliter*, *Virtualiter* tamen & *Implicitè* fieret mentio; hoc ipſum claris ac diſertis verbis (hîc brevitatis quidem causâ omiſſis, cuique tamen ad falſitatem Vedroſij iterum iterumque redarguendam, ſi libuerit, ad oculum demonſtrandis) atteſtante Roffenſi *ad* 5. 17. & 37. *Lutheri articulum*. Quòd autem Vedroſius ex Roffenſi *citato*, & Alphonſo à Caſtro aſſerat, Purgatorium nec antiquitus, nec hodie fuiſſe creditum à Græcis, idcircò operæ pretium eſt viſum, ut ipſummet Roffenſem audiamus, Luthero Græcam Eccleſiam, quaſi Purgatorium non credidiſſet, objicienti taliter reſpondentem: *Vulgus opinor, intelligis, & non ipſos Eccleſiæ Græcanicæ Patres, nam hos favere Purgatorio, libri, quos edidêre, teſtantur.* Quinimò ſi ſermo ſit de poſterioribus Græcis hos quoquè credidiſſe Purgatorium, conſtat ex reſponſionibus ad Card. Guiſium de Anno 1560. ex Confeſſione fidei Æthiopicæ editâ à Zagâ Zabano Æthiope, item ex Gabrielis Alexandrini Patriarchæ *Epiſt.* ad Clementem VIII. de Anno 1595. & Fidei profeſſione à Ruthenorum Legato editâ Anno 1595. prout hæc per extenſum poſita videre licèt apud Wetweis *in ſpeculo veræ Eccleſiæ lib.* 8. *cap.* 4. *a.* 4. *à n.* 10.

38. Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Divus Auguſtinus *lib. de curâ pro mortuis cap.* 1. ipſomet etiam Vedroſio fatente, eatenùs dicit, eſſe in Eccleſiâ conſuetudinem orandi pro mortuis, ut ex eâ, præterquàm quòd in ſacris Litteris fundata ſit, non parva clareat authoritas. At quænam & quanta ex ejuſmodi Eccleſiæ conſuetudine ſit authoritas, facilè conjicitur ex eodem S. Doctore *lib.* 2. *de Baptiſ. contra Donatiſtas cap.* 7. ita differente: *Multa non inveniuntur in litteris eorum* (Apoſtolorum) *neque in Concilijs poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per univerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Et *lib.* 4. *de Baptiſ. contrà Donatiſtas cap.* 42. ſic habet: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Authoritate Apoſtolicâ traditum, rectiſſimè creditur.* En igitur Vedroſi, quo loco habenda ſit illa Eccleſiæ univerſalis pro mortuis orandi conſuetudo, ut vel hinc, quod illudendo, imò & Tertullianum omninò impertinenter (uti ſyncerè ac integrè locum à te *citatum* legenti conſtabit) citando, eam coneris elidere; convincaris violatæ Apoſtolicæ Authoritatis, maximè cùm præfatus Sanctus Eccleſiæ Doctor *Serm.* 34. *de verbis Apoſtoli* expreſsè aſſerat: *A Patribus* (id eſt Apoſtolis) *traditum obſervare univerſam Eccleſiam, ut pro eis, qui in Cor-*

Digitized by Google

Corporis & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, quando ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, orctur, ac pro illis quoquè id offerre commemoretur

Ad *ſextam* Reſp. De quo Vedroſius calumnioſè redarguit ſanctum Epiphanium, quaſi valde intricatum ſe oſtenderit, hoc eatenùs in ipſum retorqueri, quatenùs confundendo hæreſin Arianorum & Catharrorum quærat lucem tenebris involvere. Etenim *hæreſi 59.* Sanctus ille Doctor refutando hæreſes Catharrorum, inter alia tradit, poſt mortem nullum ſupereſſe tempus pœnitentiæ, vel bonorum ac criminalium operum. Sed quid hoc ad præſens inſtitutum? Deinde *hæreſi 75.* non intricatè (uti convitiatur Vedroſius) ſed clarè procedendo diſtinguit inter Sanctos Cælites, & inter peccatores, hinc (reatu tamen culpæ mortalis priùs remiſſo) decedentes, ita ut pro iſtis defunctis in ordine ad miſericordiam Dei obtinendam preces omninò proſint, pro illis verò eatenus (in gratiarum ſcilicèt actionem pro coronis gloriæ jam obtentis) memoriam faciamus, ut exindè Chriſtum, utpote Dominum ac Deum ab vniverſo hominum ordine ſeparemus. Tandem hæc omnia probat, deſumendo conſequentiæ argumentum ex traditione à Patribus acceptâ. En igitur Vedroſi, S. Epiphanium apertè tuam Reformationem, ceu antiquatarum hæreſum æmulatricem, redarguentem. 33. 34.

Ad *ſeptimam* Reſp. Oportere diſtinguere inter onus, reatum culpæ mortiferæ importans, & inter onus reatum, pœnæ duntaxàt temporalis includens. At de priori S. Hieronymus *in cit. cap. Epiſt. ad Galat. v. 5.* aſſerit, poſſe nos in hac vitâ conſilijs & orationibus juvari, ut ſcilicèt ad pœnitentiam excitati, culpæ remiſſionem obtineamus; de poſteriori autem ſcribens contrà Vigilantium, in fine hunc redarguit ex eo etiam capite, quòd negârit, poſſe pro defunctis applicari noſtras preces. Et hinc è contrario in *Epiſt. ad Pammach.* laudat iſtum, quòd pigmentis eleemoſynarum foveat cineres quieſcentium, cùm, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum. Unde igitur quoquè Purgatorij, ſeu temporalis poſt hanc vitam luendæ pœnæ apertam mentionem facit *in cap. 66. Iſaiæ Lib. contrà Pelagian. poſt medium, & in cap 7 Michææ.* 35.

Ad *octavam* Reſp. Sic argumentando. Etenim S. Chryſoſtomus *loco per Vedroſium adducto* fatetur, dari defunctorum ſtatum, in quo juſtè deplorentur, quòd nihil conſolationis ſuis animabus ex divitijs ſuis (piè ſcilicèt in ordine ad ſuffragia ſeu eleemoſynas pro ſe applicandis, uti ex contextu patet) pro peccatis ſuis diluendis ſibi procurârint. At hiſce ſanctus Doctor *citatus* ait, auxilium impendendum noſtris, & aliorum precibus ac eleemoſynis. In aperto igitur eſt, ſecundùm ſanctum Chryſoſto- 36.

Digitized by Google

mum, ipſomet Vedroſio fateri coacto, dari ſtatum, in quo animæ defunctorum ita ſint indigentes ac miſerabiles, ut juvari tamen poſſint fidelium viventium precibus ac eleemoſynis. Atqui Purgatorium nihil aliud eſt, quàm talis animarum ſtatus, in quo alieno fidelium viventium auxilio per preces ac eleemoſynas impendendo indigeant. Planum proinde eſt, ex verbis S. Chryſoſtomi, ab ipſomet etiam Vedroſio adductis, evinci Purgatorium.

37. Ad *nonam* Reſp. Ex dictis manifeſtum eſſe, quòd Scharpius falſitatis reus ſit, ſcribendo, Patres nihil certi ſcripſiſſe de Purgatorio ante Gregorij Magni tempora. Quòd autem Vedroſius cum Scharpio fateatur, articulum de Purgatorio fuiſſe concluſum in Concilio Florentino, eatenùs habetur pro accepto, ut vel hinc evincatur à Græcæ Eccleſiæ quoquè Antiſtitibus, utpote qui Synodo illi Oecumenicæ ſubſcripſerint, agnitum fuiſſe Purgatorium; debereque adeò iſtam Concilij Univerſalis non in ſomnijs (uti illi Miniſtri falsò convitiantur) ſed in Antiquitatis Orthodoxæ, imò ipſarum ſacrarum Litterarum ex ſenſu ſanctorum Patrum legitimè intellectarum teſtimonijs fundatam definitionem plus penès Reformatum Miniſterium ponderis habere, quàm clamorem Calvini, quem *lib. 3. inſtit. cap. 5. §. 6* extulit contrà Purgatorium, reclamantibus tamen Zvvinglio *Epich. de Can. Miſſæ*, & Bullingero *decade 4. ſerm. 10.* ſic & Calvinum in hoc ſuo clamore diſcordare ab Apoſtolis, Auguſtino & Chryſoſtomo, quamvis conſonent cum Aerio damnato hæretico, *uti ex 1. Cap. n. 3. patet.*

38. Quando deniquè Vedroſius, & partim Scharpius antiquitatem Purgatorij illuſoriè, vel calumnioſè ac blaſphemè reducunt in Homerum, Virgilium, Platonem, & Mahometi Alcoranum, in tantum habetur pro accepto, in quantum omnibus patet, tum Mahometis Alcoranum, tum Ethnicos Philoſophos non ex ſuo utiquè cerebro, ſed ex divinis ſacræ Scripturæ libris, vel fidelium informationibus aliqualiter deguſtâſſe, non tamen verâ fide amplexatos fuiſſe ſublimiora quædam Fidei myſteria, ut vel hinc aliquale Purgatorij argumentum deſumi poſſit ſequenti ratio-
39. cinatione deducendum. Etenim id, quod ab omnibus Gentibus eſt receptum, non modicum præfefert Veritatis argumentum. At non tantùm Chriſtiani iuxtà Patrum *ſupra cap. 3. Prob. 4.* adducta teſtimonia, ac olim Iudæi 2. *Machab. 12.* ſed Gentiles inſuper apud Homerum, Virgilium, & Platonem, nec non Mahometani in ſuo Alcorano agnoſcunt Purgatorium. Quâ igitur fronte moderni Reformatores ab omnium antiquorum & fidelium & infidelium ſenſu diſcordando, auſi ſunt ex ſolo ſuo cerebro negare Purgatorium?

C On

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur. Nullum ex Georgij *ſupra cap.* 1. deductis argumentis eſſe vel in unico apice ſolutum: unde ita licere argumentari. Illa ſanè Reformatio non poteſt proceſſiſſe ex ſpiritu Divino, quæ ita ſui proprij inſtinctûs commento nititur, ut ejus Miniſtri fateri debeant ſe diſcordantes ab Apoſtolis & antiquis Orthodoxis Patribus. At rem circà Purgatorium à Miniſterio Reformato abolitum ita ſe habere, conſtat ex propriâ Reformatorum Doctorum confeſſione *cap. 1. n. 3.* adductâ, ac nimis claret *ex cap. 3. & 4.* Viderit ergo illa Reformatio, ex quo (certè non iam Divino) ſpiritu proceſſerit? 40

DISSERTATIO X.

De Chriſto quà Redemptore, eiuſque ad inferos deſcenſu, ſive de Lymbo Patrum.

SECTIO I.

De Chriſto quà Mediatore ac Redemptore humani generis.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc Author *cit. Rat. 3. Doc.* 23. oſtendit, Chriſtum ſecundùm humanam, non verò Divinam, vel utramque naturam eſſe noſtrum Mediatorem. In quem finem inducit S. Auguſtinum *Serm.* 11. *de verb. Apoſt.* ſic diſſerentem: *Magnam iſtam gratiam commendat Apoſtolus Chriſtianis, ubi dicit: Unus eſt Deus, & unus Mediator Dei & hominum. Non ait: Chriſtus Ieſus, nè tu putares ſecundùm Verbum dictum, ſed addit, Homo, Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Ieſus &c.* Et *Serm.* 38. *de verb. Dom.* loquentem in hæc verba: *Deum enim noſtrum Ieſum Chriſtum accepimus ſecundùm Divinitatem ad condemnandam univerſam creaturam: ſecundùm Humanitatem ad reparandam lapſam creaturam.* 1.

Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 2. cap. 14. ſect. 3* taliter ſcribentem: *Atque hic excuſari non poteſt VETERUM ERROR, qui, dum ad Mediatoris perſonam* 2.

non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Evangelio Ioannis legitur, genuinum obſcurant ſenſum, ſeque implicant multis laqueis &c. Sit igitur nobis hæc recta intelligentiæ clavis, neque de Naturâ Divinâ, neque de Humanâ ſimpliciter dici, quæ ad Mediatoris officium ſpectant.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

3. ISte Miniſter *ſuæ Antiquit. ſect. 4. in Exam. Rat. 3. Doc. 23.* arguit 1. Georgium, docendo, quòd Chriſtus ſecundùm Humanam tantùm naturam, non ſecundùm utramque ſit Mediator, non attendiſſe ad Canonem Concilij Chalcedonenſis ita definientis: *Agit utraque forma* (Natura) *cum communione alterius, quod proprium eſt, Verbo ſcilicèt operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt.*

4. Arguit 2. Georgium ignorâſſe, quòd non poſtremæ notæ Doctores Poloni, inter quos Stancarus, ructum hunc dudum exhalârint, nempè Iacobus Gorſcius Archidiaconus Gneſnenſis, & Univerſitatis Cracov. Profeſſor & Stanislaus Orich. Roxolanus. Addi poſſe celebrem illum Claudium Eſphenſæum Doctorem Sorbonicum *in fine Digreſſ. in 2. ad Timoth.* ubi ijs, qui Auguſtini authoritatem opponebant, ſic reſpondiſſe. *Præſtabat Auguſtinum Auguſtino & cæteris conciliare, quàm collidere, cùm de mediatione hic loquamur, non patiente tantùm ad mortem uſque, & mortem Crucis obediente, ſed victoriosâ, hoc eſt, tot victoriarum contrà diabolum, peccatum, carnem, mundum, mortem, & inferos reportatrice. Sic Mediatorem ſentimus non magis hominem ſine Deo, quàm Deum ſine homine eſſe, fore, vel fuiſſe. Sic, inquam, ſentimus, vel potiùs cum omnibus retrò Eccleſiæ Patribus conſentimus, quibuſcum nobis de hoc ſenſu & conſenſu communes rationes.*

5. Arguit 3. Paulum 1. *Timoth. 2. v. 5.* (quo loco Auguſtinus à Georgio *pag. 71. citatus* nitatur) ita differere: *Unus Deus, unus Mediator Dei hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Non dicere ſecundum ſolam Humanitatem, ſed ſecundùm quod eſt Homo. Cujuſmodi nomen Concretum eſſe Perſonæ denotatæ ſecundùm eam Naturam, quæ communis ei ſit cum omnibus, ut oſtenderet, eſſe orandum pro omnibus. Nec magis hinc ſequi quòd Chriſtus ſit Mediator ſecundùm Humanitatem tantùm, quàm ex illo *Iſaiæ 35. v. 4. & 5. Iehova ipſe veniet & ſervabit nos*, ſequatur, ipſum eſſe Mediatorem ſecundùm Divinitatem tantùm.

6. Arguit 4. Manere ergo dictum Auguſtini *En. bir. ad Laurent. cap. 108.* differentis in hæc verba. *Nequè per ipſum liberaremur unum Mediat[illegible] Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum, niſi eſſet & Deus. Magnitudo enim ſatiſfactionis*

Chri-

Digitized by Google

Chriſti & æqualitas de meritis noſtris non aliunde, quàm ex eo, quòd Chriſtus fuit Deus carne amictus. Hinc iterum Auguſtinum *to. 9. de Ovibus cap. 12.* taliter diſſerere: *Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, homo cum hominibus: Non Mediator homo præter Deitatem, non Mediator Deus præter Humanitatem. Divinitas ſine Humanitate non eſt Mediatrix, neque Humanitas ſine Divinitate, ſed inter Humanitatem ſolam, & Divinitatem ſolam Mediatrix eſt Humana Divinitas, & Divina Humanitas.*

CAPUT III.

Oſtenditur, Reformati Miniſterij circa Officium Mediatoris errorem in eo ſe tenere, quòd confundat Divinæ & Humanæ Naturæ operationes ac proprietates, ipſaſque adeò in Chriſto diſtinctas Naturas.

Probatio prima, ex ipſiſmet Reformatis Miniſtris petita.

ETenim Calvinus *ſuprà cap. 1. n. 2. adductus*, indefinitè aſſerit, quòd ea, quæ ad officium Mediatoris ſpectant, neque de Naturâ Divinâ, nequè de Naturâ Humanâ *ſimpliciter* dicantur. Atqui ad Chriſti quà Mediatoris officium ſpectabat non tantùm ſubjectio & exinanitio, ſed etiam paſſibilitas. Quia ergo Calvinus *indefinitè* dixit, ea, quæ ad officium Mediatoris ſpectant, non dici de ſolâ Naturâ Humanâ, ſed de utrâque, apertè ſequitur, ſubjectionem, & exinanitionem dici de Divinâ quoquè Naturâ; prout manifeſtè fecit Calvinus *lib. 2. c. 14. §. 3. præſertim Gall. edit.* ubi contendit, ea Scripturæ loca, in quibus de ſubjectione, humiliatione & exinanitione Chriſti agitur, intelligenda eſſe de *UTRAQUE* ſimul Naturâ, non autem *ſimpliciter* de Humanâ Naturâ. Sequitur inſuper, paſſibilitatem dici de Divinâ etiam Naturâ, prout apertè aſſeruit Lutherus *lib. de Concil.* Neſtorianos eos nuncupans, qui Ieſu Chriſti Divinitatem eſſe impaſſibilem pugnarent. Cui ſuffragatur etiam Muſculus, referente Staphylo *lib. de Concord. Luth.* multis Lutheri teſtimonijs adſtruente, Divinitatem Ieſu Chriſti in cruce paſſam eſſe. 7. 8.

Probatio ſecunda, quâ oſtenditur, talem Divinitatis & Humanitatis proprietatum, & operationum, imò Naturarum confuſionem ſapere Euthychianiſmum.

NAm ut Orthodoxè & Catholicè ſentiamus de Chriſto, neceſſum eſt, in ipſo taliter agnoſcere Perſonæ Verbi Increati unitatem, ut profitea- 9.

tea-

Digitized by Google

teamur tamen Divinæ & Humanæ Naturarum ac proprietatum & operationum diſtinctionem realem: uti ex varijs Oecumenicis Concilijs contrà Neſtorianos, Eutychianos, & Monothelitas definitum hîc ſuppono. At eo ipſo, quòd Humana Chriſti Natura ſit eatenùs Verbo Divino Perſonaliter unita, ut tamen ſecundùm propriam ſuam operationem v. g. humiliationis, ſubjectionis, obedientiæ, paſſionis &c. concurrerit ad officium ac functionem Mediatoris, ſequitur, operationem ejuſmodi eatenùs manere propriam Humanitatis, ut, ſi ſub iſtâ formalitate & ratione eſſet reducenda ſimul in Divinitatem, non maneret integra illa Divinitatis in Chriſto omninò immutatæ ab Humanitate diſtinctio, ſed fieret exinde Naturarum quædam confuſio. Quia igitur Calvinus indefinitè aſſerendo, ea, quæ ad officium Mediatoris ſpectant, non poſſe in ſolam Humanitatem, ſed debere in utramque ſimul Naturam reduci; imò quia ſubjectionem & exinanitionem apertè reduxit in Chriſti Divinitatem, ſequitur mani eſſe, ipſius Reformationem eſſe aſperſam Eutychianæ & Monothelitanæ hæreſeos fermento.

Probatio tertia, quâ oſtenditur, quibuſcum cautelis ad ejuſmodi hæreſeos periculum evitandum, oporteat, loqui circà Chriſtum.

10. Etenim alia Chriſti quà hominis Dei prædicata, v. g. *Tò Chriſtus* complectuntur utramque, Divinam ſcilicèt & Humanam in Hypoſtaticâ Verbi Divini unitate ſubſiſtentem Naturam. Alia verò ſunt Divinæ Naturæ *abſtractè* ſumptæ propria, uti *Divinitas, Immenſitas, Æternitas &c.* Alia ſunt propria Divinæ Naturæ quà *Concretè* ſpectatæ, ſive quà *abſolutè* conſideratæ, ſive quà ſubſiſtentis in Perſonâ Divinâ Verbi, uti *Tò Deus, Immenſus, æternus &c. Tò Filius Dei, Verbum Divinum.* Alia ſunt propria Humanitatis *abſtractè* ſpectatæ, uti *Humanitas, Exinanitio, Subjectio &c.* Alia denique ſunt propria Humanitatis quà *Concretè* conſideratæ ac ſubſiſtentis in Perſonâ Verbi ſeu Filij Dei. At, ſtante licèt Perſonali in Chriſto unitate, eatenùs oportet, profiteri realem Divinitatis & Humanitatis diſtinctionem, ut citra Eutychianiſmum non liceat prædicata harum propria in *Abſtracto* de ſe invicem prædicare: licèt econtrà ob unitatem Hypoſtaſis poſſint talia attributa in *Concreto* per communicationem Idiomatum de ſe mutuò prædicari: uti hîc ſuppono ex receptâ Theologorum, & communi Patrum ac Eccleſiæ uſu probatâ ſententiâ. Etſi verò aliquæ ſint voces, v. g. *Tò Chriſtus*, quæ u-

11. tramque ſimul Divinam & Humanam Naturam quà in unâ Verbi perſonâ ſubſiſtentem complectantur, oportet tamen, ſub ejuſmodi vocibus ſingulariter cavere, ut cuique Naturæ ſuam proprietatem illæſam & incon-

fuſam

fuſam mentis noſtræ ſenſu ac intelligentiâ retineamus. Ejuſmodi proinde Humanam Naturam non *in Abſtracto*, ſed *in Concreto* quà Verbi Divini Hypoſtaſi infinitè dignificatam & ſanctificatam, imò ipſius etiam Deitatis ſubſtantiali Sanctitate perfuſam importans eſt vox, *Tò Mediator Dei & hominum.* Sub hac igitur voce oportet, eatenus diſtinguere, quæ ſunt propria Humanitatis, nempè humiliatio, exinanitio &c. & ratio Principij redemptionem noſtram *efficienter* promerentis, ſatisfactionemque pro peccatis noſtris offerentis, ut tamen ratio Principij meritorum & ſatisfactionis Chriſti *Formaliter* dignificativè reduci debeat in Verbi Divini dignitatem perſonalem, & in ipſius etiam Deitatis Sanctitatem ſubſtantialem, mediante Verbi Divini Hypoſtaſi unitam Humanitati: prout hæc omnia ſupponuntur ex Theologiâ alibi tractatâ. At verò contrà Principia ejuſmodi non abſque fermenti Eutychiani aſperſione apertè egit Calvinus, dum *loco* ſuperiùs *citato* poſuit iſtam rectæ (potiùs dixiſſet *malæ ac Eutychianæ*) intelligentiæ clavem, ut contenderit, ea, quæ ad Officium Mediatoris ſpectant, non eſſe diſtinguenda, imò negârit, illorum aliqua v. g. humiliationem, exinanitionem &c. de ſolâ Humanitate eſſe dicenda: alia econtra, ſcilicèt infinitam meritorum Chriſti, ejuſque ſatisfactionis dignificationem, dixeris (conſequenter) non eſſe reducenda *formaliter* in ſolam tum Deitatis, tum Hypoſtaſis Verbi Sanctitatem increatam.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Sic argumentando. Ex allegato Canone Concilij Chalcedonenſis conſtat, utramque Chriſti Formam ſeu Naturam cum communione alterius eatenus agere, quod proprium eſt, ut Verbum tamen operetur, quod Verbi eſt, & Caro exequatur, quod Carnis eſt. At per hoc ita decernitur duplicis in Chriſto Naturæ mutua, quoad unitatem perſonalem communio, ut utriuſquè tamen proprietas & operatio inconconfusè ac diſtinctè ſit conſideranda. *ex claro textu præcitati Canonis.* Quia igitur Calviniſmus functionem Chriſti quà Mediatoris conſiderans, facit quandam utrjuſque in Chriſto Naturæ quoad proprietates confuſionem, apertè habet contra ſtantem præadductum ſacrum Canonem, ut mirum ſit, Vedroſium adeò incautum eſſe in allegando iſto Canone.

Ad *ſecundam* Reſp. Quamvis Vedroſius hîc alleget partim ſuæ, partim aliàs damnatæ farinæ Authores; libenter tamen ipſi concedi, quòd homo purus, ſive Humanitas abſquè Deitate ſibi *Hypoſtaticè* unitâ non valuiſſet

Deo

Deo pro noſtris peccatis ſatisfacere, atquè adeò Mediatorem inter nos ac Deum agere. Nihilominùs oportere, conformiter ad Concilij Chalcedonenſis præcitatum Canonem, inconfuſas ſervare utriùſque Divinæ & Humanæ in Chriſto Naturæ in unâ Verbi Divini Hypoſtaſi ſubſiſtentis proprietates. In quo equidem peccari à Calviniſtis non abſque Eutychiani fermenti commaculatione; *uti praced. cap. oſtenſum eſt.*

14. Ad *tertiam* Reſp. In officio Mediatoris diſtinguendum eſſe Principium ſatisfactionis pro noſtris peccatis, per modum humiliationis, ſubjectionis, obedientiæ, & oblationis *Efficienter* operativum, nec non Principium hujuſmodi Chriſti actionum *Formaliter* dignificativum. Quam proinde duplicem in ſatisfactione Chriſti formalitatem eatenùs eſſe diſtinguendam, ut prior in ſolam Humanitatem, ceu Principium Effectivum *Quo*, poſterior autem in Hypoſtaſin Verbi partim quà Principium ac ſubiectum *Quod*, partim quà Principium *formaliter* dignificativum, nec non in Deitatem, ceu formam mediante Hypoſtaſis Verbi perſonali unione *ſubſtantialiter* ſanctificativam, non autem tanquàm Principium Effectivum & Subjectivum *Quo* reducenda ſit. At verò Calvinus humiliationem ac exinanitionem; & Lutherus paſſibilitatem reducendo in Deitatem, eo ipſo confundit in tantum Divinæ & Humanæ in Chriſto Naturæ proprietates ac operationes, ut longè abſit ab intentione Apoſtoli *1. ad Timoth. 2.* Mediatoris officium eatenùs attribuenti Chriſto homini, atquè adeò Humanitati quà per Verbi Divini Hypoſtaſin ſubſiſtenti, & ut ſic per ejuſdem ſubſtantialem ſanctitatem dignificatæ, ut nuſquàm tamen confundat Naturarum in Chriſto proprietates & operationes. Nullatenùs igitur Vedroſius Calvinum ſuum purgat ex præallegatis Apoſtoli verbis.

15. Ad *quartum* Reſp. Divum Auguſtinum in officio Mediatoris eatenùs comprehendere tum Humanitatem, tum Deitatem, ſive Divinam Verbi Hypoſtaſin, ut iſti tamen attribuat magnitudinem ſeu æqualitatem, ſive Condignitatem ſatisfactionis cum infinitâ peccatorum noſtrorum malitiâ *Ex claro contextu.* Unde S. Auguſtinus longè abeſt à Calvino ipſammet ſubjectionem, exinanitionem & humiliationem reducente in Deitatem. Atquè hinc evincitur, S. Auguſtinum confirmare quidem noſtram *ſuprà cap. 3. & cap. praſ. n. 14.* de Mediatione Chriſti doctrinam, nullatenùs tamen exinde purgari Calviniſmum ab Eutychianiſmo.

COROLLARIUM.

16. EX dictis infertur, Vedroſium non tantùm non ſolvere argumenta Georgij, ſed nè tangere quidem punctum præſentis difficultatis in [illegible] ſe tenen-

tenentis, quòd per Calviniſmum fiat quædam in officio Mediatoris Naturarum Chriſti ac proprietatum ſeu operationum confuſio. Unde tale poſſe formari argumentum. Illius ſanè Reformationis ſpiritus non eſt Divinus, qui commaculatur fermento Eutychianæ, jam pridem damnatæ, in Chriſto Naturas, earumquè adeò proprietates & operationes confundentis hæreſeos. At ſanè rem ita ſe habere in Calvino circa Mediatoris Chriſti Officium, patet *ex praced. cap. prob.* 1. *ac ſeq.* Viderit ergo hodierna Reformatio, an ſpiritus ex Calvino acceptus poſſit eſſe Divinus?

SECTIO II.

De Chriſti ad inferos deſcenſu, ac Lymbo Patrum.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

Hic Author *ſuæ facis Rat.* 3. *Doc.* 17. inducit S. Auguſtinum *Epiſt.* 57. *ad Dard. & Epiſt.* 99. *q.* 1. apertis verbis aſſerentem, Chriſtum quoad animam in die mortis ſuæ fuiſſe in inferno, ſive apud inferos. 1.

Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib.* 2. *cap.* 16. *ſect.* 9. ita ſcribentem: *Sed hac fabula* (de Patrum nempè Lymbo.) *tametſi magnos authores habet, nihil tamen, quàm fabula eſt. Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile eſt, Chriſti autem animam illuc deſcendere, ut eas manumitteret, quid opus fuit?*

Idem Author *Rat.* 8. *Exemplo* 23. ſic argumentatur. Orthodoxus S. Auguſtinus *Epiſt.* 99. ubi pluribus circa deſcenſum Chriſti ad inferos, & ſex Patres ibi detentos, ac indè ſolutos diſſeruiſſet, ſic concludit: *Quis ergo niſi infidelis negaverit, fuiſſe apud inferos Chriſtum?* At Eccleſia Reformata cum ſuo Calvino *ſuprà citato* id expreſsè negat, VVollebio quoquè *lib.* 1. *cap.* 18. *can.* 17. *Compend. Theol.* ſic diſſerente: *Fabuloſa planè & ridicula eſt Pontificiorum narratio de locali Chriſti in Lymbum Patrum deſcenſu, & eorundem liberatione* Ergo Eccleſia Reformata ſecundùm Orthodoxum Auguſtinum eſt infidelis. 2.

Tandem *Rat.* 22. *n.* 41. ſic ratiocinatur. Eccleſia Reformata meritò deſerenda eſt, ſi ſymboli Apoſtolici verba quidem retineat, ſed ſenſum legitimum non tantùm à Patribus, ſed etiam à Concilijs definitum abjiciat. At Eccleſia Reformata in Symbolo Apoſtolico retinet quidem iſta verba: *Deſcendit ad inferos*, attamen in horum ſenſu non tantùm diſſidet à Patribus Orthodoxis, ſed etiam à Concilijs. Minor iſta probatur: Quia 3.

4. Concilium Nicænum in *Reſp. 2. per Macar. Epiſt. Hieroſolymit. lib. 2.* ita habet: *Chriſtus ſolus deſcendit ad inferos, & cum multis rediit.* Fatetur etiam Bullingerus *in princ. quinque Decad.* à Concilio Toletano ita eſſe definitum: *Deſcendit* (Chriſtus) *ad inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret.*

5. Econtrà verò Calvinus *Inſtit. lib. 2. cap. 16. ſect. 9.* ſic ait: *Interpretatio, quòd Chriſtus deſcenderit ad animas Patrum, qui ſub lege mortui erant, ut erueret eas ex carcere, ubi incluſæ tenebantur, cui aſſinxit nomen Lymbi, nihil tamen eſt, quam fabula.*

Quia igitur in aperto eſt, Eccleſiam Reformatam verba ſymboli Apoſtolici torquere ad ſenſum à Concilijs alienum, meritò videtur deferenda.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

6. Iſte Miniſter *in Exam. cit. Doc. 17.* arguit 1. Quando Auguſtinus à Georgio *pag. 95.* citatus aſſerit, *Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, fuiſſe apud inferos, & in eorum doloribus conſtitutis hoc beneficium præſtitiſſe* &c. Non poſſe hoc accipi de Patribus Veteris Teſtamenti Abrahamo, Moſe, Davide &c. Hos enim non fuiſſe apud inferos, & conſtitutos in doloribus, cùm in Lymbo Abrahæ animæ non torqueantur, ipſomet Chriſto Lucæ *16. v. 23. & 25.* ſic atteſtante: *Lazarus in ſinu Abrahæ ſolamen recipit.*

7. Arguit 2. Si talis eſſet mens Auguſtini, ſequi, quòd incurrat in ipſum Catechiſmum Romanum, qui Lymbum hunc in explicatione hujus Articuli, *Deſcendit ad inferos* deſcribat, eſſe *receptaculum, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti Domini adventum excipiebantur, ibique ſine ullo doloris ſenſu, beatâ redemptionis ſpe ſuſtentatæ quietâ habitatione fruebantur.*

8. Arguit 3. Auguſtinum nullo Scripturarum ſubſidio fultum, in hac quæſtione de Patrum manſione, quæ Lymbus, vocabulo in hac ſignificatione monſtroſo vocetur, variè, ut etiam in alijs raptum eſſe. Sic enim alicubi diſſerere: *Non abſurdum credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, apud inferos fuiſſe, donec eos ſanguis Chriſti, & ad illa loca deſcenſus erueret.* Alibi autem negâſſe, quòd in loco, qui infernus dici queat, Abrahamus fuerit. Sic enim diſſerere *Epiſt. 99. Inferos ipſos uſpiam Scripturarum locis in bono appellatos, nec potui reperire. Quòd ſi nuſquàm in Divinis authoritatibus legitur, non utiquè ſinus ille Abrahæ, id eſt ſecreta cujuſdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum eſſe credenda eſt.* Item *Quæſt Evang.* l. 2. 1. 28. ita habere: *Sinus Abrahæ eſt requies beatorum pauperum, quorum eſt regnum cælorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur. Deus enim reconciliavit ſibi per ſanguinem Chriſti omnia, quæ ſunt in terrâ, & quæ in cælis.*

cœlis. Ex quo proinde Vedroſius concludendo ait: Non potuiſſe Chriſtum ſibi reconciliare in cælo, niſi fideles Patres antè huius ſanguinis effuſionem mortuos, virtute tamen ejus, qui profuit, antequàm fuit, in cælum tranſlatos.

Idem prætenſæ Reformationis Miniſter Vedroſius *Sect. 6. in Exam. Rat. 8. Exempli 23.* arguit 4. Si expendantur propiùs verba Auguſtini *pag. 170.* citata, manifeſtum fore, quòd per inferos non receptaculum Patrum fidelium tartaro contiguum, ſed locus damnatorum intelligatur, ubi, nè fruſtrà illuc deſcendiſſe exiſtimaretur, quorundam, qui ibi tenebantur incluſi, quoſque dignos liberatione judicârit, dolores ſolviſſe. Eandem fortaſsè mentem Concilij Nicæni *cit. pag. 241.* fuiſſe. 9.

Arguit 5. Marcioni Hæretico militare Georgium ſuo de Lymbo chymærico dogmate, de quo Tertullianum *lib. adverſ. Marcion. cap. 34.* ita diſſerere: *Marcion aliorsùm cogit* (hanc de ſinu Abrahæ ſententiam) *ſcilicet, ut utramque mercedem ſive tormenti, ſive refrigerij apud inferos determinet, eis poſitam, qui Legi & Prophetis obedierint, Chriſti verò & Dei ſui cæleſtem deſtinat ſinum, & portum.* 10.

CAPUT III.

Oſtenditur, ex illo Fidei articulo, quo juxta Symbolum Apoſtolicum ſacris Scripturis conformiter creditur, Chriſtus deſcendiſſe ad inferos, efficaciter probari Lymbum Patrum.

Probatio prima, ex ſacris Litteris petita.

Etenim nullum ex hominibus ſeu animabus juſtorum antè Chriſtum fuiſſe ingreſſum in cælum, evincitur ex eo, quòd Chriſtus prior omnibus introjerit in cœlum, *juxta illud Heb. 6. v. 20. Propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi Præcurſor* (atque adeò prior omnibus) *pro nobis introivit Ieſus &c.* Hinc autem fit, Iuſtos ex antiquo Teſtamento defunctos antè Chriſti aſcenſionem eatenùs fuiſſe extra cœlum, ut conſequenter eſſent quoquè deſtituti viſione beatificâ, juxta illud *Heb. 11. v. 13. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti* (qui nimirùm erant ex Veteri Teſtamento) *non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas habentes &c.* Et *v. 39. Hi omnes teſtimonio Fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis meliùs aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Quarè juſtos ejuſmodi uſque ad Chriſti ad inferos deſcenſum fuiſſe in loco quodam ſubterraneo, evincitur tum ex illo *Gen. 37. v. 35.* ubi Iacob ajebat: 11.

Digitized by Google

bat: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Qui adeò ſacer Textus ſubſiſtere nullatenùs poſſet, ſi Iacob credidiſſet, ſe & filium ſuum Ioſeph ſtatim à morte ſuâ ingreſſos, vel ingreſſuros eſſe cœlum, beatificâque adeò viſione fruituros. De quo proinde inferorum loco, Chriſtum animas Sanctorum antiqui Teſtamenti eduxiſſe, demonſtratur ex illo *Zachar. 9. v. 11. Tu in ſanguine* (hunc enim ſacrum Textum eſſe de Chriſto, clarè patebit expendenti contextum) *teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu &c.* prout illum ſacrum Textum paſſim exponunt SS. Patres.

Probatio ſecunda, deſumpta ex illis ſacræ Scripturæ locis, quibus probatur Chriſti ad inferos deſcenſus.

12. NAm *Pſal. 15. v. 10.* dicitur: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* At hunc ſacrum Textum eſſe propheticè dictum de Chriſto, patet *ex Act. 2. v. 27.* Planum igitur eſt, Chriſtum pro nobis mortuum, ſecundùm corpus quidem in ſepulchro, ſecundùm animam verò fuiſſe in inferno, ita tamen, ut, ſicuti caro in ſepulchro non vidit corruptionem, ſic anima ejus non derelinqueretur in inferno ultrà inſtans reſurrectionis. *Ex cit. ſacro contextu.* At Chriſti animam pro triduo mortis morantem in inferno, converſatam fuiſſe cum animabus Sanctorum Veteris Teſtamenti, evincitur *ex 1. Petri 3. v. 18. & 19.* ubi ſic dicitur: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus, veniens, prædicavit &c.* Quem adeò carcerem in inferno, ubi ſpiritus Veterum detinebantur, fuiſſe, intellexerunt SS. Patres, ſpeciatim Clemens Alexandrin. *lib. 6. Stromat.* Athanaſius *in Epiſt. ad Epictetum.* Epiphanius *hæreſi 77* & alij *infrà* exprimendi. Unde & Paulus ad *Epheſ. 4. v. 9.* de Chriſti ad inferos deſcenſu, & Patrum ibi detentorum captivitate ſuperatâ & ſolutâ ſic conteſtatus eſt: *Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem &c. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiores partes terræ.*

Probatio tertia, deprompta ex Symbolo Apoſtolico & vivo Dei Verbo per ſupernaturalium in fidelium mentibus conſervatam Fidem in Eccleſiâ Dei jugiter tradito, & ad nos uſque propagato.

13. NAm Articulus Fidei, quatenùs *Formaliter* non eſt expreſſus in ſacris Literis, debet accipi in ſenſu, quem viva fidelium Fides, non niſi vero Dei verbo innitens, omni tempore tenuit & propagavit. At deſcenſus Chriſti ad inferos continetur Symbolo Fidei Apoſtolico ab ipſiſmet etiam Reformatis (uti ex Catechiſmo Tigurino *Art. 35.* liquet) recepto. Hoc verò Symbolum

ſum ut ſic nullibi habetur expreſſum ſacris Litteris, ſed quà tale non niſi per vivam fidelium Fidem cum vero ſenſu ſuo propagatur in Eccleſiâ Dei. Oportet igitur, illius articuli, quo Chriſtus mortuus dicitur ad inferos deſcendiſſe, legitimum ſenſum ex vivâ fidelium Fide illibatè & incorruptè tenere. Atqui hæc viva fidelium in Eccleſiâ Dei propagata fides, legitimuſquè de Dogmatibus Fidei ſenſus præcipuè conſtat ex Patrum, ceu verorum & Orthodoxorum Eccleſiæ Paſtorum authoritatibus, quibus apertè probari Lymbum ab Eccleſiâ Romanâ aſſertum, mox conſtabit.

Probatio quarta, prioris ex SS. Patrum authoritatibus continuativa.

ETenim Euſebius *lib. 1. hiſt. cap. ult. edit. Baſil.* 1507. inter alia refert ſequentia S. Thadæi Chriſti Diſcipuli verba: *Docebo te de adventu Ieſu &c. quomodò crucifixus ſit, & ad inferos deſcenderit, ſepemquè illam anteà nunquam diruptam ſciderit, reſurrexerit etiam, ac mortuos, qui à ſæculis dormierant, unà excitaverit, & ſolus quidem deſcenderit, multâ verò turbâ comitatus, ad Patrem aſcenderit.* Iuſtinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone* proteſtatur, inter alios ſacros textus à Iudæis ex Hebraicis Scripturis ſublatos, eſſe iſtum Hieremiæ: *Recordatus eſt Dominus Deus mortuorum tuorum ex Iſraele, qui obdormierant in terrâ aggeris, & deſcendit ad eos, ut evangelizaret, & latus eis ſignificaret nuncio ſalutare ſuum.* 14.

Ignatius ad Trallianos: *Deſcendit ad infernum ſolus, regreſſus autem eſt cum multitudine &c. & intrà triduum reſurrexit.* Irenæus *lib. 5. adverſ. hæreſ. cap. 31.* *Nunc autem tribus diebus converſatus eſt* (Chriſtus) *ubi erant mortui, quemadmodùm Prophetia ait de eo, commemoratus eſt Dominus Sanctorum mortuorum ſuorum, eorum, qui antè dormierunt, in terram ſtipulationis, & deſcendit ad eos, ſalvare eos.*

Tertullianus *lib. de Animâ, cap. 32. Nec antè* (Chriſtus) *aſcendit in ſublimiora cælorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret.*

Cyprianus *de Unit. Chriſmat. Paſſus eſt rex illudi, & vita occidi, deſcendenſque ad inferos, captivam ab Antiquo captivitatem abduxit.*

Origenes *hom. 15. & 16. ſuper Geneſ. Unigenitus Filius ejus pro ſalute mundi uſque ad inferna deſcendit, & inde Protoplaſtum revocavit. Quod enim dixit ad latronem: Hodiè mecum eris in paradyſo, hoc non illi ſoli dictum, ſed & omnibus Sanctis, intellige, pro quibus in inferna deſcenderat.*

Clemens *lib. 6 Stromat. Prædicavit Dominus ijs quoquè, qui erant apud inferos.*

Athanaſius *lib. de incarnat. Corpore* (Chriſti) *non ultrà ſepulchrum delato, anima ad inferos penetravit, locis ingenti intervallo diſcriminatis.*

Baſilius *in Pſal. 48.* ſuper illa verba: *Veruntamen Deus redimet animam meam*

am de manu inſeri, cùm acceperit me; ita ſcribit: *Palam vaticinatur Chriſti ad inſeros deſcenſionem, qui unà cum aliis Prophetæ ipſius animam ſit liberaturus, ut ibi nequaquàm remaneat.*

Ambroſius *lib. de Myſt. Paſchæ cap. 4. Expers peccati Chriſtus, cùm ad tartari ima deſcenderit, ſeras inferni, januaſquè confringens, vinctas peccato animas, mortis dominatione deſtructâ, è diaboli faucibus revocavit ad vitam, atque ita Divinum triumphum æternis characteribus eſt conſcriptum, dum dicit: Ubi eſt mors aculeus tuus? Ubi eſt mors victoria tua?*

Hieronymus *in cap. 4. ad Epheſ. Inferiora terræ, infernus accipitur: ad quem Dominus noſter, Salvatorquè deſcendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cælos victor abduceret. Unde & poſt reſurrectionem ejus plurima corpora juſtorum in ſanctâ civitate viſa ſunt.*

Chryſoſtomus *Homil. 4. in Marcum. Ideò Chriſtus mortuus eſt, ideo deſcendit ad inferos, ut animæ, quæ ibi vinctæ fuerant, laventur.*

Auguſtinus *lib. 20. de Civit. Dei cap. 15. Non abſurdè credi videtur, antiquos illos Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret.*

15. Ex quibus proinde patet, fidei Articulum de Chriſti ad inferos deſcenſu taliter fuiſſe ab antiquis veram in mentibus fidelium, ceu vivis membranis à Spiritu Sancto expreſſam fidem conteſtantibus, Orthodoxis Patribus intellectum, ut præter tormenta impiorum oporteat admittere aliquem inferorum locum, in quo detentæ fuerint animæ iuſtorum Antiqui Teſtamenti, ac exinde fuerint liberatæ per Chriſtum ad ipſos deſcendentem, eiſquè prædicantem. At iſtum locum nos Pontificii vocamus Lymbum Patrum. Ex vivâ igitur fidelium fide, ſymboli Apoſtolici de Chriſti ad inferos deſcenſu articulum jugiter conſervante & propagante in verâ Eccleſiâ manifeſtum eſt, quòd, niſi Reformati velint facere quæſtionem de nomine, Lymbus Patrum efficaciter probetur ex ſymbolo Apoſtolico.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſii

16. AD *primam* Reſp. Aliud eſſe, ſi quæratur, an ſinus Abrahæ fuerit apud inferos, & quinam ex Patriarchis & Prophetis ante Chriſti adventum fuerint ſuſcepti in iſtum ſinum? Aliud verò eſſe, ſi quæratur, an quidam ex hominibus iuſtis ante Chriſti mortem, ejuſquè ad inferos deſcenſum fuerint apud inferos, & an ibi locus fuerit alicui dolori

dolori reſultanti non quidem ex pœnâ Senſûs, ſed ex pœnâ Damni, eâque non *totali*, omnimodam ſupernaturalium formarum, adeoquè Gratiæ ſanctificantis carentiam, ſed *partiali* luminis gloriæ ac dotium ſtatui beatifico propriarum privationem duntaxàt importante? At licèt in ſinu Abrahæ fuerit huic, & fortè alijs nonnullis ſublimioribus ſanctis Patriarchis & Prophetis quies beatifica, omnimodi doloris excluſiva, non idcirco ſequitur, non fuiſſe aliquas juſtorum animas uſquè ad Chriſti Domini ad inferos deſcenſum detentas in inferioribus terræ, quas Chriſtus exindè eduxerit ac liberârit, veluti illam ſinûs Abrahæ, ac infernalis Patrum Lymbi diſtinctionem fuſiùs deducendo ex ſacris Litteris, efficaciter probat S. Auguſtinus *cit. Epiſt. 99.* Quarè illa Vedroſij argutia nihil aliud ſpirat, niſi meram quandam ſinûs Abrahæ ac infernalis Lymbi Patrum confuſionem à S. Auguſtino iam pridem diſcuſſam.

Ad *ſecundam* Reſp. Divum Auguſtinum optimè cohærere cum Catechiſmo Romano, ſed ab utroque enormiter diſcrepare Reformatum Miniſterium. Etenim in illo Lymbo juxta Catechiſmum Romanum eatenùs deerat ſensûs dolor, ſive pœna ſensûs, ut eo ipſo tamen locum haberet pœna Damni, dum animæ ibi detentæ redemptionis ſpe non *ſimpliciter* ac *Totaliter*, ſed *imperfectè* duntaxat beatificante fruebantur. Ex quâ proinde *perfectè*, non tamen *completè* beatificanti Charitati conjunctâ ſpe erat quidem quies omnimodæ inordinatæ perturbationis, non tamen omnimodi, ad divinam licèt Voluntatem moderati doloris excluſiva. Conſtat igitur, S. Auguſtinum, quatenùs de animabus iuſtis in Lymbo detentis aſſerit, aliquo ex Damni ſcilicet pœnâ, dolore accepto affectos fuiſſe, minimè diſcrepare à Catechiſmo Romano, dolorem ex pœnâ ſensûs oriri ſolitum ab illis animabus duntaxàt removente, neque beatitudinem in re, ſed in ſpe tantùm doloris ejuſmodi ad divinam tamen Voluntatem ritè moderati excluſivam eiſdem concedente. 17.

Econtrà verò horrendum eſt, quàm non tantùm in Auguſtinum, ſed in ſymbolum Apoſtolicum, nec non ſacras Scripturas, imò & in ſe ipſos hac in parte impingant & committant Reformati Doctores. Etenim *Act. 2. v. 27.* Chriſti Domini ad inferos deſcenſus apertè probatur ex illo *Pſal. 15. Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* At repugnantibus licèt Patribus, & Lucâ Evangeliſtâ, textu ſacro Hebraico, verſione latinâ à primævis Eccleſiæ Doctoribus approbatâ, interpretatione Græcâ, atquè Septuaginta Interpretibus, non erubuit Beza *in Annotationibus Maior. in Act. 2. v. 2. de Anno 1556. per Robertum Stephanum editis* ad illum Chriſti ad inferos deſcenſum im- 18.

pro-

probandum, ſequentem ſubſtituere interpre ationem: *Quoniam non dere-linques cadaver meum in inferno.*

19. Quam adeò Bezanam interpretationem ipſemet etiam Calvinus *lib. 2. Inſtit. cap 16. §. 8. 10. 11.* refutavit, aſſerens: Chriſtum non aliter deſcendiſſe ad inferos, quàm diros damnatorum cruciatus in Cruce patiendo. Cuius-modi equidem Calviniſtica interpretatio & ſymbolo Apoſtolico, & ſacris Litteris, & Patrum authoritatibus, vivæquè fidelium ſemper in Eccleſiâ propagatæ fidei, *uti ſuperiùs eſt oſtenſum*, contraria apertè oſtendit, qualiter undiquè impingant iſti Pſeudoreformatores, ut conſequenter Vedroſius in ſuam Reformationem retortum videre debeat, quod S. Auguſtino, & Catechiſmo Romano *in præf. 2. argutiâ ſuâ* affingere conatus eſt.

20. Ad *tertiam* Reſp. Haberi imprimis pro accepto, quòd nolens volens, Vedroſi, faſſus ſis, S. Auguſtinum agnoviſſe locum apud inferos à tormentis impiorum remotiſſimum, in quo antiqui Sancti, qui venturi Chriſti fidem tenuerunt, fuerint detenti, donec eos ſanguis, & ad illum locum deſcenſus Chriſti erueret. At hunc ipſum locum nos Pontificij vocamus Lymbum Patrum. Niſi ergo Vedroſi contendas in quæſtione de nomine, nolens volens fateri cogeris, Lymbum Patrum à Pontificijs aſſertum, eſſe fundatum in S. Auguſtino. Quòd autem effutias, hunc Sanctum Doctorem in iſto dogmate aſſerendo, non fuiſſe fultum aliquo ſacrarum Scripturarum ſubſidio, apertè reus es falſitatis: cùm ille Sanctus Eccleſiæ Doctor *Epiſt. 99.* deſcenſum Chriſti ad inferos (ad animas juſtas inde liberandas, *uti patet ex contextu*) dicat apertè adſtrui à ſacrâ Scripturâ, & per Prophetiam promiſsâ, & Apoſtolicum intellectum expoſitâ. Quòd autem tantum Doctorem allegans, ad hoc tuum intentum *dictâ Epiſt. 99 & lib. 2. cap. 38. Quæſt. Evang.* dicas, variè hoc in paſſu, uti alijs etiam in rebus raptum eſſe, apertæ reus es calumniæ & falſitatis; cuivis enim Epiſtolam præadductâ expendenti ad oculum patet, illũ S. Doctorem *in cit. Epiſt. 99.* diſtinguere inter ſinũ Abrahæ, & alterum juſtorũ in Chriſti venturi fide mortuorum locum, atque illum non quidem *reſolutoriè*, ſed *argumentativè* negare videtur fuiſſe apud inferos, iſtum verò, alias Patrum Lymbum dictum, conſtanter ex ſacris Litteris probat, fuiſſe apud inferos, Chriſtumque eò deſcendiſſe, animaſque inde eduxiſſe. Quibus conſonant etiam, quæ *in cit. quæſt. Evang.* (*non* 28. ſed 38.) de ſinu Abrahæ diſcuſſa reperiuntur. En igitur Vedroſi, quantùm ames tenebras, quibus in tantum es immerſus, ut malis imponere S. Auguſtino, quàm redire ad lucem, ab iſto ſancto Doctore ex ipſiſmet ſacris Litteris clarè demonſtratam.

21. Ad *quartam* Reſp. Siccine Vedroſi eò jam progrederis, ut & à Cal-

vino

vino tuo *ſupra n. 1.* & Bezâ *n. 18. adductis*, jam diſcrepes, dum aſſeris, Chriſtum ad ipſum damnatorum infernum deſcendiſſe? Sic lucis jam expers factus, tuam in aperto per ſacras Scripturas à Patribus probato fidei articulo negando, perfidiam novo, & Litteris Divinis manifeſtè repugnante errore adauges, dum ex ipſo damnatorum inferno, ubi Scriptura clamitat, nullam eſſe redemptionem, ais, aliquos à Chriſto eſſe liberatos, quos nimirùm eâ liberatione dignos iudicârit; ſed & adversùs S. Auguſtinum in hoc apertam commiſiſti calumniam, quâ & Concilium Nicænum perfidè involvis, dum illius tui erroris tot Eccleſiæ Orthodoxos Patres participes, fruſtrà tamen, facere conaris, utpote eorum verbis (uti cuivis patebit) apertè repugnantibus.

Ad quintam Reſp. Tertullianum *lib. 4. adverſ. Marcionem cap. 34.* in hoc arguere Marcionem, quòd ſinum Abrahæ, ceu locum Sanctis & Beatis deſtinatum ita collocârit apud inferos, ut ſolum Chriſtum ac Deum in cœleſti ſinu & portu collocaret. At quis Pontificiorum tale quid unquàm ſenſit? Calumnia ergo tua eſt, quòd vel Georgius, vel alius ex Pontificijs militet Marcioni ſuo circà Lymbum dogmate. Calumnia inſuper eſt, quòd iſtud dogma, ipſiſmet ſacris Litteris per SS. Patres, adſtipulante etiam Tertulliano *ſuprà cap. 3. n. 13. allegato*, firmatum, & probatum, dixeris chimæricum. Sed hæc tua calumnia ex tuâ vel malitiâ, vel imperitiâ oritur, dum vel non vis, vel neſcis diſtinguere inter Lymbum Patrum, vel Abrahæ ſinum. 22.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Nullum prorsùs ex Georgij *ſuprà cap. 1. deductis* argumentis eſſe à Vedroſio ſolutum. Quibus adeò firmiter ac inconcuſsè ſubſiſtentibus, ita licere argumentari. Illa Reformatio convincitur à verâ fide defeciſſe, quæ ita fluctuat in articulo fidei per Symbolum Apoſtolicum expreſſo, ut non tantùm Reformationis ejuſmodi Doctores diverſimodè, aliter nempè Calvinus *ſuprà n. 1.* aliter Beza *n. 18.* aliter Vedroſius *n. 9. citati* explicent, ſed ſanè à ſenſu per vivam fidelium fidem in Eccleſiâ Dei jugiter propagatam, SS. Patrum authoritatibus traditam uniformiter retento, & ex ſacris Litteris efficaciter probato, dignoſcantur prorsùs alieni. At rem circà Chriſti Domini ad inferos deſcenſum, atque Patrum Lymbum in Reformatione hodiernâ ita ſe habere, planè conſtat *ex præſenti ſect. 2. per totam.* Viderit ergo illa Reformatio, an non apertè defecerit à verâ Fide? 23.

DISSERTATIO XI.

De Prædeſtinatione, Iuſtificatione ac Meritis.

SECTIO I.

De Prædeſtinatione.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. 3. Doc. 18.* inducit S. Ambroſium *lib. 5. cap. 2. de fide ad Grat.* in illa Pauli *Rom. 8. v. 29.* verba, *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri &c.* ita diſſerentem: *Non enim antè prædeſtinavit, quàm præſcivit; ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit &c.*

2. Inducit etiam S. Auguſtinum *Expoſit. 60. Epiſt. ad Rom.* ubi ad objectionem, quòd *Electio ac reprobatio ſecundùm Dei propoſitum antecedens opera bona & mala, videatur tollere libertatem*, reſpondet: *Præſcientiâ Dei factum eſſe, quâ novit etiam de nondum natis, qualis quiſque futurus ſit &c.*

3. Inducit eundem Sanctum Doctorem *cap. 6. de Prædeſt. & Grat.* docentem, *quòd induratio Pharaonis non pertineat ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam.* Et *cap. 13. ejuſd. lib.* aſſerentem, *quòd plenitudo Divinæ Præſcientiæ non lædat libertatem. Et paulò poſt,* quòd *Pharao & Nabuchodonoſor ſint facti diverſi, quòd unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuerit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam Veritatem pugnârit arbitrio.*

4. Inducit denique Calvinum *lib. 2. Inſtit. cap. 4.* taliter ſtatuentem: *Nè Auguſtinus quidem illâ ſuperſtitione (nempè quòd Veteres religionis interdum ſimplicem veritatis confeſſionem reformidârint, quòd vererentur, ne impietati feneſtram de operibus Dei irreverenter obloquendo, aperirent) interdum ſolutus eſt; quemadmodùm ubi dicit, indurationem & excæcationem non ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam ſpectare.*

5. Ex quibus tandem concludit Georgius, in aperto eſſe, quòd Reformatio hodierna quoad punctum Prædeſtinationis, diſcrepet ab antiquâ Orthodoxiâ, utpote quam in S. Auguſtino Calvinus etiam arguat ſuperſtitioſæ impietatis.

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur Vedroſij argutiæ.

ISte Miniſter *cit. ſect. 4. in Exam. Rat. 3. Dot. 18.* arguit 1. Veteres de Prædeſtinatione, alijſque Fidei, libero arbitrio cognatis, capitibus pauca, eaque minùs accurrata, imò nec ſemper ſana, & oraculis Divinis conſenteana ſcripſiſſe, prout præter Calvinum, alioſque ſuæ Reformationis Doctores fateatur etiam Bellarminus *lib. 11. de Grat. & lib. arbit. cap. 11.* Cujus cauſam eſſe in promptu, quòd illâ ætate ad exortum uſque Pelagij nemo extiterit, qui eos ex profeſſo oppugnaret. Quòd porrò Patres ſaltem pleríque tranſverſi in illis Articulis acti fuerint, inde factum, quòd ijs è Philoſophorum ſcholis in caſtra Eccleſiæ Chriſtianæ tranſeunibus, ſemper aliquid prioris fermenti hæſerit, donec per acres adverſarios excitati; rem accuratiùs, & adamuſſim ſacræ Scripturæ exegerint. Id adeò certum, ut Pelagius in controverſiæ hujus deſceptatione cum Auguſtino ad judicia primorum Patrum, cùmprimis Græcorum, ſubindè provacârit, teſte Auguſtino *lib. 2. contrà Julian.* Quod verò illorum opinionem mitiget, eſſe, tum quòd ipſi ſatis ſibi ubiquè non conſtent, & modò præiudicijs decepti affirment, quod Veritatis luce colluſtrati ſtatim negent; tum quòd etiamſi ſtatuerint Electionem ex præſcientia Fidei & operum, non tamen ſenſerint, quod poſteà Pelagiani, cùm fidem ejuſquè opera Gratiæ Divinæ in ſolidum, id eſt, ſecundùm initium, progreſſum, & perſeverantiam adſcripſerint. Sic Auguſtinum eos excuſare *lib. de bono Perſev. cap. 20.* 6.

Arguit 2. In fundamento veræ ſententiæ omnes conſentire, quòd Gratia Dei non proveniat ab ullo opere noſtro, ſed contrà ab illâ omnia opera noſtra præveniantur, ita ut nihil omninò boni, quod ad ſalutem noſtram nobis inſit, niſi ex Deo. Sic Ambroſium *lib. 2. de Voc. Gent.* habere: *Deus initiorum, & incrementorum Fidei largitor eſt.* 7.

Arguit 3. Prædeſtinationem antecedenter ad prævisionem operum probari à Bellarmino ex ſacris Litteris *Luca 12. v. 32. Ioan. 15. v. 16.* Teneri ab Auguſtino & Thomâ, fatente Molinâ Ieſuitâ *Concord. q. 23. a. 4. & Diſp. 1. membro 6. ſect. Ex his patet.* Hanc ceu antiquiſſimam omnium fermè Theologorum ſententiam agnoſci à Weſtono *de dupl. hom. offic. lib. 2.* Quibus adſtipulari Pererium *in cap. 9. ad Rom. diſp. 5. in 1. poſt. q. 23. a. 3.* Adſtrui clarè ab Auguſtino *lib. 1. contrà Julianum,* Et ſic genuinum Auguſtinum opponi Pſeudo-Auguſtino per Georgium *citato ex lib. de Prædeſt. & Grat.* utpote qui liber juxta criſin Lovanien- 8.

nienſium & Bellarmini, non ſit ejus, ſed à phraſi & doctrinâ Auguſtini diſcrepet, alijs Caſſiano, alijs Fulgentio eum attribuentibus.

9. Arguit 4. Quærendo ex Adverſarijs: quarè Deum injuſtitiæ & crudelitatis arguant, ſi præter ejus Voluntatem nulla detur cauſa, cur ex hominibus peccatoribus quoſdam ad mortem deſtinârit, qui tamen, ſi *Papa innumerabiles populos catervatim ſecum ducat primo mancipio gehennæ, cum ipſo in æternum vapulaturos multis plagis; nolint mortalium aliquem præſumere, ejus culpam redarguere?* Jus ſibi in Deum ſumere, quod nemini in ſuum Papam concedant. *Diſt. 40. Can. Si Papa.*

CAPUT III.

Oſtenditur, Calviniſticæ Reformationis errores circà Prædeſtinationem in eo ſe tenere, tum quòd Prædeſtinationem ex meritis in viâ tam intentionis, quàm Executionis impugnet; tum quòd ex Divinæ Prædeſtinationis efficaciâ impugnet libertatem arbitrij noſtri; tum quòd independenter ab omni peccato ſtatuat efficax Reprobationis Decretum; tum quòd indurationem & obcæcationem, imò & peccatum reducat in cauſalitatem Prædeſtinationis, non verò in Divinam duntaxat Præſcientiam quà Dei judicio innixam; tum denique, quòd non diſtinguat Vocationem ſecundùm propoſitum, ſed aſſerat, omnes ad fidem vocatos certò credere debere, ſe prædeſtinatos eſſe.

Probatio prima, circà primum prætenſæ Reformationis errorem, quatenùs omnimodè negat Prædeſtinationem ex meritis.

10. ETenim in Prædeſtinationis myſterio conſideranda eſt tum ratio Decreti gloriam æternam electis hominibus præparantis tum ratio Decreti gratiam, aliaquè ſalutis media præparantis. At inter iſta media eſſe merita non ex proprijs noſtri arbitrij viribus, ſed ex Gratiæ & Prædeſtinationis Divinæ, & voluntatis noſtræ, per Dei quidem gratiam motæ ac excitatæ, attamen liberè operantis cauſalitate prodeuntia, tanquàm dona Divinitùs præparata & donata, ex ſacris Litteris efficaciter probat Divus Auguſtinus *lib. de Prædeſt. Sanct. Et lib. de dono Perſev.* Econtrà verò Calviniſmus eatenùs negat merita ejuſmodi, ut eo ipſo impin-

gat

Digitized by Google

gat in myſterium Prædeſtinationis: veluti de hoc meritorum noſtrorum Articulo ex inſtituto dicetur *infrà ſect.* 3.

Probatio ſecunda, circà ſecundùm prætenſæ Reformationis errorem, quatenùs ex Divinæ Prædeſtinationis efficaciâ negat arbitrij noſtri libertatem.

NAm Divus Auguſtinus *lib. de Grat. Et lib. de Arbit. lib. de Corrept. & Grat. lib. de Prædeſt. Sanct. & lib. de Bono Perſev. & alibi ſæpe*, ex ipſiſmet ſacris Litteris efficaciter probat, talem Prædeſtinationis Divinæ efficaciam eſſe ſtatuendam, quæ non tollat, ſed conſervet, fœcundet, & efficacem faciat libertatem arbitrij noſtri, cauſando efficaciſſimam quidem, at liberrimam voluntatem. Econtrà verò Calviniſmus ex Divinæ Voluntatis ac Prædeſtinationis efficaciâ diſertis verbis imponit neceſſitatem cum libertate repugnantem: *uti patebit ex dicendis ſect. proximâ, ubi ex inſtituto agemus de hoc Articulo.* 11.

Probatio tertia, circà tertium prætenſæ Reformationis errorem, quatenùs Reprobationis Decretum ſtatuit abſque ullo ad peccatum reſpectu.

ETenim alia quæſtio eſt, *An Deus ex vi abſoluti ſui Dominij, nullo habito reſpectu ad prævium peccatum, poſſit aliquem Negativè reprobare?* Aliud verò eſt, *An Deus de facto ita agat cum hominibus?* At prius ita congruere poſſet abſoluto Dei Dominio, ut tamen de facto Divina quorundam Reprobatio, ſive Decretum à gloriâ cœleſti efficaciter excluſivum ſubeat rationem judicij, Divo Auguſtino *in Epiſt. 105. contrà Pelag. nec non in lib. de Prædeſt. Sanct. & de Bono Perſev.* paſſim probante, *ita tribui Divinæ miſericordiæ, quòd aliquos ex corruptâ humani generis maſſâ prædeſtinet ad vitam, ut Deus multos non eligendo, judicium faciat in eorum excæcatione, atque adeò derelictione, ſeu permiſſione peccati, nec non eorundem reprobatione, nimirùm negativâ.* Quibus vel maximè concordant, quæ *Epiſt. 106. ad Paul.* ſcribit: *Cùm verò*, inquiens, *per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univerſa* (humani ſcilicet generis maſſa) *defluxerit, proculdubio, quòd ex eâ fiunt vaſa in honorem, non ipſius eſt Juſtitiæ, quæ Gratiam nulla præceſſit, ſed Dei Miſericordiæ: quòd verò in contumeliam, non iniquitati, quod abſit, ut ſit apud Deum, ſed judicio deputandum eſt.* Ex quo adeò patet, hoc eſſe diſcriminis inter electionem prædeſtinatorum ad gloriam, ac reprobationem à Gloriâ excluſivam, quòd, licèt utraque ſit pro aliquo rationis ſigno conſequens prævisionem peccati Originalis, illa tamen ſit miſericordiæ, iſta verò Judicij. Atqui Decretum Divinum à gloriâ 12. 13.

Digitized by Google

riâ cæleſti excluſivum, eo ipſo, quòd ſit Iudicij, eſt ex reſpectu ad peccatum ſaltem Originale. Conſequens igitur eſt, quòd reprobatio, uti vocant, *Negativa*, & à regno cœleſti excluſiva, ſecundùm S. Auguſtinum *locis citatis* ex ſacris Litteris procedentem, ſit ex reſpectu ad peccatum Originale; maximè cùm Deus neminem velit perire, ſed omnes (voluntate nimirùm peccatum ſaltem Originale antecedente & Conditionatâ) velit ſalvos fieri 1. *ad Timoth.* 2.

54. Econtrà verò Calvinus *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 23. §. 2. ita diſſerit: *Si non poſſumus rationem aſsignare, cur* (Deus Prædeſtinatos) *non miſericordiâ dignetur, niſi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebitur, quàm ejus voluntas &c.* Planum proinde eſt, Calvinum unà cum ſuâ Reformatione in puncto Reprobationis diſcordare ab Orthodoxâ Antiquitate per S. Auguſtinum *ubi ſuprà* aſſertâ, & in ſacris Litteris fundatâ.

Probatio quarta, circà quartum Reformationis errorem, quatenùs indurationem ac excæcationem, imò peccatum ipſum reducit in Cauſalitatem Divinæ Prædeſtinationis, non verò in ſolam Dei Judicio innitentem Præſcientiam.

55. NAm in Deo, oportet, quodammodò diſcernere Decretum Prædeſtinationis ac Iudicij. *Ex S. Auguſt. lib. de corrept. & Grat. lib. de Prædeſt. Sanct. & l. de Dono Perſev. paſsim.* At Decretū Prædeſtinationis eatenùs importat efficacem volitionem gratiarum, ac quorumlibet bonorum Electis conferendorum approbativam & Cauſativam, ſeu Effectivam Dei voluntatem, ut econtrà Decretum Iudicij Divini nolendo gratiarum ſuarum in reprobis elargitionem (non Poſitivo jam influxu, ſed Negativâ quâdam efficaciâ) ſit inducens indurationem & obcæcationem. Ex S. Auguſtino *cit. lib. de Prædeſt. Sanct. cap.* 8. *& alibi.* Ex quâ proinde induratione & obcæcatione intantum datur homo in reprobum ſenſum, ut peccatum, quod exinde conſequitur, non ſit Dei, ſed ipſius ſit Iudicium. *Ex cit. lib. cap.* 10. Super quo adeò Iudicij Divini Decreto eatenùs nititur Dei de peccatis, quæ non facit, Præſcientia, ut conſequenter latiùs pateat Præſcientia Dei, quàm Prædeſtinatio, ſiquidem iſta ſit Bonorum duntaxat, quæ Deus eſt facturus, illa verò ſit etiam peccatorum,
56. quæ non facit. *Ex S. Auguſtino cit. cap.* 10. *& alibi.* Econtra Calvinus *lib.* 1. *Inſtit. cap.* 18. §. 2. ait: *Apparet, certâ Dei deſtinatione fuiſſe impulſos, ſcilicet ad peccandum.* Et infrà: *Fateor quidem, interpoſitâ ſathanæ operâ, ſæpè Deum agere in reprobis, ſed ut ejus impulſu ſathan ipſe ſuas partes agat.* Poſteà ubi dixiſſet, ſathan excæcare fidelium mentes, cauſam iſtius reddit hiſcè verbis: *Niſi quòd à Deo ipſo manat efficacia erroris.* Item *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 23. ſic ait; *Excuſabiles peccando habe-*

ri vo-

ri volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi neceſſitatem, præſertim cùm ex Dei ordinatione ſibi injiciatur hujuſmodi neceſſitas. Nos verò inde (En approbantur antecedentia, & ſola illa reproborum excuſatio reprobatur) *negamus, ritè excuſari.* Conſtat proindè, in hoc apertum eſſe Calviniſtici ſpiritûs errorem, quòd indurationem & obcæcationem, ipſumquè peccatum reducat in Poſitivam Divinæ Prædeſtinationis Cauſalitatem, imò & neceſſitatem, uti Calvinus clariùs etiam loquitur *lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. 3. Iam ſatis* (inquiens) *apertè oſtendi, Deum vocari omnium eorum authorem, quæ iſti cenſores* (peccata nimirùm ſolo Dei permiſſu fieri aſſerentes) *volunt otioſo ejus permiſſu contingere &c.* In quibus adeò Reformatio hodierna ita pugnat cum S. Auguſtino *ſuprà* adducto, ut & ſacrarum Litterarum (cuique obviarum) & pietatis religioſæ naufragium feciſſe dignoſcantur.

Probatio quinta, circà quintum Reformationis errorem, quatenùs non diſcernendo Vocationem ſecundùm Propoſitum, eò progreditur, ut aſſerat, omnes ad Fidem vocatos, certò credere debere, ſe prædeſtinatos eſſe.

ETenim Calvinus *lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 16.* ita habet: *In ſummâ, verè fidelis non eſt, niſi qui Divinæ ergà nos benevolentiæ promiſſionibus fretus, indubitatam ſalutis exſpectationem præſumit. Item in cap. 5. & 13. Ioann. & in cap. 3. Matth.* ait, quòd *quilibet fidelis credere debeat, Deum Patrem non minùs ſibi favere, quàm proprio Filio, & ipſum damnari non poſſe, niſi Chriſtus damnetur.* At contrà hæc pugnant, quæ S. Auguſtinus tum *alibi*, tum *lib. de Bono Perſev. cap. 8.* inter fideles Electos, ſive ſecundùm Propoſitum vocatos, & non electos diſcernendo, ſic deducit: *Nonne utrique vocati fuerunt, & vocantem ſecuti: utrique ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Secundùm hæc omnia ex nobis erant: veruntamen ſecundùm aliam quandam diſtinctionem non erant ex nobis &c. Non erant ex eis, quia non erant ſecundùm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi, non erant prædeſtinati ſecundùm Propoſitum.* Idem fuſiùs & clariùs tradidit *lib. de Corrept. & Grat. cap. 9. Nec nos* (inquiens) *moveat, quòd filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam Perſeverantiam, abſit enim, ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundùm Propoſitum vocatis, qui verè ſunt Filii promiſſionis; nam iſti, cùm piè vivunt, dicuntur Filii Dei, ſed quoniam victuri ſunt impiè, & in eâdem impietate morituri, non eos dicit Filios Dei Præſcientia Dei, ſunt enim Filii Dei, qui nondum ſunt ex nobis, & jam ſunt Deo, de quibus ait Evangeliſta Ioannes, quia Ieſus moriturus erat pro Gente, nec tantùm pro Gente, ſed etiam ut filios Dei diſperſos congregaret in unum, quod utique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem, & tamen antequàm eſſet factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris ſui immobiliſſimâ ſtabilitate conſcripti. Et ſunt rurſus quidam, qui Filii Dei propter ſuſcep-*

tam

tam temporaliter Gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen à Deo, de quibus idem Ioannes a 1; Ex nobis exierunt, qui non erant ex nobis, quòd, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Non ait, ex nobis exierunt, ſed, quia non manſerunt nobiſcum, jam non ſunt ex nobis. Verùm ait; Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, hoc eſt, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tanquàm ei diceretur: Unde id oſtendis? Quòd, ſi fuiſſent, inquit, ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Filiorum Dei vox eſt, Ioannes loquitur in Filij Dei loco præcipuo conſtitutus. Cùm ergo filij dicant de his, qui Perſeverantiam non habuerunt, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; & addunt, quòd, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, quid aliud dicunt, niſi non erant filij Dei, etiam quando erant in profeſſione & nomine Filiorum Dei. Cujus tandem, nonnullis ad eandem rem ſpectantibus interjectis, rationem reddens, ait: *Non erant ex numero filiorum, quando erant in fide filiorum, quoniam qui verè filij ſunt præſciti, & prædeſtinati, ſunt conformes fieri imaginis Filij ejus, & ſecundùm Propoſitum vocati ſunt, ut electi eſſent; non enim perit filius promiſſionis, ſed filius perditionis. Fuerunt ergo illi ex multitudine vocatorum, ex Electorum autem paucitate non erant.* Ex quibus proinde, ſi conferantur cum ijs, quæ ex Calvino *ſuperiùs* deducta ſunt, ad oculum patet, ſpiritum Calviniſticum in myſterio Prædeſtinationis graviter impingere in ſacras Litteras, à S. Auguſtino Pelagianorum ac Semipelegianorum hæreſibus objectas.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

19. AD *primam* Reſp. Eam nihil aliud ſpirare, niſi quòd Veteres Patres incuſet de minùs accuratâ, & non ſemper ſanâ, & oraculis Divinis conſentaneâ circà Prædeſtinationem, aliaquè Fidei, libero arbitrio cognata, capita doctrinâ; imò aſſerat, pleroſquè in illis Articulis in tranſverſum actos, nec ſibi ſatis ubique conſtantes, ac ſubinde præjudicijs deceptos fuiſſe. Ad quæ non eſt, cur reſpondam, ſed Lectori candido relinquo judicare, quiſnam ſit iſte in Vedroſio ſpiritus, qui tantam Patres adeò graviter cenſurandi, imò & calumniandi licentiam, omni Antiquitatis
20. Orthodoxæ reſpectu abjecto, arrogat. Sed ait: Præter Calvinum, alioſquè Reformatos idipſum facere Bellarminum *lib. 2. de Grat. & lib. arbit. cap. 2.* Verùm de Calvino & Reformatis gratis id conceſſerim; de Bellarmino tamen Vedroſium aperti criminis falſi convictum dico, ſiquidem iſte *loco præcitato* aliud non dicat, niſi quòd ante exortam hæreſin Pelagianam Veteres Patres quæſtionem de gratuitâ Electione non adeò accuratè tractaverint, ſed tantùm occaſione oblatâ, breviter ſuam ſententiam aperuerint, veluti S. Auguſti-

Digitized by Google

Auguſtinus doceat *lib. de Bono Perſev. cap.* 20. qui tamen *cap.* 19. Cyprianum, Ambroſium, Nazianzenum pro illâ gratuitæ Prædeſtinationis ſententiâ citet. Quinimò Vedroſium non puduit ſcribere, quòd Auguſtinus *cit. cap.* 21
20. Veteres Patres à Pelagianiſmo excuſet. Verùm nihil horum ibi reperitur, ita ut videretur neceſſaria illa Veterum Patrum excuſatio, ſed ſanctus Doctor *in fine cit. cap.* ſolùm dicit, ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contrà quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret. En igitur Vedroſi, tuum ſpiritum neque veritatem, neque pietatem erga Orthodoxos Antiquos Patres ſpirare, cujus adeò te meritò pudeat, ac pœniteat,

Ad *ſecundam* Reſp. Verum quidem eſſe, quòd ex præcipuis veræ circà 22.
Prædeſtinationem ſententiæ fundamentis ſit, ut contrà Pelagianos fateamur, Gratiam Dei à nullo opere noſtro præveniri, ſed econtrà ab illâ præveniri omnia noſtra bona opera, nec quidquam boni ad ſalutem proficuum nobis ineſſe, niſi ex Deo. Nihilominùs ut ex integro Orthodoxè, ſacriſquè Litteris conformiter teneamus Prædeſtinationis myſterium, oportere, ut aſſeramus, gloriam cæleſtem Divinitùs non dari, nec adeò in viâ Executionis prædeſtinari adultis, niſi dependenter à meritis per Gratiam Dei Actuale in factis, atque per Gratiam Habitualem dignificatis. Inſuper credere te- 23.
nemur, tam Prædeſtinationis, quàm Gratiæ prævenientis ex iſtâ emanantis Efficaciam ita movere noſtram Voluntatem, ut hujus libertas non tantùm non tollatur, ſed omninò illæſa conſervetur. Porrò Divinæ Prædeſtinationis Cauſalitatem ita debemus removere ab impuro in peccatum influxu, ut mala noſtra per Divinam quidem Præſcientiam Dei judicio eorundem permiſſivo, non autem per Divinam Prædeſtinationem attingi credamus. Denique inter vocatos ad Fidem, oportet, aliquos, non verò omnes dicere, quòd ſortiantur Vocationem *ſecundùm propoſitum*, ut hæc, non verò altera non Electorum Vocatio, ex vi Divinæ Prædeſtinationis, ſive ex Propoſiti ac Electionis Dei Efficaciâ ſit connexa cum finali Gratiæ perſeverantiâ, atque adeò gloriâ cæleſti, infallibiliter conſequendâ. Unde cùm nemini extra ſpecialem Dei revelationem omninò conſtare poſſit, an ſit ex vocatis *ſecundùm Dei Propoſitum*, conſequens etiam erit, neminem poſſe certò præſumere de ſuâ finali Perſeverantiâ, ſed hortante Apoſtolo, debere cum timore ac tremore ſalutem operari. Hæc proindè omnia, conſtat *ex præced. cap.* tenenda eſſe, ut quis ex integro rectè ſentiat de Prædeſtinationis myſterio. In quibus adeò cùm deficiat hodierna Reformatio, ſequitur manifeſtè, Vedroſium fruſtrà jactare, quaſi omnes ex Reformato etiam Miniſterio integrè ac omnimodè conſentiant in veræ circa Prædeſtinationem doctrinæ fundamento.

Digitized by Google

tam temporaliter Gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen à Deo, de quibus idem Joannes ait; Ex nobis exierunt, qui non erant ex nobis, quòd, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Non ait, ex nobis exierunt, ſed, quia non manſerunt nobiſcum, jam non ſunt ex nobis. Verùm ait; Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, hoc eſt, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tanquàm ei diceretur: Unde id oſtendis? Quòd, ſi fuiſſent, inquit, ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Filiorum Dei vox eſt, Joannes loquitur in Filij Dei loco præcipuo conſtitutus. Cùm ergo filij dicant de his, qui Perſeverantiam non habuerunt, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; & addunt, quòd, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, quid aliud dicunt, niſi non erant filij Dei, etiam quando erant in profeſſione & nomine Filiorum Dei. Cujus tandem, nonnullis ad eandem rem ſpectantibus interjectis, rationem reddens, ait: *Non erant ex numero filiorum, quando erant in fide filiorum, quoniam qui verè filij ſunt præſciti, & prædeſtinati, ſunt conformes fieri imaginis Filij ejus, & ſecundùm Propoſitum vocati ſunt, ut electi eſſent; non enim perit filius promiſſionis, ſed filius perditionis. Fuerunt ergo illi ex multitudine vocatorum, ex Electorum autem paucitate non erant.* Ex quibus proinde, ſi conferantur cum ijs, quæ ex Calvino *ſuperiùs* deducta ſunt, ad oculum patet, ſpiritum Calviniſticum in myſterio Prædeſtinationis graviter impingere in ſacras Litteras, à S. Auguſtino Pelagianorum ac Semipelagianorum hæreſibus objectas.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

19. AD *primam* Reſp. Eam nihil aliud ſpirare, niſi quòd Veteres Patres incuſet de minùs accuratâ, & non ſemper ſanâ, & oraculis Divinis conſentaneâ circà Prædeſtinationem, aliaquè Fidei, libero arbitrio cognata, capita doctrinâ; imò aſſerat, pleroſquè in illis Articulis in tranſverſum actos, nec ſibi ſatis ubique conſtantes, ac ſubinde præjudicijs deceptos fuiſſe. Ad quæ non eſt, cur reſpondam, ſed Lectori candido relinquo judicare, quiſnam ſit iſte in Vedroſio ſpiritus, qui tantam Patres adeò graviter cenſurandi, imò & calumniandi licentiam, omni Antiquitatis
20. Orthodoxæ reſpectu abjecto, arrogat. Sed ait: Præter Calvinum, alioſquè Reformatos idipſum facere Bellarminum *lib. 2. de Grat. & lib. arbit. cap. 2.* Verùm de Calvino & Reformatis gratis id concesſerim; de Bellarmino tamen Vedroſium aperti criminis falſi convictum dico, ſiquidem iſte *loco præcitato* aliud non dicat, niſi quòd ante exortam hæreſin Pelagianam Veteres Patres quæſtionem de gratuitâ Electione non adeò accuratè tractaverint, ſed tantùm occaſione oblatâ, breviter ſuam ſententiam aperuerint, veluti S.

Auguſti-

Digitized by Google

Auguſtinus doceat *lib. de Bono Perſev. cap.* 20. qui tamen *cap.* 10. Cyprianum, Ambroſium, Nazianzenum pro illâ gratuitæ Prædeſtinationis ſententiâ citet. Quinimò Vedroſium non puduit ſcribere, quòd Auguſtinus *cit. cap.* 20. Veteres Patres à Pelagianiſmo excuſet. Verùm nihil horum ibi reperitur, ita ut videretur neceſſaria illa Veterum Patrum excuſatio, ſed ſanctus Doctor *in fine cit. cap.* ſolùm dicit, ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contrà quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret. En igitur Vedroſi, tuum ſpiritum neque veritatem, neque pietatem erga Orthodoxos Antiquos Patres ſpirare, cujus adeò te meritò pudeat, ac pœniteat. 21.

Ad *ſecundam* Reſp. Verum quidem eſſe, quòd ex præcipuis veræ circà Prædeſtinationem ſententiæ fundamentis ſit, ut contrà Pelagianos fateamur, Gratiam Dei à nullo opere noſtro præveniri, ſed econtrà ab illâ præveniri omnia noſtra bona opera, nec quidquam boni ad ſalutem proficuum nobis ineſſe, niſi ex Deo. Nihilominùs ut ex integro Orthodoxè, ſacriſquè Litteris conformiter teneamus Prædeſtinationis myſterium, oportere, ut aſſeramus, gloriam cæleſtem Divinitùs non dari, nec adeò in viâ Executionis prædeſtinari adultis, niſi dependenter à meritis per Gratiam Dei Actualem factis, atque per Gratiam Habitualem dignificatis. Inſuper credere tenemur, tam Prædeſtinationis, quàm Gratiæ prævenientis ex iſtâ emanantis Efficaciam ita movere noſtram Voluntatem, ut hujus libertas non tantùm non tollatur, ſed omninò illæſa conſervetur. Porrò Divinæ Prædeſtinationis Cauſalitatem ita debemus removere ab impuro in peccatum influxu, ut mala noſtra per Divinam quidem Præſcientiam Dei judicio eorundem permiſſivo, non autem per Divinam Prædeſtinationem attingi credamus. Denique inter vocatos ad Fidem, oportet, aliquos, non verò omnes dicere, quòd ſortiantur Vocationem *ſecundùm propoſitum*, ut hæc, non verò altera non Electorum Vocatio, ex vi Divinæ Prædeſtinationis, ſive ex Propoſiti ac Electionis Dei Efficaciâ ſit connexa cum finali Gratiæ perſeverantiâ, atque adeò gloriâ cæleſti, infallibiliter conſequendâ. Unde cùm nemini extra ſpecialem Dei revelationem omninò conſtare poſſit, an ſit ex vocatis *ſecundùm Dei Propoſitum*, conſequens etiam erit, neminem poſſe certò præſumere de ſuâ finali Perſeverantiâ, ſed hortante Apoſtolo, debere cum timore ac tremore ſalutem operari. Hæc proindè omnia, conſtat *ex præced. cap.* tenenda eſſe, ut quis ex integro rectè ſentiat de Prædeſtinationis myſterio. In quibus adeò cùm deficiat hodierna Reformatio, ſequitur manifeſtè, Vedroſium fruſtrà jactare, quaſi omnes ex Reformato etiam Miniſterio integrè ac omnimodè conſentiant in veræ circa Prædeſtinationem doctrinæ fundamento. 22.

23.

24. Ad *tertiam* Reſp. Aliud difficultatis in præſenti negotio punctum eſſe, *An in Deo detur Efficax prædeſtinatio ad gloriam, quæ in viâ Intentionis ſit antecedens præviſionem meritorum?* Aliud porrò difficultatis punctum eſſe, *An iſta meritorum præviſionem antecedens Prædeſtinatorum ad gloriam Electio eatenùs dependenter à meritis ceu medijs, ſit gloriæ cœleſtis præparativa, ut ſua Cauſalitatis Efficaciâ non tantùm gloriæ, ſed etiam meritorum ſit prædefinitiva, & ut ſic, ſalvâ tamen voluntatis noſtræ libertate, Efficaciter cauſativa?* Aliud denique difficultatis punctum hîc eſſe, *An iſta Prædeſtinatio eatenùs ſit incompoſſibilis cum libertate noſtrâ, ut conſequenter nec in viâ Executionis, nec in viâ Intentionis ullum poſſit habere reſpectum ad merita?* At iſtud poſtremum eatenùs pugnat cum ſacrâ Scripturâ, & Patrum, ſpeciatim S. Ambroſij *ſuprà cap. 1. n. 1.* adductis authoritatibus, ut vel hinc hodierna Reformatio dogma ejuſmodi propugnando, omninò patiatur Veritatis Orthodoxæ naufragium. In reliquis verò duobus prioribus punctis, nullâ hactenùs Eccleſiæ definitione determinatis, eatenùs verſantur Scholaſticæ inter Theologos hodiequè controverſæ ſubtilitates, ut in primo puncto neque pars affirmativa, neque negativa mereatur aliquam cenſuram; in puncto autem ſecundo unicè ſit attendendum, nè vel libertati, vel meritis aliquod præjudicium inferatur.

25. Ad *quartam* Reſp. Aliud fore, ſi quæſtio eſſet, *An Deus ex vi abſoluti ſui Dominij poſſet habere Decretum non quidem Poſitivè cauſativum, ſed vi Negativa ſua Efficacia Permiſſivum peccati, atque adeò ex fine Juſtitiæ, ac oſtenſionis Potentiæ ſeu Dominij ſui in peccati taliter permittendi vindictam præordinativum pœnæ æternæ?* Aliud verò eſſe, ſi quæſtio moveatur, *An Deus de facto habeat tale circa Reprobos Decretum?* At licèt, ſi quæſtio foret de poſſibili, dicendum omninò eſſet, Decretum ejuſmodi Reprobationis, inſpecto abſoluto Dei Dominio, non repugnare: attamen ſi quæſtio ſit de Decreto Divino, prout ſecundùm conſilium Voluntatis ſuæ *Actu* eſt in Deo, oportet, reſpectu hominum tale aſſerere Reprobationis Decretum, quod ſubeat rationem Iudicij, præſupponentis peccatum Originale, tanquàm juſtam Divini Iudicij rationem, vi cujus alios ex maſſâ perditionis per meram ſuam miſericordiam eligat in vaſa gloriæ, alios verò ex Iuſtitiâ faciat vaſa contumeliæ, uti cum Apoſtolo tradit S. Auguſtinus *præced. cap. 3. Prob. 3.* deductus. Unde fallit, & fallitur Vedelius, de Reprobationis Divinæ Decreto, prout *Actu* eſt in Deo, aſſerens nullam præter

26. ejus Voluntatem aſſignari cauſam. Quæ porrò de Papâ garrit, mera eſt cavillatio, meritò retorquenda in tot errorum (prout hactenùs eſt viſum) Miniſtrum. Si enim Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens, inutilis & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper a bono taciturnus, ita ſibi magis, quàm alijs officiat, ut innumerabiles nihilominus populos catervatim ſecum du-

cat

ſeat primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturo, : *Ex cap. Si Papâ. Diſt. 40.* Quid non tecum Vedroſi agetur, qui non tantùm negligens, ſed in ipſo Fidei fundamento perverſor fraternæ ſalutis, non tantùm inutilis & remiſſus in operibus ſanctis, ſed hæc totis viribus ex cordibus hominum eradicandi ſtudioſus, non tantùm à bono taciturnus, ſed innumerabilium falſitatum, errorum, ac hæreſum ſeminator tuo ore & calamo proprio probaris? Sed unum hìc tacere non poſſum, quòd iterum iterumquè calumniando aſſeris, nos Pontificios nobis ſumere jus in Deum, quod nemini in Papam concedamus. At quod jus eſt iſtud, quia nempe dicimus, Deum non eſſe iniquum, ut (procedendo nimirùm de facto ex ratione Iudicij, quod tu iniquè prætermiſiſti) abſque reſpectu ad peccatum ſaltem Originale aliquos ad mortem deſtinârit? Verùm & Apoſtolus Paulus tali loquendi & argumentandi ratione eſt uſus *ad Heb. 6. v. 10. Non eſt*, inquiens, *injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* An ergo Apoſtolum quoquè arguere præſumis, quaſi jus aliquod in Deum ſibi arroget? En quò ſpiritus tuus nequam progrediatur! 27.

C O R O L L A R I U M.

EX dictis infertur. Vedroſium nè in apice quidem ſolvere argumenta Georgij *ſuprà cap. 1.* deducta; imò nè quidem tangere difficultatis à SS. Ambroſio & Auguſtino deductæ punctum. Etenim prior Eccleſiæ Doctor talem aſſeruit Prædeſtinationem, quæ in ſerie Executionis ſit dependens à meritis ab æterno prævisis: poſterior autem *locis præcitatis* partim removet objectionem adversùs liberum noſtrum arbitrium ex Prædeſtinationis efficaciâ factum; partim Divinæ Miſericordiæ ac Iuſtitiæ, peccatum adeò ſupponentis, diſcretionem exponit; partim peccati actionem à Divinæ Prædeſtinationis puritate & Cauſalitate vindicat. In quibus omnibus Miniſtrum illum cum ſuâ prætensâ Reformatione adverſari præallegatis Patribus, patet *ex cap. 2. 3. & 4.* Unde tale licet formare argumentum. Illius Reformationis ſpiritus non eſt Divinus, qui in negotio Prædeſtinationis non tenet illam viam, quam Antiqui Orthodoxi Patres, non niſi ex ſacrarum Litterarum authoritatibus procedendo, inibant, dum adversùs antiquatas partim Manichæorum, liberum arbitrium negantium, Deumquè peccati authorem conſtituentium, partim Pelagianorum & Semipelagianorum hæreſes pugnabant. At Miniſterium Reformatum in myſterio Prædeſtinationis deſerere viam doctrinæ à SS. Orthodoxis Patribus, præſertim Ambroſio & Auguſtino (valido prædictarum hæreſum expugnatore) traditæ, conſtat *ex præcedentibus.* Viderit ergo illa Reformatio, an Spiritu Divino ducatur? 28. 29.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Operibus ad juſtificationem diſpoſitoriis.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. 3. Docum. 19.* inducit S. Auguſtinum *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* ita diſſerentem: *Quia ipſam Fidem non facit utilem, niſi Charitas; ſine Charitate quippe Fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe &c.* Et *cap. 14. de Fide & operib. Quarè jam illud videamus, quod excutiendum eſt ex cordibus religioſis, nè malâ ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eandem obtinendam ſufficere ſolam Fidem putaverint; benè autem vivere, & bonis operibus iram Dei tenere, neglexerint &c.*

2. Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 3. cap. 11. ſect. 19.* taliter diſſerentem: *Hoc ingenioſum ſubterfugium habent* (Doctores nempè Romanæ Eccleſiæ) *quod tametſi non excogitârunt ipſi, ſed ab Origene, & quibuſdam Veterum ſumpſerunt, ineptiſſimum tamen eſt; Opera Legis Ceremonialia excludi garriunt, non Moralia &c.*

3. Ex quibus tandem concludit Georgius, in aperto eſſe, quòd juxta Veteris Eccleſiæ à Sancto Auguſtino expoſitam doctrinam ad juſtificationis gratiam impetrandam non ſola Fides, ſed opera etiam ex Fidei dono provenientia requirantur. At hoc ipſum hodieque doceri à Romanâ Eccleſiâ, econtrà eijci à Reformatâ. Ergo in hoc etiam puncto iſtam diſcrepare, illam verò concordare cum veteri Eccleſiâ.

4. Idem Author *Rat. 24. Exemp. 3.* inducit Reformatos, juſtificationem ex ſolâ Fide, & non ex operibus probantes, tum *ex Rom. 3. v. 18. Arbitramur enim, juſtificari hominem per Fidem ſine operibus Legis &c.* Tum *ex ejuſd. Epiſt. cap. 5. v. 1. Juſtificati autem ex Fide, pacem habeamus ad Deum &c.* Tum *ex Galat. 2. v. 16. Scientes, quòd non juſtificetur homo ex operibus Legis, niſi per Fidem Ieſu Chriſti.* Tum *ex Epheſ. 2. v. 8 Gratiâ enim eſtis ſalvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Non ex operibus, ut nè quis extollatur &c.* Tum *ex Phil. 3. v. 9. Et inveniar in illo*

5. *non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex Fide eſt, Ieſu Chriſti.* Verùm Georgius citatus *à n. 13.* demonſtrat, iſtos ſacros Textus aliud non intendere, niſi quòd opera Legis, aut propria ex Lege juſtitia abſque Fide in Chriſtum nihil omninò ad juſtificationem conſequendam inſerviant, aut proſint: ſiquidem hæc ipſa in Chriſtum Fides fundamentum ſit juſtificationis: juxta illud *Heb. 11. v. 6. Sine Fide impoſsibile eſt placere Deo.* Quam ſuam intentionem firmat 1. *Ex Rom. cap. 9. v. 31. & 32.* ubi ſic habetur: *Quid ergo dicemus?*

Digitized by Google

mus, quòd gentes, quæ non ſectabantur Iuſtitiam, apprehenderunt Iuſtitiam: Iuſtitiam autem, quæ ex Fide eſt: Iſrael verò ſectando Legem Iuſtitiæ, in legem Iuſtitiæ non pervenit. Quarè? Quia non ex Fide, ſed quaſi ex operibus. Ex quo ſanè videtur perſpicuum, Iſraelem ideo non acquiſiviſſe Iuſtitiam, quòd eam quæſiverit in proprijs o- 6.
peribus abſque Fide in Chriſtum. 2. *Ex Galat. 2. cap.* Cùm enim ibi *cit. v. 16.* dixiſſet Apoſtolus, *Non juſtificari hominem ex operibus Legis, niſi per Fidem Ieſu Chriſti*, ſubdit *cap. 5. v. 6. Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed Fides, quæ per Charitatem operatur &c.* At hiſcè verbis Apoſtolus apertè exigit opera ex Fide provenientia, quæquè operetur Charitas. Unde conſequens eſt, opera Legis, quæ ab hominis juſtificatione excludit Apoſtolus, non eſſe opera legis Moralis, ſed Cæremonialis, uti patet tum ex annexis circumciſionis ac præputij exemplis, tum *ex cit. cap. 5. v. 1. 2. 3. & 4.* dehortantis ac increpantis Galatas, quòd iterum ſint converſi ad legis antiquæ opera Cæremonialia, tum ex ipſiuſmet Calvini propriâ confeſſione, utpote *lib. 3. cap. 19. ſect. 3.* aſſerentis, in illâ ad Galatas doctrinâ *Paulum*
tractare de Cæremonijs. 3. *Ex Roman. 2. cap. v. 13.* ubi Apoſtolus de Moralibus, 7.
ſive Charitatis operibus diſſerens, ait; *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* At verò Apoſtolus *Rom. 10. v. 17.* eatenùs probat, fidem eſſe ex auditu, auditum autem per Verbum Dei; ut eo ipſo tamen iſtâ nudâ per auditum Fide in ordine ad juſtificationem non videatur eſſe contentus, ſed requirat adhuc opera ex fide provenientia, dum *cit. cap. 2.* ait: *Non auditores tantum, ſed factores legis juſtificari.* Cùm proinde Apoſtolus Paulus in ordine ad juſtificationem exigat fidem, quæ per Charitatem operetur, imò cùm non niſi legis factores juſtificari, aſſerat, conſequens eſt, ipſum, quando inculcat, hominem fide juſtificari abſque operibus, intelligi debere de operibus, abſque fide, aut ante receptam Fidem editis, vel de operibus legis Cæremonialis.

Ex quibus tandem infertur. A juſtificatione noſtrâ coràm Deo exclu- 8.
di non opera diſpoſitoria, ex fide tamen provenientia, ſed meritoria duntaxat, utpote juſtificationis gratiam ſupponentia: conformiter ijs, quæ Sanctus Auguſtinus tradit *Epiſt. 106. item de Spiritu & Lit. cap. 10. Præfat. in Pſal. 31. q. 76. cap. 8.* 2. A juſtificatione noſtrâ coràm Deo reijci quidem opera ex ſimplici legis obſervatione, abſque fide in Chriſtum, intellectâ & ab impijs Iudæis olim inaniter jactatâ, non verò opera ex verâ in Chriſtum fide emanantia; veluti apertis verbis tradit Divus Auguſtinus *lib. 83. Quæſt. q. 76.* ita diſſerens: *Quapropter non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum ſententiæ Pauli & Iacobi: Cùm dicit unus, juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: Alter verò, inanem eſſe fidem ſine operibus. Quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt;*

iſte

iſte verò de ijs, quæ fidem ſequuntur: ſicut etiam Apoſtolus Paulus multis in locis oſtendit &c. Similia habet *in Præfat. in Pſal. 31. Et lib. 15. de Trinit. cap.* 18. 3. Quamvis homo non per ſolam fidem, ſed etiam per opera ex fide promanantia juſtificetur, adhuc tamen dici poſſe, gratis juſtificari, cùm gratia non excludatur ex hoc, quòd conferatur ex operibus quà merè diſpoſitorijs, ſed quà meritorijs, juxtà illud *Rom. 4. v. 4. Ei autem, qui operatur, merces* (ut ſic correlativa cum merito) *non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.*

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

9. ISte Miniſter *in Exam. cit. Rat. 3. Doc. 19.* arguit 1. Auguſtinum *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* quando dicit: *Fidem ſine Charitate poſſe eſſe, ſed non prodeſſe*, loqui de fide miraculorum & eâ, quâ dæmones credunt & contremiſcunt. De quâ Auguſtinum diſertè loqui cum Apoſtolo 1. *Corinth. 13. v. 2. item cap. 14. de fide & operib.*

10. Arguit 2. Se Reformatos quoquè contendere, & cum Auguſtino *lib. cit*, fateri, *quòd Fides ſola ad ſalutem non ſufficiat.* Unde Auguſtinum ita diſſerere: *Etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, quâ in Deum credimus, ſed eam ſalubrem, planequè Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Sic *Epiſt. 85.* docere, quòd Fides (juſtificans) *ſine Spe & Charitate eſſe nolit.* Et *lib. Q. 83. q. 76.* ita habere: *Iuſtificatus per Fidem quomodo poteſt, niſi juſtè deinceps operari?*

11. Arguit 3. Scripturam dicere, *quòd juſtificemur gratis ſine lege, non ex operibus, non ex propria Iuſtitiâ, niſi per Fidem.* Ubi illud *Niſi* adverſativè accipi pro *Sed tantùm*, juxta Titelmannum in *Epiſt. ad Galat.* Adamum Sasbout in *eundem locum* ita diſſerere: *Hâc noſtrâ tempeſtate Catholici ſcriptores nullo modo propoſitionem illam ferunt* (Sola Fides juſtificat) *putantes, venenum eſſe in illâ voculâ* (Sola) *ſed nec Thomas abhorrere videtur; Si qui*, inquit, *in Veteri lege juſti erant, non erant juſti ex operibus legis, ſed ſolùm ex Fide Ieſu Chriſti.* Verus ſenſus Pauli eſt, non niſi ex Fide, id eſt, nullis meritis.

12. Arguit 4. Georgium *Rat. 24. pag. 288.* multùm quidem movere, ſed nihil promovere, dum per Paulum à juſtificatione excludi vult opera viribus naturæ edita ante acceptam fidem, quæ nulla ſint, niſi mala, ſiquidem *quidquid ex Fide non eſt, peccatum ſit. Rom. 12 v. 23.* Fideſque juxta ipſum Georgium ex Auguſtino, *Sola ſit radix bonorum operum*, quæ tamen ex Regulâ aureâ Hottingeri juſtificatum ſequantur, non antecedant. At excluſionem malorum operum à juſtificatione ineptè quæri per illam Georgij exceptionem.

Digitized by Google

Arguit 5. Georgium nè tunc quidem aliquid promovere, quandò contendit, per Paulum à juſtificatione excludi opera legis Cæremonialis. 13.
Quod libenter ſe dare, talia opera, non tamen ſola à juſtificatione excludi. Agere enim Paulum *ad Rom. 7.* de eâ lege, *quæ oſtendit peccatum, quæ iram operatur, quæque dicit, concupiſcentiam non cognovi, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Cujus proinde opera ab actu juſtificationis proſcribi. Cùm enim *cap. 2. v. 13.* dicitur: *Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur*; non agi de juſtificatione Evangelicâ, quandoquidem nec Chriſti, nec Fidei meminerit, ſed de Legali, cujus ſpem Judæis, utpote Legis tranſgreſſoribus præciderit.

Arguit 6. Neque tunc quidquam promovere Georgium, quando 14.
ait, ex mente Apoſtoli à juſtificatione excludi opera meritoria, non verò diſpoſitoria. Etenim rogare ſe: *Quæ ſint opera iſthæc?* An Fides, timor Divinæ Iuſtitiæ, Dilectio, Pœnitentia, propoſitum inchoandi novam vitam &c. At has ipſas virtutes juxta Tirinum *in loco de juſtificatione n. 9.* inter opera ad juſtificationem diſpoſitoria recenſentem, ab eodem Authore *n. 8* dici comites gratiæ illius Habitualis, quâ nos juſtificari fingat. Repugnare autem, quòd virtutes, quæ gratiam *Formaliter* juſtificantem ſemper comitantur, quæque ab eâ producuntur, & *Concomitanter* cum ipsâ juſtificant, dici poſſint præviæ diſpoſitiones ad juſtificationem acquirendam. Has nempè eſſe contradictionum Semiplejades, quibus involvantur, qui relictâ Verbi Divini & gratiæ cynoſurâ, velint quo jure, quâ injuriâ ſuam conſtabilire juſtitiam.

Arguit 7. Si homo ſuis operibus ſe diſponat ad juſtificationem, Pau- 15.
lo obloqui ac dicere poſſe: *Ego me ab alijs diſcrevi*; contrà id, quod habetur *1. Corinth. 4. v. 7.* Hominem in peccatis mortuum non magis ſe poſſe operibus diſponere ad juſtificationem, quàm Æthiopem, ut mutet pellem, pardum, ut mutet maculas ſuas, arborem malam, ut bonos edat fructus, mortuum, ut ſurgat & ambulet: Dei ſolius eſſe amovere cor lapideum à carne noſtrâ, & induere cor novum *Ezech. 36. v. 26.* Et complere omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus Fidei potenter. *2. Theſſal. 1. v. 11.* Excludi itaque à Iuſtificatione (quæ actus ſit inſtantaneus, quæque non minùs ac adeptio nec in primam & ſecundam, nec in inchoatam & perfectam diſtingui poſſit) opera meritoria & diſpoſitoria, opera Moralia & Cæremonialia, opera ante & poſt fidem in Chriſtum edita, ipſius adeò Abrahami opera ex verâ in Chriſtum fide profecta, & in ſtatu gratiæ facta. *Rom. 4. v. 2. & 3.*

Arguit 8. Nec eſſe, quòd ad conciliandos Paulum & Iacobum recur- 16.

ratus

ratur ad inanitatem hanc, quæ dicit, Paulum excludere à juſtificatione opera purè legalia fidem præcedentia: Iacobum verò includere opera fidem ſubſequentia. Si conſulatur Auguſtinus *loco* per Georgium *citato pag. 294. in Pſal. 31. & lib. Q. 83. q. 76.* palàm fore, ipſum ſtatuere, quòd Jacobus in ſuâ Epiſtolâ corrigat eos, qui malè Paulum intelligendo, nolebant benè operari, de ſolâ fide præſumentes. Eos igitur ut arguat, non velle docere, eſſe opera, quæ excludat Paulus, alia ab ijs, ad quæ ex officio tenemur: ſed oſtendere tantùm fidem illam, quam tales jactarent, otioſam, imaginariam, exſuccam, inanem & umbratilem, quæ inſtar nummi adulterini oſtentet quidem ſummi Magiſtratûs epigraphen & inſignia, ſed cuprum habeat pro auro, planè alterius generis eſſe ac illam, cui Paulus noſtram tribuat juſtificationem, quæ viva ſit, vera, ſolida, & efficax per Charitatem, quæ energiam & virtutem ſuam exerat in bonis operibus, qualis fuerit fides Abrahami, utpote perfecta, id eſt perfecta demonſtrata, & illuſtriùs manifeſtata ex operibus, immolatione cumprimis Iſaaci.

17. Arguit 9. Iacobum non fuiſſe additurum: Tunc completa eſt Scriptura: *Credidit Abraham Deo, & hoc illi reputatum eſt ad juſtitiam*; ſi aliud ſibi vellet, quàm filij ſui immolatione exercuiſſe ſolemne teſtimonium vivificæ illius fidei, ex quâ jam multò ante juſtificatus fuerat. Thomam *in cap. 3. Epiſt. ad Galat. lect. 4.* ſic habere: Opera non ſunt cauſa, quòd aliquis juſtus ſit, ſed ſunt potiùs executiones & manifeſtationes juſtitiæ. Iuſtificatum fuiſſe Abrahamum ex operibus, id eſt, interprete Folengio Monacho *apud Rivet.* oſtenſum ſcilicèt fuiſſe juſtum & qualis jam eſſet in cœlo, declaratum.

18. Arguit 10. Georgium ludere ſolito adverſariorum cavillo, quo dicunt, Fidem non ſolam juſtificare, quia non ſit ſola. Hoc verò tantùm ſequi, quòd Fides, cùm juſtificat, ſola non ſit, ſed non ſequi, quòd non ſit ſola, quatenus juſtificet. In perſonâ juſtificati ſolam non eſſe, cùm verarum omnium virtutum radix ſit & initium. In actu autem juſtificandi ſolam eſſe inſtrumentum recipiens Iuſtitiam Chriſti. Etenim juſtificationem Fidei tribui, non quà eſt qualitas nobis inhærens, ſed quà eſt inſtrumentum recipiens, & applicans nobis imputatam Chriſti juſtitiam.

19. Arguit 11. Hanc doctrinam agnoſci à Cardinali Contareno *Tract. de Iuſtific.* ſic diſſerente: *Debetur fidei juſtificatio, non quòd mereamur juſtificationem per fidem, & quia credimus, ſed quia accipimus eam per fidem. Sic enim Apoſtolus: Accipientes pollicitationes Spiritûs per fidem.* Hanc acceptionem ab Apoſtolo dictam, à Thomâ *in 3. par.* appellari applicationem, dicendo, *Paſſionem Chriſti eſſe veluti medicinam communem, quam quiſquè ſibi applicat per Fidem & Sacramenta Fidei.* Pererium *in cap. 5. ad Rom. Diſp. 1. ſect. 3.* ſic habere: *Fides* (juſtificans) *eſt medi-*

um

Digitized by Google

um quoddam, per quod apprehenditur juſtitia, & tanquàm organum, per quod virtus ſanguinis & mortis Chriſti in nos derivatur.

Arguit 12. Nihil frequentius eſſe apud Patres, quàm, quòd ſolâ juſtificemur fide, agnoſcente Caſſandro *Conſult. art. 4.* quòd hæc locutio habeat etiam exempla Vetuſtatis. Nam Origenem *in Epiſt. ad Rom. lib. 3.* demonſtrare, quòd *Fide ſolâ abſque operibus aliqui ſint juſtificati.* Hilarium *de Paralyt. in Matth. can. 8.* ſic diſſerere: *A Chriſto per Fidem remiſſio eſt, quòd lex lavare non poterat, fides enim ſola juſtificat.* Baſilium *Hom. de Humil.* velle, *ut homo agnoſcat, ſe verâ deſtitui juſtitiâ, ſed juſtificetur ſolâ in Chriſtum fide.* Chryſoſtomum *ad Rom. 4.* ita habere: *Fide ſalvari eum, qui opera non habebat, niſi fortè fuerit inſolentia, eum verò, qui rectè factis conſpicuum ſe fecerit, non ex ipſis, ſed ſolâ fide juſtificari, hoc demum admirabile eſt.* Et *in Serm. de Fide & Lege* agendo de latrone ita diſſerere: *Ego illud unum aſſeveraverim, quòd ſola Fides per ſe ſalvum fecerit.* 20.

CAPUT III.

Oſtenditur, ſolam Fidem non juſtificare.

EXplicatur. Nam ex ſenſu Reformatorum dupliciter intelligi poteſt, quòd ſola Fides juſtificet: *Primò* in vi diſpoſitionis præviæ ac requiſitæ ad juſtificationem. *Secundò* in vi cauſalitatis Formalis apprehendentis Chriſti Iuſtitiam, mediante ſui imputatione *Formaliter* juſtificantem. De quo poſteriori juſtificandi modo dicetur *Sect. ſeq.* Hîc verò ex mente Catholicorum Concilij Tridentini *Seſſ. 6. cap. 6.* expoſitæ doctrinæ conformiter demonſtratur, quòd *præter Fidem in ordine ad juſtificationem ac remiſſionem peccatorum neceſſarij ſint actus Spei, Charitatis, ac Pœnitentiæ.* 21.

Probatio prima, quâ ex ſacris Litteris demonſtratur, Fidem eſſe quidem veram juſtificationis diſpoſitionem, non tamen unicam & adæquatam, ac ſe ſolâ ſufficientem.

ETenim Concilio Tridentino *Seſſ. 6. de Iuſtif. cap. 8.* decernente, per Fidem ideo dicimur juſtificari, quòd ſit ſalutis humanæ initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis. Hanc verò ſuam definitionem ſacrum Concilium *citatum* fundat ſuper illo ſacro Textu: *Sine fide impoſſibile eſt, placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum &c. ad Heb. 11. v. 6. Et Ioan. 1. v. 12. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus.* Quarè ex præallegatis ſacris Litteris conſtat, Fidem ad juſtificationem diſponere tanquàm ejus initium & fundamentum, S. Auguſtino *lib. de Dono perſeverant. cap. 2.* hiſce verbis id atteſtante: *Quod eſt initium verius Chriſtiano, quàm credere in Chriſtum?* 22.

83. Nihilominùs ſuper iſtâ initiali ad juſtificationem diſpoſitione eatenùs fundatur Spes & Timor Domini, nec non Charitas ac Pœnitentia unà cum propoſito emendationis, ut hi ipſi quoquè actus ſecundùm præcitatum S. Concilium *dictâ Seſſ. 6. cap. 6.* ſint in cenſu præviæ ad juſtificationem diſpoſitionis. Hinc 1. de Spe habetur *Pſal. 36. v. 40. Salvabit eos, qui ſperaverunt in eo. Et Pſalm. 90. v. 14. Quoniam in me ſperavit, liberabo eum.* At per iſtam non tam corporis, quàm animæ ſalvationem ac liberationem intelligitur juſtificatio ac remiſſio peccatorum. Unde Chriſtus quoquè *Matth. 9. v. 3.* dixit Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Manifeſtum igitur eſt, actum Spei ſeu fiduciæ in Chriſtum habere proportionem alicujus ad juſtificationem

84. diſpoſitionis. 2. De Timore Domini dicitur *Pſal. 110. v. 9. Eſſe initium Sapientiæ.* At per Sapientiam, teſte Divo Auguſtino *lib. 1. de Serm. Dom. in monte ſol. 2.* hîc intelligitur completa hominis juſtificatio ſive beatitudo, quam per hominis renovati in hac vitâ regenerationem quis ſortitur. Unde Timor Domini *Proverb. 14. v. 27.* vocatur *Fons vitæ.* Et *Ecclef. 1. v. 27.* ſic dicitur: *Timor*

85. *Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* 3. De Dilectione Dei habetur *Ecclef. 2. v. 10. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* At iſta illuminatio cordium eſt per juſtificationem. Unde Chriſtus Dominus *Lucæ 7. v. 47.* Dilectioni tribuit remiſſionem peccatorum, atque adeò juſtificationem: *Remiſſa ſunt*, inquiens, *ei peccata multa, quo-*

86. *niam dilexit multum.* 4. De Pœnitentiâ dixerunt Apoſtoli *Act. 11. v. 18. Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Hæc aùtem vita, utpote ſpiritualis & ſupernaturalis non corpus, ſed animam vivificans, eſt ipſa gratia juſtificans. Conſequens igitur eſt, Pœnitentiam diſponere ad vitam gratiæ juſtificantis, Apoſtolo Paulo *1. Corinth. 7. v. 10.* apertis verbis ita conteſtante: *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* At hæc ipſa Pœnitentia eatenùs debet habere conjunctum propoſitum emendationis vitæ, ut propterea dictum ſit *Ezechielis 18. v. 2. Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis &c. & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vitâ vivet, & non morietur.* Quia igitur præter Fidem actus Spei, Timoris Domini, Dilectionis Dei, ac Pœnitentiæ unà cum propoſito emendationis conducunt ad vitam juſtificationis, evidenter ſequitur, Fidem non eſſe unicam & adæquatam juſtificationis diſpoſitionem.

Probatio ſecunda, quâ ex ſacris Litteris oſtenditur, Fidem in Chriſtum eatenùs poſſe ſeparari à Charitate, ut conſequenter ſola Fides non poſſit juſtificare.

87. NAm juſtificatio nullatenùs ſubſiſtere poteſt abſque Charitate ſeu Dilectione

Digitized by Google

ctione, juxta illud *1. Joan. 3. v. 10. Qui non diligit, manet in morte.* Unde S.
Auguſtinus *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* ait de Dilectione: *Nullum eſt iſto Dei dono ex-
cellentius, ſolum eſt, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* At
Fides etiam juſtificans conſiſtere poteſt abſque Charitate. Ergo & abſque
juſtificatione. Minor probatur ex illo *1. Corinth. 13. v. 2. Si habuero omnem Fi-* 28.
dem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum. Etſi enim Re-
formatæ contendant, hoc eſſe accipiendum de fide miraculorum, non autem
de Fide juſtificante: attamen ex ipſiſmet ſacri Textûs verbis clarè conſtat,
Apoſtolum loqui univerſaliter de omni Fide, atque adeò de Fide etiam ju-
ſtificante. Quinimò Fides miraculorum eatenùs fundatur ſuper Fide ad ju-
ſtificationem diſponente, ut propterea Chriſtus *Marci ult.* ubi dixiſſet: *Qui
crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, mox ſubjecerit: *Signa autem eos, qui cre-
diderint, hæc ſequentur.* Unde planum eſt, Fidem miraculorum conſequi Fi- 29.
dem juſtificantem. Et hinc etiam Apoſtolis *Lucæ 17. v. 5.* taliter orantibus:
Adauge nobis Fidem, utique juſtificantem, Chriſtus reſpondet: *Si habueritis Fi-
dem ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori Moro, eradicare & tranſplantare in mare.*
Sicuti ergo Fides miraculorum, ſic & Fides ad juſtificationem *initialiter* di-
ſponens ſtare poteſt ſine Charitate, atque adeò ſine juſtificatione, Chriſto
Domino *Matth. 7. v. 22.* hoc atteſtante verbis ſequentibus: *Multi dicent mihi
in illâ die, nonne in nomine tuo* (atque adeò credendo in Chriſtum) *prophetavi-
mus, & virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, diſce-
dite à me, qui operamini iniquitatem.* Hinc *præcitatus* Divus Auguſtinus, ubi in
genere priùs dixiſſet, dari & alia per Spiritum ſanctum dona, quæ tamen
ſine Charitate nihil proſint; poſteà nonnullis interjectis, ſubjunxit: *Fidem
non facit utilem niſi Charitas: ſine Charitate quippe Fides poteſt quidem eſſe, ſed non &
prodeſſe; propter quod & Apoſtolus Paulus: In Chriſto, inquit, Ieſu neque circumciſio,
neque præputium aliquid valet, ſed Fides, quæ per Dilectionem operatur &c.* Cùm igi-
tur Fides ſtare poſſit ſine Charitate, juſtificatio verò eatenùs ſit connexa cum
Charitate, ut hac deficiente, illa ſubſiſtere non poſſit, evidenter ſequitur, Fi-
dem ſolam non juſtificare.

*Probatio tertia, petita ex Vivâ Fidelium Fide intra Dei Eccleſiam
ad nos uſquè propagatâ.*

Etenim S. Ignatius Martyr in *Epiſt. ad Ephes.* ſic ait: *Principium vitæ eſt Fides,* 30.
*finis verò ejus dilectio, ambæ autem junctæ, & in unitate factæ, hominem Dei perfici-
unt.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 40. de Baptiſ. decimo & poſtremo loco hoc
dogmatum fundamento bona opera extrue, quandoquidem fides ſine operibus mortua eſt,
quemadmodùm & opera, ſi fides abſit.* Chryſoſtomus *Hom. 30. in Ioan. Nunquid*

ergo ſatis eſt ad vitam æternam, in Filium credere? Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Et *infra* inter alia ſic habet: *Licèt dicat, qui credit in Filium, habet vitam æternam, non tamen dicimus, ſatis eſſe ſolam fidem ad vitam. Quod, quæ de vitâ in Evangelijs dicuntur, oſtendunt. Cur enim non dixit, ipſa eſt vita æterna ſola, neque qui credit in Filium ſolum, habet vitam æternam, ſed in utroque vitam eſſe ſignificavit; nam niſi mores ſequantur, ſequetur ſupplicium.* Ambroſius *in cap. 4. ad Heb. Magna quidem res eſt fides, & ſinè hac non eſt ſalvari poſſibile, ſed ſola fides non ſufficit, operari fidem per dilectionem neceſſarium eſt.* Hieronymus *lib. 1. in Iovinian. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei: cùm etiam fides, quæ propriè Chriſtianorum eſt, ſi opera non habuerint, mortua eſſe dicatur &c.* Auguſtinus *Epiſt. 106. Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus; imò verò gratiſſimè confitemur, hanc enim fidem volumus, habeant, quâ impetrent Charitatem, quæ ſola verè bona operatur.* Et *ſerm. 16. de Verb. Apoſt. A fide incipit homo, ſed quia & dæmones credunt, neceſſe eſt, addere ſpem & Charitatem, ut juſtificemur &c.*

31. Ex quibus ita licet argumentari. Fides eſt Charitatis eatenùs impetratoria, ut tamen ſeparari poſſint. *Ex SS. Ignatio & Auguſtino citatis.* At fides ſejuncta à Charitate non eſt ſufficiens ad juſtificationem, ſed ad hanc obtinendam opus eſt, fidei ſuperaddi Spem & Charitatem, atque adeò à fide incipit homo, non verò conſummatur in viâ juſtificationis realiter & actu conſequendæ. *Ex SS. Auguſtino & Ignatio præcitatis.* Conſequens proinde eſt, fidem eatenùs eſſe initium juſtificationis, ut tamen ſine Charitate, ac niſi ex hac operetur, mortua ſit. *Ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, ac cæteris præadductis.* Planum igitur eſt, fidem ſolam non ſufficere ad ſalutem, ſive juſtificationem. *Ex Chryſoſtomo, Ambroſio, ac reliquis SS. Patribus.*

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

32. AD *primam* Reſp. Sanctum Auguſtinum *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* ubi dixiſſet: *Nullum eſſe iſto* (dilectione ſcilicèt per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris diffusâ) *Dei dono excellentius, utpote quod ſolum dividat inter Filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* Mox ad iſtud ſuum dictum probandum adijcere ſequentia: *Dantur & alia per Spiritum Sanctum dona, ſed ſine Charitate nihil proſunt &c. quam qui non habuerit, ſi linguis hominum loquatur & Angelorum, eſt ſonans æramentum &c. Ita ut fidem non faciat utilem, niſi*

33. *Charitas, ſine Charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe &c.* Ex quo ita licet argumentari. Secundùm præadductum S. Auguſtinum eatenùs

nùs verum eſt, quòd fides ſine Charitate non poſſit prodeſſe, ut ſolius Charitatis proprium ſit, dividere inter filios regni æterni, ac perditionis æternæ. At ſi Fides juſtificans ſe ſolâ foret ſufficiens ad juſtificationem, falſum eſſet hoc S. Auguſtini pronunciatum, *uti expendenti clarè patebit.* Conſequens igitur eſt, S. Auguſtinum non de ſolâ fide Miraculorum, ſed de qualibet, adeòque juſtificante fide fuiſſe quoquè locutum, quandò dixit, fidem poſſe quidem eſſe ſine Charitate, ſed non prodeſſe. Deinde idem 34.
Sanctus Doctor *lib. de fide & operib. cap. 14.* ubi oſtendiſſet, aliquos, Epiſtolis S. Pauli malè intellectis, docuiſſe, ſolam fidem ad ſalutem ſufficere, ad hos redarguendos rem ita proſequitur. *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contrà eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe, ſicut etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, quâ in Deum creditur, ſed eam ſalutarem, planèquè Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt; Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur.* Ex quo ita licet argumentari. Non quælibet fides, quâ in De- 35.
um creditur, eſt ſalutaris, planeque (id eſt ex integro) Evangelica; ſed quæ per dilectionem operatur. At fides, quâ in Deum creditur, non eſt *Formaliter* fides Miraculorum, ſed eſt fides ad juſtificationem diſponens, juxta illud Apoſtoli: *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia eſt.* Ergo illa etiam fides, quæ ad juſtificationem eſt diſponens, non eſt ſalutaris & planè Evangelica, niſi per dilectionem operetur, ſitque adeò conjuncta cum actu Charitatis Dei. At ſi ſola fides per ſe foret ſufficiens ad juſtificationem, ſequeretur, fidem, quâ in Deum creditur, fore ſalutarem, planeque Evangelicam, priuſquàm operaretur per dilectionem. Adversùs quod prætactus Eccleſiæ Doctor ita decernit: *Iacobus autem vehementer infeſtus eſt illis, qui ſapiunt, fidem ſine operibus valere ad ſalutem, ut etiam illos dæmonibus comparet dicens: Tu credis, quia unus eſt Deus, benè facis, & dæmones credunt & contremiſcunt. Quid verius, brevius, vehementius dici potuit?* Et infrà: *Quid prodeſt, inquit Iacobus, fratres mei, ſi fidem quis dicat, ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid fides poterit ſalvare illum. Dicit etiam, quia fides ſine operibus mortua eſt. Quouſque igitur falluntur, qui fide mortuâ ſibi vitam perpetuam pollicentur?* En proinde Vedroſi, fidem ſine operatione dilectionis Dei eatenùs eſſe mortuam, ut fallantur, qui tali mortuâ fide ſibi vitam perpetuam pollicentur, imò tales compa- 36.
rantur dæmonibus. At ex juſtificatione eatenùs ſumus filij Dei, ut jure hujus filiationis ſimus hæredes regni cœleſtis, *Rom. 8.* poſſimuſque adeò nobis polliceri vitam æternam, nec adeò fides, ſi ſe ſolâ ſufficeret ad juſtificationem, poſſet unquam eſſe mortua. In aperto igitur eſt, falſum eſſe Lutherum *in cap. 2. ad Galat.* ita ſcribentem: *Fides ſine, & ante Charitatem*

tem juſtificat. Falſus etiam eſt Calvinus *lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 2.* ſic decernens: *Iuſtificabitur ille fide, qui operum juſtitiâ excluſus, Chriſti Iuſtitiam per fidem apprehendit.* Falſus denique eſt Catechiſmus Heidelbergenſis *q. 60.* ubi, cùm fuiſſet propoſita quæſtio: *Quomodò es juſtus coram Deo?* Reſpondetur: *Tantùm per veram fidem in Ieſum Chriſtum, ita ut, licèt contrà omnia Dei præcepta peccaverim, & adhuc ad omne malum inclinatus ſim, Deus ſine ullis meis meritis ex merâ gratiâ plenam nobis ſatisfactionem, Iuſtitiam, & gloriam Chriſti donet.* Ex quibus adeò cum Auguſtini ex ipſiſmet ſacris Litteris deductâ doctrinâ collatis verbis manifeſta eſt hodiernæ Reformationis ab antiquâ Orthodoxiâ diſſenſio.

37. Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius, non quamlibet Fidem, quâ in Deum credimus, à Paulo Apoſtolo cenſeri ſalubrem, ſed eam duntaxàt, cujus opera ex dilectione procedunt. At fides, quæ eſt connexa cum iuſtificatione, eo ipſo eſt ſalubris, quòd iuſtificationi ex Dei ſuper Chriſti meritis fundatâ promiſſione certò conveniat jus æternæ ac cæleſtis hæreditatis. Conſequens igitur eſt, Fidem, quâ in Deum credimus, non eſſe connexam cum iuſtificatione, niſi talis fides ſit connexa cum operatione Charitatis.

38 Adhæc ſi ſola fides ſufficeret ad iuſtificationem, tunc nè quidem ad hujus continuationem & conſervationem opus eſſet operibus, quæ ex Charitate procedunt. Etenim ſtante illo actu, cui ex promiſſione Divinâ eſt infallibiliter connexa iuſtificatio, non poteſt non iſta ſubſiſtere in tali ſubiecto, niſi dicatur, evacuari Dei promiſſionem. At Reformati ſtatuunt, juſtificationem apprehendi, & vi promiſſionis Divinæ ex Chriſti meritis conferri ſolâ fide in Chriſtum, antequàm fiant aliqua Charitatis opera. Ergo ſtante iſtâ fide, ac ſemoto omni alio Charitatis actu, ſtabit etiam iuſtificatio. Atqui ſtante iuſtificatione, habetur certa ſalutis æternæ promiſſio Divina. Ergo ſubſiſtente ſolâ fide, & ſecluſo omnialio Charitatis actu, ſecundum Reformatos ſubſiſteret certa ſalutis æternæ promiſſio Divina, nec adeò Charitatis, aliarumquè virtutum opera poſſent eſſe neceſſaria ad ſalutem; imò quantumvis aliquis peccaret, dum tamen crederet in Chriſtum, non poſſet non ſalvus fieri, niſi contingeret Divinæ promiſſionis evacuatio. Quod equidem Pſeudoreformationis anteſignani Lutherus, Calvinus, & Catechiſmus Heidelbergenſis *ſuprà n. 35. citati* affirmabant, modò verò Vedroſius ex S. Auguſtini à ſe adductis locis convictus negat, ut nullibi adeò tutò ſtare poſſit iſta Reformatio, ſed ſemper in ſe ipſam impingat.

39. Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius, quando Scriptura dicit, nos iuſtificari gratis, non ex operibus, vel ex propriâ Iuſtitiâ, niſi per fidem, tunc iſtud Adverbium *Niſi* debere accipi *Adverſativè.* Atqui

quī particula ejuſmodi *Adverſativè* accepta, excludit illud duntaxat membrum, cui opponitur in aliquo textu. Apoſtolus verò eatenùs dicit, nos gratis iuſtificari per fidem, ut & propriam noſtram Iuſtitiam, ſive merita, & opera legis fidei & Gratiæ iuſtificanti in præinſinuatis ſacris textibus contraponat. Oportet igitur, à Iuſtificatione ſolùm excluditum merita noſtra, tum opera legis Fidem antecedentia, non autem actum Spei ac Dilectionis ex fide provenientem, uti non tantùm Adamus Sarbout inſinuat, ſed apertis verbis expreſſit S. Auguſtinus *lib. 83. quæſt. q. 76. Quapropter,* inquiens, *non ſunt ſibi contraria duorum Apoſtolorum ſententia Pauli & Iacobi, cùm dicit unus, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus; & alius dicit, inanem eſſe Fidem ſine operibus: quia ille dicit de operibus, qua fidem præcedunt, iſte de ijs, qua fidem ſequuntur: ſicut & ipſe Paulus multis locis oſtendit.*

Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Vedroſius contendit, non potuiſſe per Paulum a Iuſtificatione excludi opera viribus naturæ edita antè acceptam Fidem, eò quòd iſta non poſſint eſſe niſi mala. At iſtud Vedroſianum principium apertè pugnat cum Apoſtolo *Ad Rom. 1. v. 20.* aſſerente, in Ethnicis eatenùs fuiſſe notitiam inviſibilium Dei, ſempiternæque ejus virtutis & Divinitatis, ut eſſent inexcuſabiles, dum, licèt Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificâſſent, aut gratias egiſſent. Eiuſmodi autem Dei veri notitia in Philoſophis illis, eo ipſo, quòd Ethnici eſſent, non potuit eſſe fidei, ſed ex lumine duntaxat naturali, neque glorificatio Dei, & gratiarum erga ipſum actio ſuper tali naturæ lumine fundata potuiſſet eſſe ex fide. Unde falſum eſt, non poſſe dari opus morale bonum, quod non ex Fide, ſed naturæ lumine ſit profectum, Apoſtolo Paulo *Rom. 2. v. 14.* clare repugnante, ubi ait, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere.* Quis autem dicat, eum peccare, qui facit ea, quæ ſunt legis Divinæ? Nec ad rem facit ille *ex Rom. 12. v. 23.* petitus ſacer textus, cùm ex contextu clarè pateat, Fidem ibi ſumi pro Conſcientiâ, ita ut agens contrà ſuam conſcientiam ſit eo ipſo reus peccati. Quamvis proinde verum ſit, quòd ſola Fides ſit Radix bonorum operum ſupernaturalium, ex his tamen actus ſpei ac Dilectionis eatenùs præcedunt iuſtificationem, ut nè Fides quidem, niſi per Charitatem operetur, ad iuſtificationem proſit: uti apertè tradit Apoſtolus *ad Gal. 5. v. 6.* à Georgio quidem citatus, à te autem Vedroſi minimè refutatus. 40.

Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Ex Pauli ad Romanos & aliis ejuſdem epiſtolis conſtat, hujus Apoſtoli, dum legis Evangelicæ ac Moſaicæ comparationem facit, in eam intentionem eo ſe tenere, ut ſcilicet demonſtret, legis Moſaicæ fuiſſe quidem, figurare Chriſtum, & gratiam ſeu iuſtitiam, 41.

ſtitiam,

ſtitiam ex ipſius meritis concedendam, nec non ſignificare fidem in Chriſtum, ac opera ſupernaturalia Dilectionis Dei ac pœnitentiæ, non tamen ad perfectum adducere, iuſtitiam conferre, opera ſupernaturalia ad iuſtificationem conducentia facere, vel ipſum etiam Fidei actum ſupernaturalem elicere. Econtrà verò legis Evangelicæ ſuper Chriſtum fundatæ eatenùs proprium fuiſſe, hæc omnia per gratiam Dei facere, ita ut ipſius etiam Abrahæ Fides, & opera ex Fide provenientia ad legis Evangelicæ efficaciam in Chriſti meritis ab æterno Patre iam tunc acceptatis ſubſi-
42. ſtentem reduci debeant. Hoc autem fundamento poſito, Paulus Apoſtolus à iuſtificatione eatenùs excludebat Cæremonialia legis Moſaicæ propria opera, ut, licèt *Rom.* 3. huic legi tribueret vim iuſtitiæ ac peccati oſtenſivam, non tamen agnoſceret in eâ, quà Moſaicâ vim factivam veræ ac ſalutiferæ juſtitiæ. De quâ proinde ſalutiferâ utpote à Deo iuxtà Evangelium Ieſu Chriſti iudicandâ juſtitiâ, vel ei oppoſitâ iniuſtitiâ diſſerens Apoſtolus *Rom.* 2. aiebat: *Non auditores tantùm, ſed factores legis iuſtificari.* At licèt auditio legis Fidem in Chriſtum ac juſtitiam oſtendentis poſſit adhuc referri ad ſtatum legis antiquæ, ipſa tamen Fides Verbo Dei per legem ejuſmodi oſtenſo habita ita jam propria erat legis Chriſti, ut prætereà tamen in ordine ad iuſtificationem requireretur factio legis: cujuſmodi adeò legisfactionem proficuam reſpectu iuſtificationis non ſubſiſtere, niſi Fides per dilectionem operetur, ex Apoſtolo clarè demonſtravit Georgius *præced. cap.* 1. adductus. En igitur Vedroſi, intentum Georgij, ſi ritè expendas, Divi Pauli epiſtolis planè probatū, à te verò minimè refutatum.

43. Ad *ſextam* Reſp. Vedroſium nihil in eâ agere, niſi quòd vel malitioſum, vel valde ineptum ſe oſtendat. Vel enim ſcit diſtinguere inter Virtutis Habitum & Actum, vel non? Si hoc poſterius, tunc in aperto eſt ejus ineptia & imperitia. Si prius, tunc oportuiſſet advertere, duplex eſſe Actuum ſupernaturalium productivum Principium, alterum per modum Habitûs Gratiam ſanctificantem Comitantis, & ex hac quodammodò promanantis: alterum verò per modum Auxilij Tranſeuntis. Iuxtà quem adeò poſteriorem modum fieri, ut alicuius Virtutis ſupernaturalis actus poſſit fieri antecedenter ad Gratiæ Sanctificantis infuſionem. Quæ proinde ſi Vedroſius vel potuiſſet, vel voluiſſet in Doctoribus Pontificijs advertere, ſanè deprehendiſſet, ſe non niſi per calumnioſam ali-
44. quam impoſturam ipſos arguere contradictionis. Quia verò Vedroſius capere non poteſt, quid interſit inter hoc, quòd opera iuſtificationis diſpoſitoria, non autem meritoria adſtruamus, idcircò videtur operæpretium, de hoc audire S. Auguſtinum *Epiſt.* 106. ſic diſſerentem: *Cùm ergo fides iuſtificatio-*

ficationem impetrat, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pediſſequâ, non præviâ voluntate &c. En igitur, Fides eſt in vi impetrationis ad gratiam ſeu juſtificationem diſpoſitoria, quin ejuſdem ſit meritoria, ut adeò idem ſanctu Doctor *de Spirit. & Lit. cap. 10.* dixerit, *Hominem gratis iuſtificari, id eſt, nullis ſuorum operum præcedentibus meritis.* Pari proinde ratione Actus Spei & Charitatis intelligi poſſunt in vi Impetrationis ſuper Divinâ ad Chriſti merita reſpiciente promiſſione fundatæ, diſponere ad juſtificationis gratiam, quin iſtius ſint meritorij.

Ad *ſeptimam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an non Actus Fidei, 45.
quo ex mente Miniſterij Reformati apprehenditur juſtitia, ſit Actus hominis? An ergo homo juſtitiam taliter apprehendens Paulo obloqui poſſit, dicendo: *Ego me ab alijs diſcrevi*? Si affirmet, rurſùs quæro, quomodò ergo homo peccato mortuus per fidem magis poſſit ſe diſponere, imò actu apprehendere juſtitiam, quàm Æthiops poſſit mutare pellem, & mortuus reſurgere? Hujus equidem rationem non malè affert *ex Ezech. 36. v. 26. Et 2. Theſſal. 1. v. 11.* aſſerendo, ſolius Dei eſſe amovere cor lapideum, & induere cor novum, & complere omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam ac opus Fidei potenter. At in actibus etiam ſpei & Charitatis, non autem ſolius Fidei Deus eatenùs amovet cor lapideum, induitquè cor novum, ut hi ipſi actus ſint dona Dei ex Divinæ Prædeſtinationis gratiâ accepta, noſtro tamen arbitrio liberè cooperante: uti pluribus probat S. Auguſtinus *in lib. de Corrept. & Grat. item de Prædeſt. Sanct. ac de Dono Perſeverantiæ.* Hinc autem fit, quòd homo nullatenùs gloriari poſſit, quaſi ſe diſcernat ab alijs, cùm jam non ex ſuis viribus, ſed ex gratiâ Dei ſe diſponat ad juſtificationem. *ex ſancto Doctore præcitato.* Vides igitur Vedroſi, quàm infirma ſit tua argumentatio, utpote quam tua propria reſponſio evertat. Sed *ex Rom. 4. v. 2. & 3.* niteris evincere, quòd Paulus à juſtificati-
one excludat Abrahæ opera ex verâ in Chriſtum Fide profecta. Verùm 46.
ad hoc iam reſpondit Georgius *præc. cap. 1. n. 8. citatus*, & à te needum refutatus. Oportuiſſet enim, te contextum *v. 4.* conſideràſſe, ubi redditur ratio, cur Abraham non poſſit dici iuſtificatus ex operibus, quòd nimirùm *ei, qui operatur, merces non imputetur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* At hinc clarè evincitur, Apoſtolum à juſtificatione excludere opera meritoria, quibus ut ſic reſpondeat merces ſecundùm debitum, non ſecundùm
gratiam. Quòd ſi verò ſermo ſit de operibus ex Fide profectis, non quà 47.
primæ juſtificationis meritorijs, ſed quà ad juſtificationem diſpoſitorijs, vel quà in ſtatu gratiæ factis ut ſic hujus augmenti meritorijs, audi Di-

vum Iacobum Apoſtolum *cap. 2. v. 22. ac ſeqq.* ita ſcribentem: *Abraham pater noſter nonnè ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac Filium ſuum ſuper altare. Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus Fides conſummata eſt? Et ſuppleta eſt Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam & amicus Dei appellatus eſt. Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm. Similiter & Rahab meretrix nonnè ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios, & aliâ viâ ejiciens. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & Fides ſine operibus mortua eſt.* Hæc igitur Vedroſi per Georgium *cit. Rat. 24. à n. 33.* deducta expendere debuiſſes; ſed ad ea omninò obmutuiſti.

Ad *octavam* Reſp. 1. Magnam indè apparere Vedroſij proterviam; cui ipſamet formalia S. Auguſtini verba *cit. q. 79 lib. 83. Quæſt.* iterum iterumquè oppono. Sic enim ſe habent: *Quapropter non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum ſententiæ Pauli & Iacobi, cùm dicit unus, juſtificari hominem per Fidem ſine operibus legis: alter verò, inanem eſſe Fidem ſine operibus. Quia ille dicit de operibus, quæ Fidem præcedunt: iſte de ijs, quæ Fidem ſequuntur: ſicut etiam Apoſtolus Paulus multis in locis oſtendit.* An non igitur Vedroſi, pudore ſuffunderis, quòd hæc formalia verba contrà expreſſum & clarum tenorem præſumas in tuâ argutiâ negare, imò inanitatem vocites, non abſquè injuriâ & calumnia S. Auguſtini. Sed ais: S. Auguſtinum à Georgio citatum ſtatuere, *Quòd Iacobus in ſuâ epiſtolâ corrigat eos, qui malè Paulum intelligendo, nolebant benè operari, de Fide præſumentes. Eos igitur ut argueret, oſtendere, Fidem illam, quam tales iactarent, otioſam, exſuccam & inanem, inſtar nummi adulterini ſe habentem eſſe alterius generis ab illâ, cui Paulus noſtram tribuit juſtificationem, quæ nimirum viva ſit, efficax per Charitatem ſuam exerens virtutem in operibus bonis.* En Vedroſi, accepto hanc tuam Confeſſionem, ſed eam in formam redactam ſic exhibeo. 1. Arguuntur à Iacobo, qui Paulum malè intelligendo, nolebant benè operari, de ſolâ Fide præſumentes. At tales eſſe tuæ Reformationis Miniſtros, manifeſtè patet ex Catechiſmo Heidelbergenſi, & Luthero *ſuprà n. 38. citatis.* Nec eſt, cur hîc excipias contrà Lutherum. Tua enim Reformatio per Sculteterum *Annal. decad. 1. ad An. 1517. pag. 12.* faſſa eſt, *Lutherum perfectiſſimè de hominis juſtificatione docuiſſe.* 2. Fides otioſa & inanis eſt alia ab illâ, cui Paulus noſtram tribuit juſtificationem. At reverà ex proximè allegatis patet, tuam Reformationem iactare Fidem otioſam & inanem, & tamen eâ ſe aſſerere, juſtificari. Quomodò ergo non iactat Fidem alterius generis ab illâ, cui Paulus noſtram tribuit juſtificationem? 3. Paulus tribuit juſtificationem Fidei vivæ & efficaci per Charitatem, exerenti virtutem ſuam in bonis operibus. At hoc ipſum eſt cum Apoſtolo Paulo tribuere juſtificationem Fidei, quæ operanti per Dilectionem, & cum

Duo

Divo Iacobo aſſerere Fidem ſine operibus mortuam. Viderit ergo Reformatio hodierna, niſi à ſuis Anteſignanis ſuprà adductis meritò recedat, quomodò non iactet aliam fidem, quàm illam, cui Paulus tribuit juſtificationem?

Ad *nonam* Reſp. Sic argumentando. Iacobus Apoſtolus in ſuâ Epiſtolâ juxtà Vedroſij poſitionem 1. voluit oſtendere, quòd Abraham filij ſui immolatione exercuerit ſolenne teſtimonium vivificæ illius Fidei, ex quâ jam multò antè juſtificatus fuerat. Atqui Iacobus Apoſtolus *in cit. Epiſt.* expreſsè dicit, non ex Fide tantùm, ſed ex operibus juſtificari hominem, ita ut, quemadmodùm corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & Fides ſine operibus mortua ſit. Ex quibus proinde patet, vivificam & juſtificatricem Fidem non ſubſiſtere abſquè operibus, nimirùm ex Fide per Charitatem factis. Quoad Divum Thomam *in cap. 3. Epiſt. ad Gal. lect. 4.* ſi Vedroſius eum integrè legiſſet, clarè deprehendiſſet, diſtinguendum eſſe inter Formalem, & Diſpoſitivam cauſam juſtificationis, nec non hujus executionem & manifeſtationem. At cauſam juſtificationis Formalem ſanctus Doctor ponit in Gratiâ Fidei infuſâ, cauſam verò juſtificationis Diſpoſitivam collocat in Fide per dilectionem operante: Iuſtificationis deniquè executionem & manifeſtationem collocat in operibus procedentibus ex Fide per Charitatem formatâ. En igitur, quomodò, ſi integrè procederes, ex Doctore Angelico totum juſtificationis negotium haberes planè expoſitum conformiter ad Romanæ Eccleſiæ doctrinam, in ipſis ſacris Litteris clarè fundatam. 52. 53.

Ad *decimam* Reſp. Sic argumentando. Si præter Fidem ad juſtificationem requirantur Actus Pœnitentiæ, Spei, vel etiam Charitatis non ſolùm *Concomitantur*, ſed in vi Cauſalitatis ſaltem Materialis ac Diſpoſitivæ; ſequitur, Fidem etiam, quatenùs juſtificat, non eſſe ſolam. Atqui Apoſtolus *ſuprà citatus* clarè docuit, non ex Fide tantùm, ſed ex operibus hominem juſtificari. Iſta verò particula Ex ſignificat non meram Concomitantiam, ſed Cauſalitatem non aliam in præſenti, quàm Materialem, ad quam ut ſic ſpectant diſpoſitiones præviæ ad formæ juſtificantis receptionem. Et hinc ſine operibus eatenùs Fides mortua eſt, ut conſequenter non poſſit eſſe conjuncta cum vivificatrice Iuſtificationis formâ. Eo ipſo autem Fides etiam ſine operibus eſſet viva, & non mortua, ſi ſe ſolâ eſſet ſufficiens ad juſtificationem diſpoſitio, ſive Inſtrumentum unicè receptivum Iuſtitiæ. Manifeſtè igitur ſequitur, ſecundùm Apoſtoli doctrinam non poſſe Fidem eſſe ſolam, quatenùs juſtificat, nec 54.

Digitized by Google

poſſe ſe ſolâ eſſe Inſtrumentum Iuſtitiæ apprehenſivum, ſive diſpoſitionem Iuſtitiæ, ejuſdem receptivam.

55. Ad *undecimam* Reſp. Verum omninò eſſe, tum quòd per fidem accipiamus iuſtificationem, tum quòd per eam nobis applicetur paſſio Chriſti, tum quòd ſit medium Iuſtitiæ apprehenſivum, & organum, quo mediante virtus ſanguinis Chriſti in nos derivetur. At ex iſtis loquendi modis non plus evinci, niſi quòd Fides habeat rationem veræ ad iuſtificationem Diſpoſitionis. Hoc autem à nullo Pontificiorum negari. Minimè tamen inde concludi, quòd iſta ratio Medij & Organi virtutem paſſionis Chriſti in nos derivantis, & Iuſtitiam apprehendentis unicè conveniat Fidei, cum excluſione aliorum mediorum, ſeu Dilectionis, Spei, ac Pœnitentiæ operum. Quinimò iſtam excluſionem pugnare cum ſacrâ Scripturâ & SS. Patribus, conſtat *ex præcedenti capite.* Vides igitur Vedroſi, verba Doctorum à te præallegatorum non accipi eâ puritate, quam præſeferunt, ſed ex tuo proprio cerebro ipſis affingi, quaſi à juſtificatione excluderent opera ex fide procedentia.

56. Ad *duodecimam* Reſp. Ingentem hîc à Vedroſio committi æquivocationem, atque fallaciam. Aliud eſt enim, ſi *abſolutè* dicatur, nos ſolâ fide juſtificari: ex hoc enim loquendi modo evinceretur, quòd fidei conveniat, eſſe unicam & adæquatam, & ſe ſolâ ſufficientem diſpoſitionem, & apprehenſionem diſpoſitivam Iuſtitiæ, ſive Gratiæ juſtificantis. Aliud verò eſt, ſi *Comparatè*, cùm reſpectu ſcilicèt ad opera legalia, ſeu legis Moſaicæ Cæremonialia, & Moralia ordinis naturalis dicatur, ſolâ fide nos juſtificari: ex tali enim loquendi modo tantùm concluditur, quòd fides ita ſit fundamentum & initium juſtificationis, ut nullum opus etiam Morale, niſi in fide radicatum, & ex eâ profectum, adeòque ſupernaturale, poſſit eſſe diſpoſitio ad juſtificationem, ſitque adeò fides ad juſtificationis gratiam neceſſaria, eaque prima diſpoſitio, non tamen prius conſummata, quàm ſecundùm Apoſtolum ſit operans per dilectionem. At verò in hoc ſecundo duntaxat ſenſu Patres in oppoſitâ argutiâ *citatos* loqui, conſtat ex ipſiſmet per Vedroſium allegatis verbis, utpote in quibus ſemper fiat comparatio ad opera legalia, ſive legem Moſaicam. Unde iſte Miniſter erga Patres prætactos clarè eſt injurius, dùm ipſos contrà expreſſum verborum tenorem nititur accipere non in hoc poſteriori comparativo, ſed in illo priori abſoluto ſenſu. Etenim ſi ſermo ſit de operi-
57. bus ex fide profectis, Origenes *in cap. 4. cit. Epiſt. ad Rom.* ita diſſeruit: *Puto, quòd prima ſalutis initia, & ipſa fundamenta fides eſt; profectus verò & augmenta ædificij Spes, perfectio autem & culmen totius operis Charitas.* Et infrà: *Credentibus*

gaudeum

Digitized by Google

quidem Chriſto, nec tamen deponentibus veterem hominem (cujuſmodi ſanè veteris hominis depoſitio fit per Pœnitentiam) *cum actibus ſuis, fides reputari non poteſt ad Iuſtitiam.* Deinde S. Hilarius *can. 7. in Matth.* opera cum fide conjungens, ſic ait: *Salus Gentium omnis in fide eſt, & in præceptis Domini vita eſt univerſorum.* Sanctus porrò Baſilius *in ſerm. de fide*, ubi docuerat neceſſitatem fidei, adjunxit neceſſitatem Charitatis, id probans tum ex Apoſtolo *1. Corinth. 13.* tum ex ipſo Chriſto Domino, utpote qui *Ioan. 15.* non ex fide, ſed ex Charitate Diſcipulos ſuos cognoſcendos prædixerit. Denique S. Chryſoſtomus *Hom. 7. in Matthæum*, ita diſſerit: *Ne fideles ſolâ ſe fide ſalvari poſſe confidant, de pœnâ malorum diſſerit. Ita infideles ad fidem, fideles vero ad rectè vivendum hortatur.* Et *Hom. 1. in priorem Epiſt. ad Timoth.* ſic ait: *Non fide ſolùm opus eſt, ſed etiam Charitate.* Videri etiam poſſunt *Hom. 5. 25. & 26. in Matth. Item hom 28. 29. & 31. in Epiſt. ad Rom.* Unde ad oculum patet, nullum ex Patribus à Vedroſio allegatis ejus fuiſſe mentis, quòd in ſenſu abſoluto ad juſtificationem, & conſequenter ad ſalutem ſufficiat ſola fides.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur: Fundamenta Georgij *ſuprà cap. 1. deducta*, ne in minimo quidem refutata eſſe à Vedroſio, *veluti patet ex cap. 3. & 4.* Unde ſic licere argumentari. Eccleſia vera, fatente etiam Catechiſmo Tigurino *q. 57. & 59* eſt ſancta. At nequit Eccleſia Sancta eſſe, quæ docet, eatenùs eſſe nitendum ſolâ fide, ut non tantum reliqua ſecundùm SS. Patres, & apertam ſacræ Scripturæ atteſtationem ad juſtificationem prorſùs neceſſaria media excludat, ſed omnem peccandi licentiam concedat, nec ullum peccatum, ſolà fide retentâ, aſſerat, contrariari juſtificationi ac ſaluti æternæ. Hæc verò omnia ita ſe habere in Reformatione prætensâ, conſtat *ex dictis cap. 3. & 4.* oſtendeturque *ſeq. ſect. 3. cap. 1.* Miniſtros Reformatos continuâ contradictionum conflictatione inter ſe committi, ut vel hinc Reformationis prætactæ in dogmatibus fidei perpetua mutabilitas iterum iterumque appareat. Viderit ergo iſta Reformatio, an veram teneat Eccleſiam?

***

SE-

Digitized by Google

SECTIO III.

De Formali Iuſtificationis Causâ.

CAPUT I.

Referuntur argumenta intentioni Georgij conformia.

6. AD juſtificationis doctrinam ritè tenendam, eatenùs eſt diſtinguendum inter Formalem & Diſpoſitivam juſtificationis cauſam, ut non poſſit eſſe vera Eccleſia, quæ circà utramque, vel etiam alterutram non niſi nutando, & varijs contradictionibus ſe ſe involvendo, aliquid decernit. At de utrâque iſtâ juſtificationis causâ ita diſponit Calvinus *cit. cap. 1. §. 2.* ut fide dicat apprehendi Iuſtitiam Chriſti, qua veſtitus in Dei conſpectu non ut peccator, ſed tanquàm juſtus appareat. Et Catechiſmus Heidelbergenſis *q. 60.* ait, quempiam juſtum eſſe coram Deo tantùm per veram fidem in Ieſum Chriſtum, ita ut, licèt ad omne malum inclinatus ſit, Chriſti juſtitia ipſi imputetur. Et *q. 61.* aſſerit, *Hominem per fidem tantùm eſſe juſtum, quia Chriſti juſtitia tantùm coram Deo ejus ſit Iuſtitia; & illam non aliter, quam per fidem apprehendat, & ſibi appropriare poſſit.* Ex quibus adeò patet, prætenſam Reformationem ex parte cauſæ ad juſtificationem diſpoſitivæ ſolam fidem, ex parte verò cauſæ *Formaliter* juſtificantis extrinſecam Iuſtitiæ Chriſti imputationem adſtruere.

8. Quo tamen minimè obſtante, Petrus Martyr *Loc. comm. Claſs. 3. cap. 4. §. 26.* proteſtatur contrà Catholicos: *Accuſant*, inquit, *iſti nos, quaſi opera, quæ appellantur præparatoria, negligamus, vel potiùs inficiemur, quod certè non facimus.* Et in Dodreckiano Proteſtantium Concilio *in Actis illius Synodi a. 3. & 4.* Theologi Palatini dixerunt: *Certum eſt, quoſdam actus agnitionis peccati, doloris, Contritionis &c. præcedere fidem, & converſionem in homine regenerando &c.*

9. Theologi porrò Britanni *ibidem* ita profeſſi ſunt: *Sunt quædam effecta ad converſionem, ſive regenerationem prævia, quæ virtute Verbi, Spiritûſquè in nondum juſtificatorum cordibus excitantur, qualia ſunt: Notitia Voluntatis Divinæ, ſenſus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, ſpes aliqua veniæ &c.* Catechiſmus quoquè Heidelbergenſis *q. 88.* ubi quæſiſſet: *In quot partibus conſiſtat vera Pœnitentia, aut converſio hominis?* Reſpondit: *In duabus, in mortificatione veteris, & reſuſcitatione novi hominis.* Poſteà *q. 89.* decernit, Mortificationem veteris hominis eſſe, *quòd ei peccata ex corde diſpliceant, & illa magis ac magis oderit & fugiat.* Item *q. 90.* ait: *Reſuſcitationem novi hominis eſſe cordiale gaudium in Deo, per Chriſtum delectationem & amorem habere, juxtà Voluntatem Domini in omnibus bonis operibus*

vere-

vivere. Quæ ſanè ſi conferantur cum præcedenti juſtificationem ſoli fidei attribuente doctrinâ, minimè cohærere deprehenduntur. 4

Quoad formalem porrò juſtificationis cauſam Calvinus *lib. deverâ Eccleſiæ Reformat. pag. 363.* ita decernit: *Etſi enim nunquàm reconciliamur Deo, quin ſimul donemur inhærente Iuſtitiâ, diſtingui tamen debent, quæ ſeparari nequeunt.* Et Petrus Martyr *Loc. Comm. Claſſe 3. cap. 2. §. 33.* ſic habet: *Exponitur deinde, quòd duplicem Iuſtitiam habere dicamur, unam à Deo nobis imputatam, quâ reverâ juſtificamur, & eam ex operibus minimè obtinemus, verùm fide apprehendimus. Altera verò Iuſtitia eſt, quæ nobis inhæret, conſtatque Fide, Spe, & Charitate, omnibuſque bonis operibus.* Calvinus porrò *lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 11. Tenendum*, inquit, *memoriâ eſt, quod jam dixi, non ſeparari juſtificandi gratiam à regeneratione, licet res ſint diſtinctæ, ſed quia experientiâ plus ſatis notum eſt, manere ſemper in juſtis reliquias peccati, neceſſe eſt, longè aliter juſtificari, quàm reformantur in vitæ novitatem. Nam hoc ſecundum ſic inchoat Deus in Electis ſuis, totoque vitæ curriculo paulatim, & interdum lentè in eo progreditur, ut ſemper obnoxij ſint apud ejus tribunal mortis judicio.* 5

Ex quibus ita licet tandem concludere. Iuſtitia Chriſti per fidem apprehenſa ſecundum Calvinum ita conſtituit hominem juſtum, ut non tanquàm peccator, ſed tanquàm juſtus coram Deo appareat. At nequit aliquis mortis judicio apud Dei tribunal obnoxius eſſe, ſi non tanquàm peccator, ſed tanquàm juſtus coram Deo appareat. Quomodò ergo Calvinus non ſibimet contradicit, dum ex juſtitiæ Chriſti imputatione ait, hominem non jam ut peccatorem coram Deo apparere, alibi tamen aſſerit, manere in ipſo peccati reliquias, per quam coram Dei tribunali ſit obnoxius mortis judicio? Quinimò quomodò ſtabit Iuſtitia inhærens, in bonis etiam operibus conſiſtens, ſi non tantùm homo ſit obnoxius mortalibus peccatorum reliquijs, ſed omnia hominum opera ſecundùm ſuam dignitatem ſpectata nihil ſint, niſi inquinamenta, ſivè iniquitates, prout Calvinus *ſupracitatus & cit. lib. 3. Inſtit. cap. 12. §. 4.* aſſerit? Quia igitur in aperto eſt, Eccleſiæ Reformatæ Doctores circà Iuſtificationis cauſam tam formalem, quàm diſpoſitivam perpetuis contradictionibus involvi, viderint ipſi, an veræ, utpote Sanctæ Eccleſiæ notam præferre poſſint?

CAPUT II.

Referuntur Adverſariorum argutiæ.

ARguunt Reformati 1. *Ex Rom. 10. v. 3.* ubi ſic habetur: *Ignorantes Iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes conſtituere, Iuſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* At Pontificij videntur ignorare Dei juſtitiam fidelibus imputatam, 6

ſed

Google

ſed ſuam quærunt, dum ſibimet eam inhærere contendunt. Quomodò ergo Iuſtitiæ Dei ſubjecti ſunt? Maximè cùm Apoſtolus 5. *ad Rom.* 5 aſſerat: *Per Obedientiam unius hominis juſtos conſti u multos*. Ex quo nihil aliud Calvino ſignificari videtur, *niſi ipſam Chriſti Obedientiam noſtram eſſe Iuſtitiam*.

7. Arguunt 2. *Ex 1. Corinth. 1. v. 30.* ubi ſic habetur: *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis Sapientia à Deo, & Iuſtitia; & Sanctificatio, & Redemptio, ut, quemadmodum ſcriptum eſt, qui glorietur, in Domino glorietur.* At eo ipſo, quòd Chriſtus ſit noſtra Iuſtitia, ſequitur, nos coram Deo *Formaliter* juſtos non reputari per noſtram Iuſtitiam.

8. Arguunt 3. *Ex cap. 1. ad Epheſ. v. 5.* ubi ſic habetur: *Qui prædeſtinavit nos in laudem gloriæ, gratiæ ſuæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.* At eo ipſo, quòd Deus nos gratificârit, id eſt acceptos ſeu gratioſos habuerit in dilecto Filio ſuo, ſequitur, hominem in ſe non eſſe gratioſum, ſed tantùm haberi ac reputari à Deo gratioſum in filio, hujus Iuſtitiam imputando.

9. Arguunt 4. *Ex cap. 4. ad Epheſ. v. 23.* ubi ſic habetur. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* At ſicut Iacob *Geneſ. 27.* indutus veſtibus Eſau primogeniti, & pellibus veſtitus, fuit Eſau reputatus, benedictionemque accepit; ſic quia renovatio ac juſtificatio hominis eſt ad inſtar indumenti, ſequitur, animam peccatoris extrinſecùs veſtiri Iuſtitiâ Chriſti, & propter illam reputari juſtam, quæ in ſe tamen ſit peccatrix.

CAPUT III.

Oſtenditur, Gratiam hominis juſtificatricem eſſe formam homini juſto *intrinſecè* inhærentem.

Probatio prima, ex ſacris Litteris petita.

10. Effectus enim formalis eſt in ſubjecto per intrinſecam formæ alicujus communicationem, ſeu informationem. At ſacra Scriptura ponit juſtificationis effectum aliquem formalem, nempè eſſe juſtificatum, oblatum, ſanctificatum. Hinc enim 1. *Corinth. 6.* dum graviſſimos peccatores retuliſſet Apoſtolus, *v. 11.* ſubjecit: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Oportet igitur, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritum Dei eatenùs agnoſcere cauſam juſtificationis noſtræ tum *Moraliter* ac *Meritoriè*, tum *Phyſicè* Effectivam, ut exinde in nos derivetur forma *intrinſecè* communicata, per cujus informationem conſtituamur juſtificati &

Digitized by Google

ti & ſanctificati, juxtà illud *Rom. 3. v. 24. Iuſtificati gratis per Gratiam ipſius.*

Probatio ſecunda, cujuſdam Adverſariorum exceptionis ex ratione & SS. Litteris refutatoria.

DIcunt enim Reformati, quando dicimur *Iuſtificati per Dei Gratiam*, tunc 11.
per Gratiam intelligi favorem Dei *Extrinſecè* duntaxat ſanctificativum. Verùm quæro ex iſtis Reformatis, an hic Dei favor ſit Efficax, vel Inefficax? At hoc poſterius dici non poteſt, cùm Deus voluntate Inefficaci *velit omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire. 1. Timoth. 2.* nec tamen actu fiant omnes ſalvi. Oportet igitur, favorem Dei, ex quo ſumus actu juſtificati, eſſe Efficacem. Hinc enim Apoſtolus *ad Titum 3. v. 5.* ait: *Salvos nos fecit* (en Efficaciam) *per Lavacrum regenerationis & renovationis.* At ea eſt vis Voluntatis, ſeu favoris Divini Efficacis, ut quæcunque voluit Deus, facta ſint, & quæ mandavit, creata ſint *Pſal. 148. v. 5.* Eo ipſo igitur; quòd per favorem Dei efficacē (inſinuante iſtud Apoſtolo verbis, *Gratis juſtificati*) efficiamur juſti, ſeu conſtituamur *realiter actu* juſtificati, oportet, talem Dei Favorem eſſe *actualiter* Effectivum alicujus formæ creatæ in nobis receptæ, ac *realiter* datæ, quam Apoſtolus *ſuperiùs citatus* vocavit *Gratiam.* De quâ proinde gratiâ per 12.
donationem *realiter* datâ, & à nobis acceptâ clarè teſtatus eſt Apoſtolus *ad Epheſ. 4. v. 7. Unicuique noſtrûm, inquiens, data eſt Gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Et Rom. 5. v. 17. Multò magis abundantiam Gratiæ & donationis & Iuſtitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Ieſum Chriſtum.* Cui concinit S. Ioannes 1. *v. 6. De plenitudine ejus omnes accepimus, & Gratiam pro Gratiâ, quia lex per Moyſen data eſt, Gratia & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ex quibus adeò 13.
patet, Pſeudoreformatores Iuſtificationem reducendo in merum Dei Favorem extrinſecum abſque aliquâ formâ per hujus Efficaciam & Cauſalitatem Effectricem *realiter* communicatâ, non tantùm pugnare cum proprietate verborum ſacræ Scripturæ, ſed inſuper enervare Divini Favoris efficaciam. Sicut enim ex hoc per primam creationem prodijt forma extra Deum producta & creata, juxta illud *Pſal. 148. Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Sic ex eâdem Favoris Divini *Efficienter* juſtificantis efficaciâ oportet, prodire novam formam creatam, per quam conſtituamur nova creatura, atteſtante Apoſtolo *2. Corinth. 5. v. 17. Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt. Item Gal. 6. v. 15. In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.*

Probatio tertia, per rationem ex ſacris Litteris deducta.

ETenim hoc intereſt inter Formalem & Effectivam Divini Eſſe ſeu Per- 14.

 fectio-

Digitized by Google

fectionis communicationem, ut per illam Deus *ſui Eſſe* intrinſecam formalitatem *per ſe immediatè* communicet. Hoc autem non fit, niſi in unione Hypoſtaticâ, qualis compet t ſoli Humanitati Chriſti *perſonaliter* ac *ſubſtantialiter* unitæ Verbo Divino, ſive Hypoſt ſi, ac ſubſtantiæ filij Dei. At certum eſt, Spiritum Sanctum nobis dari & communicari in juſtificatione, juxtà illud *Rom. 8. v. 15 Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Et *Rom. 5. v. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Quia igitur Perſonæ alicujus Divinæ communicatio immediata & formalis adeò præcellens eſt, ut nulli creaturæ extrà unionem Hypoſtaticam competere, atque adeò ſolius Chriſti Humanitatis propria eſſe queat; manifeſtè ſequitur, Spiritum Sanctum in juſtificatione nobis communicari non *Formaliter* ac *per ſe immediate*, ſed *Efficienter*, atque adeò mediante aliquo dono creato per totam quidem Trinitatem *phyſicè Efficienter*, per Spiritum verò Sanctum *appropriativè* cauſato, ac nobis impreſſo; uti claris verbis expreſſit Apoſtolus *citatus*, dum *Rom. 5. v. 5.* ait, *Spiritum Sanctum dari nobis, quatenùs per ipſum diffunditur Charitas Dei in cordibus*
15. *noſtris.* Et hinc idem Apoſtolus *ad Titum 3.* deſcribens juſtificationem, ſic ait: *Secundùm miſericordiam ſuam magnam ſalvos nos fecit per Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati Gratiâ ipſius, heredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Cùm igitur Spiritus Sanctus in nos effundatur, quando juſtificamur Gratiâ Dei, oportet, iſtam Dei Gratiam eſſe formam creatam, cùm alioquin Spiritus Sanctus non *Efficienter*, ſed *Formaliter* deberet ſe communicare, ad inſtar Verbi Divini ſe communicantis Humanitati Chriſti: cujuſmodi tamen communicationis modus ſuâ excellentiâ purum hominem, quantumvis alioquin ſanctum, infinitè ſuperat.

Probatio quarta, deſumpta ex vivâ fidelium fide ad nos uſque derivatâ, & Patrum authoritatibus elucidatâ.

16. ETenim S. Irenæus *lib. 5. cap. 6. adverſ. hereſ.* ſic ait: *Cùm autem Spiritus commixtus animæ unitur plaſmati, propter effuſionem Spiritûs, ſpecialis & perfectus homo factus eſt, & hic eſt, qui ſecundùm imaginem & ſimilitudinem factus eſt Dei &c.* Divus Cyprianus *Epiſt. 2. lib. 2. ad Donatum: Poſtquam unda genitalis auxilio ſuperioris ævi labe detersâ in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit, poſtquam cœlitùs Spiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit, ſcis ipſe profectò, quid detraxerit nobis, quidvè contulerit mors iſta criminum, vita virtutum &c.* S. Ambroſius *lib. 6. Hexameron. cap. 8. Utrùm juſtificatio ſecundùm corpus, an ſecundùm animam tibi conferri videatur, quæſo reſpondeas? Sed dubitare non*

gene

potes, cùm juſtitia, unde juſtificatio derivata eſt, mentis tuæ, utiquè non corporis ſit. *Pictus ergo es, ò homo, & pictus à Domino Deo tuo, bonum habes artificem, atquè pictorem, noli delere bonam picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem, non cerâ expreſſam, ſed Gratiâ.* Sanctus Chryſoſtomus *Hom. 40. in 1. Corinth. 15.* tractans illa Chriſti Domini verba: *An facilius dicere ſit, peccata tibi dimittuntur, vel, Grabatum tolle & ambula*, ita diſſerit: *Et qui hoc difficile eſt, inquis, quod Reges & Principes poſſunt? Adulteros & homicidas quoties abſolvunt? Ludis, arbitror, qui hæc dicis. Peccata dimittere ſolus Deus poteſt, Reges porrò & Principes, etiamſi homicidas, adulteros abſolvant, peccati ſupplicio quidem liberant, peccato abſolvere non poſſunt &c. Solus Deus poteſt, quod in iſto regenerationis lavacro facit, mentem gratiâ tangit, tunc radicale peccatum tollit. Itaque qui crimine Regis beneficio abſolutus eſt, inquinatum animum ſervat, quam abluit Baptiſma, non item; ſed ſolis radiis puriorem mentem habet, ſive* (ut infrà ait) *quolibet auro puriùs ſplendentem.* Divus Cy- 17.
rillus *in Geneſ. circa finem*, juſtificationem eatenùs fieri aſſerit, *Ut, ſicut primi hominis imago impreſſionem in nobis fecit, adeò ut omninò nos mori oporteat, corruptioniſque laqueo capi, ita poſt, cùm ſecundum noſtrum principium, id eſt Chriſtus, & ad eum per Spiritum ſimilitudo immortalitatem nobis imprimeret.* Sanctus Hieronymus *lib. 3. Adverſ. Pelagian. Nunc mundus factus es in lavacro; & de te dicitur, quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, ut tota quidem ſit, ſed cuſtodire non valeas puritatem ſuam, niſi à Domino ſuſtentetur.* Divus Cyrillus Alexand. *lib. 4. Comment. in Iſaiam Orat. 2* inter alia ſic habet: *Formatur in nobis Chriſtus, Sancto Spiritu Divinam quandam formam per ſanctificationem & juſtitiam indente: ſic enim in animis noſtris relucet Character Subſtantiæ Dei ac Patris, reformante S. Spiritu nos per ſanctificationem &c.* Sanctus denique Auguſtinus *lib. 1. de peccat. Merit. & Remiſſ.*
ſic habet: *Legimus juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultam com-* 18.
municationem & inſpirationem gratiæ ſpiritualis, quâ quiſque hæret Domino, unus Spiritus eſt. Et *cap. 5. de Spirit. & Litt. Iuſtitia Dei, ait, manifeſtata eſt: non dixit, juſtitia hominis, vel juſtitia propriæ voluntatis, ſed juſtitia Dei, non quâ Deus juſtus eſt, ſed quâ induit hominem, cùm juſtificat impium.* Item *in Pſal. 98. De Chriſto autem dictum eſt, qui juſtificat impium. Nos ergo impii, ille juſtificator, quomodò & ipſam juſtitiam ipſe in nobis fecit, quâ illi placeamus, ut ad dexteram nos ponat.*

Ex quibus ita licet argumentari. Iuſtificatio eatenus fit per Spiritûs ſancti in nos effuſionem, ut homo exinde reddatur ſpiritalis & perfectus, ad ſimilitudinem Dei factus. *Ex S. Irenæo.* At ſimilitudo Dei reddens hominem ſpiritalem ac perfectum, non poteſt non eſſe intrinſeca, maximè cùm ſe habeat tanquàm vita virtutum & mors criminum, & tanquam purum deſuper infuſum lumen: imò iſta per Spiritum Chriſti ſimilitudo eſt in nobis imprimens immortalitatem, ſequè habet tanquàm puritas, per quam tota anima

Digitized by Google

dealbetur. *Ex SS. Cypriano, Cyrillo, & Hieronymo.* Conſequens igitur eſt, juſtificationem fieri per formam intrinſecam, dum gratiâ mentem tangente, peccatum radicale evellitur, & in mente pictura Dei per gratiam exprimitur. *Ex SS. Chryſoſtomo, & Auguſtino.* Quam proinde Dei ſimilitudinem ſeu picturam in mente expreſſam Divus Cyrillus *citatus* eatenùs vocat Divinam formam à Spiritu ſancto, mediante ſanctificatione, inditam, ut per eam in animis noſtris reluceat Character Subſtantiæ Dei ac Patris. Quæ proinde Divina Forma eſt quidem Dei & Chriſti Iuſtitia *Effectivè*, attamen *Subjectivè* eſt in homine, utpote quâ Deus ipſum induat, & quam in nobis fecerit. *Ex Sancto Auguſtino.*

CAPUT IV.

Refelluntur Adverſariorum argutiæ.

19. AD *primam* Reſp. In hoc & ſequentibus Argutijs nihil aliud agi, niſi quòd confundantur *Diſpoſitiva, Effectiva*, & *Formalis* cauſa juſtificationis. Etenim verum omninò eſt, quòd per Obedientiam Chriſti homines conſtituantur juſti. Hinc tamen ſolùm evincitur, quòd Obedientia Chriſti *Moraliter Effectivè*, ac *Meritoriè* ſit noſtra Iuſtitia. At præter hanc Apoſtolum agnoſcere Iuſtitiam nobis inhærentem, quæ non niſi ex donatione Dei ſit noſtra *Subjectivè*, Dei verò ſit *Effectivè*. Imò ex parte quoquè Cauſæ *Diſpoſitiva* eſſe Dei, cùm noſtris viribus impotentes ſimus, ut ad illam nos diſponamus, ſed tota ad juſtificationem diſpoſitio ſit ex gratiâ Dei & Chriſti, cui nos liberè quidem cooperemur, Deo tamen præmovente voluntatem noſtram.
20. Quæ omnia eleganter expreſſit Sanctus Auguſtinus *Tract. 26. in Ioan. in initio*, ubi tractans præallegata verba Apoſtoli: *Ignorantes Dei Iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, Iuſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, ſic ait: *Quid eſt hoc, Iuſtitia Dei, & Iuſtitia hominis? Iuſtitia Dei hìc dicitur, non quâ juſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, ut juſtus ſit homo per Deum. Quæ autem illorum Iuſtitia erat, qui de ſuis viribus præſumebant, &c? Nemo implet legem, niſi adjuverit gratia legis &c. Legis enim plenitudo compendio, ut ait Apoſtolus, Charitas eſt, Charitas non nummi, ſed Dei. Unde iſta Charitas homini? Ipſum audiamus. Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* En igitur Iuſtitiam noſtram *Formaliter* ſpectatam non eſſe illam, quæ Deo *Formaliter* ineſt, ſed quæ *Subjectivè* eſt in nobis; attamen *Effectivè* eſſe ex Dei donatione. Illos porrò arrogare ſibi Iuſtitiam, non Dei, ſed ſuam, qui de proprijs viribus præſumunt; ut adeò C[a]uſa ejuſdem *Diſpoſitiva* ſit reducenda in Gratiæ Divinæ adjutorium. Hæc ſi Reformatum Miniſterium ritè teneat, mox evaneſcent

Digitized by Google

cent omnes ejus hac in re Argutiæ ac fallaciæ, ex merâ Cauſarum juſtificationis confuſione petitæ.

Ad *ſecundam* Reſp. Quærendo ex Reformatis, in quo ſenſu cenſeant accipienda ſacræ Scripturæ verba, quando *Pſal. 7. v. 1. Pſal. 27. v. 8. & Pſal. 42.* Deus dicitur *Fortitudo noſtra?* Item, quando *Pſal. 26. v. 1. Pſal. 70. v. 5. Pſal. 60. v. 4. Pſal. 90. v. 9. Pſal. 3. v. 4.* dicitur, *Illuminatio, Salus, Patientia, Spes, & Gloria noſtra?* Nemo utique Miniſtrorum Reformatorum tam ſtolidus eſt, ut illos ſacros Textus accipiendos contendat *in ſenſu Formali*; ſed in *ſenſu Cauſali* & *Effectivo*, ſive *Objectivo*. Pari ergo ratione ex ſacris Litteris & Patribus *praced. cap. 5.* fusè adductis, ſpeciatim Auguſtino proximè allegato, Chriſtus dicendus eſt ſanctificatio noſtra, non in *ſenſu Formali*, ita ut *Subjectivè* ſit in nobis, nos *Formaliter* conſtituendo ſanctos, ſed *in ſenſu Effectivo* & *Cauſali*, quatenùs eſt noſtræ juſtificationis Cauſa tum *Phyſicè*, tum *Moraliter* Effectiva & Meritoria, imò & Finalizativa. Et verò Chriſtus in præcitatis Apoſtoli verbis dicitur *Sapientia noſtra*. At nemo Reformatorum erit utique tam ſtolidus, ut aſſerat, Chriſtum eſſe Formalem noſtram Sapientiam; ſed Chriſtum eſſe Sapientiam noſtram *in ſenſu Cauſali* ac *Effectivo*, vel etiam *Objectivo*. Cur non igitur idem dicendum ſit de eo, quòd Chriſtus dicatur factus noſtra Sanctificatio? Maximè cùm omnia illa concludantur uno ſacro contextu; abſurdum verò ſit, ſub uno ſacro contextu talem æquivocationem facere, qualem induceret privatus Reformatorum ſpiritus. 31.

Ad *tertiam* Reſp. Ex verbis S. Chryſoſtomi, qui ſuper illa Divi Pauli *ad Epheſ. 4.* verba: *In quâ gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, ſic differit: *Gratioſos nos reddidit; hoc eſt, non ſolùm peccatis liberavit, ſed & dilectos amicos effecit: quemadmodùm enim ſi quis ſcabioſum quendam peſte, morbo, ſenio &c. corruptum, formoſum mox adoleſcentem reddat, qui quoſvis venuſtate ſuperet, vehementem ſplendorem ex genis emittat &c. Non aliter animam noſtram & elaboratam, & pulchram, & deſiderabilem, ac dilectam reddidit.* Ex quibus adeò patet, Deum gratificando nos in dilecto Filio ſuo efficere gratioſos, ita ut anima in ſe pulchra, deſiderabilis, & dilecta reddatur, non verò tantùm *extrinſecùs* reputetur pulchra, in ſe verò fœda exiſtat. At hanc totam pulchritudinem eatenùs reducere debemus in Chriſtum, propter cujus ceu dilecti Filij ſui merita Deus animabus noſtris eam contulit, ut ad talem gratitudinem noſtræ Iuſtitiæ in Chriſtum reductricem Apoſtolus *præcitatus* nos adhortans dixerit, *quòd in Filio ſuo nos gratificârit.* Conſtat proindè, quòd ſecundùm verum à Sancto Chryſoſtomo, & alijs Patribus expoſitum illius ſacri Textûs intellectum, oporteat, noſtram Iuſtitiam reducere in Chriſtum, tanquàm *Cauſam Effectivam* & *Meritoriam*, non verò tanquàm in *Cauſam Formalem*. 32.

Ad

23\. Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Non poteſt quis induere novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, niſi huic Divinæ creationi reſpondeat aliqua (tanquàm creationis prætactæ effectus) Forma, per quam conſtituatur peccator in *Eſſe novi hominis.* At ſi præaddùctus *ad Epheſ. 4. v. 23.* ſacer Textus fuiſſet ex integro poſitus, ſtatim deprehenderetur, quænam ſit illa Forma, ceu effectus illius creationis, per quam peccator, depoſitâ ſorde peccati, conſtituatur in *Eſſe novi hominis.* Mox enim ſubjunxit Apoſtolus: *Qui ſecundùm Deum creatus eſt in Iuſtitiâ & Sanctitate Veritatis.* Oportet igitur, iſtam Iuſtitiam & Sanctitatem Veritatis, per quam peccator, depoſitâ ſorde peccati, conſtituitur *in Eſſe novi,* ac *ſecundùm Deum creati hominis*, eſſe Formam vi iſtius creationis productam, ejuſque effectum, cùm nequeat ulla creatio ſubſiſtere ſine aliquo effectu. Unde conſequens etiam eſt, illam Iuſtitiæ & Sanctitatis Formam, per quam peccator conſtituitur novus, ac ſecundùm Deum creatus homo, eſſe creatam, atque adeò receptam in animâ hominis; ſacro contextu id clarè inſinuante, dum ait: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ* (per Formam nimirùm in animâ ſeu ſpiritu mentis receptam) *induendo* nimirùm *novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in Iuſtitiâ & Sanctitate Veritatis.* En igitur, veram Sanctitatem non eſſe æquiparandam cum veſtibus Eſau, niſi fortè Reformati in ſorte Eſau ſe reputare velint, contendendo, ſuam Sanctitatem veſtibus Eſau æquiparandam eſſe.

COROLLARIUM.

24\. Ex dictis infertur. Reformatos totos eſſe alienos à verâ Sanctitate & Iuſtitiâ. Unde ſic licere argumentari. Non poteſt Eccleſia eſſe ſancta, nec adeò vera, quæ veram Sanctitatis Formam Divinis Litteris, & Patrum Orthodoxorum vivâ Fide probatam impugnando, ejus hoc ipſo facit ſe expertem. At totum hoc praſtari à Reformatione hodiernâ, conſtat *ex dictis præced. cap. 3 & 4.* Viderit ergo iſta prætenſa Reformatio, qualiter ſua Eccleſia poſſit eſſe Sancta & Vera?

SECTIO IV.

De Meritis.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1\. Hic Author ſuæ Facis *Rat. 22. n. 51.* inducit Symbolum B. Damaſi ab ipſiſmet etiam Reformatis Miniſtris, Bullingero & Breitingero

ro ſub hiſcè formalibus verbis receptum : *Et habemus ſpem, nos conſequuturos præmium boni meriti, ac pœnam pro peccatis aeterni ſupplicij.*

Idem *Rat. 3. n. 11.* inducit Calvinum *lib. 3. Inſtit. cap. 15. Sect. 2.* ita diſſerentem : *Uſi ſunt* (*FATEOR*) *paſſim vetuſti Eccleſiæ ſcriptores* (hoc nempè nomine) *atque utinam vocula hujus abuſu, erroris materiam poſteris non præbuiſſent.* Ex quibus infert Georgius *præcitatus*, in aperto jam eſſe, quòd Eccleſia Reformata quoad doctrinam de Merito pugnet cum Antiquâ Orthodoxiâ, imò non erubeſcat, in hanc graviter invehi, eamquè explodere exemplo ſui Anteſignani Calvini *loco cit.* ita ſcribentis : *Primùm de Meriti nomine, id mihi præfari, neceſſe eſt ; quicunque primus illud operibus humanis ad Dei Iudicium comparatis aptavit, cum Fidei ſynceritati peſſimè conſuluiſſe &c. Quorſum enim, obſecro, opus fuit, invehi nomen MERITI, quum pretium bonorum operum ſignificanter alio nomine citrà offendiculum explicari poſſet? Quantum autem ipſum offenſionis in ſe contineat, magno cum orbis detrimento patet. Certè ut eſt faſtuoſiſſimum, nihil, quàm obſcurare Dei gratiam, & homines pravâ ſuperbiâ imbuere poteſt.* 2.

Author præcitatus *n. 56. Rat. 22.* poſtremò advertit, niti quidem Calvinum, Romanæ Eccleſiæ affricare, quaſi per merita obſcuraret Dei Gratiam, atque in hoc à Veteribus Patribus, omne, quod eſt in nobis, Bonum Gratiæ Divinæ tribuentibus, diſcreparet : attamen in hoc fruſtrà laborare, cùm Eccleſia Romana cum Orthodoxis antiquis Patribus conſtanter affirmet, hominem, quidquid habet meriti, non à ſe ipſo, ſed à Gratiâ Divinâ, cujus virtute talia comparentur, merita agnoſcere debere. Unde patere, quod Reformata Fides multifarijs tum contradictionibus, tum fallacijs infecta ſit. 3.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij, & aliorum Pſeudoreformatorum.

ISte Curienſis Miniſter *ſuæ Antiquit. Sect. 2. pag. 16. & 17.* arguit 1. Quòd Pontificij Doctores in vocibus *Mereri*, & *Meriti*, quarum poſterior in Symbolo B. Damaſi occurrat, cùm dixit : *Spem habemus, nos conſecuturos præmium boni meriti*, fruſtrà triumphent, *Meritum* Papiſticum hinc exſculpturi. Etenim *Meriti* nomen ſacræ Scripturæ ignotum, apud Authores *ſtrictè* ſumi pro laboribus ex condigno aliquid merentibus. Quo modo *Meriti* nomen Veteres non uſurpâſſe. 4.

Arguit 2. Meriti proinde nomen quandoque ſumi *Latè*, aut pro opere bono, quo quis conſectatur præmium, aut pro beneficio & dono, quod de- 5.

bitum

bitum noſtrum gratis conſequitur. At hoc modo Veteres aliquando uſos fuiſſe nomine Meriti, uti B. Damaſum *in verbis citatis.* Quo ſenſu Bernardum *de Grat. & lib. arbit. ſub finem* ſic diſſerere: *Si propriè appellentur ea, quæ dicimus noſtra merita, Spei quædam ſunt ſeminaria, Charitatis incentiva, occultæ Prædeſtinationis indicia, futuræ felicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi.*

6. Arguit 3. Si *ſtrictè* ſumatur nomen Meriti, prout accipiatur à Concilio Tridentino *Seſſ. 6. can. 32.* id reijcere non Patres duntaxat, verùm etiam ex ſanioribus Pontificijs plures. Thomam Waldenſem teſte Vegâ *Opuſc. de Meritis q. 4.* ſic ſcribere: *Ille eſt ſanior Theologus, fidelior Catholicus, & ſacris Scripturis conſentiens, qui merita ſimpliciter abnegat, & cum modificatione Apoſtoli & Scripturarum agnoſcit, quòd ſimpliciter nemo meretur regnum cœlorum, ſed ex Gratiâ Dei, & voluntate legislatoris.* Hîc autem eſſe ſermonem de operibus juſtificatorum. Baſilium porrò Cæſarienſem *in Pſal. 115.* ita habere: *Manet requies ſempiterna illos, qui in hac vitâ legitimè certaverint, non tanquàm debitum operis redditum, ſed ob munificentiſſimi Dei gratiam, ijs, qui in ipſum ſperaverint, exhibita.*

7. Arguit 4. Per verbum *Mereri* ſæpe idem importari, ac per verbum *Obtinere, conſequi, ſignificare.* Atque tali verbo *teſte Caſaub.* notari factum, non jus. Sic *Gen. 4. v. 13.* Cain de fratricidio dixiſſe: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Sic Auguſtinum dicere: *Nemo de ſe deſperet, quandoquidem Paulus meruit Indulgentiam.* Item: *Ipſa gratia meretur augeri* (conſequitur augmentum) *ut aucta mereatur perfici* (conſequatur perfectionem.) Eodem ſenſu Eccleſiam Romanam uſurpare illud Gregorij Magni: *O fœlix culpa, quæ talem meruit habere Servatorem,* id eſt, cui talis Servator obtigit. Nec alienum hoc loco eſſe Stapletonium *Prompt. Catech. Serm. 5. poſt Dom. Paſſionis,* ita ſcribentem: *Si aliquis Veterum vocabulo* (promerendi) *uſus eſt, non aliter intellexit, quàm conſecutionem de facto,*

8. Arguit 5. Calvinus *lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 3. Quid,* inquiens, *promeritum ſit perfecta legis obſervatio?* (*ſi quà reperiri poſſet*) *quum præcipit, ut nos inutiles ſervos reputemus Luca 17. v. 10. Quum fecerimus omnia, quæ præcipiuntur nobis: quia nihil gratuitum impenderimus Domino, ſed debitis obſequijs tantùm defuncti ſimus, quibus non eſt habenda gratia &c.*

9. Arguit 6. *cit. lib. cap. 18. §. 2.* ſic habendo. *Ex mercedis nomine non eſt, cur opera noſtra ratiocinemur, cauſam eſſe ſalutis. Principio illud ſancitum ſit in cordibus noſtris, regnum cœlorum filiorum eſſe hæreditatem, quam ſoli potientur, qui à Domino in filios adoptati fuerint.*

10. Arguit 7. *loco cit. §. 3.* Clara ſacræ Scripturæ loca, quæ mercedem regni promittunt, eludendo per illam parabolam, quâ *Matth. 20.* Chriſtus dixit, *ſingulis operarijs ſingulos denarios datos eſſe, ut hinc* (veluti Calvinus ait) *omnis*

filius intelligat, donâ ſe gratiâ, non operum accepiſſe mercedem. Quod probare contendit ex Ambroſio *lib. de Vocat. Gent.* ubi dicitur: *Hujus comparationis regulâ Dominus multimoda Vocationis varietates ad unam gloriam pertinentes adſtrinxit.*

Arguit 8. *loco cit.* §. 6. dicens: *Cùm Scriptura dicit, Deum juſtum Iudicem redditurum olim ſuis Iuſtitiæ coronam, non tantùm cum Auguſtino excipio, cui redderet juſtus Iudex coronam, ſi non donâſſet Gratiam miſericors Pater? Et quomodò eſſet Iuſtitia, niſi præceſſiſſet Gratia, quæ juſtificat impium? Quomodò iſta debita redderentur, niſi illa priùs indebitè darentur? Sed aliud ego* (inquit Calvinus) *addo, quomodò Iuſtitiam imputares noſtris operibus, niſi, quod injuſtitiæ in illis eſt, abſconderet indulgentia? Quomodò cenſeret digna mercede, niſi, quod in illis pœnâ dignum eſt, immensâ benignitate aboleret? &c.* 11.

Arguunt 9. Reformati *ex illo Pſal. 102. v. 4. Qui coronat te in miſericordiâ & miſerationibus. Et Matth. 5. v. 7. Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.* Hinc enim inferunt, non eſſe coronam Iuſtitiæ, ſed Miſericordiæ. 12.

CAPUT III.

Oſtenditur, Meritum à Pontificijs aſſertum eſſe fundatum in Verbo Dei.

Probatio prima, ex naturâ Meriti conformiter ad ſacras Litteras petita.

Etenim ſub Merito hîc aliud non intelligitur, quàm opus bonum à Gratiâ Dei operatrice, & voluntatis humanæ liberè cooperantis motrice effectum, & ab hominis auxilio Divino cooperantis Gratiâ ſanctificante dignificatum, cui reſpondeat gloria cœleſtis tanquàm præmium & merces ſecundùm debitum, Dei obligatorium, non quidem vi operis noſtri, ſed ex ejuſdem ſpontaneâ promiſſione. At operibus noſtris reſponſuram mercedem, apertis verbis teſtatus eſt Apoſtolus *1. Corinth. 3. v. 8. Unuſquiſque autem*, inquiens, *propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Ejuſmodi verò mercedem reſpectu Iuſtorum eſſe vitam æternam, patet ex *Sap. 5. v. 16.* ubi ſic habetur: *Iuſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Cui adeo conformiter Chriſtus Dominus *Matth. 5. v. 12.* cùm dixiſſet: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Poſteà declarando, iſtud cœlorum regnum ſe habere inſtar mercedis, ajebat *v. 12. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* At verò iſtam Mercedem reſpondere operibus noſtris ſecundùm debitum, aſſeruit Apoſtolus *Rom. 4. v. 4. Ei, qui operatur*, inquiens, *merces non imputatur ſe-* 13.

cundùm Gratiam, ſed ſecundùm debitum. Hoc autem debitum eatenùs fundatur ſuper promiſſione & conventione Dei, ut ad hoc ſignificandum Chriſtus *Matth. 20.* propterea induxerit parabolam de operarijs, conventione factâ à Patrefamilias miſſis in vineam. De quibus tandem *verſ. 8.* dicitur: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Conſtat igitur, operibus fidelium in Vineâ ſeu Eccleſiâ Dei laborantium, reſpondere mercedem ex vi Divinæ promiſſionis, ſeu conventionis debitam. At non quibuſcunque operibus noſtris, ſed
14. ex Gratiâ Dei operatrice, noſtræquè voluntatis liberè cooperantis motrice factis, & per Gratiam ſanctificantem dignificatis reſpondere talem mercedem, patebit ex dicendis *Prob.* 3. Unde etiam fit, non poſſe quemquam in ſe ipſo, ſed in Domino, ejuſque Gratiâ gloriari. Manifeſtum proinde eſt ex præallegatis ſacris Litteris, operibus noſtris bonis à Gratiâ Dei operatrice, noſtræquè voluntatis liberè cooperantis motrice factis, atque per Gratiam ſanctificantem dignificatis, vitam æternam, ſeu gloriam cœleſtem tanquam mercedem reſpondere ſecundum debitum, Dei obligatorium, non quidem vi operis ſeu laboris noſtri, ſed ex ipſius ſpontaneâ promiſſione, atque conventione. Atqui tale opus nos Pontificij dicimus Meritum. In aperto igitur eſt, dari Meritum à Pontificijs aſſertum; niſi alicui lubeat ludere in nomine, contrà apertum tamen ſacræ Scripturæ teſtimonium *Eccleſiaſt. 16. v. 15. Omnis miſericordia*, ajentis, *faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum.*

Probatio ſecunda, deſumpta ex ſacris Litteris, quibus gloria cœleſtis reſpectu bonorum operum noſtrorum vocatur Bravium, ſeu Corona Iuſtitiæ.

15. ETenim *Apocal. 2. v. 10.* dicitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ.* At nè quis exiſtimare poſſet, iſtam Coronam eſſe promiſſam Fidei mortuæ, ſed per Charitatem formatæ, ſive per dilectionem operanti, dicitur *Iacobi 1. c. v. 12.* Deus Coronam vitæ repromiſiſſe diligentibus ſe. Hanc ipſam verò coronam Apoſtolus *1. Corinth. 9. v. 24.* comparat Bravio, benè currentibus vi pacti ex Iuſtitiâ debito: *Neſcitis*, inquiens, *quòd ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit Bravium?* Ex quo proinde manifeſtum eſt, operibus noſtris ſanctis in vitæ hujus curſu factis reſponſuram vitam æternam, tanquàm Bravium, ſeu præmium ex Iuſtitiâ debitum. Quod equidem Apoſtolus *2. Timoth. 4. v. 4.* clarè expreſſit: *Bonum certamen*, inquiens, *certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi Corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Iudex.* Conſtat proinde, operibus noſtris ſanctis reſpondere retributionem ex Iuſtitiâ, adeò, ut idem Apoſtolus *Heb. 6. v. 10.* propterea dixerit: *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur ope-*

rum

ris veſtri & Dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtrâſtis Sanctis, & miniſtratis. Cùm igitur meritum & Corona Iuſtitiæ ſint correlativa, ea verò ſit natura correlativorum, ut unum ſit alterius illativum, evidenter ſequitur, noſtra bona opera eſſe coràm Deo vitæ æternæ meritoria, Apoſtolo *Heb. 13. v. 16.* apertis verbis id atteſtante, dum ait: *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.*

Probatio tertia, à ratione ex præallegatis ſacris Litteris deductâ.

ETenim ut opus noſtrum bonum ſit vitæ æternæ meritorium, requiritur quidem libertas: uti conformiter ſacris Litteris *Eccleſiaſt. 31. v. 10. 1. Corinth. 9. v. 17.* apertè tradunt S. Irenæus *lib. 4. cap. 71.* Baſilius *in Orat. Quòd Deus non ſit Author malorum.* Hilarius *in Pſal. 2.* Hieronymus *lib. 2. contrà Jovinianum.* Auguſtinus *lib. 2. de libero Arbit. & lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 9. & alibi ſæpè*, ac oſtendetur ex inſtituto *ſequenti Diſſert. ſect. 1.* Nihilominùs nè quis poſſit in ſe ipſo gloriari, dicendum eſt cum Sancto Auguſtino *lib. de corrept. & grat. præſertim cap. 12. Item de Prædeſt. Sanct. c. 10. & de Dono Perſev. cap. 16. & alibi*, tale opus bonum ita eſſe noſtrum, ut Divinâ tamen largitate ſit nobis donatum, Deo ſecundùm Apoſtolum in nobis operante *Velle & Operari pro bonâ voluntate.* Hoc ipſum verò Divinæ largitatis Gratiâ, nobis tamen liberè cooperantibus, donatum opus, debet eſſe factum in ſtatu Gratiæ ſanctificantis, vi cujus nos maneamus in Chriſto, & Chriſtus in nobis: juxta illud *Ioan. 15. v. 4. Manete in me, & ego in vobis; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis: ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* At verò Deus ita reſpicit ad bona opera noſtra, ut quaſi per prius reſpiciat ad dignitatem operantis, juxta illud: *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus.* Hinc conſequens eſt, Deum reſpiciendo ad bona opera noſtra in ſtatu Gratiæ ſanctificantis elicita, reſpicere etiam ad dignitatem operantis, quà per Gratiam ſanctificantem facti conſortis Naturæ 57.
Divinæ *2. Petri 1.* At vi iſtius Divinæ participationis homo in tantum fit habitaculum Spiritûs ſancti, *ad Rom. 8.* ut conſequenter Spiritus ſanctus in ipſo reddat teſtimonium, quòd ſit Filius Dei, atque adeò obtineat jus hæreditatis cœleſtis. *Ex Rom. 8. cap.* Unde concluditur, opus bonum in ſtatu Gratiæ ſanctificantis factum in tantum dignificari, ut obtineat condignitatem ergà hæreditatem cœleſtem. Atqui Meritum nihil aliud eſt, quàm opus bonum Morale Divinæ Gratiæ Operatricis efficaciâ, liberè tamen à nobis elicitum, & à Gratiâ ſanctificante catenùs dignificatum, ut ex iſtâ dignificatione obtineat proportionem Condignitatis ad cœleſtem gloriam, Deo

iſtam Condignitatem taliter acceptante, ut ex vi ſuæ ſpontaneæ promiſſionis & conventionis obligetur ad talis boni operis juſtam retributionem. Cùm igitur ex ſacris Litteris oſtenſum ſit, has omnes conditiones competere ſanctis noſtris in Gratiæ ſanctificantis ſtatu per Divinæ actualis Gratiæ largitatem & efficaciam à voluntate noſtrâ liberè cooperante factis operibus, evidenter ſequitur, non poſſe Merita à Pontificijs aſſerta, citrà manifeſtum ſacræ Scripturæ præjudicium negari.

Probatio quarta, priorum continuativa & explicatoria.

18. NAm duplex quaſi genus promiſſionis Divinæ reperitur in ſacris Litteris, alterum eſt purè liberale ex parte illius, cui fit promiſſio, nullam reſpectu rei promiſſæ ſupponens Condignitatem. Hujuſmodi verò promiſſio eſt de remiſſione culpæ homini peccatori contrito ſeu pœnitenti Divinitùs facta *Ezechiel. 18. v. 21.* In cujuſmodi adeò promiſſionis executione eſt pura miſericordia & liberalitas, *juxta illud Ioelis 2. Scindite corda veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitiâ.*

19. Aliud proinde Divinæ promiſſionis quaſi genus eſt in vi pacti oneroſi, ſupponentis in eo, cui fit promiſſio, condignam reſpectu rei promiſſæ proportionem. Talis verò promiſſio eſt de vitâ æternâ tanquàm Mercede & Coronâ Iuſtitiæ, juſtis benè operantibus retribuendâ. In cujuſmodi adeò promiſſione eſt quidem miſericordia ex parte ipſius promiſſionis, ex parte tamen executionis eſt Iuſtitia, *juxta illud Matth. 20. Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis.* Quod proinde duplex quaſi genus Divinæ promiſſionis agnoſcens S. Auguſtinus *in Pſal. 83.* ait: *Deus indulgentiæ largitor, coronæ autem debitor, indulgentiam tribuit ut Pater, Coronam verò ut Iudex.* Vi cujus tamen obligationis ex Iuſtitiâ Deus, utpote univerſorum Dominus, non tam vi juris ex ſuâ ſpontaneâ promiſſione & pacto nobis uſque ad finem vitæ in Gratiâ perſeverantibus, ac benè operantibus competentis, tenetur ad rei taliter promiſſæ & conventæ executionem, quàm ex ſuæmet Ordinationis Divinæ inſuperabili efficaciâ, & Veritate infallibili: *juxta illud D. Thomæ 1. 2. q. 114. a. 2. ad 3. Quia actio noſtra non habet rationem Meriti, niſi ex præſuppoſitione Divinæ Ordinationis, non ſequitur, quòd Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi, in quantum eſt debitum, ut ſua Ordinatio impleatur.*

Probatio quinta, deprompta ex vivâ Fidelium Fide ad nos uſque derivatâ, & Patrum authoritatibus expreſſâ.

20. ETenim circà primum à Chriſto nato & paſſo ſæculum Sanctus Clemens Ro-

Romanus *Epiſt.* 4. ita ſcripſit: *Audiri à Deo merentur, ſi orationes ipſæ bonis moribus & bonis operibus adjuvantur.*

Sanctus Ignatius *in Epiſt. ad Rom.* ait: *Sinite, ut beſtiarum eſca ſim, per quam Deum poſſim promereri.* Divus Dionyſius Areopagita *Eccleſ. Hierarch. cap. 7. p. 3. Si autem ad ſummam illam non pervenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vitâ habuit, paria & iſta meritis præmia referet.*

Circà ſecundum ſæculum Iuſtinus Martyr *in Apol. 2. ad Antonin. Imperat. poſt medium: Qui, ſi dignos ſe operibus ipſis illius conſilio & voluntate præſtiterint, converſatione ſuâ dignatum iri ſcimus, cum illo ſimul regnaturos.* Sanctus Irenæus *lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 72. [illegible] arbitremur Coronam, quæ per agonem nobis acquiritur &c.* Sanctus Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromat. Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cùm juſta ſit diſpenſatio & œconomia.*

Circà tertium ſæculum Tertullianus *lib. 2. contrà Marcionem cap. 6. Quoniam & alias poſitum hominem ſub judicio Dei oportebat, juſtum illud efficere de arbitrij ſui meritis, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate.* Et *in Scorpiaco cap. 6. Quomodò multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate Meritorum?* Origenes *lib. 2. in Epiſt. ad Rom. p. 2. Nè putent, hoc ſibi ſolum ſufficere poſſe, quòd credunt; ſed ſciant, juſtum judicium Dei reddere unicuique ſecundùm opera ſua.* Sanctus Cyprianus *lib. de Unit. Eccleſ. Juſtitiâ opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum Iudicem, præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem.* Similia habet *lib. 3. Epiſt. 18. lib. 3. cap. 25. & Serm. de Opere & Eleemoſynâ,* ubi inter alia ſic ait: *Nuſquàm Dominus Meritis noſtris ad præmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione germinabit.*

Circà quartum ſæculum Sanctus Hilarius *can. 5. in Matth. Regnum Dei vitæ noſtræ ſtipendijs quæramus, & hæc rectè, perfecteque viventium merces eſt &c.* Similia habet *ibid. & cap. n. 28.* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 1. Si parum laboraveris, parum accipies, ſi verò multum operaberis, multa tibi merces manet.* Vide *Catech. 15.* Divus Baſilius *Serm. de Cultu Monaſt. Cuſtodientibus mandata ejus retributio multa, merces nimirùm illa copioſa eſt, & Corona Iuſtitiæ &c.* Vide *lib. de Spiritu ſancto cap. 14. & Hom. 12. quæ eſt Oratio, in init. Proverb.* ubi ait, nos tanquàm mercatores per opera mandatorum negotiari paſſiones cœleſtes. Sanctus Ambroſius *lib. 1. de Offic. cap. 15.* adducens exemplum de divite epulone & Lazaro, ait: *Poſt obitum verò utriuſque pauper erat in ſinu Abrahæ, requiem habens; dives in ſupplicijs: nonne evidens eſt, MERITORUM aut præmia, aut ſupplicia poſt mortem manere.* Videri etiam poteſt *lib. 10. Epiſt. 82. ad Vercellenſ. Eccleſ. Serm. 7. in Pſal. 118. circà Verſ. 49.* Sanctus Gregorius Nazianzenus *Orat. 40. in Sacrum Baptiſma: Crede reſurrectionem, Iudicium, Mercedem ad juſtam Dei lancem exigendam.*

Cir-

24. Circà quintum ſæculum Sanctus Chryſoſtomus *Hom. 4. de Lazaro*: *Si juſtus eſt* (Deus) *bis, & illis reddet pro Meritis, & hoc in confeſſo eſt &c.* Vide *Hom. 42. in Geneſim.* Sanctus Hieronymus *lib. 2. adversùs Jovinianum* ex profeſſo impugnat iſtam illius Hæreſiarchæ hæreſin, quòd *peccata ſint paria*, & etiam *Merita juſtorum paria*, ac inſuper *præmia in cælo æqualia.* Vide *præſertim cap. 15. ejuſd. lib.* Sanctus Auguſtinus paſſim clariſſimis verbis aſſerit Merita, quibus reſpondeat vita æterna tanquàm Præmium, Merces, & Corona Iuſtitiæ: ſpeciatim *lib. 3. contrà 2. Epiſt. Pelagianorum cap. 7. circà finem. Lib. de Grat. & libero Arbit. cap. 6. 7. & 9. Epiſt. 66. ad Valent. de libero Arbit. Epiſt. 105. Epiſt. 106. Tract. 67. in Ioan. Lib. de Natur. & Grat. cap. 2. Lib. 4. in Iulian. cap. 3. in Pſalm. 83. circà Verſum, Miſericordiam & Veritatem diligit Dominus. Serm. 17. de Verb. Dom. Serm. 16. de Verb. Apoſt. & alibi.* Quos textus hìc brevitatis causâ omiſſos ad extenſum exhibere paratus ſum, fortè unum, vel alterum in Refutationibus Vedroſianarum Argutiarum producturus.

25. Ex quibus ſanè ad oculum patet, Patres antiquos Orthodoxæ Eccleſiæ ſecundùm veram & Apoſtolicam Fidem agnoviſſe ſancta opera noſtra tanquàm Merita, quibus per modum Præmij, Mercedis, Stipendij, & Coronæ Iuſtitiæ reſpondeat vita æterna. At hæc ipſiſſima eſt natura Meritorum à Pontificijs aſſertorum. Ergo Merita, prout aſſeruntur à Pontificijs, ſunt agnita à Patribus antiquis Orthodoxæ Eccleſiæ ſecundùm veram & Apoſtolicam Fidem.

CAPUT IV.

Refelluntur Argutiæ Vedroſij, ac Pſeudoreformatorum.

26. AD *primam* Reſp. Sic argumentando, Meritum, teſte Vedroſio, *ſtrictè* ſumitur pro laboribus ex Condigno aliquid merentibus. At labores ſancti ſunt Condignè meritorij gloriæ cæleſtis, ſi illis, qui ſe operibus ſuis dignos illâ præſtiterint, detur tanquàm Corona Iuſtitiæ ſecundùm iudicium Dei juſtum ex juſtâ diſpenſatione, ad inſtar Mercedis & Stipendij ac Præmij ad juſtam Dei lancem exigendi. Ejuſmodi verò Meritum in ſanctis noſtris ex Gratiâ Dei factis & exantlatis laboribus, agnoſcunt unanimiter Patres *præced. cap. 3. prob. 5.* adducti. Quibus apertis quoquè verbis adſtipulatur Symbolum B. Damaſi, dum ait: *Nos conſecuturos Præmium boni Meriti.* In aperto igitur eſt, Vedroſium contrà manifeſtam Veritatem pugnare, aſſerendo, nomen Meriti *ſtrictè* loquendo, Veteribus non fuiſſe in uſu. Quinimò ipſa ſacra Scriptura clarè meminit Coronæ

Iuſti-

Iuſtitiæ, Mercedis &c. bonis noſtris operibus in Gratiâ Dei factis, ex conventione Dei ſecundùm juſtam retributionem conferendæ, *ut conſtat ex præced. cap. Prob. 1. 2. 3. & 4.* Falſum proinde eſt, quòd Meritum in re ipsâ ſpectatum ſit ignotum ſacræ Scripturæ.

Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Iuſtitiæ debitum *eſſentialiter* fundatur ſuper Condignitate operis. At præmium, quod homo ſanctus conſectatur pro opere bono in Gratiâ Dei facto, vi promiſſionis & pacti Divini confertur ex Iuſtitiæ debito, uti non tantùm ſacra Scriptura *cit. cap. 3.* fuſè deducta, ſed Patres etiam *ibid. Prob. 5.* claris verbis conteſtantur, aſſeritquè ſanctus Bernardus à Vedroſio citatus: *Promiſſum*, inquiens, *quidem ex Miſericordiâ, ſed ex Iuſtitiâ perſolvendum eſt. Eſt ergo, quam Paulus expectat, Corona juſtitiæ; ſed juſtitiæ Dei, non ſuæ, juſtum quippe eſt, ut reddat, quod debet. Debet autem, quod pollicitus eſt.* Ergo pactum Dei, vi cujus benè & in ſtatu Gratiæ operantibus promiſſa eſt vita æterna tanquam Præmium, reſpicit Condignitatem operis, non quidem ex noſtris viribus, ſed ex auxilio Dei, voluntatem noſtram applicantis, provenientem, uti explicat S. Bernardus *citatus: Itaquè,* inquiens, *voluntas in auxilium, auxilium reputatur in Meritum.* Unde fallaciter procedit Vedroſius, Divum Bernardum aſſerentem, Merita noſtra non eſſe *Cauſam regnandi,* eo ſenſu adducens, quaſi excluſiſſet Merita *ſtrictè* ſumpta. Nam hic Doctor mellifluus ſolùm intendit, quòd Merita in nobis non ſint cauſa regnandi, quatenùs partim ſunt ex viribus noſtris, ſed quatenùs partim ſunt ex auxilio Dei, ſupponuntquè juſtificationem Divinitùs donatam, partim ſuam ad Deum ex Iuſtitiâ obligandum efficaciam accipiunt ex promiſſione Dei, ita ut vi iſtius id, quod ex Miſericordiâ eſt promiſſum, ſit ex Iuſtitiâ perſolvendum. *Ex contextu præſtati ſancti Doctoris.*

Ad *tertiam* Reſp. Nomen Meriti *ſtrictè* ſumptum, quatenùs reſpicit Præmium, ſeu Mercedem, atquè Iuſtitiæ Coronam, reijci à Patribus, eſt Vedroſij commentum, apertis eorundem Patrum ſententijs *præced. cap. Prob. 5. allegatis* refutatum. Nequè juvant illum Miniſtrum, quæ ex Thomâ VValdenſi Pontificio Theologo, & Divo Baſilio adducit. Aliud enim eſt, *An Meritum ex nobis ſubſiſtere poſſit,* aliud verò eſt, *An non tantùm ſubſtantia Meriti in nobis ſit ex Gratiâ Actuali, imò ſit Formaliter donum Dei ex Divina Gratiæ largitate, nobis tamen liberè cooperantibus, deſcendens, ſed ejus ad Deum ex juſtitiâ obligandum vis ſit ex tali Dei pacto, ut iſtud ſit Miſericordia & Gratia, quanquàm eo ſuppoſito, ex Iuſtitiâ jam debeatur, quod miſericorditer erat promiſſum.* At Pontificij & Patres hactenus excludunt prius, ut in Meritis noſtris etiam ex Gratiâ factis, & ex Divinæ Prædeſtinationis largitate ac efficaciâ donatis non niſi depen-

denter à pacto Dei agnoſcant vim, ad Deum ex Iuſtitiâ obligandum. Ad quod proinde inſinuandum Thomas VValdenſis notanter dixit, quòd nemo, niſi ex Gratiâ & voluntate legislatoris *ſimpliciter* mereatur regnum cælorum. Eiuſmodi verò Gratiâ ac Dei pacto ſuppoſito, Divus Baſilius *ſuprà n. 23. citatus*, apertè fatetur, gloriam cæleſtem operibus noſtris reſpondere tanquàm Mercedem & Coronam Iuſtitiæ. Oportet igitur Vedroſi, ut ſynceriori deinceps oculo Patres ac Pontificios Doctores legas.

30\. Ad *quartam* Reſp. Verum quidem eſſe, quòd nomen Meriti *Generaliter* ſumptum importet rei alicujus conſecutionem. Nihilominùs quatenùs eſt Correlativum cum Præmio tanquàm Mercede & Coronâ Iuſtitiæ, debet ex ipsâ rei naturâ talem Præmij conſecutionem ſignificare, ut iſta procedat ex operis condignitate ceu juſtum pretium. At vitam æternam meritis noſtris non quidem ſuprà proprias vires noſtras, ſed ſuprà Gratiam Dei, ejuſquè miſericordem promiſſionem & pactum fundatis reſpondere tanquàm Mercedem & Coronam Iuſtitiæ à Deo tanquàm juſto Iudice reddendam, ex ſacris Litteris apertè probant ſancti Patres *ſuprà adducti*. Falſum igitur eſt, Meritum quà Mercedis & Coronæ Iuſtitiæ Correlativum ſignificare nudam ac liberalem, non verò ex Iuſtitiâ Deum in vi pacti ex reſpectu Chriſti meritorum gratis nobiſcum initi obligante debitam vitæ æternæ conſecutionem.

31\. Ad *quintam* Reſp. Illa ipſa Veritas, quæ per ſacrum Chriſti Domini Os *Lucæ 17.* dicit: *Si feceritis omnia &c. dicite, quia ſervi inutiles ſumus &c.* per os Apoſtoli *2. Timoth. 2. v. 21.* dixit: *Si quis ergo ſe emundaverit ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus paratum. Et ibid. cap. 4. Repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi juſtus iudex.* Quomodò igitur iſta cohærent? Sanè optimè, modò in priori ſacro textu ad Virtutis Humilitatis motivum eliciendum, reſpiciamus ad inſufficientiam virium noſtrarum; in poſterioribus autem ſacris textibus ad nos in ſpem erigendos, intendamus oculos in Gratiam Dei, ac Divinam ex miſericordiâ promiſſionem ſeu pactum. Quod [illegible] expreſſit [illegible] Auguſtinus *lib. de Grat. & libero arbit. cap. 8.* ita diſſerens. *Et [illegible] parva quæſtio, quæ Domino donante ſolvenda eſt: ſi enim vita æterna [illegible] redditur, ſicut apertiſſimè dicit Scriptura &c. quomodò Gratia eſt vita [illegible]. Iſta ergo quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolvi, niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita* (conformiter ſacris Litteris [illegible]) *ad Dei Gratiam*

32\. *am pertinere &c.* En igitur ſecundùm Humilitatis virtutem [illegible] Veritate dicere nos ſervos inutiles, ſi reſpiciamus ad inſufficientiam virium noſtrarum, quibus impotentes ſumus à Deo promereri vitam æternam: eadem

ſancto Doctore *in Epiſt. 105. ad Sixtum, paulò poſt initium*, idipſum conteſtante verbis ſequentibus. *Unde & ipſa vita æterna &c. MERITIS PRAECEDENTIBVS REDDITVR: tamen quia eadem Merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta ſunt per gratiam, etiam ipſa Gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur, nec ideò, quia Meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa MERITa, quibus datur.* Nihilominùs ſi oculos iam reflectamus ad gratiam, vera extare Merita, quibus de condigno vita æterna reſpondeat tanquàm Corona & ſtipendium Iuſtitiæ, vi pacti ac promiſſionis Divinæ debitum, audi eundem S. Auguſtinum *cit. Epiſt. 105.* taliter diſſerentem: *Cui debetur vita æterna, VERA IVSTITIA EST. Si vera Iuſtitia eſt, ex te non eſt, de ſursùm eſt deſcendens à Patre luminum, ut haberes, eam profectò accepiſti; quid enim habes, quod non accepiſti? Quapropter ô homo, ſi accepturus es vitam æternam, Iuſtitia quidem ſtipendium eſt, ſed tibi Gratia eſt & ipſa Iuſtitia &c.* Et *lib. de Moribus Eccleſiæ cap.* 25. ad Meritorum cum præmio vitæ æternæ condignitatem oſtendendam, ſic ait: *Vita æterna ſolum eſt præmium, cujus promiſſione gaudemus, nec Præmium poteſt præcedere MERITVM, & priùs dari homini, quàm DIGNVS eſt, quid enim hoc iniuſtius & quid iuſtius Deo?* Inſuper *Lib. de Nat. & Grat. cap. 2.* ut Dei Iuſtitiam in vitæ æternæ Mercede retribuendâ oſtendat, ita habet. *Non eſt iniuſtus Deus, qui iuſtos fraudet Mercede Iuſtitiæ.* Item *lib. 4. in Julian. cap. 3. Deus namquè ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad ejus regnum non admittatur juſtus.* Denique ut iſtud Iuſtitiæ in reddendâ Mercede debitum declaret, *in Pſal. 83. circà Vers. Miſericordiam & Veritatem diligit Deus*, diſſerit in hæc verba: *Ecce videmus, quia tenet eum Paulus debitorem.* Et iterum: *Dominus debitorem ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo, non ei dicitur, redde, quod accepiſti, ſed redde, quod promiſiſti.* Conſtat proinde, nos attendendo ad vires proprias, ita cum debitâ erga Deum ſubiectione ac humilitate debere nos profiteri ſervos inutiles, ut tamen nos erigendo ad Dei Gratiam, meritorumquè noſtrorum ex ipsâ prodeuntem condignitatem, divinamquè huic innixam promiſſionem, Iuſtitiæquè inde reſultans debitum, eatenùs dicere poſſimus ad Deum, *Fecimus, quod juſſiſti*, ut dicere etiam nobis liceat: *Redde, quod promiſiſti*, uti eleganter expreſſit præcitatus S. Eccleſiæ Doctor *Serm. 16. de Verb. Apoſt. in initio. Illo ergo modo*, inquiens, *poſſumus exigere Dominum noſtrum, ut dicamus, redde, quod promiſiſti, quia fecimus, quod juſſiſti &c. Nemo ergo dicat, ideò me vocavit Deus, quia colui Deum. Quomodò coluiſſes, ſi vocatus non fuiſſes?*

33.

34.

Ad *ſextam* Reſp. Ineptam eſſe hujus Argutiæ conſequentiam, per quam ex eo, quòd regnum cœlorum ſit Filiorum Dei hæreditas, nititur inferre, opera noſtra non eſſe cauſam Meritoriam ſalutis noſtræ. Nunquid 35.

Chriſto Domino ex eo, quòd eſſet Filius Dei Naturalis & Conſubſtantialis, erat *connaturaliter* debita gloria etiam corporis, ejuſque nominis ſuper omne nomen exaltatio? At iſto minimè obſtante, ejus humiliatio & uſque ad mortem Obedientia erat cauſa Meritoria gloriæ corporis, & exaltationis nominis ipſius: Divo Paulo *ad Philipp. 2. v. 8.* id taliter atteſtante: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem &c. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quia igitur id, quod ratione Filiationis Divinæ naturalis debitum erat, potuit adhuc cadere ſub Meritum, cur non & vita cœleſtis, licèt titulo hæreditatis ex Filiatione Dei adoptivâ provenientis juſtis ſit debita, non tantùm *ſecundùm ſubſtantiam*, ſed *intenſioris luminis gloriæ &c. augmentum* ſpectata, poſſet cadere ſub Merito bonorum operum in ſtatu Gratiæ factorum?

36. Ad *ſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Denarius, qui ex conventione ſeu pacto tanquàm juſtum datur pro opere, habet rationem Mercedis. At illa per Calvinum *ex Matth. 20. cap.* allegata parabola expreſsè dicit, denarium ex conventione Patrisfamilias promiſſum & datum eſſe operarijs, tanquàm juſtum, ſcilicet pretium laboris. Ex illâ igitur parabolâ contrà Calvinum apertè infertur, illum denarium datum eſſe tanquàm Mercedem operis.

37. Nec obſtat, quòd omnibus fuerit æqualiter datus unus denarius. Oportet enim, gloriam cœleſtem conſiderare tum *ſecundùm ſubſtantiam*, tum *ſecundùm intenſionis ac perfectionis individualis, accidentariaquè gloriæ gradus.* Et in priori quidem æqualitas, in poſteriori autem ita ſervatur inæqualitas, ut utrumque tamen detur ſecundùm Merita, Divo Auguſtino *Tract. 67. in Ioan.* ſic atteſtante: *Etſi alius eſt alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio juſtior, in domo Patris mei (ait Chriſtus) manſiones multæ ſunt, nullus eorum alienabitur ab eâ domo, ubi manſionem pro ſuo quiſque accepturus eſt MERITO: Denarius quidem ille æqualis eſt omnibus, quem Paterfamilias eis, qui operati ſunt in Vineâ, jubet dari omnibus, non in eo diſcernens, qui minùs, & qui ampliùs laborârunt, quo ubique denario vita ſignificatur æterna, ubi ampliùs alio nemo vivit, quoniam vivendi non eſt diverſa in æternitate menſura, ſed multæ manſiones diverſas MERITORUM in vitâ æternâ ſignificant dignitates.* En igitur, ex diverſimodæ ad unam gloriam vocationis varietate non tantùm non everti, ſed firmari Merita noſtra.

38. Ad *octavam* Reſp. Pro rato & accepto haberi, quòd Calvinus ſibimet contradicendo, nolens volens fateri debeat tum ex ſacris Litteris, Deum juſtum Iudicem redditurum gloriam cœleſtem tanquàm Coronam Iuſtitiæ; tum ex S. Auguſtino, Deum non fore redditurum Coronam tanquàm juſtum Iudicem, niſi donâſſet Gratiam ceu miſericors Pater; imò non fore Iuſtitiam, nec debitum redditum iri in retributione gloriæ, nî Gratia impium

pium juſtificans priùs indebitè data fuiſſet. Quid ergo clarius dici poſſet ad evertendam Calvini hæreſin? Verùm quòd iſte Pſeudoreformator addere conetur, Iuſtitiam non imputatum iri in noſtris operibus, niſi, quod injuſtitiæ in illis eſt, indulgentia abſconderet: ex hoc dignoſcitur, ſanam Divi Auguſtini doctrinam inficere illo toxico, quod *lib. 3. Inſtit. cap. 12. §. 4. cap. 14. §. 9. & 11. Item cap. 15. §. 3.* propinavit, aſſerendo, omnia opera hominum ex ſuâ dignitate eſſe coràm Dei conſpectu peccata mortalia. Quam tamen 39.
hæreſin apertè reprobat ſacra Scriptura. Etenim *Iob. 1. v. 22.* ita dicitur: *In omnibus his non peccavit Iob, neque ſtultum aliquid contrà Deum locutus eſt.* Et Propheta David *Pſal. 7. v. 9.* oravit: *Judica me Domine ſecundùm Juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam.* Alibi inſuper, nempe *Pſal. 16. v. 1. 2. & 15. Pſal. 17. v. 21. 23. & 24. Pſal. 25. v. 1. 9. & 12. Pſal. 118. v. 121.* meminit Iuſtitiæ, ac Iudicij, puritatis & innocentiæ ſuæ, petitquè ſecundùm eam judicari, ſibiquè fieri retributionem. Cui ipſe Deus teſtimonium fecit *3. Reg. cap. 14. v. 8. Non feciſti*, inquiens, *ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt in toto corde ſuo, faciens, quod placitum eſſet in conſpectu meo.* Chriſtus etiam Dominus *Matth. 5. v. 16.* ait: *Sic luceat lux veſtra &c. ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Apoſtolus porrò Paulus *ad Ephes. 2. v. 10.* inquit: *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Et *2. Petri 1. v. 10.* dicitur: *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Ex quibus adeò licet hunc in modum argumentari. Non aliter judicare poteſt 41.
Scriptura, quàm Dei conſpectus. At ſacra Scriptura pronunciavit, Iobum in verbis ibi numeratis non peccâſſe: Spiritus etiam ſanctus per os David pronunciavit, ejus pleraque opera, judicium & juſtitiam, ac innocentiæ puritatem præſetuliſſe, atque adeò placita fuiſſe in conſpectu Dei. Unde & Chriſtus Dominus meminit bonorum operum, quæ præparârit Deus, & quibus vocationem noſtram certam faciamus, atque ea faciendo non peccemus. In aperto igitur eſt, Calvinum non niſi blaſphemiam & hæreſin ſacris Litteris clarè adverſantem ſpirâſſe, aſſerendo, omnia opera noſtra in conſpectu ſeu tribunali Dei eſſe peccata mortalia.

Ad nonam Reſp. Ex S. Auguſtino *lib. de Grat. & libero arbit. cap. 9.* ita diſſerente: *Cùm poſſet* (Apoſtolus ſcilicet) *dicere ſtipendium autem Iuſtitiæ vita æterna, maluit dicere: Gratia vita æterna, ut hinc intelligeremus, non meritis noſtris Deum nos ad vitam æternam, ſed pro ſuâ miſeratione perducere, de quo in Pſalmo dicit homo animæ ſuæ, qui coronat te in miſeratione & miſericordiâ: nunquid non Corona bonis operibus redditur? Sed quia ipſa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum eſt: Deus eſt enim, qui operatur in vobis & Velle, & Operari pro bonâ voluntate: adeò dicit Pſalmus: Coro-* 42.

nat te in miſeratione & miſericordiâ, quia ejus miſeratione bona operamur, quibus Corona redditur. Non enim quia dixit; Deus eſt, qui operatur & Velle &c. ideò liberum arbitrium abſtuliſſe, putandus eſt &c. En igitur Calvine, vitam æternam eatenùs eſſe Gratiam & Coronam Miſericordiæ, ut ſimul ſit Corona ac Stipendium Iuſtitiæ, Corona quidem Miſericordiæ *Radicaliter* in operibus bonis, quibus redditur: Corona verò Iuſtitiæ *Formaliter* in ſe ipsâ, quatenùs per modum Stipendij juſti retribuitur ſanctis operibus voluntatis noſtræ per Gratiam quidem Divinam præventæ, & liberè operantis.

COROLLARIUM.

43. EX dictis infertur. Vedroſium *cap. 2. adductum*, conari quidem ſuis argutijs eludere argumenta Georgij *cap. 1. deducta*, ſed fruſtrà ſanè, & taliter, ut ſibimet & Patribus Orthodoxis, & ſacræ Scripturæ apertè contradicat: uti hæc omnia ad oculum patebunt ea expendenti. Unde ſic licet argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui non tantùm Merita non ex viribus noſtris, ſed ex Gratiæ Divinæ largitate nobis donata, ita conatur è medio tollere, ut ſub prætextu, quaſi omnia opera noſtra eſſent de ſe mala, nitatur è cordibus fidelium extirpare omnimodam ſanctorum operum curam, vitæquè adeò puritatem. At reverâ ſpiritus hodiernæ Reformationis in hoc apprimè nititur, ut contrà apertos ſacros Textus, Patrumquè authoritates omnibus primævæ ac Orthodoxæ Eccleſiæ temporibus in unum ſanè conſpirantes, negando Merita ex Gratiæ Divinæ largitate licèt deſcendentia, ſubſtituat blaſphemam illam vocem, quaſi omnia opera noſtra eſſent coràm Dei conſpectu mala & peccata, unde non poteſt non extingui ad vitæ puritatem, & bonorum operum exercitium pius ac religioſus fervor: *Uti hæc omnia conſtant ex cap. 3. & 4.* Viderit ergo ſpiritus hodiernæ Reformationis, quomodò poſſit eſſe Divinus?

DIS-

DISSERTATIO XII.

De Libero Arbitrio, Poſſibilitate adimplendi legem Divinam, & Concupiſcentiâ.

SECTIO I.

De Libero Arbitrio.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc Author *ſua Facis Rat. 3. Doc. 21.* ad probandum liberum voluntatis noſtræ arbitrium inducit Sanctum Auguſtinum *cap. 21. de Eccleſ. Dogmat. Et cap. 34. de Spiritu & Litterâ* ita diſſerentem: *Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus ejus Miſericordia prævenit nos. Conſentire autem Vocationi Dei, vel ab eâ diſſentire, ut dixi, propria Voluntatis eſt.* Inducit eundem ſanctum Doctorem *lib. 2. cap. 3. & 4. cum Felice Manichæo.* In quorum priori loco ſic ait: *Eſſe autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque, ſi velit: non peccare, ſi nolit, tibi probo.* 1.

Inducit denique Calvinum *Inſtit. lib. 2. cap. 2. Sect. 4.* ita ſcribentem. *Quaſi integer adhuc ſtaret homo, ſemper apud Latinos, & arrogantiùs etiam apud Græcos LIBERI ARBITRII nomen extitit &c. Videtur tamen Origines id, de quo paſſim inter eos* (Veteres nimirum) *conveniebat, poſuiſſe, quum dixit: facultatem eſſe rationis ad bonum, malumquè diſcernendum: voluntatis ad utrumvis eligendum. Nec ab eo variat Auguſtinus.* 2.

Ex quibus tandem Georgius ita concludit; Doctrinam de libero arbitrio à Veteri Eccleſiâ aſſertam, hodiequè teneri ab Eccleſiâ Romanâ. At contrà liberum arbitrium nititur Reformatio hodierna. Hæc igitur, non illa diſcrepat hoc etiam in puncto à Veteris Eccleſiæ Doctrinâ. 3.

***

CA-

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

4. ISte Miniſter *ſua Antiquit. Sect. 4. in Exam. Rat. 3. Docum. 21* arguit L'Georgium in probando libero arbitrio, petere primam probationem ex Auguſtini *lib. de Eccleſ. dogmat. cap.* 21. Quem librum non Auguſtini, ſed Criticorum judicio Gennadij eſſe, & Semipelagianorum exponere ſententiam, qui cum diſcipulis ſuis hodiernis admittebant gratiam prævenientem, quæ ex ſe efficax non eſſet, niſi ab eventu, quæque nil, niſi nuda ſuaſio moralis ſit, vel invitatio &c. quâ poſitâ voluntas poſſit velle, vel nolle, adniti vel reniti, converti, & non converti, quæ homini obnoxiũ faciat Deum, cujus munus ſit, homini inſpirationibus & ſuaſionibus ita miniſtrare, ut earum tota efficacia incerta & lubrica pendeat ab ipſo homine, ut hac ratione homo eligat Deum, non Deus hominem, homo ſit ſuæ ſalutis figulus, Deus lutum.

5. Arguit 2. Multum humani Veteres in hac quæſtione paſſos fuiſſe. Ne Philoſophorum, quibuſcum certamen habebant, cachinnos excuterent, nec carni, ſuâ ſponte nimis ad bonum torpenti, novam deſidiæ occaſionem præberent, aut quicquam communi hominum judicio abſurdum traderent, ſtudium illis fuiſſe, ut ſcriptã doctrinam cum Philoſophiæ Dogmatibus dimidiâ ex parte conciliarent. Hinc ita variâſſe, aut vacillâſſe, aut perplexè locutos fuiſſe, ut certi ferè nihil ex ſcriptis eorum referre liceat, ſi Auguſtinus excipiatur, qui cum Pelagio fuerit commiſſus.

6. Arguit 3. Auguſtinum à Calvino non vapulare, dicente eum ab Origene non variare, cùm *liberum arbitrium* definiat *Facultatem rationis & voluntatis, quâ bonum eligitur, gratiâ aſſiſtente, malum, eâ deſiſtente.* Gratiæ enim vocem non ſumi ſenſu Pelagiano, pro *Moraliter* tantùm ſuadente, ſed Apoſtolico, pro virtute *phyſicè* operante, cujus reſpectu homo ſe merè paſſivè habeat: uti loquatur Andreas Vega, homo Pontificius *lib. 6. in Concil. Trident. cap. 8.*

7. Arguit 4. Ad hoc, quòd liberum arbitrium ſe habeat ad Gratiam merè paſſivè, facere Auguſtinum *Epiſt.* 107. ad Vitalem ita ſcribentem Gratia voluntatem bonam cu uſque in corde non invenit, ſed facit, ſi facit, tum ex ſe efficax eſt, non per hominis voluntatem. Gratia non exſpectare debet liberum arbitrium, & ab eo efficaciam accipere, ut vivificetur, & aſſentire, velle, eligere, agere bona poſſit.

Arguit

Arguit 5. *Rom. 9. v. 16.* ſic dici : *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Huic contradicere Pelagij propaginem, aſſerendo : *Non eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis hominis.* Nil Dei miſeratio valet, nî homo velit prior. 8.

Arguit 6. Veriſſimam, uti aſſerat Ianſenius Yprenſis, eſſe doctrinam Auguſtini, quem in hac materiâ ducem, & Gentium præceptorem vocitet, quâ conſtantiſſimè ſemper docuerit, voluntatem, quæ libera in malis eſt, non eſſe liberam in bonis, cùm liberata non ſit. 9.

Arguit 6. Quæ Georgius ex Auguſtini *lib. de Spiritu & Litterâ*: Item *ex Actis cum Felice lib. 2. cap. 3. 4.* afferat, non niſi lubentiam dicere, & in agendo ſpontaneitatem, in quâ Reformatos potiſſimùm conſtituere liberi arbitrij formale. Quidquid enim homo vult, ſponte agere, etſi contrarium non poſſit velle. Secùs vel puerilis contradictionis in eodem commate, vel craſſi Pelagianiſmi, quo operari Dei per voluntatem humanam inane reddi poſſit, reum, quod abſit, agendum eſſe. 10.

Arguit 8. Prætactus Miniſter *Sect. 6. in Exam. Exempli 18.* ſe Reformatos cum ſacrâ Scripturâ docere, hominem habuiſſe, in ſtatu nimirum Innocentiæ, liberum arbitrium ad utrumlibet, ad bonum habitualiter, ad malum potentialiter. Cùm autem libero arbitrio malè uſus ſit, & peccârit, victore peccato in ſtatu miſeriæ, amiſſum eſſe liberum arbitrium reſpectu objecti verè boni ſeu ſpiritualis; reſpectu autem objecti apparenter talis, id eſt, verè mali, vivere, ac vigere nimiùm, ita ut *homo ſervus ſit peccati. Rom. 6. v. 2. Venditus, ut ſubſit peccato. Rom. 7. v. 14. Naturâ filius iræ. Epheſ. 2. v. 13. Conceptus in peccato. Pſal. 51. v. 7. Talis, qui ſe peccato haud aliter ingurgitet, quàm piſcis aquâ. Iob. 15. V. 16. Cujus cor lapideum. Ezech. 36. v. 26. Et ſuper omnia perverſum. Ierem. 17. v. 9.* Qui Deo adverſus, & ejus legi ita repugnans, ut ei nè quidem ſe ſubmittere poſſit. *Rom. 8. v. 7.* In peccatis & offenſis mortuus. *Col. 2. v. 13.* 11.

Arguit 9. Hinc converſionem hominis *Novam* dici *creationem. Gal. 6. v. 15. Regenerationem. Ioh. 33. Vivificationem & reſuſcitationem. Epheſ. 2. v. 6.* Quo reſpectu homines dici Dei *Facturam, conditos in Chriſto Ieſu ad opera bona. Epheſ. 2. v. 10.* Et Deum dici, eum eſſe, *qui in nobis incipiat bonum opus, & perficiat. Phil. 2. v. 12.* idque non molliter ſuadendo, & alliciendo duntaxat, ſed, ut Paulus loquatur, *ſecundùm ſupereminentem magnitudinem potentiæ, roboris, & virium ipſius. Eph. 1. v. 19.* ita ut initium converſionis in ſolidum dependeat à Gratiâ Dei: in progreſſu autem voluntas humana ſub regimine Spiritûs Dei, qui ſemper primas & potiſſimas teneat, mota & acta efficaciter, ipſa quoquè agat & moveat nos ad bonum proſequendum, & malum fugiendum, 12.

donec

donec tandem depoſitâ mortalitate, libertas glorioſa filiorum Dei in cœlis ſuccedat.

13. Arguit 10. In ſtatu reparationis confici quidem ſalutem noſtram, ſed Deo efficiente *in nobis & ipſum velle, & ipſum operari. Phil. 2. v. 12.* ita *ut ipſe reverentiam ſui indat animis noſtris*, ut non recedamus ab eo, *Ierem. 32. v. 40. Ut, qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Corinth. 1. v. 31.* Cujus Spiritu nos agi, ut nos filios Dei eſſe monſtremus. *Rom, 8. v. 13.*

14. Arguit 11. Calculum adijcere Auguſtinum, dicendo, quòd liberum arbitrium captivum non niſi ad peccandum valeat *lib. 3. contra Epiſt. Pelag. c. 8.* Item quòd voluntas captiva non poſſit niſi Gratiâ Dei reſpirare ad ſalubrem libertatem. Ibidem *lib. 4. cap. 3. Et. lib. de Grat. & Libero Arbitrio*, quòd *liberum arbitrium & ad bonum, & ad malum confitendum eſt, nos habere, ſed in malè faciendo liber eſt quiſque Iuſtitiæ, ſervuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos liberaverit Filius, verè liberati eritis. Nec ita, ut, cùm quiſque fuerit à damnatione liberatus, jam non indigeat liberatoris ſui auxilio, ſed ita potiùs, ut ab illo audiens: Sine me nihil poteſtis facere, dicat ei ipſe: Adjutor meus eſto, nè derelinquas me.*

15. Arguit 12. Nervosè cumprimis & breviter omnia complecti Auguſtinum *de Grat. & lib. Arbit. c. 17.* ſic diſſerendo: *Deus, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Ieſu Chriſti. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; quum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur, tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

16. Arguit 13. Non minùs piè Caſſiodorum Abbatem Ravennatem *in Pſal. 117.* ſic diſſerere: *Eſt quidem in malâ parte execrabilis libertas, libertas arbitrij, ut prævaricator prævaricatorem deſerat, & ad vitia ſe nefanda convertat. In bonâ verò parte arbitrium liberum, Adamo peccante, perdidimus, ad quod niſi per Gratiam Chriſti redire non poſſumus, dicente Apoſtolo: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate.*

17. Arguit 14. Quòd Georgius *pag. 163.* exiſtimârit, neceſſitatem, quæ dependentiam creaturæ dicat à Creatore, quæque certitudinem eventûs ſignificet (eam enim neceſſitatem, quæ vel abſoluta ſit, violenta, aut naturalis, hujus loci non eſſe) cum arbitrij libertate conſiſtere non poſſe, ſupinam prodidiſſe ignorantiam. Etenim neceſſitatem illam, quam dependentiæ, infallibilitatis, & certi eventûs vocent, nil aliud velle, niſi quòd Auguſtinus *lib. 7. de Civit. Dei cap. 30.* ait: *Sic Deum adminiſtrare omnia, quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere ſinat & agere motus:* id eſt, ut cauſas ſecun-

cundas ab agendo non impediat, nequè proprium & naturalem agendi modum earum tollat, ſed magis in eis ſecundum earum naturas, quas eis in creatione tribuit, operetur, in liberis liberè, in contingentibus contingenter, in neceſſarijs neceſſariò &c. Hunc in ſenſum dicere Auguſtinum *lib. 3. de libero arbit. cap. 3. Ecce jam non nego, ita neceſſe eſſe fieri, quæcunque præſcivit Deus, & ita eum noſtra peccata præſcire, ut maneat tamen nobis voluntas libera, & in noſtrâ poſita poteſtate.*

Arguit 15. Sanè ut liberè peccetur, non requiri libertatem indifferentiæ, qualis fuerit in Adamo, ſed ſufficere libertatem ſpontaneitatis, juxtà quam etiam, qui ſervi ſunt peccati, nec aliter poſſunt, quàm malè agere, libentiſſimè & ultrò faciunt, quæ mala ſunt. 18.

Arguit 16. Eſto, difficile ſit aſſequi, quâ ratione ſtante immutabilitate Conſilij Dei, integra & ſalva maneat libertas voluntatis humanæ, expedire hoc tamen Auguſtinum *de Dono Perſev. cap. 14. Nunquid ideò negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? Nunquid propterea dicturi ſumus, quod ita perſpicimus, non ita eſſe, quoniam, cur ita ſit, non poſſumus invenire?* In eandem ſententiam loqui Cajetanum in Thomam *1. p. q. 22. a. 4.* & Caſpar. Rom. *Relect. 4.* Legi ſuper hac controverſiâ poſſe doctiſſimam Diſſertationem Clariſſimi Doctoris Heideggeri de Gratiâ prædeterminante. 19.

CAPUT III.

Oſtenditur, Arbitrium voluntatis noſtræ eſſe in agendo liberum à neceſſitate, atque adeò importare vim inter oppoſita Electivam.

Probatio prima, ex ſacris Litteris petita.

ETenim Apoſtolus Paulus *1. ad Corinth. cap. 7.* voluntatis noſtræ libertatem deſcribit hiſce verbis: *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* At per iſta verba clarè adſtruitur poteſtas neceſſitatis excluſiva, cum vi alterutrius oppoſitorum electivâ. Unde *Eccleſiaſtici 15.* libertas ſic deſcribitur: *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, adjecit mandata & præcepta; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus adeò verbis Spiritus Sanctus apertè explicat, quid ſit, eſſe in manu conſilij, ſive liberi arbitrij, nempè poſſe, ſi velit ſervare, &, ſi non velit, non ſerva- 20.

re legem, habereque vim inter oppoſita electivam. Planum igitur eſt, doctrinam Pontificiorum libertatem arbitrij in vi oppoſitorum electivâ conſtituentium, eſſe clarè fundatam in ſacris Litteris.

Probatio ſecunda, per rationem ex prætactis, & alijs ſacris textibus deducta.

21. NEque enim juvat adverſarios, ſi quiſpiam illorum contendat, prææallegata Eccleſiaſtici verba procedere de ſtatu Innocentiæ. Nam illo ſacro textu natura liberi arbitrij deſcribitur ex vi oppoſitorum Electivâ, & neceſſitatis in volendo ad unum determinatæ excluſivâ. Unde in quocunque ſtatu ſubſiſtit liberum arbitrium, oportet, vim taliter Electivam, neceſſitatiſque excluſivam omninò ſubſiſtere. At in ſtatu naturæ lapſæ etiamnum ſubſiſtere liberum arbitrium, apertè teſtantur ſacræ Litteræ. *Numeri 30. In arbitrio viri erit, ſive faciat, ſive non faciat.* Oportet proinde, iſtam faciendi & non faciendi indifferentiam, atque adeo vim inter oppoſita electivam etiamnum ſtare in ſtatu Naturæ lapſæ, uti manifeſtè exprimitur *Joſue 24. Optio vobis datur, eligite hodie, quod vobis placet.* Item *2. Reg. 24. Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex illis.* Et *3. Reg. 3. Poſtula, quod vis, ut dem tibi.* Item *Dan. 3. Anguſtia mihi ſunt undique, & quid eligam, ignoro.*

Probatio tertia, ex diverſis Arbitrij liberi functionibus deſumpta.

22. NAm liberum Arbitrium conſiderari 1. poteſt in ordine ad peccatum. Ut ſic autem de libero arbitrio procedit illud *Eccleſiaſtici 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* At hiſce diſertis verbis eatenus adſtruitur poteſtas tranſgrediendi, ſeu peccandi, ut tamen non ſit tranſgreſſus, habueritque adeò poteſtatem tranſgrediendi, & non tranſgrediendi, & conſequenter indifferentiam inter contradictoria electivam.

23. 2. Arbitrium noſtrum liberum ſpectari poteſt in ordine ad opus Moraliter bonum ordinis naturalis. Atqui in ordine ad tale etiam opus eſſe neceſſariam Gratiam ſaltem generalem, id eſt, adjutorium Dei gratuitum, dans velle & operari, Sanctus Auguſtinus *contrà Pelagium lib. 1. de Grat. Chriſti* probat ex Apoſtolo *Phil. 2.* taliter diſſerens: *Et ut ſcirent, quia non tantùm in eo, quòd operari poſſint (hoc enim in naturâ & doctrinâ jam acceperant) ſed etiam in eo, quòd operantur, Divinitùs adjuvantur. Non ait, Deus, QUI OPERATUR IN VOBIS POSSE, tanquàm ipſi jam velle & operari per ſe ipſos habeant, nec in his duobus adjutorio ejus indigeant. Sed ait: DEUS EST, QUI OPERATUR IN VOBIS ET VELLE ET OPERARI, vel ſicut in alijs, & maximè Græcis Codicibus legitur, & VELLE OPERARI.* Hoc verò Dei adjutorium, quo ipſum etiam operari datur,

eate-

Digitized by Google

eatenus ſubſiſtit cum liberâ ad non operandum facultate, ut propterea Sanctus Irenæus *lib. 4. cap. 71.* indefinitè de omnibus *Moraliter benè* operantibus dixerit: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cùm poſſent non operari illud.*

3. Arbitrium noſtrum liberum conſiderari poteſt in ordine ad actus 24
ſupernaturales, quibus ſalus æterna, ſeu bona hominis in Deo ſtabiliuntur, gloriaquè cœleſtis confertur, juxtà *Eccleſiaſtici cap. 31. inferiùs allegandum.* Reſpectu autem actûs ejuſmodi ſupernaturalis eſt neceſſaria Gratia tam ex parte actûs primi dantis *Poſſe*, quàm ex parte actûs ſecundi, dantis ipſum *Velle & Operari.* Quod proinde duplex adjutorium Sanctus Auguſtinus *lib. de corrept. & Grat. cap. 12.* diſtinxit, unum vocando Adjutorium *Sinè quo* aliquid non fit, alterum verò Adjutorium *Cum quo* aliquid fit. At verò ſtante iſto duplici Dei adjutorio, actus ſupernaturales ad gloriam cæleſtem conducibiles, ſecundum indifferentiam & poteſtatem Electivam liberè elici ab homine, evincitur ex illo *Eccleſiaſtici 31. v. 10. Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Conſtat igitur, libertatem hominis ſub quâdam agendi, & non agendi indifferentiâ Electivâ in ſtatu naturæ lapſæ etiamnum ſubſiſtere reſpectu tam abſtinentiæ à peccatis, quàm bonorum operum, tum naturalium, tum ſupernaturalium.

Probatio quarta, petita ex diſtinctione neceſſitatis Antecedentis & Conſequentis.

NAm Divus Anſelmus *in lib. de Conc. Prædeſtin. ac præſcient. cum libero Arb.* 25
diſtinguit duplicem neceſſitatem, unam *Antecedentem*, quæ rem præcedat, & faciat rem eſſe, quæque pugnet cum arbitrij creati libertate: alteram *Conſequentem*, quæ rem, prout eſt in æternitate, & in menſurâ Præ- 26
deſtinationis ac Præſcientiæ rerum ad extrà effectricis, ſequatur, quæquè omninò cohæreat cum voluntatis noſtræ libero arbitrio. Quam proinde duplicem neceſſitatem, ſi exactius expendamus, reperiemus apud *præcitatum* Doctorem, quòd *Antecedens* neceſſitas ſe teneat ex parte actûs primi, ſive potentiæ Effectricis: Neceſſitas verò *Conſequens* ſe teneat ex parte actûs ſecundi, imò ipſam inet Cauſalitatem Divinam, rei creatæ Effectricem. Deoque ab æterno inexiſtentem conſequatur. Vi cujus adeò Divinæ Cauſalitatis ſive Præſcientiæ ac Prædeſtinationis rerum ad extrà Effectricis, Sanctus Anſelmus *lib. cit. Col. 6 & 7.* docet, omnia etiam libera opera noſtra ita eſſe in æternitate immutabiliter præſentia, ut ſacra

Scriptura aliquid de his, quæ fiunt libero noſtro arbitrio, velut neceſſarium pronunciet. Eo ipſo tamen, quòd Deus præſciat ac prædeſtinet opera noſtra, ut à voluntate noſtrâ liberâ in tempore mutabiliter futura, ait, neceſſum eſſe, quòd liberè, atque adeò ex parte quidem Præſcientiæ ac Prædeſtinationis Divinæ *Immutabiliter*, ex parte verò liberi noſtri arbitrij *Mutabiliter* fiant. *Ex Col. 3. litt. D. & Col. 4. litt. B. ac ſeqq.* At verò hujus rationem eleganter adſtruit prærallegatus Doctor, quòd Prædeſtinationis Divinæ Cauſalitas non ſit actuum noſtrorum prædeterminativa, niſi voluntatem noſtram in ſuâ poteſtate dimittendo, atque adeò ſupponendo Electivam voluntatis noſtræ virtutem, quà eorundem actuum *Mutabiliter* operativam. *Ex Col. 6. 7. & 8. item Col. 12. litt. B. & alibi.* Unde tandem infert hic Sanctus Doctor, Divinæ Præſcientiæ ac Prædeſtinationis immutabilitatem ac infallibilitatem non imponere voluntati noſtræ neceſſitatem *Antecedentem*. Hanc verò dicit, eo ipſo abeſſe, ſi non cogat, id eſt, ipſimet virtuti operativæ Neceſſitatem non imponat, ſed in ſuâ, ſcilicèt Electivâ poteſtate, relinquat. *Ex col. 4. &c. 12.* Cùm igitur neceſſitas *Antecedens ſecundùm D. Anſelmum* non ſtet niſi ex parte virtutis operativæ ad operandum in actu primo determinatæ, hæc autem actûs primi, ſeu virtutis operativæ determinatio ex vi Divinæ actuum noſtrorum liberorum prædeſtinativæ, atque adeò prædefinitivæ, ſeu uti loquitur Divus Dionyſius, Prædeterminativæ Cauſalitatis non ingeratur, ſed Electiva voluntatis indifferentia in ſuâ vi Electivâ dimittatur illæſa, manifeſtum eſt, quòd ex vi Divinæ prædeſtinativæ cauſalitatis ſecundùm doctrinam Sancti Anſelmi non inferatur neceſſitas *Antecedens* cum libertate creati arbitrij pugnans, ſed *Conſequens* duntaxat, arbitrium noſtrum liberum, ejuſque poteſtatem Electivam ad liberè operandum fœcundans.

Probatio quinta, deſumpta ex vivâ fidelium Fide intrà Eccleſiam jugiter propagatâ, ſanctorumque Patrum authoritatibus expreſſâ.

26. Etenim Sanctus Irenæus *lib. 4. cap. 72.* ſic ait: *Si igitur in nobis non eſſet facere hæc, aut non facere, quam cauſam habebat Apoſtolus, & multò priùs ipſe Dominus conſilium dare &c?* Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromat. pag. 65. Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia juſta eſſent, ſi anima non habeat liberam poteſtatem.* Tertullianus *lib. 2. adverſ. Marcionem ante medium: Tota libertas arbitrij in utramque partem homini conceſſa eſt, ut ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando.* Origenes *lib. 3. de Principijs cap. 1.* definit liberum arbitrium, *eſſe facultatem diſcernendi bonum à malo, & eligendi, quod probaverit.* Sanctus Cyprianus *lib. 1. ad Cornelium: Homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſi vel mortem appetit, vel ſalutem.*

San-

Sanctus Athanaſius *in Serm. de Paſſ. & Cruce Dom.* ubi propoſuiſſet quæſtio-
nem, *An quæ Divinitùs præſcita & prædicta ſunt, ex neceſſitate eveniant?* Reſpon-
det. *Non Propheta iſtarum rerum auctor eſt, aut cauſa, ſed ipſorum voluntas, quin po-
tiùs ipſi in causâ fuerunt, ut talia de ipſis Propheta prædivinarent. Prophetæ proprium
eſt, futura proſpicere, & non hallucinari, hominum autem eſt agere, quod velint.*

Sanctus Baſilius *in Orat. Quòd Deus non ſit author malorum:* ait. *Deo non eſt gra-* 27.
*tum, quod coactum, ſed quod ex virtute rectè geritur; virtus autem ex voluntate, & non
ex neceſſitate fit, voluntas autem ex his, quæ in nobis ſunt, dependet, in nobis autem eſt li-
berum arbitrium &c.* Et *in Serm. de lib. Arbit. Quod in hominis poteſtate ſitum eſt li-
berum arbitrium, in eligendo & non eligendo ſitum eſt.* Sanctus Gregorius Na-
zianzenus *in Apolog. non procul ab initio: Arbitrij libertas,* inquit, *parem in utram-
que partem motum habet.* Sanctus Gregorius Nyſſenus *lib. 7. de Philoſoph. cap. 1.*
inde probat, hominem eſſe liberi arbitrij, *quòd humanæ actiones non fiant ne-
ceſſariò, ſed poſſint etiam non fieri.* Et *cap. 3. Omnis,* inquit, *qui conſultat, quaſi in
ejus poteſtate exiſtente electione, de operabilibus conſultat, ut, quod per conſilium decer-
nitur, eligat, & eligens faciat. Neceſſe igitur eſt, eum, qui conſultat, Dominum eſſe actio-
num &c.* Sanctus Hilarius *in Pſal. 2. Unicuique noſtrûm libertatem vitæ, ſenſum-
què permiſit, non neceſſitatem in alterutrum affigens.* Sanctus Chryſoſtomus *Serm.
2. de Fato. Deus dicit, poſui ante te vitam & mortem, ad quod volueris, extende manum
tuam. Dæmon dicit, non eſt in te, quòd extendas manum tuam, ſed neceſſitate quâdam &
vi id agis. Videnturnè tibi hæc fide digniora?* Sanctus Optatus Milevitanus *lib.
7. in Parmen. Homicida poteſt ſcelus facere, poteſt & non facere, & cætera hujuſmodi, in
quibus liberum habetur arbitrium.* Sanctus Epiphanius *hæreſi 16. Quarè omnibus
manifeſtum, clarumquè, ac minimè ambiguum eſt, quòd liberum arbitrium exhibuit nobis* 28.
dicens: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Sanctus Ambroſius
in Comment. Pſal. 40. Homini dedit eligendi arbitrium, quid ſequatur. Sanctus Cy-
rillus *lib. 2. in Ioan. cap. 54. Liberum hominis arbitrium his verbis oſtendit, qui ad al-
terutrum ſecundùm animi ſui judicium poteſt proficiſci.* Et *lib. 9. cap.* 10. *Suæ voluntatis
habenas unicuique commiſit, ut in eo ſit, quicquid probaverit eligere.* Sanctus Hie-
ronymus *in Epiſtolâ ult. ad Ceſiphontem: Fruſtrà blaſphemas, & ignorantium au-
ribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat.* San-
ctus Ioannes Damaſcenus *lib. 2. de fide cap. 26. In nobis ſunt ea, quorum ſcimus
liberam adepti poteſtatem, & facere, & non facere.* S. denique Auguſtinus *lib. 5. de
Civit. Dei cap. 10. & alibi,* liberum arbitrium componit cum Præſcientiâ Dei.
Et lib. de Grat. & lib. Arbit. cap. 9. ubi docuiſſet, *liberum arbitrium noſtrum non
auferri ex eo, quòd Deus in nobis operetur & velle & operari,* tandem concludit:
Itaque fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona.
Item *lib. 2. de libero arbit. cap. 1.* oſtendit, *neque pro peccatis pœnam, neque pro*

juſtè

juſtè factis præmium tribuendum fore, ſi homo voluntatem non haberet liberam. Denique *lib. de Quant. animæ cap. 36.* ſic diſſerit: *Datum eſt animæ liberum arbitrium, quod, qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, uſque adeò cæci ſunt, ut nè iſta quidem vana, atquè ſacrilega propriâ voluntate ſe dicere, intelligant.* En igi-
29. tur, nugatorijs ratiocinationibus cæcutire, eſſeque damnandos, imò dæmoni adſtipulari, qui liberum arbitrium negant, vel labefactare conantur. *Ex SS. Auguſtino, Chryſoſtomo & Hieronymo.* Atqui Patres *præcitati* conformiter ſacris Litteris tum per ipſos allegatis, tum ſuprà *Prob. 1. 2. & ſeqq.* deductis, diſertis verbis adſtruunt, liberum arbitrium eſſe ſitum in vi oppoſitorum Electivâ, & neceſſitatis excluſivâ. Quia ergo hodiernum Pſeudoreformatum Miniſterium iſtam vim Electivam negare & labefactare, ſeu fatum, neceſſitatemque imponere conatur, hi ipſi Miniſtri, eorumque ſequaces jam judicent, quàm mereantur cenſuram.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

30. AD *primam* Reſp. Vedroſi in hac tuâ argutiâ dicis, ex Semipelagianis Gratiam de ſe Efficacem negantibus ortum eſſe, quòd adſtruatur liberum arbitrium, cui poſitâ etiam Gratiâ, ſit poteſtas agendi & non agendi, ſive volendi & nolendi. Annè igitur tibi perſuaſum habes, Efficaciam Gratiæ intrinſecam non cohærere cum libertate noſtræ voluntatis? At ſanè in hoc convinceris eſſe ex illorum genere, qui, ubi non valuiſſent cum Sancto Auguſtino *lib. de Corrept. & Grat. cap. 8.* intelligere, quòd voluntas humana non conſequatur quidem libertate gratiam, ſed potiùs Gratiâ libertatem, hanc tolli arbitrabantur, dum voluntas humana per Divinam Gratiam (uti prætactus Eccleſiæ Doctor *cap. 12. de Corrept. & Grat.* loquitur) indeclinabiliter, ac inſuperabiliter ageretur. Hujus autem tuæ pravæ intelligentiæ radix & origo eſt, quòd non conſideres, voluntatem creatam agi per Divinam Gratiam, non ut ipſa nihil agat, ſed ad hoc per internam illuſtrationem, atque adeò Gratiam *Moraliter* excitantem ei oſtendi, quid agere debeat, ut cum dilectione & delectatione juſtitiæ ſuavitatem, quam dedit Dominus, ageret, Deo per ſuam Gratiam conferente liberrimam, & tamen invictiſſimam voluntatem, & fortitudinem inſuperabilem. *Ex eod. S. Doctore cap. 2. & 8. de Correp. & Grat.* En igitur, ſecundùm Sanctum Auguſtinum oportere, talem Gratiæ efficaciam in fortitudine quidem inſuperabili, voluntatem creatam indeclinabiliter & inſuperabiliter agente conſtitutam agnoſcere, ut debea-

mus

mus tamen iſtam invictiſſimæ fortitudinis Divinitùs immiſſam efficaciam componere cum libertate, quæ hoc ipſo ſalva & illæſa ſubſiſtit, quòd voluntas creata non ita agatur per Divinam Gratiam, quin ipſa cum Gratiæ, vim creati arbitrij Dominativam & Electivam excitantis ſuavitate liberrimè agat.

Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſi, tua eſt calumnia, quòd aſſeras, Veteres 31
multum humani circà hanc de libero arbitrio quæſtionem paſſos fuiſſe, ſuam doctrinam cum Philoſophorum Dogmatibus dimidiâ ex parte conciliando, nè Philoſophis ſcilicet cachinnos excuterent, nevè quidquam communi hominum judicio abſurdi traderent. Annè igitur Orthodoxos Patres in veritate ſacræ Scripturæ tuendâ adeò leves, imò vacillantes, variantes, ac perplexos proclamare non erubeſcis? Sed hanc tuam calumniam refutat unanimis & concors Patrum authoritas *præced. cap. Prob.*
5. fusè deducta. Ais tamen, unicum excipiendum Auguſtinum cum Pe- 32
lagio commiſſum. Hic proinde Sanctus Eccleſiæ Doctor pro Gratiâ Divinâ, ipſummet etiam Velle ac benè operari conferente ita pugnabat contra Pelagium, ut ſalvam tamen, te ipſo fatente, teneret arbitrii noſtri libertatem, quam ita vindicabat, ut *lib. 3. de lib. Arbit. cap. 1. 2. & 3.* perpetuò libertati opponeret neceſſitatem: quinimò *lib. de verâ Relig. cap. 14.* ita ſtatueret: *Si neceſſitate id feciſſent, nullo peccati vinculo tenerentur.* Et *lib. 2. cont. Faustum cap. 5. Et nos*, inquit, *ſub fato ſtellarum nullius hominis Geneſin ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Cur ergo Vedroſi in hoc dogmate non credis Sancto Auguſtino, de quo tamen Oecolampadius *ad Philip. Melanchton.* teſte Sculteto *Annal. Decad. 2.* ad Annum 1520. ita ſcripſit: *Perſuaſum enim eſt, ſi Auguſtinus clarè nobiſcum faciat, neutiquam à nobis diſſenſuros, quotquot illum anteceſſerunt, Orthodoxos Doctores, quibuſcunque tandem verbis ſuam expliuent ſententiam &c.*

Ad *tertiam* Reſp. Pro rato & accepto haberi, quòd Calvinus Origi- 33
nem & Sanctum Auguſtinum fateatur concordes in libero arbitrio ita definiendo, ut aſſerant, eſſe facultatem boni mediante Gratiâ, mali verò, deficiente Gratiâ, Electivam. En igitur Vedroſi, hos antiquos Do-
ctores tuæ Reformationi apertè adverſantes. Sed ais: Vocem Gratiæ *ibi* 34
ſumi pro virtute *Phyſicè* operante, cujus reſpectu homo ſe habeat merè *paſſivè*. Verùm in hoc æquivocatione uteris, ab ipſomet quoquè Heideggero Tigurino *in Diſſert. de Grat. Prædeterminante §. 20. & 21.* diſcuſsâ, dum *ibidem* ait, diſtinguendum inter initium converſionis conſiſtens in vi & efficaciâ Spiritûs Sancti nobis Divinitùs impreſsâ, & *paſſivè* receptâ,

nec non inter progreſſum converſionis conſiſtens in ſanctis motibus, cogitationibus, & deſiderijs, quibus, quod verè bonum eſt, eligamus, velimus, cupiamus, & cogitemus. Vides igitur Vedroſi, liberum noſtrum arbitrium in recipiendâ Gratiâ *Phyſicè* Operatrice ſe habere quidem *paßivè*, ât in bono per Gratiæ Efficaciam eligendo, atque in bonis deſiderijs, vel cogitationibus ac volitionibus ſanctis eligendis ſe habere *activè*, Spiri-
35. tu Sancto non tantùm in nobis, ſed etiam per nos operante. In quo ſanè Heideggerus minimè diſcrepat à doctrinâ Pontificiorum, ſentientium cum S. Auguſtino *lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 10. circà finem* ita diſſerente: *Certum eſt, nos facere, cùm facimus* (En voluntatem ſe habentem *Activè* in cooperando Gratiæ) *ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati* (En voluntatem ſe habentem *Paßivè* in recipiendis viribus efficaciſſimus) *qui dixit; faciam, ut in Iuſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.* Et hinc idem Sanctus Doctor *lib. de Prædeſtinat. Sanct. cap. 3.* ait, utrumque, ſcil. *Credere, & benè Operari, ſeu Velle eſſe noſtrum propter arbitrium voluntatis, cùm non fiat niſi volentibus* (adeòque operantibus, ſeu *Activè* habentibus) *nobis; & utrumquè tamen datum eſſe per Spiritum Fidei & Charitatis, eſſeque Dei, cùm præparet voluntatem*, præbendo nimirùm *vires efficaciſſimas.*

36. Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Si gratia ſit quidem *de ſe* Efficax, attamen liberi arbitrij taliter ſit vivificatrix, ut eâ receptâ, poſſit aſſentiri, velle, eligere, & agere bona, ſequitur manifeſtè, Gratiam ita ſalvare liberum arbitrium, ut huic per ipſam competat vis Boni Electiva, bonæque voluntatis mediante Gratiâ, operativa & Effectiva. At Sanctus Auguſtinus per Vedroſium *citatus*, expreſsè docet, gratiam ita eſſe *ex ſe* Efficacem, ut tamen recepta in libero arbitrio, huic tribuat poteſtatem aſſentiendi, volendi, eligendi. & agendi bona. Conſtat igitur ſecundùm Divum Auguſtinum à Vedroſio *citatum*, Gratiam *de ſe* licèt Efficacem omninò cohærere cum libero arbitrio, ejuſque virtute Electivâ. Atqui Electio habere locum non poteſt, ubi eſt neceſſitas, ſive determinatio ad unum. Ergo gratiæ Efficacia non inducit talem agendi neceſſitatem, ſive determinationem ad unum, ut indifferentia Electiva tollatur.

37. Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Secundùm Divum Auguſtinum *in Enchirid. cap. 32. adverſùs Pelagianos*, propterea dictum eſt ab Apoſtolo: *Non volentis, ſed Dei eſt miſerentis*, ut *TOTUM DETUR DEO, qui hominis voluntatem & præparavit adjuvandam, & adjuvat præparatam.* At hoc non obſtante, Velle eſt noſtrum propter voluntatis noſtræ arbitrium; eſt tamen Dei miſerentis, utpotè præparantis, ſeu antecedenter operantis, non tantùm in donatione facultatis benè operandi, ſed in ipſo etiam operari. Ex S.

Augu-

Auguſtino cit. cap. 3. de Prædeſt. Sanct. Conſtat igitur, ex illâ Apoſtoli ſententiâ evinci talem Gratiam prævenientem, quæ tamen arbitrium noſtræ voluntatis, ejuſque adeò vim Electivam cum gratiâ cooperante ſervet illæſam, adeò, ut ſancta noſtræ voluntatis motio tam ex gratiâ, quàm ex libero arbitrio *Effectivè* procedat, Sancto Doctore præallegato *lib. de Grat. & lib. Arbit. cap. 21.* ita diſſerente: *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod ipſe agere voluerit.* En igitur duplicem voluntatis noſtræ bonæ Effectricem cauſam, Deum ſcilicèt, ejuſque gratiam, nec non voluntatis noſtræ arbitrium, ita tamen, ut teſte Divo Auguſtino *cit. cap. 32. Enchir.* non ſe habeant ut duo principia partialia, *Comminanter* operantia, ſed voluntas noſtra ſe habeat ut principium Deo, ejuſque gratiæ prævenienti, & antecedenter operanti ſubordinatum.

Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. Nequit voluntas in malo eſſe libera, niſi habeat vim taliter Electivam, ut poſſit non facere malum, *juxta illud Eccleſ. 31. v. 10. Potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* At Vedroſius hic fatetur cum Ianſenio, voluntatem in malis eſſe liberam. Oportet igitur, ipſi inexiſtere vim taliter Electivam, ut poſſit non facere malum: nec adeò habet ex ſe determinationem, ſed indifferentiam Electivam ad malum. Etſi verò libera mali declinatio, niſi accedat operatio bona per Fidem & Charitatem, non ſufficiat ad ſalutem, neque poſſit voluntas bonum ſalutare, ſive ad ſalutem conducibile eligere, ſeu benè operari, niſi ſanata, ſeu liberata ſit per Gratiam, non *Poſſe* tantùm, ſed *ipſum* etiam *benè operari* tribuentem: hac tamen Divinitùs conceſsâ, benè operari ita eſt Dei miſerentis, ac præparantis voluntatem noſtram, ut tamen ſit etiam noſtrum propter arbitrium noſtræ voluntatis. Quamvis proinde verum ſit, liberum arbitrium non valere ad benè ac ſalubriter operandum, niſi mediante Gratiâ, hac tamen conceſsâ, ita ſanatur & liberatur noſtræ voluntatis infirmitas, ut omninò liberè velimus ac operemur bonum ſaluti conducibile: *uti ex ſacris Litteris, & Patribus Orthodoxis, præſertim Sancto Auguſtino jam ſæpè oſtenſum eſt.* 38.

Ad *ſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Secundùm Divum Auguſtinum *lib. de Spiritu. Item in Act. cum Fælice Manich. lib. 2. cap. 3. & 4.* homini eatenùs convenit liberum arbitrium volendi & nolendi, atque adeò peccandi, & non peccandi, ut ipſum etiam velle credere ſit propriæ noſtræ voluntatis, Deo licèt nos præveniente, & in nobis operante bonum. At hoc non tantùm Lubentia ſeu Spontaneitas, qualis ineſt etiam brutis, potentiæ ad operandum neceſſitatem, & in Actu etiam primo determinationem impor- 39.

tans, ſed potiùs eſt excludens talem neceſſitatem, ita ut nullo peccati vinculo teneretur homo, ſi neceſſitate vinctus id feciſſet. *Ex eod. S. Doctore lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. 2. & 3. Item lib. de verâ Relig. cap. 14.* Manifeſtum igitur eſt, Sanctum Auguſtinum *locis ſupracitatis* non adſtruere in homine ſolam Lubentiam, & in agendo Spontaneitatem, utpote qualis etiam ſit in brutis, ſed veram agendi indifferentiam Electivam, ac neceſſitatis agendi excluſivam, nec tamen exinde Pelagianiſmi reum, niſi impiè & calumniosè agi à Vedroſio, cùm libertas ejuſmodi optimè cohæreat cum Gratiâ *ex ſe* Efficaci, & *de ſe* inſuperabili, præbente quidem invictiſſimam, ſed liberrimam voluntatem. *Ex S. Auguſtino ſuperiùs adducto.*

40. Ad *octavam* Reſp. Etſi homo per peccatum jam contractum, & *Habitualiter* perſeverans ſit ſervus peccati; imò per juſtum Dei, hominem Gratiâ ſuâ privantis, judicium ſit venditus in peccato, ſitquè naturâ (per peccatum adeò Originale) filius iræ, ſitquè in peccatis mortuus, nec legi Dei ſalutari abſque Gratiâ, ruinæ ex peccato incurſæ reparatrice poſſit ſe ſubmittere: nihilominùs iſta reparatio per Ieſum Chriſtum taliter facta eſt, ut Divus Paulus *Rom. 5. v. 15.* ita ſcripſerit: *Non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis Gratia Dei, & donum in Gratiâ unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit.* Atqui Vedroſius *in præf. ſuâ argutiâ* fatetur, hominem in ſtatu Innocentiæ habuiſſe liberum arbitrium & *Potentialiter* ad malum, & *Habitualiter* ad bonum; quod tamen liberum arbitrium reſpectu objecti verè boni ſeu ſpiritualis ſit amiſſum. Quamvis proinde verum ſit, quòd voluntas noſtra reſpectu objecti ſalutaris, ſeu ad ſalutem conducibilis non valeat abſque Gratiâ Dei; attamen ipſi eatenùs competit libertas inchoata *Obedientialiter* elevabilis, ac mediante ſupernaturali Divinitùs donatâ Formâ, proportionabilis ad ſupernaturalia virtutum opera, ut completam ac proportionatam ad actus ejuſmodi libertatem ac potentiam obtineat ex Gratiâ Divinâ miſericorditer conceſsâ, & impreſsâ voluntati noſtræ: cùm alioquin validius fuiſſet peccatum in noſtro libero arbitrio ad Bonum ſupernaturale valente extinguendo, quàm eſſet donum Gratiæ, per Ieſum Chriſtum reparantis jacturam ex peccato incurſam. Conſequens igitur eſt, iſtam Gratiam, utpote ex integro reparatricem, non tantùm non pugnare cum libero arbitrio, ſed hoc in ordine ad bonum ſalutare reſtituere, eodem interim libero arbitrio intrà peccatorem quoquè eatenùs vigente ad malum, ut ad hoc tamen non ſit neceſſitatum, ſed obtineat Electivam faciendi, ſeu non faciendi, atque adeò peccandi, ſeu non peccandi indifferentiam: uti hæc omnia patent ex S. Auguſtino ſuperiùs adducto.

41. Ad *nonam* Reſp. Libenter à nobis concedi, quòd initium converſionis no-

noſtræ, & Gratia, tum illa, quæ vires Potentiæ, tum ea, quæ Efficaciam Actualis operationis in omni etiam opere ſancto impertit, ita ſit à ſolo Deo, ut primas & potiſſimas teneat, nec tantùm *Moraliter* alliciat, ſed *Phyſicè* operetur: quanquàm iſtâ Gratiâ partim *Phyſicè*, partim *Moraliter* (ut ſic ex Gratiâ Præveniente quà *Phyſicè* operante ejus Efficaciam intrinſecam, & ex Gratiâ Præveniente *Moraliter* excitante voluntatis libertatem ſalvemus) motrice conceſſâ, voluntas noſtra quoquè agat & moveat ſe liberè ad bonum proſequendum, & malum fugiendum. Unde etiam fit, quòd ſolius Dei ſit, nos juſtificare, reſuſcitare, regenerare, & creare, non tantùm in converſionis tam initio, quàm progreſſu, ſed in omnibus ſanctis operibus. Nihilominùs 42.
cùm in ipſo opere ſancto voluntas noſtra non ſe habeat *merè Paſſivè*, ſed *Activè* cooperetur cum Gratiâ Divinâ, idcircò manifeſtum jam eſt, Vedroſium unà cum Heideggero (ex cujus præcitatâ Diſſertatione illam doctrinam de verbo ad verbum deprompſit) tandem convictum aſſentiri ſacro Concilio Tridentino *Seſſ. 6. de Iuſtif. can. 4.* ita definienti: *Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti &c. ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Ad *decimam* Reſp. Ita argumentando. Deus in ſtatu reparationis in 43.
nobis ſic operatur velle & benè operari, ſuiquè in nobis reverentiam & obedientiam ſalubrem, ut tamen hanc ipſam operationem ſanctam & ſalubrem (fatente Vedroſio *in proximè præced. argutiâ*) nos quoquè faciamus adjuti, ac præventi per Divinæ Gratiæ vires efficaces. At hinc fit, quòd tale operari noſtrum ita ſit Dei miſerentis, ut tamen ſit etiam noſtrum propter arbitrium noſtræ voluntatis. *Ex S. Auguſtino cit. cap. 3. de Prædeſt. Sanct. & alibi ſæpe.* Conſequens igitur eſt, in ſtatu reparationis operationes noſtras ſalutares ita reduci debere in Gratiæ Divinæ Efficaciam, ut hæc tamen illibatum conſervet arbitrium, atque adeò libertatem voluntatis noſtræ.

Ad *undecimam* Reſp. Sic argumentando ex S. Auguſtini verbis *ibid.* 44.
Liberum arbitrium noſtrum captivum non valet niſi ad peccandum, ita tamen, ut voluntas captiva poſſit Gratiâ Dei reſpirare ad ſalubrem libertatem. At liberum arbitrium noſtrum, teſte S. Auguſtino *de verâ Relig. cap. 14.* non valeret ad peccandum, ſi ex neceſſitate faceret peccatum: neque voluntas captiva mediante Gratiâ Dei reſpiraret ad ſalubrem libertatem, ſi Gratia Dei tolleret indifferentiam Electivam, & induceret neceſſitatem ad opus Divinitùs præfinitum potentiæ in Actu etiam primo determinativam. Oportet igitur confiteri, nos reſpectu tam Boni, quàm Mali eatenùs habere liberum arbitrium, ut in malè faciendo quiſque liber ſit, habeatquè adeò ex viribus naturæ indifferentiam activam operandi malum, vel ab hoc pro libitu ab-

ſtinendi; attamen in bono liber nullus eſſe poſſit, niſi liberatus per Gratiam Chriſti, mediante quâ ita reſtituantur vires ad ſalubriter operandum, imò ipſum etiam *Operari* ſanctum miſericorditer donetur, ut tamen illud operari ſit etiam noſtrum propter arbitrium voluntatis. *Ex S. Auguſtino locis præcitatis.* En igitur Vedroſi, quàm ineptus ſis in adducendis textibus S. Auguſtini, tuæ Reformationis libertatem è medio tollere nitentis doctrinam apertè confodientibus.

45. Ad *duodecimam* Reſp. Sic argumentando. Deus ita in nobis operatur bonum, ut ipſimet tamen, dum volumus, faciamus, Deo non tantùm præveniente, ac ſine nobis prævie operante in voluntate noſtrâ, ſed nobiſcum etiam cooperante. At hinc apertæ falſitatis convincitur id, quod Vedroſius *ſuprà arg.3.* dixit, oportere, Gratiam *phyſicè* operatricem taliter adſtruere, ut ejus reſpectu homo *merè paſſivè* ſe habeat. Planum igitur eſt, Vedroſium ſibi ſemper contradictorium, iterum iterumquè confodi à Sancto Auguſtino.

46. Ad *decimamtertiam* Reſp. Sic argumentando. Secundùm Caſſiodorum à Vedroſio receptum, in ſtatu naturæ lapſæ, & peccato obnoxiæ ita ſtat libertas ad malum, ut arbitrium tamen liberum in bonâ parte, Adamo peccante, perditum reparetur per Gratiam Chriſti. At ſi Gratiæ hujus efficacia induceret neceſſitatem ipſius potentiæ ut ſic determinativam, non repararet, ſed deſtrueret libertatem, utpotè quæ ab Origene & S. Auguſtino juxta Vedroſium *cit. Arg.3.* ritè definiatur *Facultas rationis & voluntatis, quâ bonum, aſſiſtente Gratiâ, eligatur.* Conſequens igitur eſt, Vedroſium iterum iterumquè ſibi contradicendo cæcutire.

47. Ad *decimamquartam* Reſp. Iam jam Vedroſi nobiſcum ſentis, nec opus fuiſſet, arguere Georgium, quaſi *Neceſſitatem Dependentiæ & Infallibilitatis, aut Certitudinis* dixerit pugnare cum libertate, ſed huic, ait, opponi neceſſitatem voluntatis taliter determinativam, ut tollatur indifferentia Electiva & Dominativa. Sed dicis ex Sancto Auguſtino, Deum ita adminiſtrare Agentia naturalia, ut eorum proprium & naturalem agendi modum non impediat, neque tollat, ſed magis in eis ſecundùm eorum in creatione acceptas naturas operetur in liberis liberè, in contingentibus contingenter, in neceſſarijs neceſſariò. Si ergo res ita ſe habeat, ut homo in ſui creatione, te ipſo *ſuprà arg. 8.* fatente, acceperit liberum arbitrium, cur Calvinus *lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 7.* adeò exoſum habuit nomen liberi arbitrij, ne quotuſquiſque id audiens, ſtatim concipiat hominem & mentis ſuæ, & voluntatis Dominum eſſe, qui flectere ſe in utramvis partem à ſe ipſo poſſit? Cur eodem *cap. 3. §. 7.* ſcripſit: Non rectè à Chryſoſtomo ſcriptum eſſe, quòd nec Gratia ſine voluntate, nec voluntas ſine Gratiâ quicquàm operari poſſit? Cur

48.

illi

cit. lib. 2. *cap.* 2. redarguit Veteres, quòd liberi arbitrij nomen retinuerint, maximè Græci de hoc fuerint taliter locuti, quaſi poteſtas ſui ipſius penès hominem extaret? Cur *eodem cap.* 2. *§.* 6. repudiavit libertatem à neceſſitate, ac libertatem à coactione duntaxat (qualis etiam eſt in brutis) aſſeruit? Sanè modum agendi liberum ita deſcripſerunt Patres Orthodoxi, ut vim utriuſque partis Electivam illæſam tenerent, cui par in utramque partem motus competat, & agendi neceſſitatem excludat. Imò ipſæmet ſacræ Litteræ in vi taliter factivâ, ut poſſet non facere, conſtituerunt liberi arbitrij rationem, *veluti hæc omnia patent ex præcedentibus.* Si ergo verum eſt, quod dicis Vedroſi, Deum ſuæ Providentiæ & gubernationis influxu ita movere hominem, ut juxta ſuam in creatione acceptam conditionem liberè agat, oportet ſanè, te jam jam receſſiſſe à tuæ Reformationis Anteſignano Calvino, eò vel maximè, quòd *in fine tua* 14. *Argut.* cum Sancto Auguſtino *lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 3. aſſeras, ex Præſcientiâ Divinâ non niſi *neceßitatem Infallibilitatis & Certitudinis* derivari, ita ut maneat nobis libera voluntas, & in noſtrâ poſita poteſtate. In quo ſanè iterum iterumquè te oſtendis adverſantem Calvino *cit. lib.* 2. *cap.* 3. *§.* 10. ita ſcribenti de Gratiâ: *Voluntatem movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum* (En Calvinum Antiquæ Orthodoxiæ protervè adverſantem) *ut noſtræ poſtea ſit Electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, Quem trahit, volentem trahit.* En igitur, in quas fueris Vedroſi conjectus anguſtias, ut vel à Calvino, vel Sancto Auguſtino, cæteriſque antiquis Orthodoxis Patribus reſilire debeas; at conſultò egiſti, ut iſtos præferres tuæ Reformationis Anteſignano. Si proinde in reliquis etiam dogmatibus idem feceris, brevi redibimus ad unitatem Religionis. 49. 50.

Ad *decimamquintam* Reſp. Talem requiri ad peccandum libertatem, quæ opponatur neceſſitati. *Ex Patribus Orthodoxis paßim, præſertim S. Auguſtino lib.* 2. *contrà Fauſtum cap.* 5. *& lib.* 3. *de lib. Arbit. cap.* 1. 2. *&* 3. *item lib. de verâ Relig. cap.* 14. ubi ait: *Si neceßitate id feciſſet, nullo peccati vinculo teneretur.* At ſpontaneitas non opponitur neceſſitati agendi, ſed coactioni, cujuſmodi adeò ſpontaneitas eſt quoquè in brutis, ſpontè quidem, non tamen liberè agentibus, uti patet ex Philoſophiâ. Quia ergo Vedroſius jam ad ſolam ſpontaneitatem detorſit libertatem arbitrij noſtri, convincitur ſanè, nimis citò ac temerè deflexiſſe à Sancto Auguſtino, quem in proximâ tamen argutiâ ſecutus fuerat. 51.

Ad *decimamſextam* Reſp. In eo, quòd Sanctus Auguſtinus per Vedroſium *citatus* aſſerat, Immutabilitatem conſilij Divini, nobis licèt hoc pe- 52.

nitta-

netrare impotentibus, omninò cohærere cum libertate noſtræ voluntatis, iterum huic ſancto Doctori adverſari Calvinum *lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 8. & 9.* ſcribentem: *Voluntatem ita eſſe rerum neceſſitatem, ut reprobi* (non tamen hinc excuſandi) *evadere nequeant peccandi neceſſitatem, præſertim cùm ex Dei ordinatione ſibi injiciatur ejuſmodi neceſſitas.* Quam ſanè æquè impiam, ac falſam Calvini vocem refutat etiam Sanctus Anſelmus Angliæ Doctor *Lib. de Concord.* libertatem cum Immutabilitate Divini Conſilij componendo modo ſequenti:
53. Etenim licèt Deus prædeſtinet opera noſtra, non facit tamen id, voluntatem cogendo, aut illi reſiſtendo, ſed in ſuâ (Electivâ nimirum, *uti ex SS. Patribus ac Litteris Divinis ſuperiùs deductis conſtat*) poteſtate relinquendo. *Ex cit. Concord. paſſim.* Hinc quia neceſſe (neceſſitate ſcilicèt *Conſequente*, non *Antecedente*, uti prætactus Doctor ibi loquitur) eſt, eſſe, quidquid Deus vult, infertur ex eo, quòd Deus velit hominem nullâ cogi, aut prohiberi neceſſitate ad volendum, vel ad non volendum, voluntatem eſſe liberam. *Ex cit. Concord. col. 4. Litt. B. circà medium.* At eo ipſo, quòd Deus velit, effectum ſeu actum noſtrum ſequi voluntatem in ſuâ (Electivâ nimirùm) poteſtate relictam, ſequitur, ex vi Divinæ Prædeſtinationis taliter neceſſum eſſe, quòd actus prædeſtinati ſint exiſtentes, ut tamen neceſſitas iſta deſcendat de voluntatis noſtræ libertate, vi cujus opera, antequàm ſint, poſſint non eſſe. *Ex cit. Concord. col. 5. Litt. C. & col. 12. Litt. B.* Quamvis proinde opera noſtra, prout comparantur ad Prædeſtinationem, (reſpectu adeò æternitatis, in quâ non eſt præteritum, vel futurum, ſed tantùm præſens) ſint immutabilia: attamen reſpectu noſtræ libertatis in tempore operantis, atque adeò reſpectu temporis ſunt mutabilia & contingentia. *Ex cit. Concord. circà medium.* Vides igitur Vedroſi, antiquos ſanctos Doctores non ad inſtar tui Reformati Miniſterij impegiſſe in Myſteria rationis noſtræ aciem excedentia, ſed priùs captivâſſe ſuum intellectum in obſequium Fidei, atque hac ſuppoſitâ, intendiſſe mentis ſuæ oculos, ſi quam ſublimiorem in Myſterijs ejuſmodi qualitercunque penetrandis viam ſuâ ratione inire poſſent.

COROLLARIUM.

54. Ex dictis infertur. Argumenta Georgij nullatenùs eſſe ſoluta à Vedroſio, ſed hunc ſuo contradictionis ſpiritu miſerè exagitari. Unde ſic licere argumentari. Non poteſt ille ſpiritus eſſe Divinus, qui eatenùs negat libertatem arbitrij noſtri, ut non tantùm peccandi neceſſitatem impiè reducat in Deum, ſed Gratiam quoquè Divinam attollere quidem videtur, eo ipſo tamen eam deprimit, dum ejus efficaciam non tantam agnoſcit, quaſi ad libertatem noſtram ſervandam potens eſſet, ſed hanc è medio tolleret,

eique

gitized by Googl

eiquè neceſſitatem imponeret. At hæc omnia circà Reformatum Miniſterium, in ſe tamen ſuo innato contradictionis ſpiritu mirè impingens, ac in Veterem Orthodoxiam graviter invectum, in præſenti puncto rem ita ſe habere, conſtat ex dictis *praced. cap. 3. & 4.* Viderit ergo illud Miniſterium, an ſpiritus, quo ducitur, poſſit eſſe Divinus?

SECTIO II.

De Poſſibilitate adimplendi Legem Divinam.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc Author *cit. Rat. 3. Doc. 20.* inducit Sanctum Auguſtinum *Serm. 191. de Temp.* ita diſſerentem: *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo præceptum eſſe, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* 1.

Inducit etiam Calvinum *lib. 2. Inſtit. cap. 7. Sect. 5.* ita ſcribentem: *Quòd autem impoſſibilem legis obſervationem dixerim, id eſt paucis verbis explicandum ſimul & confirmandum. Solet enim vulgò abſurdiſſima ſententia videri, ut Hieronymus non dubitârit, anathema illi denunciare. Quid viſum ſit Hieronymo, nihil moror: nos quid verum ſit, inquiramus &c.* 2.

Ex quo tandem concludit: Veterem Eccleſiam, ſicut hodiernam Romanam blaſphemiæ loco habuiſſe opinionem illorum, qui contendebant, Deum aliquid obſervatu impoſſibile homini præcepiſſe. At hoc ipſum confirmat hodierna Reformatio. Conſequens igitur eſt, iſtam diſcrepare, Romanam verò Eccleſiam concordare cum Veteris Orthodoxæ Eccleſiæ doctrinâ. 3.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

IStе Miniſter *ſua Antiquit. Sect. 4. in exam. Docum. 20.* arguit I. Oportere, pro præſentis quæſtionis puncto diverſos hominis ſtatus diſtinguere, nempe ſtatum inſtitutum ſeu *Integritatis*; deſtitutum, ſeu *Corruptionis*; reſtitutum, ſeu *Gratiæ*; præſtitutum, ſeu *Gloriæ*. Dein Poſſibile diſtingui in id, quod tale eſt *Abſolutè*, ſecundùm partes & gradus, & quod tale eſt *ſecundùm quid*, ſecundùm partes tantùm. Quando igitur quæſtio, *num lex Dei ſit homini* 4.

ſerva-

ſervatu poßibilis, ſermonem eſſe de poſſibilitate Abſolutâ, & homine conſiderato in ſtatu Gratiæ ſeu regenerationis, prout videre liceat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. can. 18.* & Bellarm. *de Juſtificat. lib. 4. c.* 10. inter alia ſic diſſerente: *Catholici omnes ſummâ confeßione docent, legem juſtis, id eſt, juſtificatis hominibus abſolutè eſſe poßibilem.*

5. Arguit 2. Se Reformatos ſano ſenſu admittere, quòd homo renatus legem implere poſſit. Etenim poſſe in Chriſto, in quo ſumus renati. *Coloſſ. 2. v. 10.* Poſſe perfectione partium, etſi non graduum. Poſſe affectu & deſiderio, utpote cui mandata Dei non ſint gravia, ſeu moleſta. *1. Ioan. 1. v. 3.* Quin potiùs *jugum Chriſti ei ſuave eſſe, & onus Chriſti leve. Matth. 11. v. 30.* At quòd effectu in impletione legis poſſit homo perfectus eſſe, negare ſe, ac ſtatuere, legẽ Dei ſervatu *abſolutè* poſſibilem eſſe mortalium nulli, niſi quis reperiatur, in quo naturalis illa ad obſtrependum Deo proclivitas prorsùs ſit ſuffocata, atque demortua. Verùm etiam in renatis perpetuò manere carnis ac Spiritû luctam, quâ fiat, ut pijſſimus quiſque non ſemper *faciat id, quod vult, ſed interdum id, quod odit. Rom. 7. v. 15.*

6. Arguit 3. Secum ſentire Auguſtinum *Lib. de Nat. & Grat. cap. 36.* ita diſſerentem; *Si omnes ſanctos & ſanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus; utrùm hoc, quod iſte* (Pelagius) *dicit, aut quod Ioannes Apoſtolus. Rogo vos, quantâlibet fuerint excellentiâ in hoc corpore, ſi hæc interrogari potuiſſent, unâ voce clamaſſent; Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſos nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

7. Arguit 4. Congruere etiam Hieronymum *Lib. 2. contrà Pelagianos* ex varijs Scripturarum teſtimonijs ita concludentem; *Hæc cuncta percurro, ut oſtendam, à nullo legem eſſe completam.* Imò *in Epiſt. ad Gal. cap. 3.* ſic diſſerere; *Nemo poteſt explere legem, & cuncta facere, quæ juſſa ſunt. Hæc eſt hominis vera ſapientia, imperfectum ſe noſſe, atque ut ita loquar, cunctorum in carne juſtorum imperfecta perfectio eſt.*

8. Arguit 5. Auguſtinum *Serm. 191. de temp.* execrari quidem blaſphemiam eorum, qui dicunt, *impoßibile aliquid à Deo homini præceptum eſſe.* Verùm eoſdem ſe execrari, ſi ſermo ſit de homine, qualis à Deo creatus fuerit, & qualis eſſe deberet, ſi in ſtatu, in quo fuit conditus, perſtitiſſet. Sin autem de ſtatu corrupto ſit ſermo, Pelagij blaſphemiam, non Auguſtini ſententiam eſſe, quòd homini poſſibilitas implendi mandata, poſtquàm prævaricatus eſt contrà Dei mandatum, integra manſerit. Addit ille Miniſter, Symbolum ad Damaſum, in quo anathema denunciatur ijs, qui impoſſibilem legis obſervationem dixerint, non eſſe Hieronymi ad Damaſum, ſed Pelagij ad Innocentium; prout aſſerat Bellarminus *de Script. Eccleſ. in Hieron.*

Arguit

Arguit 6. Sententiam ab Hadriano Florentino Trajectenſi ad Romanum Pontificatum evecto dici tandem in hæc verba: *Sunt enim merita noſtra, & præparatio, velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, & perforat manum innitentis, & velut pannus menſtruatus ſunt omnes juſtitiæ noſtræ, ut habetur Iſaiæ 64. Jugiter enim ſuprà pannum bonæ vitæ, quem juſtitiæ operibus teximus, ſtillamus ſentem diverſorum criminum. Quæ igitur ex ijs poterit eſſe fiducia ad Deum, qui neminem diligit, niſi ex toto corde converſum. Rectè igitur ſuaſit Salvator: Quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus.* 9.

CAPUT III.

Oſtenditur, impiam eſſe illam propoſitionem, quâ ſimpliciter & abſolutè pronunciatur, legem Dei eſſe obſervatu impoſſibilem.

Explicatur ſtatus quæſtionis.

Aliud enim eſt, ſi quæſtio ſit de ſufficientiâ per vires non tam naturæ, quàm Gratiæ ad obſervanda Dei mandata. Aliud verò eſt, ſi quæſtio ſit de Efficaciâ Gratiæ, conferente donum actualis mandatorum Dei obſervantiæ. Et quidem cùm lex Dei conſtet multis præceptis, quæ ad unum Dilectionis Divinæ mandatum, ceu omnium præceptorum (uti Catechiſmus Tigurinus *a. 32.* loquitur) Summarium ultimatè reducuntur: idcircò iſta obſervantia reſpectu præceptorum Dei poteſt vel conſiderari *Virtualiter*, quatenus nimirùm ſub Actu Dilectionis Deum ſuper omnia appretiantis *Virtualiter* obſervatur lex univerſa. Vel obſervantia ejuſmodi reſpectu ſingulorum Dei præceptorum poteſt ſpectari *Formaliter*, prout ſingula in ſe ipſis ſpecificè obſervantur. Quæ rurſus obſervantia conſiderari poteſt vel *quoad Subſtantiam*, vel *quoad Circumſtantias Intenſionis* præſertim, ſive *Extenſionis*, prout iſtorum terminorum explicatio clariùs patebit ex ſubſequentibus. Quibus adeò poſitis, operæpretium eſt, hîc examinari Articulum 29. Catechiſmi Tigurini, ubi cùm quæſitum eſſet, *Ad quid homini proficua ſit lex Dei, cùm tamen eam obſervare non valeat?* Reſpondetur: *Ad hoc ipſi conducere, ut peccatum ſuum, ac pœnam huic debitam ex lege agnoſcat, ac de iſtis exinde conveniatur?* Ad quæ proinde refutanda ſtatuitur in præſenti quæſtionis ſtatus, *Utrùm obſervantia mandatorum Dei quoad ſubſtantiam ſaltem ſpectata, ſit homini in ſtatu naturæ lapſæ ſaltem per Dei ſufficientem gratiam poſſibilis?*

10. (margin, beside first line of "Aliud enim eſt")
11. (margin, beside "tio clariùs patebit")

Digitized by Google

Probatio prima, quâ oſtenditur, illum Catechiſmi Tigurini Articulum 29. eſſe in ſe Contradictoriè implicatorium.

12. NAm impoſſibile eſt, legem convincere hominem de peccato ac pœnâ in illo ſtatu, in quo Deus nequè juſtè poſſet aliquid imperare, nec piè hominem condemnare. At Divus Auguſtinus *lib. de Libero Arbit. & grat. cap. 68.* diſertis verbis aſſeruit, quòd *Deus nec impoſſibile potuerit imperare, qui juſtus eſt, nec damnaturus ſit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt.* Si ergo lex Dei adeò impoſſibilis eſſet obſervatu, ut ejus tranſgreſſionem homo vitare non poſſet, quomodò Deus juſtus ac pius foret in ferendâ tali lege, hominem pœnæ etiam æternæ convincente?

Probatio ſecunda, ex ſacris Antiqui Teſtamenti Litteris deſumpta.

13. ETenim *Deuter. 30. v. 9.* ſic habetur: *Revertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gaviſus eſt in Patribus tuis, ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodias præcepta ejus & Cæremonias, quæ in hac lege conſcripta ſunt, & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ: mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſuprà te eſt, nequè procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrûm valet cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus.* Ex quo ſanè patet, præcepta non tantùm Cæremonialia, ſed etiam Moralia quoad ipſum etiam mandatum revertendi ad Deum in toto corde, & in totâ animâ, non fuiſſe *SUPRA VIRES* Iſraelitarum. Quare converſio ad Deum ex toto corde, & ex totâ animâ, licèt ſit ſuprà vires naturæ, in lege tamen quoquè Moſaicâ non erat ſuprà vires Gratiæ tunc collatas ex futuris, ab æterno Patre jam acceptatis Chriſti meritis ad obſervandam legem Divinam etiam perfectè, quoad Dei nimirùm ex toto corde, & ex totâ animâ Dilectionem. At verò iſtæ vires non tantùm erant ad audiendam, atque adeò fide concipiendam legem Dei, ſed ad eam opere complendam. *Ex cit. ſacro textu.* Cui adeò conformiter *cit. cap. 30. v. 14.* dicitur: *Sed juxtà te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Conſequens proinde eſt, in lege etiam Moſaicâ, & à fortiori in lege Evangelicâ fuiſſe homini Divinitùs collatas Gratiæ vires ad mandata Dei etiam quoad dilectionis, Deum ex toto corde, & ex totâ animâ, adeòque ſuper omnia importantis perfectionem obſervanda.

Probatio tertia, petita ex diſtinctione Sufficientiæ ac Efficaciæ requiſitæ ad actualem mandatorum Dei obſervantiam.

14. NAm ut ſolidè procedatur, oportet, diſtinguere inter gratiam ſeu Auxilium Dei Sufficiens & Efficax. Illud à Sancto Augustino *lib. de cor-*

corrept. & Grat. cap. 12. vocatur *Adjutorium, ſine quo aliquid non fit, non quo aliquid fit*: ſive *Auxilium Divinæ Gratiæ, quo accipimus poſſe facere bonum, non tamen accipimus de facto ipſum Operari ac Facere.* Econtrà verò Auxilium Gratiæ Efficax à S. Auguſtino *citato* dicitur *Adjutorium, cum quo fit ipſum opus bonum, ſive per quod accipimus actualiter bonum, ſed liberum operari noſtrum.* At imprimis illud Efficacis Gratiæ auxilium ad Divinam legem etiam cum perfectione tam *extenſionis* univerſa Dei mandata complectentis, quàm *dilectionis* Deum ex toto corde, atquè adeò ſuper omnia appretiantis obſervandam, eſſe collatum Sanctis, conſtat ex ſacris Litteris *Ioſue cap. 11. v. 15. Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſue, & ille univerſa complevit, nec prætergreſſus de univerſis mandatis, nec unum quidem verbum, quod juſſerat Dominus Moyſi.* Et de Davide 3. *Reg. 14. v. 8.* Deus per Prophetam ita conteſtatus fuit: *Non feciſti, ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens, quod placitum eſt in conſpectu meo.* Item 4. *Reg. 23. v. 25.* dicitur de Ioſiâ Rege: *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in totâ animâ ſuâ & in univerſâ virtute ſuâ juxtà omnem legem Moyſi &c.* Denique 1. *Ioan. 3. v. 22.* habetur: *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Ex quibus adeò patet, Sanctos tam Novi, quàm Antiqui Teſtamenti eatenùs obſervâſſe mandata Dei in gradu excellenti ac perfecto, ut conſequenter oporteat, ipſos habuiſſe vires Gratiæ non tantùm ſufficientis, dantis *Poſſe*, ſed etiam Efficacis, dantis ipſum *benè Operari & Velle.* Nec 15.
obeſt, aliquos ſubinde, Davidem v. g. in adulterio & homicidio Uriæ Hethæi, peccâſſe etiam mortaliter. Hoc enim non obſtante, dicit tamen Scriptura *cit. Reg. 3. cap. 15. v. 4. Propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Ieruſalem, eò quòd feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinâſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi.* Unde infertur, Deum quidem aliquo tempore ſubtraxiſſe David Efficaciam ſuæ Gratiæ, & ita in ſtatum offenſæ ac vindictæ Divinæ incidiſſe, hanc tamen jacturam Divinæ Gratiæ Efficaciâ mox reparatam, atquè Iuſtitiæ ſtatum deinceps in ipſo conſervatum fuiſſe. Quinimò ſub ipſo peccati tempore oportuit, habuiſſe ſufficientes à Deo vires ad peccatum evitandum, cùm alioquin teſte Divo Auguſtino *cit. cap. 68. de lib. Arbit. & Grat.* Deus, qui pius eſt, non fuiſſet eum damnaturus pro peccato, quod vitare non potuiſſet.

Digitized by Google

Probatio quarta, prioris continuativa quoad ſufficientiam virium Divinitùs acceptarum in juſtis ad perſeverandum in ſtatu Gratiæ.

16. Etenim in ſtatu Gratiæ & Iuſtitiæ homini competere virtutes Fidei, Spei, & Charitatis Divinitùs infuſas & inhærentes, fatentur ipſimet Reformati. At iſtas non relinquit Deus taliter otioſas, quin Fides per dilectionē operetur. Et verò ex vi iſtarum virtutum, accedentibus præſertim Divinis inſpirationibus ac motionibus, ſufficientes ſunt homini vires ad perſeverandum in ſtatu Gratiæ. Atqui ad perſeverandum in ſtatu Gratiæ ſeu Iuſtitiæ, & Amicitiæ Dei neceſſaria eſt obſervantia Divinorum mandatorum, juxta illud Chriſti *Ioan. 15. v. 14. Vos amici mei eſtis, ſi* (en conditionem ad conſervandam cum Deo Amicitiam) *feceritis, quæ præcipio vobis.* Oportet proinde, in hominibus juſtis talem eſſe ſaltem ſufficientiam ad conſervanda præcepta Dei, ut, licèt hæc ſint de Actibus etiam ſupernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis ac Religionis, non tamen ſint gravia, ſecundùm vires non quidem naturæ, ſed Gratiæ ac auxiliorum ſupernaturalium. Unde Chriſtus quoquè Dominus *Matth. 11. v. 29.* dixit: *Tollite jugum meum ſuper vos &c. jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et 1. *Ioan. 5. v. 3.* dicitur: *Hæc eſt enim Charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt.* Cum igitur ad Dei Amicitiam, atque adeò ſtatum Gratiæ & Iuſtitiæ conſervandum, homini neceſſaria ſit mandatorum Dei obſervantia, hæc verò, utpote Actus ſupernaturales Fidei præſertim Spei & Charitatis exigens, ſit ſuprà naturæ vires, atque adeò requirat vires Gratiæ ſupernaturales; ejuſmodi verò Dei mandata vires quidem Naturæ excedentia, Gratiæ tamen viribus proportionata non ſint homini gravia, evidenter ſequitur, homini juſto in Amicitiâ Dei conſtituto Divinitùs eſſe conceſſas vires ſaltem ſufficientes ad ſervanda Dei mandata.

17. Neque obeſt, quòd *1. Ioan. 1. v. 8.* dicatur etiam de juſtis: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt.* Nam ex ſacro contextu patet, hæc verba procedere etiam de illis, qui ſtant in ſocietate Chriſti, ambulantquè in luce, & per ſanguinem Chriſti emundantur à peccatis. At eo ipſo, quòd Chriſtus Dominus *cit. Ioan. 15.* ad Dei Amicitiam conſervandam exegerit mandatorum ſuorum obſervantiam, oportet, peccata, de quibus *cit. 1. Ioan. 1. v. 8.* ſermo eſt, non eſſe tenebras ſocietatem Chriſti ſolventes *cit. c. 1. v. 6.* eſſequè adeò Venialia, quæ nimirùm *Poſitivè* & *Contrariè* non pugnent cum Fine & ratione Formali mandatorum Dei; licet ſint præter iſta. Unde ex præallegato ſacro Textu ſolùm infertur, in hominibus juſtis eatenùs

eſſe

eſſe peccata Venialia, ut conſequenter in ordine ad iſta in ipſis deficiat Gratia Efficax, nec tamen deſit auxilium ſufficiens ad eorum evitationem, ſtante integrâ Gratiæ non tantùm Sufficientiâ, ſed etiam Efficaciâ ad evitanda Mortalia, Deique adeò mandata ſecundùm ſubſtantiam, ſi non ſecundùm majoris Venialium etiam excluſivæ perfectionis gradum ſervanda, quamdiu ſtabunt in Iuſtitiæ & Gratiæ ſtatu. Quinimò iſto licèt amiſſo, Divinitùs accipiunt Auxilium ſaltem ſufficiens, quandoquè etiam Efficax ad pœnitendum ac reſurgendum, uti patet exemplo Davidis *preced. Prob. n.* 12. expoſito, deduceturquè *ſequent. Prob.*

Probatio quinta, quoad Gratiæ Sufficientiam in peccatoribus ad pœnitendum, aliaque Divina mandata ſervanda.

NAm *ex Apoc. 3. v. 20.* conſtat, peccatori dictum eſſe: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum &c.* At iſta Dei pulſatio importat vires Gratiæ Sufficientis ad conſentiendum Divinæ vocationi. De cujuſmodi adeò Gratiâ Dei Concilium Senonenſe *in Decreto Fidei cap. 15.* dixit: *Cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Unde quòd peccatores in ſuis peccatis obdurati perſiſtant, Deiquè mandata negligant, ipſis imputandum eſt, non Deo, *juxta illud Eccleſiaſtici 15. Nè dicas, per Deum abeſt.* Et hinc S. Auguſtinus *lib. de Prædeſt. & Grat. cap. 14.* de ipſo etiam Pharaone obdurato dixit: *Sic piè de Deo ſentiamus, Pharaoni non denegavit miſericordiam ſuam.* Et infra: *Numquid* (viribus utique Divinitùs acceptis) *non potuit, ſicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoſcere?* 18.

Probatio ſexta, ex Patrum authoritatibus, vivam Fidelium Fidem in Eccleſiâ Dei propagatam & conſervatam ſuis authoritatibus uniformi conſenſu quaſi exprimentibus, deſumpta.

ETenim Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromat. cap.* 8. ſic ait: *Quin etiam præcepta ſunt ejuſmodi, ut à nobis poſſint fieri, vel non fieri* (en libertatem potentiæ ad faciendum, & non faciendum) *quæ, conſentaneum eſt, ut conſequatur laus & vituperatio.* Sanctus Cyprianus *lib. de Baptiſ. Chriſti*, inter alia ſic Deum alloquitur: *Quòd, ſi impoſſibilia eſſent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel Voluntas tua ſic abdita, ut non poſſent intelligi, quid à nobis expeteret tua altitudo &c. Gratias tibi ago, clementiſſime Deus, quia quod quæris à me, priùs ipſe donâſti &c.* 19.

Sanctus Baſilius *Orat. in illud Moyſis: Attende tibi ipſi*, ita habet: *Impium proinde eſt, aſſerere, præcepta Spiritûs ſancti impoſſibilia eſſe obſervatu.* Unde verò ſit iſta poſſibilitas, oſtendit in *Regulis breviorib. Reſp. 176. Sine dubio,* inquiens, non

non præcepiſſet hoc, qui bonus ac juſtus eſt, niſi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuiſſet largitus. Sanctus Hilarius *ad Pſal. 118.* ait: *Latum igitur mandatum Dei eſt, & in omnia Spei noſtræ genera diffunditur, ut non ſit difficile, ſi voluntas adſit, præcepto Dei obtemperare &c.*

Sanctus Hieronymus *lib. 1. Comment. in cap. 5. Matth. Multi,* ait, *præcepta Dei ſuâ imbecillitate, non Sanctorum viribus æſtimantes, putant, eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt &c.* Videri poſſunt, quæ hic Sanctus Doctor *Epiſt. ad Ceſiphontem cap. 4. & lib. 1. adverſ. Pelagianos cap. 3. Item lib. 3. cap. 1. & 2.* deducit, ubi circà illam propoſitionem Pelagij aſſerentis, præcepta Dei viribus naturæ eſſe poſſibilia, quoad unam partem, nempè de poſſibilitate concedit, at negat quoad alteram partem, nempè de viribus naturæ, ſed ait, iſtam poſſibilitatem ita eſſe ex viribus Gratiæ, ut tamen Deus foret auctor injuſtitiæ, ſi id exigeret, quod fieri non poteſt.

20. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus *Hom. 18. in Matth. Nè igitur impoſſibilia putemus, eſſe præcepta, quæ certè & utilia nobis ſunt, & valdè facilia, ſi advigilemus.* Similia habet *Hom. 8. de Pœnit. & Hom. 19. in Epiſt. ad Heb. in Morali*, ubi inter alia ſic concludit: *Nihil impoſſibile imperat Chriſtus &c.*

Divus Auguſtinus *lib. de Spiritu & Litt.* multis oſtendit, qualiter adimpletio legis fieri poſſit per Spiritum vivificantem, ſive per Gratiam. Quibus conformiter *in Pſal. 118.* ait: *Id agit Gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant &c.* Juxta quas adeò Gratiæ vires *lib. de Naturâ & Grat. cap. 43.* ſic ait: *Non igitur impoſſibilia Deus jubet, ſed jubendo admonet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis &c.* Et *ibid. cap. 69.* ita concludit: *Valdè autem bona ſunt præcepta, ſi legitimè his utamur, eo quippe ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus, quid petamus: omnia quippe fiunt facilia Charitati &c.* Item *lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſſ. cap. 3. His, ac hujuſmodi alijs teſtimonijs dubitare non poſſum, nec Deum impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe, ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo.* Similia habet *Lib. de Grat. & lib. Arbit. cap. 15. & alibi ſæpe*, impoſſibilitatem Dei mandatorum eatenùs refutans, ut tamen contra Pelagianos oſtendat, illorum poſſibilitatem non in naturæ, ſed Gratiæ vires reducendam eſſe. Quæ ſanè, nimis clarum eſt, pugnare cum allegato Catechiſmi Tigurini articulo, in quo ita præſupponuntur impoſſibilia Dei mandata, ut non tantùm non reſpiciat ad Gratiæ vires, quibus fiant poſſibilia, ſed legem Dei ad hoc præcisè dicat proficuam, quòd peccatum ac pœnam ipſi debitam demonſtret.

C A-

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Verum quidem eſſe, quod Sacri Concilij Triden- 21
tini *Seſſ. 6. de Iuſtif.* Canon decimusoctavus de homine juſto decer-
nat, quòd ipſi non ſint impoſſibilia Dei mandata. Nihilominùs
de homine etiam peccatore poſſe moveri ac decidi iſtam quæſtionem, con-
formiter ijs, quæ *praced. cap. 3. prob. 6.* dicta ſunt. Sed ait Vedroſius, in illâ
quæſtione: *Num lex Dei ſit homini* (in ſtatu ſcilicet Gratiæ) *ſervatu poßibilis*?
Sermonem eſſe de poſſibilitate abſolutâ, ſecundùm partes nimirùm & gra-
dus. Verùm iſtum Miniſtrum oportuiſſet, conſiderare inprimis illam poſ- 22
ſibilitatem in ſupernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis &c. Divinitùs præ-
ceptis actibus, eſſe ſecundùm vires Gratiæ. At eo ipſo, quòd iſta ſit ſecun-
dùm menſuram donationis Chriſti, oportet, diverſos ejuſdem gradus ſta-
tuere non tantùm quoad formam juſtificantem, ſed etiam quoad Gratiæ
Actualis auxilia, ita ut in aliquibus juſtis magis, in alijs verò minùs abun-
det, quatenùs nimirùm uni datur Gratia non tantùm Sufficiens, ſed etiam
Efficax ad omnia mortalia per totum à juſtificatione acceptâ computan-
dum tempus evitanda: alteri verò ex juſtis licèt prædeſtinatis ac electis, ve-
lut in Davide accidit, pro tempore ſubtrahitur Efficax Auxilium ad ten-
tationem aliquam ſuperandam, cujus adeò defectu ita quidem excidit è ſta-
tu Gratiæ, ut Deus tamen eum ſuæ Gratiæ Efficaciâ moveat ad pœniten-
tiam, ac reſtituat in priſtinum Amicitiæ ſtatum. In quo nihilominùs caſu,
ubi defuit Efficax pro tentatione aliquâ ſuperandâ Auxilium, non deeſt ſuf-
ficiens ad mortalis peccati evitationem Gratia: prout Divus quoquè Au-
guſtinus *lib. de Perfect. Iuſtit. in init.* ad primum & ſecundum Cœleſtij inter-
rogatum reſpondit: *Peccatum*, inquiens, *ſi neceßitatis eſſet, non fore peccatum, ſi
verò ſit voluntatis, vitari poſſe; poſſe autem vitari, quatenus natura vitiata ſanatur Gra-
tiâ Dei per Ieſum Chriſtum.*

Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius, hominem 23
renatum & juſtificatum, poſſe in Chriſto legem implere. *Ex Coloſſ. 2. v. 10.*
At lex Dei eſt, ut eam non tantùm affectu impleamus, ſed opere complea-
mus & faciamus. *Ex Deut. 30. v. 9. & 14.* Et hinc dixit Chriſtus *Ioan. 15. v. 14.*
Vos amici me eſtis, ſi feceritis (quod non tantùm affectum, ſed effectum impor-
tat) *quæ præcipio vobis.* Eo ipſo igitur, quòd homo juſtus poſſit legem im-
plere, oportet, ipſi Divinitùs eſſe conceſſas Gratiæ vires ad actus præceptos
re ipſâ faciendos ac opere complendos, ut ſic onus ac jugum Chriſti leve &

ſuave

ſuave ſit non tantùm deſiderio, ſed ipſo opere, Deiquè adeò mandata ad actualem ac realem ſui adimpletionem obligantia, non *quidem ſecundùm Naturæ*, ſed *Gratiæ*, concupiſcentiam, & mali proclivitatem quantumvis obſtrepentem *ſuperantes, vires* non ſint obſervatu gravia & moleſta. *Ex Matth. 11. v,*
24. *30. Et 1. Ioan. 1. v. 3.* Sed quid ais Vedroſi, legem Dei, obſtrepente peccati proclivitate, non eſſe ſervatu *abſolutè* poſſibilem, eò quòd in renatis perpetuò maneat carnis ac ſpiritûs lucta, quâ fiat, ut pijſſimus quiſque non ſemper faciat id, quod vult, ſed interdum id, quod odit. *Rom. 7. v. 15.* Verùm oportuiſſet, te in hoc ipſo ſacro Textu advertiſſe, quòd Apoſtolus clarè aſſerat, id, quod ex parte carnis per naturam agitur, non poſſe voluntatem neceſſitare, ut conſentiat: hinc enim fit, ut faciente etiam naturâ id, quod de ſe ac *Materialiter* malum eſt, voluntas oderit, ac reluctetur. *Ex cit. Rom. 7. v. 15.* Atqui motus ejuſmodi naturæ non ſubſunt legi, niſi quatenùs ſubſunt voluntati. Et hinc Deus *Gen. 4.* dixit Cain per naturalem iræ ac vindictæ cupiditatem inſtigato: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, ſecundùm potentiam ſcilicet, *ſupernaturalium ſaltem Gratiæ virium.* Quia ergo motus concupiſcentiæ non aliter ſubſunt legi, niſi quatenùs in voluntatis ſunt poteſtate Dominativâ: leges enim feruntur homini quà liberè per voluntatem, non quà neceſſariò per potentias ſenſuales, ut ſic inſtar brutorum legis omninò incapacium operanti; idcircò lex Dei, quatenùs fertur in concupiſcentiæ motus quà per voluntatis poteſtatem Dominativam moderandos, eſt de objecto *abſolutè* poſſibili, *ſecundùm ſupernaturales ſaltem Gratiæ*
25. *vires.* Quod equidem Sanctus Hieronymus *lib. 1. ac 3. adversùs Pelag. cap. 1. 2. & 3.* eleganter oſtendit ſequenti Dialogo. Etenim priori loco, ubi Criton Pelagianus propoſuiſſet: *Oro te, ut hoc mihi reſpondeas, Poßibilia Deus mandata dedit, vel impoßibilia?* Reſponſum eſt ex parte Catholici: *Se fateri, quòd Deus poßibilia dederit mandata, nè ipſe author injuſtitiæ ſit, ſi id exigat fieri, quod fieri non poteſt.* Exinde *loco poſteriori*, nempe *lib. 2.* ubi Pelagianus inſtitiſſet: *Poſſe igitur hominem ſolis naturæ viribus eſſe ſine peccato.* Reſponſum eſt ex parte Catholici: *Se quidem hoc dicere impoßibile in homine, ita tamen, ut illud tempus, quando homo ſine peccato eſt, nequaquàm poßibilitati humanæ, ſed Dei Gratiæ deputetur.* Pelagiano proinde ad naturæ vires unicè intento replicanti: *Fruſtrà ergò dari præcepta, ſi ea implere non poßimus.* Reſponſum rursùs eſt ex parte Catholici: *Nulli dubium eſſe, quòd Deus poßibilia mandârit, poſſeque adeò hominem non peccare, ſi velit, pro tempore, loco, pro imbecillitate corporeâ, quamdiu intentus eſt animus.* Nihilominùs *hoc longâ diſcretione concluſum eſſe, ut Gratiâ ſuâ Dominus, quâ nobis*
26. *conceßit liberum Arbitrium, in ſingulis operibus juvet, atque ſuſtentet.* En igitur Vedroſi, Pelagianiſmum in ſe continuiſſe, ut unicè eſſet intentus in vires naturæ,

turæ,

Digitized by Google

naturæ; itaque per has ſolas, abſque Gratiæ viribus diceret, poſſibilia eſſe Dei mandata. At tua econtrà Reformatio non ſe extendens ad gratiæ vires, eouſque proceſſit, ut negaret poſſibilitatem mandatorum Dei opere ipſo complendorum. Atque adeò adversùs Gratiam Dei non minùs injuria eſt, ac Pelagianiſmus, cum quo proinde coincidit in principio ad ſolas naturæ vires intento, licèt poſteà è diametro pugnet cum illo quoad Concluſionem.

Ad *tertiam* Reſp. Utique Sanctos hujus vitæ, ſi quærantur, *An ſint ſine peccato*, non reſponſuros cum Pelagio aſſerente, hominem ſolis naturæ viribus poſſe eſſe ſine peccato. Nihilominùs reſponſuros cum Catholico per Sanctum Hieronymum *proximè præced. Reſp.* adducto, quòd homo poſſit eſſe ſine peccato, non per ſe, ſed per Dei Gratiam. Quinimò reſponſuros etiam cum Sancto Ioanne: *Si dixerimus* (in hoc ſcilicèt corpore) *quia peccatum non habemus, ipſos nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed quid ex hoc Sanctorum reſponſo infers Vedroſi? *An quòd per vires quoquè Gratiæ ſibi conceſſæ in hac mortali vitâ Sancti non potuerint eſſe ſine peccato?* At iſta illatio eſt negativè de actu ad potentiam, cujuſmodi conſequentiæ genus non valere, notiſſimum eſt. Adhæc ibi agitur de peccato minimè ſolvente ſocietatem cum Chriſto, *uti patet ex ſacro contextu.* Ejuſmodi verò peccatum aliàs veniale dictum, taliter ſubſiſtere poteſt cum ſtatu Gratiæ ſanctificantis, ut propterea Concilium Milevitanum *Can.* 3. tempore Sancti Auguſtini dixerit, vocem etiam juſtorum quotidiè orantium eſſe, *Dimitte nobis debita noſtra.* Tametſi proinde ſine iſtis peccatis venialibus (extrà ſpeciale Dei privilegium) nullus Sanctorum in hac vitâ exiſtat, oportet tamen, Sanctos ejuſmodi habere gratiæ vires ad eorum evitationem ſufficientes, cùm alioquin Deus exigendo, quod fieri non poteſt, author foret injuſtitiæ: uti ex parte Catholici argumentatus eſt Sanctus Hieronymus *cit. lib. adversùs Pelagianos cap.* 3. Quinimò ſecundùm Divum Auguſtinum *ſuperiùs n.* 22. adductum, illa peccata non eſſent peccata, ſi forent neceſſitatis, ita ut ſecundùm vires gratiæ juſtis conceſſæ vitari non poſſent. En igitur Vedroſi, quàm ineptè Patres tibi apertè repugnantes nitaris in tuam partem trahere, ex illo ſemper peſſimo principio procedendo, quòd non attendas ad vires gratiæ, quibus mandata Dei naturæ vires alioquin excedentia gravia non ſunt; uti ex ſacris Litteris conſtanter clamant Sancti Patres.

27. 28. 29.

30. Ad *quartam* Reſp. Sanctum Hieronymum *lib.* 2. *contrà Pelagian.* ex ſacris Litteris demonſtrare, tum quòd obſervantia Dei mandatorum, attentis noſtræ naturæ viribus, impoſſibilis quidem ſit, reddatur tamen poſſibilis per gratiam, tum quòd nullus juſtorum ſit abſque peccato, de

 quo

Digitized by Google

quo nimirùm dicatur: *Septies in die cadit juſtus.* At eo ipſo, quòd taliter peccans juſtus ſit, oportet peccatum ejuſmodi non ſolvere Amicitiam Dei, nec adeò mortale eſſe, ſed veniale. Etſi verò homo juſtus exiſtat abſque peccato mortali, idem tamen Sanctus Doctor ait, nec iſtud quidem fieri poſſe abſque gratiâ Dei. Quæ proinde ſi ritè expendantur, facilè erit, diſtinguere inter actualem mandatorum Dei obſervantiam, ejuſque poſſibilitatem. Et hæc quidem ex mente Sancti Hieronymi ita eſt dependens ex gratiæ viribus, ut conſequenter per ſufficiens gratiæ auxilium homo juſtus poſſit vitare omnia peccata, non tantùm Mortalia, ſed etiam Venialia. Quamvis autem homo etiam juſtus nunquàm ſit abſque peccato veniali, atque adeò Gratiæ Divinæ Efficacia quoad mandatorum Dei obſervantiam tam *Intenſivè*, quàm *Extenſivè* perfectam, culparum etiam Venialium pro omni tempore excluſivam, juſtis, dum verſantur in hac vitâ mortali, *ordinariè* deficiat, attamen in ipſis, quamdiu juſti ſunt, jugiter ſtat gratia non ſufficiens duntaxat, ſed Efficax ad evitanda peccata mortalia. Hæc igitur ſunt, quæ (uti ſpecificè ea oſtendere, ſum paratus) ex Sancto Hieronymo *cit. lib. 2. adversùs Pelagianos* evincere licet, in quibus nè apicem quidem favere tuæ Reformationi, ſed omnia Romanæ Eccleſiæ eſſe conformia, nimis apertum eſt.

38. Ad *quintam* Reſp. Jam jam te ipſum prodis Vedroſi. Etenim ex locis *præced. cap. 3. Prob. 5. n. 18. adductis* apertum eſt, Sanctum Auguſtinum *in ſtatu etiam corruptæ ſeu lapſæ naturæ* ſtatuere poſſibilitatem mandatorum Dei, non quidē ex naturæ viribus, uti faciebat Pelagius, ſed ex viribus gratiæ. At hanc ipſam mandatorum Dei poſſibilitatem negas, dum non intendis in Gratiæ Divinæ vires, nec cogitas iſtas, licèt peccato Adami perditas, Dono tamen Dei ac Chriſti in hominibus juſtis reſtauratas eſſe. En igitur Vedroſi, in tantum diſcrepas à S. Auguſtino, ut & gratiæ, & miſericordiæ Dei, ac Redemptionis Chriſti efficaciæ ſis injurius. Quinimò nè in Pelagij quidem hæreſi, per Sanctum licèt Auguſtinum toties diſcuſsâ, diſcernendâ probum te, vel peritum oſtendis: ex prætacto enim Sancto Doctore facilè deprehendere potuiſſes ac debuiſſes, Pelagianiſmum in eo ſe tenere, quòd mandatorum Dei poſſibilitas ex ſolis naturæ viribus, non autem ex gratiâ Dei adſtrueretur. Quæ porrò de Symbolo ad Damaſum in medium producis, non eſt opus, hic diſcutere; ſufficit enim nobis, quòd Calvinus *cit. lib. 2. Inſtit. cap. 7. ſect. 5.* apertè faſſus ſit, Hieronymum non dubitâſſe, anathema dicere illi, qui impoſſibilitatem legis adſtrueret. Quam ſanè cenſuram ille Pſeudoreformator non evitat, ſed aggravat, dum ait, ſe Hieronymi ſen-

tentiam non morari, utpote ex hoc apertè probans ſuum effrenem adverſus Patres Orthodoxos ſpiritum.

Ad *ſextam* Reſp. Ex præadductis Hadriani Florentini verbis ſolùm 32.
evinci, tum quòd reflectendo oculos ad naturæ vires, reperiamus nos impotentes ad opera ſancta, ſed ex nobiſmet ſtillemus ſentem diverſorum criminum, tum quòd intendendo ad Gratiam Divinam, inveniamus, nos per eam ita comparare merita & opera Iuſtitiæ, ut cum his tamen per noſtram deficientiam *Concomitanter* operemur, ſeu conjungamus peccata, Iuſtitiam noſtram inſtar panni menſtruati commaculantia, eo ipſo tamen venialia, quòd Iuſtitiæ non ſint deſtructiva. Hinc autem eatenùs cum veritate dicere nos ſervos inutiles, ut, quidquid in nobis eſt ad ſalutem utilitatis, non ſit niſi ex gratiâ Dei, quam tamen ob noſtram deficientiam non eouſque creſcere in hac vitâ, quin Iuſtitiam noſtram multis imperfectionibus ſeu peccatis venialibus commaculemus, nec adeò fiduciam noſtram ad Deum tutò inniti noſtris operibus, ſed miſericordiâ & gratiâ Dei. En igitur Vedroſi, nihil ex ijs, quæ Hadrianus à te præcitatus diſſeruit, favere tibi, ex hoc vel maximè cæcutienti, quòd oculos ad Divinam Gratiam minimè apertos habeas.

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur. Georgij Argumenta *præced. cap. 1.* deducta, nullatenùs 33.
per Vedroſium ſoluta, ſubſiſtere integra, eſſequè omninò apertum, quòd Reformatio hodierna in præſenti circà mandatorum Dei ex gratiæ viribus poſſibilitatem omninò diſcrepet ab antiquis Orthodoxis Patribus. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui adſtruendo impoſſibilitatem legis Divinæ, eatenùs obliviſcitur Divinæ Gratiæ, præcepta, noſtras licèt vires excedentia, ſuavia & levia, atque adeò poſſibilia reddentis, ut conſequenter veram fiduciæ in Deum, ejuſque gratiam capiendæ radicem è medio tollat; imò omnimodam noſtrâ de mandatorum Dei obſervantiâ curam, atque adeò pro poſtulandâ Dei Gratiâ ſollicitudinem radicitùs evellat. At eo ipſo, quòd Spiritus hodiernæ Reformationis dixerit, præcepta Dei eſſe impoſſibilia, non potuit ſe reflexiſſe ad vires Divinæ Gratiæ, aut certè ſi ad iſtas intendiſſet oporteret, eſſe impium adversùs gratiam Dei, ejuſque ex ipsâmet Dei Omnipotentiâ pendentem virtutem non tantùm ſufficientem, ſed potentiſſimam & efficaciſſimam. Hinc autem impoſſibile eſt, ut ſpiritus circà vires gratiæ taliter cæcutiens excitari poſſit ad veram Dei fiduciam, ſed oportet, ipſum torpere in omni ſancto opere, abjectâ omnimoda etiam curâ

Digitized by Google

ad poſtulandam Dei Gratiam, mediante quâ poſſit ac debeat ſervare præcepta Dei, utpote ſibi viſa prorſus impoſſibilia. Viderit ergo ille ſpiritus, qualiter poſſit eſſe Divinus, utpote omnes Sanctorum operum fructus in primâ quaſi radice tollens è medio, atque adeò univerſorum vitiorum libidinem inducens?

SECTIO III.

De Concupiſcentiâ.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. 3. Dec. 22.* inducit Sanctum Auguſtinum *Conc. 3. in Pſal. 113.* ita diſſerentem: *Languoris illius & infirmitatis, unde illicita deſideria commoventur, quod peccatum appellat Apoſtolus, univerſus reatus Sacramento Baptiſmatis eſt ſolutus, cum omnibus, quæ illi obedientes facimus, diximus, cogitavimus: nec deinceps languor ille obeſſet, quamvis ineſſet, ſi deſiderijs ejus illicitis nullam unquàm obedientiam præberemus, ſive operatione, ſive locutione, ſive tacitâ aſſenſione &c.* Et *in expoſit 17. quart. propoſit. ex Epiſt. ad Rom. Non enim in ipſo deſiderio pravo, ſed in noſtrâ conſenſione peccamus.* Item *Serm. 6. de Verb. Apoſt. Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtamus, ſi non conſentimus, ſi membra velut arma non miniſtremus, non regnat peccatum in noſtro mortali corpore &c.*

2. Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 3. cap. 3. §. 10.* ita ſcribentem: *Inter illum,* ſcilicet Auguſtinum, *& nos hoc diſcriminis videri poteſt intereſſe, quòd ipſe quidem, quum fideles concedat, quamdiu in corpore mortali habitant, ſic alligatos teneri concupiſcentijs, ut non poſſint non concupiſcere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, ſed ad illum deſignandum infirmitatis nomine contentus, tunc demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel conſenſus ad conceptionem, vel apprehenſionem accedit, hoc eſt, quando primæ appetitioni cedit voluntas. Nos autem illud ipſum pro peccato habemus, quum aliquâ omninò cupiditate contrà legem Dei homo titillatur &c.*

3. Ex quibus tandem concludit Georgius ita ratiocinando. Veteres Doctores unà cum Sancto Auguſtino (teſte Calvino) tradiderunt, concupiſcentiam ſine aſſenſu noſtro non eſſe peccatum. At id ipſum hodie retinetur ac docetur ab Eccleſiâ Romanâ, reijcitur autem ab hodiernâ Reformatione. Ergo Eccleſia Romana hoc etiam in puncto concordat cum Veteri Orthodoxiâ, à quâ tamen diſcrepat prætacta Reformatio.

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

ISte Curienſis Miniſter *cit. Sect. 4. in Exam. Docum.* 22. arguit 1. Georgium 4.
quidem aſſerere, quòd Auguſtinus cum Eccleſiâ Romanâ ſentiat, concupiſcentiam, non accedente aſſenſu noſtro, peccatum non eſſe. Nihilominùs ſibi, ſuiſquè Reformatis ſufficere, quòd Auguſtinus eo ipſo loco fateatur, Apoſtolum hanc concupiſcentiam, quam ille languorem & infirmitatem vocet, peccatum appellare. Imò ipſum Auguſtinum *Serm. 6. de Verb. Apoſtoli* dicere, *quòd hoc peccati nomine appellet Paulus, unde oriuntur peccata.* 5.

Arguit 2. Concupiſcentiam hanc Apoſtolo *Rom. 7. v. 13.* venire nomine *peccati peccantis*, id eſt peccati aliud peccatum gignentis. Hinc Auguſtinum *contra Julian. Pelag. lib. 6. c. 5.* dicere: *Quis tam imprudens, impudens, inſanus, qui, cùm peccata mala eſſe fateatur, neget, eſſe malam concupiſcentiam?* Unde ſubinfert Vedroſius: *Si mala concupiſcentia, an non peccatum?*

Arguit 3. Quærendo, an non peccatum ſit tranſgreſſio illius legis, 6.
quæ dicit: *Non concupiſces?* Calvinum *Inſtit. lib. 3. cap. 3. §. 10.* ſic diſſerere: *Illud ipſum* (Concupiſcentiam mali) *pro peccatis habemus, quòd aliquâ omninò cupiditate contrà legem Dei titillatur homo.*

Arguit 4. Si alibi Auguſtinus concupiſcentiam, vel non velit vocare 7.
peccatum, cauſam hujus Patribus Tridentinis expoſuiſſe Antonium Marinarum, quia ſcilicet *regenitis non imputetur, non quia non ſit.* Auguſtinum *de Nupt. & Concupiſc. cap. 25.* ſic habere: *Quomodò iſta concupiſcentia maneat in regenerato, in quo univerſorum facta eſt peccatorum remiſſio? Ad hæc reſpondetur, dimitti Concupiſcentiam carnis in peccato, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur.*

CAPUT III.

Oſtenditur. Concupiſcentiam carnis, antequàm accedat liber ſaltem Interpretativus voluntatis conſenſus, non eſſe *Formaliter* peccatum.

EXplicatur ſtatus quæſtionis. Etenim Concupiſcentia poteſt qua- 8.
drupliciter dici peccatum: 1. *Materialiter Objectivè*, quatenùs objectum Concupiſcentiæ ſubeſt præcepto Divino: *Non concupiſces.* 2. *Effectivè*, quatenùs eſt effectus peccati per primum parentem contracti. Sic enim teſte Divo Auguſtino *lib. de Nupt. & Concupiſc. c. 23. Concupiſcentia vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cùm jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicut voca-*

tur

tur lingua loquutio, quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. 3. *Cauſaliter*, quatenùs per modum inclinationis eſt inductiva & cauſativa peccati. Sic enim præcitato Doctore atteſtante, *Concupiſcentia vocatur peccatum, quia peccatum, ſi vincit, facit: ſicut vocatur frigus pigrum, non quòd a pigris fiat, ſed quòd pigros faciat.* 4. *Formaliter*, quatenùs ſcilicet induit formalem peccati rationem. Etſi verò ex Sancto Auguſtino *præallegato* ſit manifeſtum, quòd Concupiſcentia nullo accedente voluntatis liberæ conſenſu, *Formaliter* non ſit peccatum; nihilominùs quia Calvinus *præced. cap. 1. n. 2. adductus*, huic Sancto Doctori circà præſens punctum apertè contradicit, ideò ex ipſiſmet ſacris Litteris, & communi Patrum, vivam in Eccleſiâ Dei jugiter propagatam Fidem conteſtantium conſenſu, adversùs Calvinum hic erit agendum.

Probatio primá, ex ſacris Litteris petita.

9. N*ihil enim damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Rom. 8. v. 1.* Ille autem eſt Chriſti, qui Spiritum Chriſti habet. *Ibid. v. 9. Si autem Chriſtus eſt in aliquo, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem. v. 10.* Conſequens igitur eſt, juſtificatum ita vivere ſpiritu Chriſti, ut nihil damnationis ſit in ipſo. Atqui hoc non impedit, quò minùs in juſtificato ſit Concupiſcentia, prout Apoſtolus de ſeipſo teſtatur: *Video*, inquiens, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.* Oportet proindè, nihil damnationis eſſe juſtificato ex Concupiſcentiâ. At eo ipſo, quòd Deus odio habeat impium & impietatem ejus. *Rom. 2. & Sap. 14.* ſequitur, in eo, qui obnoxius eſt peccato, eſſe aliquid damnationis. Quia proinde Concupiſcentia ita manet in juſtificato, ut hic tamen non ſit obnoxius damnationi, nequit talis Concupiſcentia *Formaliter* eſſe peccatum, utpote damnationi obnoxium.

Probatio ſecunda, prioris ex ſacris Litteris continuativa.

10. ETenim *Jacobi 1. v. 14. & 15.* ita habetur: *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentiâ, Concupiſcentia verò, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Hinc autem patet, Concupiſcentiam eſſe in triplici ſtatu ſeu motu, ſcilicet Suggeſtionis per *abſtractionem* & *illectionem*, Delectationis per *conceptionem*, & Conſensûs per *ſui conſummationem*. At eo ipſo, quòd in ſecundo primùm ſtatu dicatur peccatum, oportet, ipſam in primo ſtatu, atque adeò ex ſe *Formaliter* non eſſe peccatum. Etſi verò in ſtatu ſecundo induat rationem peccati, eo ipſo tamen, quòd non ſit conſummatum, non eſt generans mortem. *Ex ſacro contextu.* Ejuſmodi verò conſummati peccati

cati ſtatum agnoſcere licet ex Divo Paulo *ad Rom. 6. v. 19.* ita diſſerente: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Unde fit conſequens, illud Concupiſcentiæ peccatum conſummari, quando voluntas ipſi obedit, atque adeò liberè ac deliberatè conſentit. Ergo ante talem conſenſum ita quidem eſt peccatum, ut tamen ſecundùm Apoſtolum non ſit generans mortem. At verò peccatum non generans mortem, nequit eſſe Mortale, diciturquè proinde Veniale. De cujuſmodi adeò peccati Venialis 11.
genere habetur *Proverb. 24. Septies in die cadit juſtus.* Et *Eccleſ. 7. Non eſt enim homo juſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.* Eo ipſo enim, quòd talia peccata ſubſiſtant cum Gratiâ juſtificante, oportet, non eſſe mortifera, id eſt reatum mortis æternæ inducentia, ſiquidem talis reatus non cadat niſi in maledictos, atque adeò extrà ſtatum Gratiæ & benedictorum Dei filiorum ſtatum conſtitutos. *Matth. 25.* Ex quibus adeò manifeſtè evincitur, Concupiſcentiam de ſe, & à fortiori in primo Suggeſtionis ſcilicet ſtatu, non eſſe *Formaliter* peccatum, in ſtatu autem ſecundo, Delectationis conſenſum plenè deliberatum antecedente, eſſe peccatum, non tamen Mortale, atque adeò Veniale: in tertio tandem ſtatu per conſenſum liberum conſummato eſſe mortis æternæ inductivum, atquè adeò mortiferum peccatum.

Probatio tertia, ex SS. Patrum authoritatibus, vivam Fidelium Fidem in Eccleſiâ Dei jugiter propagatam conteſtantium, deprompta.

NAm Sanctus Cyprianus *Serm. de ablut. pedum* ita habet: *Sic* (Baptiſmus 12.
ſcilicet) *abluit, quos parentalis labes infecerat, ut nec Actualis, nec Originalis (manente tamen Concupiſcentiâ) poſt ablutionem illam ulla ſua veſtigia derelinquat.* Sanctus Cyrillus *lib. 4. in Ioan. cap. 51. circà medium* ſic habet: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit &c.* Cujus rationem pulchrè inſinuat Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromat. Peccatum,* inquiens, *eſt voluntaria injuſtitia. Injuſtitia autem eſt vitium voluntarium &c. Et ideo dixit: peccatum vobis non dominabitur.* Eandem rationem proſequuntur Divus Baſilius *Hom. 9. Quòd Deus non eſt author peccati. Malum itaque propriè,* inquiens, *peccatum, hoc verò dignum appellatione à noſtrâ voluntate pendet; propterea quòd in nobis ſitum eſt, vel abſtinere à malitiâ, vel malum committere.* Sanctus Ambroſius *de Iacob & Vitâ beatâ cap. 1. Non ſervili ad obediendum conſtringimur neceſſitate, ſed voluntate arbitrâ, ſive ad virtutem propendemus, ſive ad culpam inclinamur.* Et hinc *in Pſal. 4.* exponens illud: *Iraſcimini, & nolite peccare,* hortatur: *Si iraſcimini, nolite peccare, ſed vincite ratione iracundiam.* Sanctus Chryſoſtomus *Hom. 60. in cap. 18. Matth. Unde igitur orta ſunt* 13.
(peccata) *inquies? Ex eo profectò, quod eſt velle & nolle. Ipſum autem velle & nolle*

unde-

undenam eſt? Sanè à nobis ipſis. Et hinc Divus Cyrillus *lib. 5. in Ioan. cap. 5. Nemo rectè culpatur*, ait, *ob id, quod in ſuâ non eſt ſitum poteſtate.* Sanctus Epiphanius *hæreſi 64. Non in nobis omninò eſt ſitum, ut aut cogitemus, aut non cogitemus abſurda, ſed ut cogitationibus utamur, aut non utamur. Impedire equidem, ut ne incidant in nos cogitationes, quæ forinſecùs ad probationem noſtram inſpirantur, non poſſumus. Non obedire verò, aut non uti ipſis, poſſumus.*

Sanctus denique Auguſtinus *to. 1. lib. 2. de Geneſi contrà Manichæos cap. 14.* ſic habet: *Primò fit ſuggeſtio ſive per cogitationem, ſive per ſenſus corporis: vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel guſtando, vel olfaciendo. Quæ ſuggeſtio cùm facta fuerit, ſi cupiditas noſtra non moveatur ad peccandum, excludetur ſerpentis aſtutia: ſi autem mala fuerit, quaſi mulieri jam perſuaſum. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat, atque compeſcit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquantâ luctatione coronamur.* Similia habet pluribus in locis *ſeq. cap. ex parte adducendis*, ex quibus ſanè evincitur, per Baptiſmum ita deleri omne peccatum, ut quidem remaneat Concupiſcentia, hæc tamen, ejuſque deſiderium non ſint peccata, niſi accedat voluntatis noſtræ liber conſenſus.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

14. AD *primam* Reſp. Pro accepto haberi, quòd Vedroſius fateri cogatur, Sanctum Auguſtinum ſuæ Reformationi in præſenti puncto adverſantem. Sed quid ex hoc intendis, quòd huic Sancto Doctori opponas Divum Paulum? An ut illum arguas, quaſi Apoſtolo eſſet contrarius? Verùm hæc tua, tacita licèt, calumnia & impudentia eſt. Nam quæſtio hîc eſt, An Apoſtolus *præcitatus* Concupiſcentiam vocet peccatum *Formaliter*, vel tantùm *Cauſaliter* & *Effectivè*, ſive *Objectivè* & *Materialiter*? Talis enim loquendi modus ſacræ Scripturæ alibi quoquè eſt uſitatus, dum ſcilicet *Deuteron. 9. v. 21.* vitulus aureus dicitur peccatum, eò quòd fuerit effectus & cauſa, imò & objectum peccati. Pari proinde ratione Sanctus Auguſtinus tum *alibi*, tum *lib. 1. Retract. cap. 15.* Concupiſcentiam ſolùm *Cauſaliter* ac *Effectivè*, non *Formaliter* peccatum vocari, dicit: *Sed hoc*, inquiens, *peccatum, de quo* (ſcilicet Concupiſcentiâ) *eſt locutus Apoſtolus, ideò peccatum vocatur,*
15. *quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt.* Cujus equidem rationem Patres *præc. cap. 3. prob. 3. à n. 12. præadducti* uniformiter aſſignant cum Sancto Auguſtino *lib. de verâ Relig. cap. 14.* decernente: *Uſque adeò peccatum voluntarium eſſe malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium, quòd nimirùm nulla culpa deprehendi poßit, ubi natura, neceßitaſquè dominatur.* Ex eod. S. Doctore *lib. 3. de lib. arbit. cap. 1.*

Quia

Quia proinde neque Concupiſcentia, neque ejuſdem motus rationem antecedentes, teſte Sancto Epiphanio ſunt ſiti in noſtrâ poteſtate, ipſomet etiam Apoſtolo *cap. 6. ad Rom.* iſtud inſinuante hiſce verbis: *Nunc autem non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum &c.* Idcircò ejuſmodi Concupiſcentia nequit niſi *Cauſaliter* & *Effectivè*, ſeu *Objectivè* ac *Materialiter* eſſe peccatum. Et hinc *præcitatus* Sanctus Auguſtinus ex illo *ad Rom. cap. 18. Nulla ergo damnatio ys, qui ſunt in Chriſto Ieſu*; probat, Concupiſcentiam non eſſe *Formaliter* peccatum: *Non enim damnatur*, inquiens, *niſi qui Concupiſcentiæ carnis conſentit.* En igitur Vedroſi, tuam Reformationem ita diſſentire Sancto Auguſtino, ut hujus ſententia communi Patrum conſenſu recepta, fundetur in ſacris Litteris, illius verò jactata opinio nitatur proprio duntaxat Calvini ſpiritu ac ſenſu. Expende proinde, utri tutiùs aſſentiaris.

Ad *ſecundam* Reſp. Paulum *Rom. 7. v. 13.* Concupiſcentiam vocando peccatum peccans, eo ipſo inſinuare, quòd ſit peccatum *Cauſaliter*. At ſacræ Scripturæ non infrequens eſt, ut cauſa ſortiatur denominationem ſui effectûs. Quia ergo ex præcitato ſacro Textu manifeſtum eſt, quòd Concupiſcentia ſit *Cauſaliter* peccatum, rectè, & ſacræ Scripturæ loquendi modo conformiter intelligi poteſt ille ſacer Textus, quin opus ſit, dicere, Concupiſcentiam eſſe *Formaliter* peccatum. Quia porrò id, quod eſt cauſa peccati, eſt hoc ipſo malum, ideò Vedroſius in præſenti argutiâ perperam infert, Concupiſcentiam eſſe *Formaliter* peccatum, eò quòd S. Auguſtinus *lib. 6. contrà Iulianum cap. 5.* ipſam malam aſſerat: Idem enim Sanctus Doctor *eod. lib. & cap.* affirmat, *juſtificatos carere quidem omni peccato, ſed non omni malo.* En igitur Vedroſi, quàm ineptè pro te citaveris S. Auguſtinum. 16.

Ad *tertiam* Reſp. Verum quidem eſſe, quòd tranſgreſſio illius legis, quæ dicit: *Non concupiſces*, ſit peccatum. At ſicuti lex non *eſſentialiter* afficit voluntatem rationalem, eiquè obligationem imponit, ſic nulla eſt culpabilis, ſeu *Formaliter* peccaminoſa tranſgreſſio, niſi accedat voluntatis liber conſenſus ſaltem interpretativus: prout præter ſanctos Patres *præced. cap. 3. prob. 3. citatos*, apertè aſſerit Divus Iuſtinus Martyr *in 2. Apolog. pro Chriſtianis. Niſi arbitrio libero*, inquiens, *& ad turpia fugienda, & honeſta deligenda facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in cauſâ, ſive culpâ qualiumcunque demum factorum.* Quia proinde iſtud à Patribus uniformiter receptum, & ex ipſiſmet ſacris Litteris petitum principium tam protervè excludit Calvinus, à te Vedroſi citatus, tibimet judicandum relinquo, quantum momentum habere poſſit hujus Pſeudoreformatoris authoritas. 17.

Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Si Concupiſcentia ita remaneat in regenitis, ut tamen coram ipſomet Deo nullatenùs imputetur in pec- 18.

catum, ſequitur, re ipsâ ac ſecundùm rei veritatem non eſſe peccatum; tùm ſanè fieri non poſſit, ut Deus aliter judicet rem, quàm ſe habeat ſecundùm ipſammet veritatem. Atqui Sanctus Auguſtinus, & ex ipſo Antonius Marinarius per Vedroſium citati aſſerunt, in regenitis, in quibus nullum ſit peccatum, *manere quidem Concupiſcentiam*, non *imputari tamen* (coràm Divino ſcilicet conſpectu) *in peccatum*. En igitur Vedroſi, te confodi ipſiſſimet tuis allegationibus, quinimò te reum hic agi de falſi crimine. Allegaſti enim S. Auguſtinum, quaſi dixiſſet, Concupiſcentiam eſſe peccatum, & tamen non
19. imputari in peccatum. In quibus ſanè aperta contradictio eſt redundans in ipſum Deum, utpote qui ſecundùm tuam allegationem aliter judicaret, quàm res à parte rei ſe haberet. A quâ proinde tuâ calumniâ & blaſphemiâ longè alienus eſt ille ſanctus Eccleſiæ Doctor; non enim dixit, Concupiſcentiam in regenitis eſſe peccatum, ſed *nudè* ac *ſimpliciter* dixit *ESSE*, nec tamen *imputari in peccatum*. Quæ ſanè diverſiſſima ſunt à tuo pravo ſenſu.

COROLLARIUM.

20. EX dictis infertur. Georgij argumenta *præced. 1. cap. 1.* adducta nullatenùs eſſe ſoluta à Vedroſio, non niſi calumnioſis & blaſphemis contradictionbus ſe ſe involvente. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè Spiritus non eſt Divinus, qui contrà ſacræ Scripturæ teſtimonia, & apertam Orthodoxorum Patrum uniformiter ſentientium doctrinam, ita fatetur, ſe immerſum carnis concupiſcentijs, ut nullam ipſas vincendi curam habeat, ſed ſub prætextu, quòd independenter à voluntatis noſtræ libero conſenſu peccati Formalem rationem habeat, ita permittit, tales pravos motus in ſe dominari, ut tamen ex ſolâ Fide ſe juſtificatum iactitans, id, quod peccatum dicit, ſibi non imputari aſſerat, atque adeò damnationis aliquid in ſe agnoſcat, dum tamen ab omni damnationis reatu ſe immunem contendit. At rem in præſenti puncto ita ſe habere circà hodiernæ Reformationis ſpiritum, conſtat *ex præced. cap. 3. & 4.* Viderit ergo iſte ſpiritus, quomodò poſſit eſſe divinus?

DIS-

DISSERTATIO XIII.

De Præceptis & Conſilijs, ſpeciatim de Quadrageſimâ, & Cælibatu, nec non de Votis Monaſticis, ac Monaſterijs.

SECTIO I.

De Diſtinctione Præcepti, atquè Conſilij.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc author *cit. Rat. 3. Doc. 27.* inducit SS. Cyprianum *de Habitu Virg.* Chryſoſt. *Hom. 3. de Pœnit.* Et Auguſtinum *Enchir. ad Laurent. c. 121.* item *lib. 1. c. 27. de Serm. Domini in Monte. Et Serm. 61. de temp.* liquidis verbis docentes, præter præcepta dari aliqua Conſilia Divina, nullam neceſſitatis legem imponentia, valdè tamen proficua ad ſalutem.

Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 4. c. 13. Sect. 13.* ita ſcribentem: *Fateor, hunc locum* (ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ hâbes, & da pauperibus) *fuiſſe à quibuſdam Patribus malè intellectum, atquè hinc natam eſſe voluntariæ Paupertatis affectationem, quia illi demum beati probabantur, qui abdicatis omnibus rebus terrenis, nudi ſe Chriſto devoverunt.*

Ex quibus tandem concludit, ſic argumentando. Manifeſtum eſt, ipſo etiam Calvino fatente, veteres Orthodoxos Patres ex ipſomet Chriſti eloquio agnoviſſe voluntariæ, nec adeò præceptæ, ſed ſub conſilio Evangelico poſitæ Paupertatis votum ſpontaneum. At hoc ipſum reprobare hodiernam Reformationem, in aperto eſt, aſſeritquè Calvinus *præcitatus.* Planum igitur eſt, ipſam Reformationem in hoc etiam puncto diſcrepare ab antiquis Orthodoxis Patribus, cùm econtrà cum hiſce Romana Eccleſia hodièquè conveniat.

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

4. ISte Miniſter *cit. Sect. 4. in Exam. Doc. 27.* arguit 1. Se Reformatos fateri, quòd aliqui ex Veteribus nonnunquam diſtinxerint inter mandatum & conſilium, non tamen ſenſu Papiſtico. Nullam enim apud eos Voti, maioris perfectionis, ac ſupererogationis mentionem fuiſſe, neque iſtius meminiſſe Cyprianum, Chryſoſtomum, vel Auguſtinum citatos.

5. Arguit 2. Ipſoſmet Reformatos diſtinguere mandata Dei. Etenim alia communia eſſe omnibus hominibus facta, & *abſolutè* talia, alia eſſe particularia & *ſecundùm quid*, ad quæ teneamur ex vocatione ſpeciali, habitâ ratione diverſarum conditionum, donorum à Deo acceptorum, occaſionum peculiarium, quas Deus præbeat, ut ea exeramus. Illa mandata, hæc conſilia dici, ipſiſmet etiam Reformatis adſtipulantibus, modò cum Claudio Seguenoto *Notis in Auguſtinum lib. de Virginit.* teneatur, opera conſilij ex ſenſu ſpecialis doni & vocationis perſonæ applicata, obligatoria eſſe, & præcepti naturam induere. Hinc Athanaſium *in Apolog. ad Conſtant.* Virginitatem vocare *cæleſte mandatum.* Et Auguſtinum Domini dictum juveni quærenti, *quid ultrà ſibi faciendum eſſet: vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, præceptum appellare dicendo. *Cui Dominus hæc præcipit? Profectò illi diviti.* Atquè hoc ipſum eſſe Pauli, non conſilium, per quod in libertate noſtrâ non parere, vel ſecùs ſine crimine relinquatur, ſed mandatum 1. *Corinth. 7. v. 17. Ut unicuique donum partitus eſt Deus, ut unumquemque vocavit, ita incedat.*

6. Arguit 3. Pauperibus, Caſtitatem, & Obedientiam Chriſtum non voto, opinione ſuperogationis, ultrò volentibus ſubſcipiendas conſuluiſſe, ſed omnibus ex officio præſtandas præcepiſſe, ut videlicèt quis ſequeretur Chriſtum per ſaxa, per ignes, etiamſi paupertas ſit ſubeunda, uxor relinquenda, ipſa vita deſerenda?

CAPUT III.

Oſtenditur, ſecundùm veram Evangelij Chriſti doctrinam dari ſtatum perfectionis, qui non ſit de præcepto, ſed de conſilio, ad quem adeò poſſint ſe fideles liberè adſtringere ex Voto.

Probatio prima, ex ſacris litteris petita.

7. ETenim ille ſtatus perfectionis non eſt in præcepto, qui ita eſt ultrà Dei mandata, ut ſine illo poſſit quis obtinere vitam cæleſtem.

At-

Atqui *Matth. 19. v. 16.* ubi adoleſcens quæſiviſſet ex Chriſto: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Reſpondit Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Conſtat proinde, obſervantiam mandatorum ita ſufficere ad ſalutem, ut ſtatus perfectionis illam excedens non ſit de præcepto Dei. At verò *cit. cap. 19. v. 20.* cùm idem adoleſcens dixiſſet: *Omnia hæc cuſtodivi à juventute meâ, quid adhuc deeſt?* Reſpondit denuò Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.* Ex quibus adeò Chriſti Domini verbis conſtat, ab ipſo approbari Paupertatis, imò & (in Chriſto ad mortem uſque ſequendo & imitando) Obedientiæ ſtatum, qui non ſit de præcepto. Cui adeò ſtatui eatenùs accedit Caſtitas, ſeu Virginitatis obſervantia, ut de hac etiam dixerit Apoſtolus *1. Corinth. 7. De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tanquàm miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.* In aperto igitur eſt, dari ſtatum voluntariæ Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis, qui non ſit de præcepto, neque adeò *ſimpliciter* ſit neceſſarius ad ſalutem, ita tamen ſit de conſilio maioris perfectionis, ut ipſi reſpondeat theſaurus in cælo. De quo proinde ſtatu Chriſtus *eodem cap. 16. v. 27.* ſubjunxit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim &c. Et v. 29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* 8.

Probatio ſecunda, ex Patrum authoritatibus petita circa Conſilium Paupertatis.

Etenim ut brevitatis causâ hic omittam, quæ ſanctus Clemens Alexandrinus *lib. 2. cap. 3.* Tertullianus *lib. 4. contrà Marcionem n. 18* Athanaſius *in vitâ ſancti Antonij.* Baſilius *in regul. fuſiùs diſputatis, interrogat. 9.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 16. quæ eſt de pauperum amore.* pro cauſæ præſentis momento ſcripſerunt: placuit in medium proferre Epiſt. S. Cypriani *de lapſis* ſic diſſerentem: *Idcirco Dominus bonorum magiſter &c. præmonens & CONSULENS in futurum, Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ babes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me:* Cui concinit Divus Chryſoſtomus *to. 2. in illum locum Matth. 19. Si vis perfectus eſſe. Et to. 3. in locum ad Romanos: Salutate Priſcam & Aquilam: Cùm dicit,* inquiens, *ſi vis perfectus eſſe, conſulendo & admonendo dicit. Non eſt autem idem CONSULERE & legem ponere: nam qui legem ſtatuit, modis omnibus fieri vult, quod præcipit; qui verò conſulit & adhortatur, ſententiæ & arbitrio auditoris permittit, ut ex dictis, quod voluerit, eligat &c.* Similia habet S. Ambroſius *to. 1. lib. de Viduis: Ut intelli-* 9. 10.

gas,

gas, inquiens, *diſtantiam præcepti, atquè conſilij, illum recorderis, cui in Evangelio ante præſcribitur, nè homicidium faciat, nè adulterium admittat &c. præceptum etenim ibi eſt, ubi eſt pœna peccati: at verò, cùm ſe præcepta legis memorâſſet impleſſe, CONSILIUM ei datur, ut vendat omnia, & ſequatur Dominum. Hæc enim non præcepto imperantur, ſed pro CONSILIO deferuntur.*

Divus Hieronymus *to. 9. in cap. 19. Matth. ſuper illa verba: Si vis perfectus eſſe*, ſic ait: *In poteſtate noſtrâ eſt, utrùm velimus eſſe PERFECTI: tamen quicunque perfectus eſſe voluerit, debet vendere, quæ habet &c.* Similia habet *to. 1. Epiſt. 8. ad Demetriad. de ſervandâ Virginit. cap. 7. Item Epiſt. 26. cap. 3. ad Pammach. To.*
11. *2. cont. Vigilant. Tomo 3. Epiſt. 150. ad Hedibiam q. 1.* Sanctus denique Auguſtinus *Epiſt. 89. ad Hilarium ad q. 4.* inter alia ſic habet: *Magiſter bonus mandata legis ab iſtâ EXCELLENTIORE PERFECTIONE diſtinxit; ibi enim dixit, ſi vis venire ad vitam, ſerva mandata; hic autem; ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes; cur ergo negamus divites, quamvis ab illâ PERFECTIONE abſint, venire tamen ad vitam, ſi mandata ſervaverint? &c. Et* paulò poſt: *Qui illius PERFECTIONIS de vendendis rebus ſuis CONSILIUM tam grande, tamquè præclarum non receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus eſurientem Chriſtum paverunt &c. non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter iudicaturi, ſed ad ipſius dexteram ſtabunt miſericorditer judicandi.* En igitur ex Patribus per ſacras Litteras probatam Præceptorum & Conſiliorum Evangelicorum differentiam.

Probatio tertia, quâ oſtenditur, præfatum perfectionis ſtatum Domino Deo ritè voveri.

12. Quamvis enim lex Moſaica quoad Cæremonialia & Iudicialia præcepta per mortem Chriſti ſuccedente lege Evangelicâ, fuerit abolita, attamen ea, quæ Moralia ſunt, eatenùs tenent in lege Chriſti ſeu Gratiæ, ut ſacri textus in antiquo Teſtamento diſponentes de Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, ac Pœnitentiæ, reliquarumquè virtutum ſubſtantialibus actibus in ordine ad juſtificationem noſtram, Deiquè cultum interiorem unà cum promiſſione æternorum bonorum eiſdem annexâ, hodiequè teneant. Quæ proinde cauſa eſt, ut integer divinorum per Moyſen promulgatorum præceptorum, utpote Moralium *quoad ſubſtantiam* Decalogus in lege Chriſti omninò teneat: Tigurino quoquè Catechiſmo *a. 6.* aſſerente, eorundem obſervantiam eſſe pro ſalute conſequendâ prorsùs neceſſariam. At verò *Deuter. 12. v. 26.* dicitur: *Quæ autem ſanctificaveris & voveris Do-*
13. *mino, tolles, & venies ad locum &c.* Et *Num. 6. v. 2.* dicitur: *Vir, ſive mulier, cùm fecerint votum, ut ſanctificentur & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino &c. abſtinebunt.*

Et Le-

Digitized by Google

Et Levit. cap. 27. v. 9. *Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit,*
ſanctum erit. In quibus adeò ſacris textibus diſtinguendum eſt id, quod eſt
Morale *quoad ipſam ſubſtantiam Voti*, & quod eſt Cæremoniale *quoad circum-*
ſtantiam Nazaræi & ſacrificij Legalis. Unde ſicut in quarto Decalogi præcep-
to ſubſtantia cultûs publici Deo certis temporibus exhibendi præcepta, in
lege etiam Evangelicâ ſervari debet, quanquàm circumſtantia Sabbati, ut-
pote Cæremonialis fuerit abrogata; ſic licèt circumſtantiæ Cæremonia-
les Veteris Teſtamenti propriæ, ſint per novam Chriſti legem abrogatæ,
attamen *quoad ſubſtantiam* votis in materiâ legi Evangelicæ congruâ hodi-
equè locus eſt: ipſomet etiam Calvino *lib. 4. inſtit. cap. 15. §. 2.* atteſtante,
Id, quod inter homines dicitur promiſſio, reſpectu Dei votum appellari; hominibus au-
tem ea nos polliceri, quæ vel putamus illis fore grata, vel quæ ex officio debemus, lon-
gè igitur majorem in votis obſervantiam eſſe decere, quæ ad ipſum Deum, cum quo ma-
ximè ſeriò agendum ſit, dirigantur. Ex quo proinde patet, nè ipſum quidem 14.
Reformatum Miniſterium, quantumvis ejus Anteſignani Voti Caſtitatis
fuerint aperti violatores, negare poſſe, quin in lege etiam Evangelicâ lo-
cus ſit votis ejuſmodi, quæ Calvinus *citatus §. 6.* aſſeruit *Sancta.* Atqui ſta-
tus perfectionis ab ipſomet Chriſto Domino (prout videre licet *præced. prob.*)
inſtitutus, vel maximè congruit Evangelio Chriſti, & in tantum eſt Deo
gratus, ut ipſi reſpondeat Divinitùs promiſſus in gloriâ cæleſti theſaurus.
Indubitatum igitur eſſe debet cuivis veritatis Evangelicæ ſtudioſo Chri-
ſtiano, quòd ad talem perfectionis ſtatum ritè quis poſſit ſe Deo devove-
re. De cujuſmodi proinde votis Spiritus ſanctus per os Iſaiæ *cap. 19. v. 21.*
prædixit: *Cognoſcent Ægyptij Dominum in illâ die* (legis ſcilicèt Evangelicæ) *&*
colent eum in hoſtijs & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent. Quia pro-
inde Deus colitur votis ſanctis ad Perfectionis, præſertim ab ipſomet Chri-
ſto approbatæ, ſtatum obligantibus, idcircò meritò ſibi timeant hodier-
næ Reformationis miniſtri, dum vel ex ipſis aliqui votorum ejuſmodi
ſunt notorij violatores, vel tales fovent, atquè ad ſuum Miniſterium ad-
mittunt, in hoc apertè contradicendo *Pſalmo 75. v. 12. Vovete & reddite Do-*
mino.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Sic argumentando: Si ſtatus aliquis majoris per- 15.
fectionis ab ipſomet Chriſto Domino inſtitutus legitimè ac ritè
poſſit ita Deo voveri, quin tamen ex ſuâ inſtitutione ſit ſub præ-
cepto

cepto Divino, evidenter ſequitur, oportere, tale agnoſcere Conſilium Divinum, quòd ſit ſupererogationis, id eſt, ex nullo præcepto Divino neceſſariū, voto tamen ex majoris perfectionis amore obnoxium. Atqui *ex præced. cap. 3. Prob.* 1. conſtat, dari in lege Evangelicâ talem perfectionis majoris ſtatum ab ipſomet Chriſto Domino inſtitutum, qui ſit ultrà Dei mandatum, nec adeò ex aliquo Divino præcepto ſit neceſſarius. Quem proinde ſtatum ceu ſupererogatorium agnoſci ab Orthodoxis veteribus Patribus, *conſtat ex Prob.* 2. Poſſe autem legitimè Deo voveri, *oſtenſum eſt Prob.* 3. Conſequens igitur eſt, in Eccleſiâ verè Evangelicâ oportere, talia Dei conſilia agnoſcere, quæ ſint majoris perfectionis ac ſupererogationis, atque votis obnoxia.

16. Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Si verum ſit, dari particularia Dei mandata, quæ tanquàm conſilia Evangelica ex ſpeciali Dei vocatione, ipſis etiam Reformatis adſtipulantibus, ſint obligatoria, præceptique naturam induant: ſequitur, ſub ejuſmodi Dei mandato vel maximè eſſe ſtatum perfectionis à Chriſto Domino *Matth.* 19. inſtitutum, ad quem proinde vi vocationis ſuæ ſe voto obſtrinxerant Lutherus, alijque hodiernæ Reformationis Miniſtri. At eo ipſo, quòd juxtà Vedroſium, ejuſmodi Dei mandatum ex vi ſpecialis Divinæ vocationis (ad votum nimirùm liberè faciendum ſuâ efficaciâ moventis) fuerit in illis Miniſtris, utpote ad ſtatum ejuſmodi voto adſtrictis obligatorium; ſequitur, tales Reformationis hodiernæ Miniſtros eſſe reos violatæ ſuæ ergà Deum obligationis. Vides igitur Vedroſi, quò tuæ falſæ & ab antiquâ Orthodoxiâ alienæ perſcrutationes te perducant, ut ipſiuſmet tuæ Reformationis Miniſtros apertè coarguant ſacrilegij ſeu obligationis violatæ erga Deum ac Religionem.

17. Deinde Paulus Apoſtolus *1. Corinth.* 17. hortatur, ut ſicut unumquemque Deus vocavit, ita ambulet. At idem Apoſtolus *ibidem v. 2. 5. ac ſeq.* taliter diſtinxit duos, conjugij ſcilicèt, atquè Virginitatis ſtatus, ut neutrum diceret, eſſe ſub neceſſitate, ſed liberæ cujuſque electioni relictum, niſi quis ſpontè ſe alterutri ſubijciat. Quemadmodùm autem per Matrimonij contractum quis alligatur lege hujus propriâ, ſic quandò aliquis nullâ legis neceſſitate ad hoc adſtrictus, ſed habens poteſtatem ſuæ voluntatis, ſe obligavit ad Virginitatem, tenetur hujus ſacri voti legibus. *Ex præced. cap. 3. prob.* 3. Cujuſmodi adeò ſtatus voto ſubjectus importat quidem præceptum, non tamen *abſolutè*, ſed *ex hypotheſi* ſtatûs liberè ſuſcepti, ac per votum Deo promiſſi. Et hinc virginitas & ſtatus perfectionis à Chriſto Domino *cit. Matth.* 19. inſtitutus ex mente Divi Auguſtini

gitized by Google

ni & Sancti Athanaſij non *abſolutè* eſt mandatum, utpote ex vi ſuæ Divinæ inſtitutionis nullatenus obligatorium, ſed liberæ cujuſque electioni permiſſum, eſt tamen præceptum ex hypotheſi ſpontaneæ, voto etiam firmatæ electionis, uti hæc diſertis verbis tradunt Patres *cit. prob. 3. adducti.*

18. Ad *tertiam* Reſp. Verum quidem eſſe, Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, quatenùs ad Divinæ Fidei ac Religionis erga Deum, Charitatiſque debitæ conteſtationem ſunt neceſſariæ, eſſe omninò ſub præcepto tum Religionis & Charitatis erga Deum, tum Confeſſionis Fidei: attamen præter iſtam quaſi generalem Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam legi *Matth. 19.* à Chriſto Domino inſtitutum ſtatum perfectionis, voluntariam Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam importantis, qui ſit ultrà Dei mandata, ſitque de conſilio, atque adeò liberæ cujuſque electioni relictus, prout apertè teſtantur Patres *cit. prob. 2. allegati*, conformiter ſacris Litteris *prob. 1. deductis.* 19. De quo adeò ſpecialis perfectionis ſtatu ipſummet quoquè Reformatum Miniſterium ſe convictum fatetur, dum ejus Miniſtri, Vedroſio *præced. 2. argum.* atteſtante, diſtinguunt Dei mandata *Communia* omnibus hominibus facta, & *Particularia* ex ſpeciali Dei vocatione (votum ſcilicèt inferente) obligatoria. Eſt enim clarum, ſub iſtis ſpecialis Divinæ vocationis particularibus præceptis non contineri illam generalem, utpote omnibus hominibus ex Charitatis ac Religionis Divinæ mandato neceſſariam Paupertatem, Obedientiam, & Caſtitatem, ut proinde præter iſtam oporteat, juxtà verum Chriſti Domini Evangelium aſſignare adhuc ſpecialis Paupertatis, Obedientiæ & Caſtitatis, ſive Evangelicæ Divinæ mandata ſupergredientis perfectionis ſtatum. En igitur Vedroſi, quomodò tua Reformatio ab antiquâ Orthodoxiâ deficiendo, ſibimet ſemper contradicat, ſeque adeò ipſam ſuis contradictionibus confodiat.

COROLLARIUM.

20. EX dictis infertur. Nullam prorsùs à Vedroſio eſſe factam ſolutionem argumentorum, quæ Georgius *cap.* 1. adversùs hodiernam Pſeudoreformationem protulit. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè Spiritus non eſt Divinus, qui Evangelicæ mandata Divina ſupergredientis perfectionis à Chriſto Domino non in vi præcepti, ſed conſilij inſtitutum ſtatum ita inſectatur, ut præcepta quidem Dei *oretenùs* ac *litteraliter* retineat, in corde autem, ac ſecundùm ſpiritum eo ipſo abjiciat, dum ea ſervatu impoſſibilia proclamat. At omnia hæc præſtantur à ſpiritu hodiernæ Reformationis, ſe ſe Concupiſcentiæ carnis adeò ſubjectam profitentis, ut

Digitized by Google

Divinæ Gratiæ quaſi oblita, Dei mandata ſibi impoſſibilia clamitet, econtrà ſtatum Evangelicæ perfectionis ultrà mandata, nec adeò in vi præcepti, ſed conſilij à Chriſto Domino inſtitutum totis viribus inſectetur; prout univerſa hæc clarè patent *ex præced. Diſſert. ſect. 2. & 3. ac præſenti ſect. per totam.* Videat ergo iſta Reformatio, quomodò ſpiritus ipſius poſſit eſſe Divinus?

SECTIO II.

De Præcepto Quadrageſimæ.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1 HIc Author *cit. Rat. 3. Doc. 28.* inducit Sanctum Chryſoſtomum *Hom. 73. ad popul.* Hieronymum *ad Marcell. adverſ. Mont.* Auguſtinum *Serm. 55. & Serm. 56. de temp.* agnoſcentes, Quadrageſimalis jejunij ex Traditione Apoſtolicâ in Eccleſiâ antiquâ obſervationem, adeò, ut Divus Auguſtinus *ſerm. 62. de temp.* aſſeruerit: *Alijs diebus jejunare remedium eſſe, aut præmium. In Quadrageſimâ verò non jejunare, peccatum eſſe &c.*

2 Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 4. cap. 12. ſect. 20.* ita ſcribentem: *Et tum* (Veterum nempe tempeſtate) *paſſim invaluerat SUPERSTITIOSA QUADRAGESIMAE OBSERVATIO.* Item Confeſſionem Helveticam *cap. 24.* taliter diſſerentem: *Quia QUADRAGESIMALE IEIUNIUM Vetuſtatis habet teſtimonia, ſed nulla ex litteris Apoſtolicis. Ergo non debet, nec poteſt imponi fidelibus.*

3 Ex quibus tandem concludit Georgius, in aperto eſſe, quòd Quadrageſimalis jejunij obſervantia per Romanam Eccleſiam ſingulis annis frequentata fuerit teſtimonium Antiquitatis Orthodoxæ. Quare Reformationem hodiernam Quadrageſimale jejunium inſectando, apertè proteſtari ſuam ab antiquâ Orthodoxiâ defectionem, Romanæ verò Eccleſiæ cum iſtâ conformitatem.

CAPUT II.

Referuntur arguriæ Vedroſij.

4 ISte Miniſter *in cit. Rat. 3. Exam. Doc. 28.* arguit 1. Thomam *in 1. ad Timoth. 14.* ſic diſſerere: *Corporalis exercitatio jejunij & hujuſmodi in ſuâ naturâ non ſunt bona, ſed pœnalia, & ſi homo non peccâſſet, nihil bonum fuiſſet; ſed ſunt bona medi-*

medicinalia. Jejunium bonum eſſe, ſi conditionibus ac fine in Verbo Dei præſcripto inſtitutum, ac cum precibus conjunctum ſit. Malum, ſi coactum, ſuperſtitioſum, ambitioſum, certoque tempori affixum.

Arguit 2. Jejunare totam Eccleſiam, quando calamitate aliquâ extraordinariâ premitur, vel eam metuit ingruentem, & per illam ablationem ſponſi, hoc eſt Verbi Divini, & conſolationum, quæ ex eo fluunt, ſubtractionem. Huc ſpectare dictum Ioelis *cap. 1. v. 13.* Nec jejunia privata ſe Reformatos improbare, imò commendare, & quòd praxis ſit infrequentior, dolere, ſed ut hoc, aut illo die præcisè jejunetur, ut Quadrageſima Pontificia, cùm in exquiſitiſſimis delicijs laus jejunij quæritur, à totâ Eccleſiâ obſervetur, ut extraordinarium pietatis exercitium, ſtatos & anniverſarios dies cum opinione meriti habeat, idque ex unius Pontificis Romani authoritate, id à ſe reijci tanquàm redolens Montaniſmum.

Arguit 3. Hinc Auguſtinum *ad Caſſ. Epiſt. 86. Ergo in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, totoque inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum Novum, animo id revolvens, video, præceptum eſſe jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum non invenio definitum.*

Arguit 4. Quadrageſimæ originem dediſſe illos, qui ex verbis Chriſti *Matth. 9. v. 15. Erunt dies, cùm ſponſus ab ijs auferetur, & tunc jejunabunt;* concluſerint, ab horâ mortis Chriſti, quâ ablatus fuerit, uſque ad horam reſurrectionis eſſe jejunandum, id tempus cum quadraginta horarum plùs minus ſit, Quadrageſimam dixiſſe. Hunc numerum alios auxiſſe, & triduum, quatriduum alios, alios totidem & plures ſeptimanas, Quadrageſimæ nomine retento, huic exercitio, prout cuique viſum erat, deſtinâſſe. Nam juxtà Theodor. *de Dogmat. Divin. cap. ult. Eccleſiam de jejunio nullam poſuiſſe legem.* Chryſoſtomum porrò *Hom. 16. ad popul. Antioch.* dicere, *Conſuetudinem omnium circà Quadrageſimam fuiſſe, ut alius alium interrogaret, quot hebdomades jejunâſſet. Alium dicere duas, alium tres, alium omnes.* Poſt addere: *Sed quid prodeſt nobis, ſi abſque bonis operibus integrum jejunium obſervavimus?*

Arguit 5. Auguſtinum *contrà Manich. lib. 30 c. 5.* ita habere: *Chriſtiani non ſolum à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, quantò magis quiſque, vel minus voluerit, aut potuerit.* Quoad tempus alios cenſuiſſe die Mercurij jejunandum eſſe, quòd eo die Chriſtus venditus fuerit, die autem Veneris, quòd eo die fuerit in crucem actus. De ſabbato verò multum ambiguitatis fuiſſe. Mediolanenſes enim & Orientales, cùm Chriſtus eo die quieverit in ſepulchro, affirmâſſe, non eſſe jejunandum. Contrà Romanos, Afros, & quoſdam alios, quòd tunc Chri-

ſtus dejectus fuerit uſque ad ignominiam ſepulchri, contendiſſe, ſabbato eſſe jejunandum. Hinc dixiſſe Ambroſium: *Ego, cùm Romam venero, jejuno, quia ibi die Sabbati jejunatur, cùm redeo Mediolanum, quoniam hic non jejunatur, minimè jejuno.*

9. Arguit 6. Proſperum *de vita contempl. lib. II. c. 24.* ita diſſerere: *Veruntamen ſic jejunare, vel abſtinere debemus, ut non jejunandi, vel abſtinendi neceſſitati nos ſubdamus, nec jam devoti, ſed inviti rem voluntariam faciamus.* Veteres ſuaſiſſe, non imperâſſe jejunia, teſte Tertulliano, qui Montaniſta exiſtens affirmârit, ſentire Orthodoxos, quòd indifferenter jejunandum ſit arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus uniuſcujuſque. *Contra Pſychic. cap. 1.* Primos, qui poſt Montanum jejunandi tempus præſcripſerint, fuiſſe Pontifices Romanos, quibus conſcientias hominum vinculis exitialibus conſtringere, & ineptiſſimo ciborum delectu Deo & hominibus illudere, volupe fuerit. Sermonem *62. de tempore* à Georgio citatum, quo non jejunantibus pœna indicitur, alienam eſſe à ſtylo & mente Auguſtini, omniumquè Criticorum ſententiâ judicari ſuppoſititium.

CAPUT III.

Oſtenditur, jejunium ſpeciatim Quadrageſimale ex Poteſtate Divinitùs traditâ eſſe legitimè inſtitutum in Eccleſiâ Chriſti, eſſequè ſacræ Scripturæ conforme.

10. EXplicatur ſtatus quæſtionis. Nam præceptum aliquod, quod viget in Eccleſiâ Chriſti, conſiderari poteſt tum *ſecundùm ſubſtantiam rei*, tum *ſecundùum circumſtantias vel modi, vel temporis.* Sic enim præceptum quartum Decalogi, *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices*, quoad ſubſtantiam cultûs ſcilicet Divini publici in Dei Eccleſiâ exhibendi eſt Divinum, in novo etiam Teſtamento obligans: at quoad circumſtantiam ſabbati, utpote antiqui Teſtamenti Cæremoniale, eſt in lege Evangelicâ abolitum, ejuſque adeò obſervantia eſt tranſlata in diem Dominicam, non quidem ex Formali in ſacris Litteris expreſſo jure ac mandato Dei: Nam licèt *Apocal.* I. v. 10. fiat mentio diei Dominicæ à Ioanne Apoſtolo, dicente: *Fui in ſpiritu in die Dominicâ.* Nihilominùs nec *ibi*, nec *alibi* indicatur, illam diem loco ſabbati eſſe ſanctificandam. Quarè cultûs Divini certò die, juxta Decalogi præceptum publicè exhibendi, determinatio tum *quoad modum*, tum *quoad tempus* ſeu *diem* eſt ex Traditione Apoſtolicâ, & determinatione

11. Eccleſiæ. Similiter in ſacris Litteris non eſt expreſſum aliquod Dei præcep-

ceptum de celebrandis annuis feſtivitatibus Nativitatis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, ſed ejuſmodi leges in univerſâ Eccleſiâ ſervari ſolitæ ſunt ſtatutæ vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Concilijs, uti diſertè tradit S. Auguſtinus *Epiſt. 118.* Multò proinde minùs jure aliquo Divino ſacris Litteris expreſſo ſtatutum eſt, ut feſtum Paſchæ non decimâquartâ Lunâ primi menſis ſeu Martij, *uti in Exodo cap. 12. v. 18. præſcriptum erat*, ſed die Dominicâ poſt dictam lunam celebraretur: ſed hoc ex Apoſtolicâ Traditione, vel Concilij alicujus, ſpeciatim Nicæni ſtatuto ſancitum eſt. Pari proinde ratione de jejunio præſertim Quadrageſimali hîc vertitur quæſtio, An *quoad ſubſtantiam fundetur in Jure Divino ſacris Litteris expreſſo*, & an *ſaltem quoad circumſtantias ita pendeat ex poteſtate Apoſtolis per Chriſtum traditâ, ut ex hac ipſâ Apoſtolorum ſucceſſoribus inexiſtente poteſtate poſſint fieri ſtatuta univerſos Chriſti fideles obligantia*?

Probatio prima, quâ ex ſacris Litteris demonſtratur, Jejunium quoad ſubſtantiam in legis etiam Evangelicæ ſtatu eſſe à Deo præceptum.

Etenim *Joelis 2. v. 12.* tale exprimitur præceptum de jejunio: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Atqui hoc mandatum non minùs ſpectare ad Eccleſiam Chriſti, quàm ſtatûs Moſaici, evincitur ex eo, quòd ſit Morale, juxta ea, quæ *praeced. Sect. cap.* 3. deducta ſunt. Unde & Chriſtus Dominus legem jejunij pro ſuæ Eccleſiæ ſtatu duraturam ſuppoſuit *Matth. 6. v. 16. Cum autem jejunatis, nolite fieri, ſicut hypocritæ triſtes &c. Tu autem, cùm jejunaveris, unge caput, & faciem tuam lava, nè videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi &c.* Et hinc Apoſtolus *2. Corinth. 6. v. 4.* ita exhortatus eſt: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei Miniſtros &c. in vigilijs, & jejunijs &c.* Ex quibus proinde concluditur, præceptum jejunij *quoad ſubſtantiam* ita vigere in Eccleſiâ Chriſti, ut propterea S. Auguſtinus *Epiſt. 86. ad Caſulanum poſt med.* dixerit: *Ego in Evangelicis & Apoſtolicis Litteris, totoquè Inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium.* 12.

Probatio ſecunda, quâ ex ſacris Litteris probatur, Eccleſiæ ſanctæ Divinitùs eſſe conceſſam poteſtatem in determinando tempore ac modo jejunij præſertim Quadrageſimalis.

Etenim Chriſtus Dominus *Matth. 16. v. 19.* promiſit Eccleſiæ in Petro ceu Capite: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit liga-* 13.

ligatum & in cœlis. At iſta ligandi authoritas vel maximè importat legiſlativam poteſtatem, quam, competit, præcipuè exerceri in determinando modo ac tempore præceptorum Divinorum, ſub quibus res Divi itùs præcepta *quoad ſubſtantiam*, eo ipſo *quoad tempus* Communionis v.g. Paſchalis indiguit determinatione præcepti Eccleſiaſtici, quòd ejuſmodi determinatio non ſit expreſſa per Divinum præceptum. Et hinc ipſemet quoquè Calvinus *lib. 4. Inſtit. c. 12. §. 14.* fateri debuit: *Jejuniorum, ſupplicationum, Pœnitentiæ ac Fidei exercitiorum nec tempus, nec modum, nec formam præſcribi Verbo Dei, ſed judicio Eccleſiæ relinqui.* At verò tempus ac modum Quadrageſimalis jejunij eſſe præſcriptum ab Eccleſiâ etiam primævâ, atque reliquo deinceps tempore in lege Evangelicâ obſervatum, patebit ex Patrum Authoritatibus *ſeq. prob. deducendis.* Quia ergo Chriſtus Dominus *Lucæ 10. v. 16.* comminatus eſt, *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, idcirco Reformatio hodierna ipſa viderit, quo in cenſu habenda ſit, dum jejunium Quadrageſimale *quoad ſubſtantiam* Divinitùs, *quoad circumſtantias* verò *modi ac temporis* ab Eccleſiâ præceptum protervè abrogavit.

Probatio tertia, ex Veterum Orthodoxorum Patrum authoritatibus petita.

14. ETenim Canon Apoſtolorum ſexageſimus *to. 1. Concil. adductus* ita habet: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, aut Lector, aut Cantor ſanctam Quadrageſimam non jejunat, aut quartam feriam, aut ſextam, deponatur, niſi imbecillitas corporis obſtet: ſin verò laicus ſit, excommunicetur.*

Sanctus Ignatius Martyr *in Epiſt. ad Philip. Quadrageſimale jejunium nè ſpernatis, continet enim exemplum converſationis Dominicæ.* Origenes *Hom. 10. ſuper Levit. Habemus Quadrageſimæ dies jejunijs conſecratos.* Sanctus Athanaſius *Epiſt. ad Orthod. Hæc autem ſub Paſcha in ſacrâ Quadrageſimâ acta ſunt, per quod tempus jejunijs dediti erant.* Sanctus Epiphanius *in comp. doct. Multa contra Eccleſiam docuit* (Aerius) *Fide quidem exiſtens Arianus perfectiſſimus; verùm ampliùs docet, non oportere, offerre pro his, qui obdormierunt. Prohibet autem & jejunare quartâ & præſabbato, & Quadrageſimâ.* Divus Baſilius *de jejunio Orat. 2.* inter alia ſic habet: *Jejunium per omne quidem tempus utile eſt ijs, qui illud ſpontè ſuſcipiunt; ſed multò magis hoc tempore, quo per univerſum terrarum orbem denunciatur undique jejunij præconium.*

15. Sanctus Ambroſius *Serm. 34. de Quadrageſimâ. Quiſquis ergo Chriſtianus conſecratam jejunando non impleverit Quadrageſimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem Divinitùs pro ſalute datam prandendo ipſe reſcindit.* Sanctus Chryſoſtomus *Hom. 37. ad Popul. Antioch. Hæc nunc dico, &c. ut excitem & perſuadeam, nè temerè Charitas veſtra corpus intendat jejunio, nec inutiliter & incaſſum ſancta dies*

Quæ-

Quadrageſima tranſcurrat. Divus Hieronymus *in Epiſt. ad Marcell. Nos unam Quadrageſimam ſecundùm Traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus &c.* Sanctus Auguſtinus *Epiſt. 119. ad Januarium cap. 15. Quadrageſima ſanè jejuniorum habet authoritatem.* Quibus ſuperaddi poſſunt Concilia Nicænum I. *cap. 5.* Aurelianenſe IV. *cap. 2. & 29.* Gangrenſe *Can. 19.* Laodicenſe *Can. 50.* Agathenſe *ſub Symmacho Papâ Can. 12.* in quibus omnibus (per extenſum cuique petenti producendis) ita firmatur Quadrageſimale præſertim jejunium, ut hodiernæ prætenſæ Reformationis Miniſterium Quadrageſimalis jejunij obſervantiam è medio tollendo, gravi adeò cenſuræ ſe obnoxium fecerit.

CAPUT IV.

Refelluntur Argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Quid Vedroſi hac tuâ argutiâ intendis probare, jejunium non eſſe bonum? At hæc tua ſanè blaſphemia redundaret in ipſum Deum, utpote de quo conſtet in ſacris Litteris, jejunium præcepiſſe. Nè ergo blaſphemiæ nos reos faciamus, oportet, diſtinguere duplex virtutis bonum, alterum quod eſt ſimpliciter tale, competitquè ſtatui integritatis ac innocentiæ, cujuſmodi ſunt virtutes tum Theologicæ, tum illæ Morales, v. g. Religionis, quæ ex parte ſui objecti Formalis nullam ſupponunt miſeriam ac peccatum. Alterum verò virtutis bonum non eſt *Abſolutè* tale, ſed ex *hypotheſi miſeriæ ac peccati*, cujuſmodi eſt virtus Pœnitentiæ, cujus actus & objectum eſt bonum Medicinale, ſupponens peccati miſeriam. At in hoc genere Medicinalis boni S. Thomas *citatus* cenſet etiam jejunium. Sicuti ergo Pœnitentiam, ſic & jejunium oportet, eo ipſo eſſe *Moraliter* bonum, quòd Divinitùs fuerit præceptum. 16.
Sed dicis, jejunia eſſe mala, ſi coacta ſint & ſuperſtitioſa, ſive, *uti ſect. 6 in exam. Exempl.* 7. aſſeruiſti, ſi profluant ex tyrannicâ & ſuperſtitiosâ ciborum ad participandum à Deo creatorum prohibitione, ſub opinione cultûs, & metu peccati mortalis. Verùm unde hæc probas? Nempe quòd nullum ſit diſcrimen ciborum in Novo Teſtamento *Act. 10. v. 14. & 15. Tit. 1. v. 15. Heb.* 13. *v. 9.* imò delectus ciborum repugnet ordinationi tum Chriſti *Matth. 15. v. 11.* tum Apoſtolorum *Col. 2. v. 16. & 21.* quinimò ſubeat doctrinam dæmoniorum 1. *Timoth.* 4. *v. 1 & 3.* Addis inſuper, leges jejuniorum humanitùs excogitatas eſſe, partim ab hæreticis, Montano, Tatianis, Manichæis, Euſtathijs, partim à Pontificibus Teleſphoro, Calixto, & alijs invectas fuiſſe. 17.

18. Verùm in his Vedroſi nihil aliud agis, niſi quòd omnia inter ſe con-
fundendo, non tantum decipi ſ ſimplicem lectorem, ſed Divinæ ſacris
Litteris expreſſæ veritatis apertum falſificatorem, Patrumque Orthodo-
xorum graviſſimum calumniatorem te prodas. Etenim abſtinentia à cer-
tis cibis ſub diverſâ ratione ac motivo fieri poteſt. Primò quidem abſti-
nere quis poteſt ex illâ per Apoſtolum *1. Timoth. 4.* prænunciatâ hæreticâ
dæmoniorum doctrinâ. De quâ Sanctus Auguſtinus *lib. contrà Adimantum
Manich. cap. 14.* ita diſſerit: *In noviſſimis temporibus futuros quoſdam* (ſcribit A-
poſtolus) *prohibentes nubere, abſtinentes à cibis, quos Deus creavit. Hos enim* (Ma-
nichæos) *propriè deſignant, qui non propterea temperant à cibis talibus, ut aut Concu-
piſcentiam ſuam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, ſed quia ipſas carnes immun-
das putant, & earum Creatorem Deum eſſe, negant.* Cui præter alios SS. Patres
concinit Divus Hieronymus *lib. 2. adverſ. Jovin.* ita diſſerens: *Reprobat qui-
dem Apoſtolus eos, qui prohibebant nuptias, & jubebant cibis abſtinere, quos Deus crea-
vit ad utendum cum gratiarum actione: ſed Marcionem deſignat & Tatianum, & cæte-
ros hæreticos, qui abſtinentiam indicunt perpetuam ad deſtruenda, & contemnenda, &
abominanda opera Creatoris. Nos autem & Creatorem omnium laudamus Deum, &
maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, jejunia præferimus ſanitati.* En igitur Ve-
droſi, doctrinam dæmoniorum eſſe, abſtinere carnibus tanquàm immundis,
utpote non à Deo, ſed dæmone creatis: econtrà ſanctum eſſe, abſtinere à
carnibus ad carnis Concupiſcentiam refrænandam. At prius tam alienum
eſt à Pontificiorum doctrinâ, quàm ipſis ſolenne ſit, à carnibus quandoque
abſtinere ad refrænandam carnis concupiſcentiam. In aperto igitur eſt,
Pontificios nihil participare de illâ, de quâ Apoſtolus *præcitatus* prædixit,
19. dæmoniorum doctrinâ. 2. Abſtinere quis poteſt à certis cibis in Veteri
Teſtamento olim prohibitis ex motivo Cæremonialis, lege Moſaicâ olim
præſcriptæ obſervantiæ. At ejuſmodi abſtinentia in Novo Teſtamento le-
ge Moſaicâ jam extinctâ, eatenùs improbatur *Act. 10. v. 14. & 15. Heb. 13. v. 9.
Coloſſ. 2. v. 16. & 21.* ut Pontificij tamen neque quoad ciborum in veteri Te-
ſtamento *indefinitè* pro omni tempore olim prohibitorum delectum, neque
quoad abſtinentiæ ſuæ intentionem ac finem cum judaizantibus conveni-
20. ant, quin potiùs iſtos apertè condemnent. 3. Montaniſtæ citrà ullam legiti-
mam authoritatem ex pravâ ſuâ doctrinâ imponebant tres annuatim Qua-
drageſimas. De quibus Sanctus Hieronymus *Epiſt. 54. ad Marcellam* ita ſcri-
bit: *Illi tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores.* At nos
Pontificij talem Montaniſtarum Quadrageſimam eatenùs damnamus, ut
cum præcitato Sancto Doctore verè dicamus: *Nos autem unam Quadrageſi-
mam SECUNDUM TRADITIONEM APOSTOLORUM toto anno, tempore* (nempè
ad

ad paſſionem & reſurrectionem Domini, uti idem Divus Hieronymus *in cap. 6. Matth.* habet) *nobis congruo jejunamus.* Ex quibus adeò patet, Quadrageſimam Pontificiorum nihil habere, commune cum jejunijs hæreticorum, fuiſſequè ab ipſiſmet Apoſtolis in nos transfuſam, circà quam dum Pontifices Romani, ſpeciatim Teleſphorus & Calixtus aliquas ſubinde ordinationes & ſtatuta peculiaria fecerunt, ex legitimâ Divinitùs ſibi conceſsâ poteſtate proceſſiſſe, conſtat ex dictis *ſuprà Differt. 5. c. 3. & praſ. ſect. c. 3. prob. 2.*

Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſi, non niſi ineptias & fallacias hic ſpirare apertè convinceris. Ais enim 1. totam Eccleſiam jejunare, quando calamitate quâdam extraordinariâ premitur. At quæ major calamitas, quàm hæreſes & ſcandala publica ſemper invadentia, nunquàm tamen prævalentia adversùs Dei Eccleſiam? Meritò igitur ex hoc etiam capite Eccleſia obſervat ſtata Quadrageſimæ ex ipſâ Apoſtolorum Traditione promanantia jejunia. Ais 2. Tuam Reformationem exoptare frequentiora fidelium jejunia. Ut quid ergo Calvinus tuæ prætenſæ Reformationis Anteſignanus *Harm. in Matth. 4. v. 12.* ſcripſit in hæc verba: *Mera ſtultitia fuit jejunium Quadrageſimæ, ut vocant, ad Chriſti imitationem inſtituere.* Et *lib. 4. Inſtit. cap. 12. §. 19. 20. Tertius error* (inquit egregius Cereris & Bacchi ſacerdos) *non adeò quidem impius, periculoſus tamen, tanquàm unum ex præcipuis officijs moroſiùs ac rigidiùs exigere* (Jejunium) *ac immodicis encomijs ſic extollere, ut homines ſe aliquid eximium feciſſe putent, quum jejunaverunt. Quâ in parte non in totum excuſare audeo Veteres, quin & ſuperſtitionis quædam ſemina jecerint, & occaſionem præbuerint, quæ poſtea exorta eſt &c.* Nunquid hoc eſt, exoptare, vel perſuadere jejuniorum in fidelibus frequentiam? Ais 3. Tuæ Reformationi improbari Pontificiam Quadrageſimam, cùm in exquiſitiſſimis delicijs laus quæratur. At econtrà Patres Orthodoxos uniformiter probare Quadrageſimam à Pontificijs annuatim celebrari ſolitam, *conſtat ex præced. cap. prob. 3.* Unde manifeſtè evincitur, tuam Reformationem iterum iterumquè pugnare cum antiquâ Orthodoxiâ. Quòd autem aſſeras, ex hac Quadrageſimali obſervantiâ quæri laudem, tua eſt calumnia, quam validè refutat mos Eccleſiæ Pontificiæ primo Quadrageſimæ, nempe Cinerum die ex publico ſuggeſto pronunciantis Evangelium *ex Matth. 6. cap.* quo fideles de vanæ laudis captatione abſtrahuntur ad puram pietatis intentionem. Neque verò ulla Eccleſiæ prætactæ intentio eſt, ut fideles vacent delicijs, ſed ab his ſtudioſè removeantur: in quo ſi aliqui deficiant, non obinde Quadrageſimalis obſervantia fuiſſet abroganda, exemplo Pauli Apoſtoli Eucharisticam Communionem in Eccleſiâ Corinthiacâ minimè abrogantis, quamvis Corinthij eâ fuerint abuſi. *1. Corinth. 11.* Ais 4. Statos & anniverſarios Quadrageſimæ dies à tuâ

21. 22. 23. 24. 25.

Reformatione reprobari, quòd habeant opinionem Meriti. At cùm præmium & meritum ſint correlativa, ſequitur manifeſtè, merita habere locum in jejunio, ſi ipſi reſpondeat præmium ſpiritualium ac æternorum bonorum. Ejuſmodi verò præmium reſpondere jejunio, præter alios Sanctos Patrés apertè docuit Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 4. Jejunamus*, inquiens, *à vino & carnibus abſtinentes, non quòd hæc tanquàm abominationes oderimus, ſed quòd præmium exſpectemus, ut ſenſibilia deſpicientes, ſpirituali deinceps & intellectuali menſâ fruamur, & nunc ſeminantes in lacrymis, in futuro ſæculo in exultatione metamus.* Et infra: *Abſtinens igitur, ab his non tanquàm ab abominabilibus abſtine, alioquin præmium non habes: ſed bona contemne propter ea, quæ propoſita ſunt ſpiritualia meliora.* En igitur Vedroſi, tuam Reformationem nihil aliud ſpirare, quàm perpetuam adversùs Orthodoxos Patres contradictionem.

26. Ad *tertiam* Reſp. Quid Vedroſi hoc ſibi vult, quòd *Sect. 6. in exam. Doctr. 20.* aſſeras, nihil, teſte Auguſtino, de jejunijs, præcepto Domini, vel Apoſtolorum eſſe definitum? Cùm tamen hic ipſe ſanctus Eccleſiæ Doctor *in præf. tuâ Argutiâ citatus* aſſeruerit, ſe in Evangelicis & Apoſtolicis Litteris, totoquè Novi Teſtamenti Inſtrumento vidiſſe, præceptum eſſe jejunium. Siccinè in S. Auguſtinum injurius, in te ipſum verò contradictorius eſſe con-

27. vinceris? Forſan dices, Quadrageſimam ſaltem non eſſe præcepto Domini, vel Apoſtolorum definitam. At S. Hieronymus *ſuprà n. 15.* adductus ait: *Nos Quadrageſimam ſecundùm Traditionem Apoſtolicam jejunare.* In aperto igitur eſt, jejunium etiam Quadrageſimale *quoad ſubſtantiam* eſſe ex præcepto Chriſti & Traditione Apoſtolorum, licèt *quoad certas circumſtantias* pendeat ex definitione Romanorum Pontificum, quos tamen ad hoc legitimam habere poteſtatem, conſtat ex dictis *præc. cap.*

28. Ad *quartam* Reſp. Vedroſi hic extrà rhombum procedis. Aliud enim eſt, ſi agatur de jejunijs ex privatâ devotione ſuſceptis, cujuſmodi adeò jejunia nè tuæ quidem Reformationi improbari, *ſuperiùs* dicebas. Neque verò jejunium ab horâ mortis Chriſti ad horam reſurrectionis ejuſdem ex piâ hujus myſterij repræſentatione, vel ex alijs pietatis exercitijs diverſimodè à fidelibus uſurpatum, ob talem ſacram intentionem Deo minùs acceptum erit: quanquàm de hujuſmodi privatis intentionibus ac devotionibus in præſenti non ſit quæſtio. Aliud proinde eſt, ſi agatur de ſolenni Quadrageſimali jejunio, de quo ais, Theodoretum *de Dogmatibus.* ſive (ut alias legitur) *Decret. Div. cap. ult.* aſſeruiſſe, quòd *Eccleſia de jejunio nullam poſuerit legem.* At in hoc reum te probas de falſi crimine. Sic enim *ibi* habet B. Theodoretus: *A vino & eſu carnium, & ab alijs ejuſmodi abſtinentiam, non ſimiliter ac hæretici* (Eccleſia) *amplectitur. Illi enim ab ijs tanquàm ab abominandis abſtinendum eſſe cen-*

ſent.

ſent. *Eccleſia autem nihil horum decernit.* En igitur Vedroſi, abſtinentiam ab eſu carnium Beati quoquè Theodoreti tempore fuiſſe in uſu, alio licèt fine, quàm intenta eſſet ab hæreticis. Neque melior es in allegando S. Chryſoſtomo *Hom. 16. ad pop. Antioch.* Ibi enim invehitur in illos, qui jejunij tempus Quadrageſimale abſque bonis operibus tranſigunt. Et alios quidem carpit, quòd non ex integro jejunent, alios verò, licèt totam Quadrageſimam jejunando pertranſierint, corripit, quòd non ſtuduerint profectui, deponendo inimicitias, detrahendi conſuetudinem, aliaque animi ſui vitia. In quibus ſanè nihil eſt, quod faveat Vedroſi tuæ Reformationi; ſed conformiter ijs, quæ idem S. Doctor *Hom. 73. ad pop. Antioch. & in Gen. 2. Hom. 11.* docuit, eatenùs Quadrageſimale jejunium probando, ut tamen cuperet id conjungi cum ſanctorum operum ac emendationis profectu. 29.

Ad quintam Reſp. S. Auguſtini *lib. 30. contrà Fauſtum Manich. cap. 30.* à Vedroſio allegata verba ex integro poſita ita ſe habere: *Chriſtiani non hæretici, ſed Catholici edomandi corporis cauſâ propter animam ab irrationabilibus motibus ampliùs humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent: vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam verè omnes, quantò magis quiſque, vel minùs ſeu voluerit, ſeu potuerit.* Ex quibus adeò patet 1. ita diſtinguendum eſſe inter privata fidelium, & publica Eccleſiæ jejunia, ut tamen in utriſque dentur aliqui gradus, dum alij ſemper non tantùm à carne, ſed à quibuſdam etiam terræ fructibus ex devotione abſtinent. Cujuſmodi equidem abſtinentia ex intentione mortificandi carnis concupiſcentiam, ita probatur à Sancto Auguſtino, ut vel hinc etiam contrarietur hodiernæ Reformationi apud Vedroſium *cit. ſect. 6. pag. 134.* Pontificijs exprobranti, quòd ob carnis concupiſcentiam refrænandam ab eſu carnium abſtineant. 2. Quadrageſimale jejunium eatenùs eſſe ferè (qui nimirùm poſſunt, ſive ex legitimâ infirmitatis causâ non ſunt *moraliter* impotentes) omnium, atque adeò publicum Eccleſiæ jejunium, ut *quoad ſubſtantiam* habeat authoritatem jejuniorum, ejuſque adeò tranſgreſſio ſit peccatum. *Ex eod. S. Doctore Epiſt. 119. ad Januarium cap. 15. Et Serm. 62. de Temp.* Nihilominùs quoad accidentalia, nempè quoad abſtinentiam à certis, paucioribus, ſive pluribus terræ fructibus &c. admittat gradus aliquos. Hinc proinde 3. infertur: Cùm extra publica & ſtata Eccleſiæ jejunia fidelibus liberum ſit, alia inſuper ſervare jejunia, non eſſe, cur moveatur Vedroſius, dum ûnus fidelium jejunat die Mercurij, quo Chriſtus venditus fuit, alius die Veneris, quo in Crucem eſt actus, alius die Sabbati, quo in ſepulchro delituit. Et hinc pari ex ratione citrà ullam inconvenientiam factum eſt, ut quoad ejuſmodi jejunia particularia diverſæ

30. 31. 32. 33.

ſæ ſint particularium Eccleſiarum ſeu locorum conſuetudines, uti diſertè proſequitur S. Auguſtinus *Epiſt. 86.*

34. Ad *ſextam* Reſp. In eâ Vedroſium iterum iterumquè prodere ſuam ineptiam. Sancti enim Proſperi verba ſolùm excludunt *neceſſitatem Coactionis*, nè ſcilicet rem voluntariam inviti faciamus, non autem *neceſſitatem obligationis* ex præcepto eatenùs inductæ, ut tamen in faciendâ re præceptâ intervenire debeat omnimoda voluntatis libertas. Quoad Tertullianum verò conſtat ex ejus *contra Pſychicos* libro, quòd ibi locutus ſit de Montaniſtarum Quadrageſimâ, omnimodè diversâ à publico longè antè Montani ortum ſecundùm ipſammet etiam Apoſtolicam Traditionem annuatim celebrari ſolito Eccleſiæ jejunio. De illâ proinde à Montano noviter inventâ, & à Pontificijs (uti ex S. Hieronymo *suprà n. 15.* citato patet) nunquàm receptâ Quadrageſimâ ait, indifferenter jejunandum eſſe, non autē ex imperio *Novæ* NB. *Diſciplinæ*.

35. Quando autem Vedroſi aſſeris, primos, qui poſt Montanum jejunandi tempus præſcripſerint, fuiſſe Pontifices Romanos, in te ipſum denuò impingis, cùm *Sect. 6. pag.* 133. dixeris, jam priùs per Teleſphorum Montano anteriorem fuiſſe latam Quadrageſimæ legem. Fruſtrà ergo niteris imponere Pontificijs, quaſi legem Quadrageſimæ, ex ipsâ tamen Apoſtolicâ (uti ſuperiùs oſtenſum eſt) Traditione acceptam, recepe-

36. rint à Montaniſtis. Quia deniquè ſententiam S. Auguſtini *ex Serm. 62. de temp.* adversùs tuum Reformatum Miniſterium productam non aliâ viâ elidere potes, niſi cum Criticis (uti ais) prætendendo, hunc ſermonem eſſe à ſtylo ac mente illius Eccleſiæ Doctoris alienum, ſanè in hoc temetipſum Criticum probas, nec tamen hinc evadis, cùm negare non audeas, quòd *Epiſtolâ 119. ad Ianuarium* inter opera S. Auguſtini indubitanter recognitâ idipſum aſſerat. Sic ſic igitur Vedroſi, non niſi baculo arundineo ubiquè inniti apertè convinceris.

COROLLARIUM.

37. EX dictis infertur: Nimìs clarum eſſe, quòd Georgij argumenta *ſuprà cap. 1.* deducta nè in minimo quidem apice fuerint ſolidâ aliquâ ſolutione enervata. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui ieiunia ex Chriſti & Apoſtolorum præcepto *quoad ſubſtantiam ſaltem* præcepta, quoad *temporis autem & modi circumſtantias* per Eccleſiæ legitimam definitionem, approbantibus Patribus & Concilijs Orthodoxis, determinata condemnat, carnis quoquè mortificationem totis viribus inſectando. At circà præſens punctum rem ita ſe habere in hodiernâ prætensâ

Re-

Reformatione, *conſtat ex cap. 3. & 4.* Viderit ergo hujus Reformationis ſpiritus, quomodò poſſit eſſe Divinus?

SECTIO III.

De Cælibatu Sacerdotum.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Georgij.

Hic Author *cit. Rat. 3. Doc. 26.* inducit S Auguſtinum *q. 127. ex utroque mixtim* pluribus rationibus docentem, cur Cælibatus ſit Sacerdotibus in præcepto, ſive eorundem cum uxoribus concubitus ab ſublimitatem Sacerdotij ſit ipſis prohibitus. Item S. Hieronymum *lib. 1. contrà Vigilantium ita* differentem: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid AEgypti & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, deſinunt eſſe mariti.* Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 4. cap. 4. Sect. 10.* redarguentem Veteres, quòd in Epiſcopis (vel Sacerdotibus) requiſiverint Cælibatum. 1.

Oſtendit inſuper hoc in Sacerdotibus votum non repugnare (uti Calvinus pervulget) illi Pauli ſententiæ: *Oportet, Epiſcopum unius eſſe uxoris virum, eò quòd iſtud Pauli dictum non ſit præceptum poſitivum, quaſi* diceret: *Qui vult Epiſcopus, aut Sacerdos eſſe, debet unam habere uxorem;* ſed ſit negativum, quaſi diceretur: *Oportet, illum non ſecundarum ſeu ulteriorum nuptiarum virum eſſe, qui ad eas dignitates evehendus eſt.* Cujus expoſitionis aſſignat ſequentes rationes: 3. Tum quòd ipſemet Paulus alioquin egiſſet contrà hoc ſuum præceptum, Timotheum & Titum creando Epiſcopos, qui teſte Divo Ignatio Apoſtolorum Diſcipulo *ad Philadelphios* perpetuam coluerunt Virginitatem, tum quòd Orthodoxa & rectè de fide ſentiens vetuſtas ita intellexerit illum ſacrum textum, dum Sacerdotum Cælibatum ſanxerunt primorum quinque ſæculorum Paſtores, ipſiusmet etiam Reformati Miniſterij teſtimonijs fide & doctrinâ ſynceri, Syricius *Epiſt. ad Himmericum.* Innocentius I. *Epiſt. ad Victric.* Leo 1. *ad Anaſtaſium*, ipſumquè Concilium Nicænum *Can. 3.* 2.

Oſtendit etiam, illud continentiæ votum nequè everti *ex illo 1. ad Timoth. cap. 4. 1. & 3. In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, prohibentes nubere.* Etenim hunc ſacrum textum procedere quidem adversùs hæreticos Manichæos &c. contendentes, matrimonium ex ſuâ naturâ eſſe malum, & opus dæmonis, non autem Virginitatem ex motivo perfectioris ſtatûs 4.

aſſump-

aſſumptam, veluti doceat S. Auguſtinus *lib. 30. contra Fauſtum cap. 6.*

5. Oſtendit denique, idem continentiæ Votum neque expugnari ex illo Apoſtoli *1. ad Corinth. 9. v. 5.* dicto; *Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli?* Etenim S. Auguſtinum *de opere Monach. cap. 4.* iſtum pravum hujus ſacri textûs intellectum retundere hiſce verbis: *Hoc quidam non intelligentes non ſororem mulierem* (pro neceſſarijs ad ſuſtentationem præparandis, uti habet ejuſdem ſancti Doctoris contextus) *ſed uxorem intrepretati ſunt.*

Ex quibus tamen concludit Georgius, in aperto iam eſſe, quàm fœdè fœteat Reformationis ſpiritus, & quàm frequenter falli, falleroquè deprehendatur in exponendis ſacris Scripturis, ſi ad normam Orthodoxæ Vetuſtatis exigatur.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

6. ISte Miniſter *cit. Sect. 4. exam. Doc. 26.* arguit 1. Exprobrando fœdos, quos hic Cælibatus pepererit ac pariat fructus, teſte Stanislao Orichorio Rutheno *in ſuppl. ad Iulium III.* aſſerente, *Romæ libellos circumferri, quaſi quaſdem fornicationum Iſagoges, cujuſmodi dedecora ob oculos poſita videri ipſarum pecudum libidines ſuperare.* Similia habere Ferum in *Expoſit. Decalogi 7. præcepti.*

7. Arguit 2. Sub Concilij Baſileenſis tempus *Anno 1430.* Sigiſmundum Imperatorem inter alios Reformationis articulos & hunc condidiſſe, quòd plus mali, quàm boni ex Calixti Decreto in Eccleſiâ ſecutum ſit, meliusquè ac tutius ſit, ut iuxtà ritum Eccleſiæ Orientalis Clericis licentia concedatur, contrahendi honeſta Matrimonia. Idem teſte Thuano *Hiſt. lib. 35.* à Pio IV. Pontifice, fruſtrà tamen expetijſſe Maximilianum II. allegando exemplum Apoſtolorum, & primæ Eccleſiæ praxin, & frequentiam atrocium ſcelerum ex Cælibatu ortorum, Paphnutij de lege Cælibatûs abrogatâ in Synodo Nicænâ exhortationem. Imò pleroſquè in Concilio Tridentino Principum, ſpeciatim Ferdinandi Imperatoris, Heinr. II. & Caroli IX. Galliæ Regum Oratores habuiſſe mandatum, ut Sacerdotibus coniugij libertatem impetrarent, allegando ſcelera ex Cælibatu provenientia.

8. Arguit 3. Adducendo Pium II. dicere ſolitum, ſacerdotibus magnâ ratione ſublatas nuptias, maiore reſtituendas videri. Eundem in Concilio Baſileenſi Amadæum Sabaudiæ Ducem ob habitam uxorem Ponti-

fica-

ficatui inidoneum contendentibus reſpondiſſe, *ſe nihil hoc ducere* ; cùm etiam uxorem habens poſſit aſſumi, imò ſæpe aſſumptus ſit ad Pontificatum, Doctoreſquè diſputando, an uxoratus in Papatu ad ſacerdotium electus, teneatur vxori ſolvere debitum, id ſupponant, imò fortaſſis non peius foret, ſacerdotes plures uxorari, qui damnentur in Presbyteratu ſteriſi, aliàs ſalvandi. *Ex Æneâ Sylvio de Geſt. Concil. Baſil. lib.* [illegible] Cum Gregorius VII. circa 11. ſæculum, decretum de Cælibatu iteraret, Synodum Brixienſem ex Italiæ, Galliæ & Germaniæ Epiſcopis coactam, teſte Schafnaburgenſi & Aventino cum totâ factione Clericorum in contrarium inſremuiſſe.

Arguit 4. Huius inſtituti incunabula eſſe ex Montani Paracleto, conjugijs Anno 130. bellum indicente, à quo Montaniſtæ, Tatianorum & Encratitarum nuptias omninò damnantium propago ſint orti, à ſecundis ſaltem nuptijs arcentes. Quam Montani hæreſin, eſſe propugnatam à Tertulliano ſuâ authoritate multos in ſuas partes trahente. Firmatum fuiſſe errorem à Novatianis, Virginitatem abſque nuptiarum contemptu non ſatis laudatam putantibus, & contendentibus, nefas eſſe ſacra adminiſtrari à coniugatis. 9.

Arguit 5. Origenem *in lib. Num Hom.* 23. Euſebium *de Demonſtrat. Evang. lib. 1. cap. 9.* jam olim tremulè ſenſiſſe de ſacerdotum Cælibatu. Acceſſiſſe Synodorum nonnullarum Nationalium calculum, donec in Synodo Nicænâ 1. partibus auditis, Iudice Scripturâ *Heb* 13. referente Paphnutio ſene Cælibe & Martyre, ſit lata ſententia de conjugiorum uſu Eccleſiæ Miniſtris concedendo. Ex Gelaz Cyziceno *in Act. Synod. Nic. can.* 33. Canonem hujus Synodi 3. à Georgio productum, prohibendo habere mulierem ſubintroductam, interdixiſſe concubinatu, non Matrimonio, veluti pateat ex Synodo Sextâ in Trullo, Miniſtrorum Eccleſiæ Matrimonia exemplo Synodi Nicænæ approbante, veluti referat Gratianus. 10.

Argui. 6. Vetuſtatem in hac controverſiâ fuiſſe variam, veluti pateat ex Hieronymo *Epiſt. ad Oceanum.* Gregor. Nazianzeno *in Orat. de funere parent.* Cypriano *lib. 4. Epiſt. 10. & lib. 5. Epiſt.* 15. Pontio *in vitâ Cypriani*, ubi Cæcilius Presbyter conjugatus referatur, Cypriano Presbytero similiter coniungato, dum Martyrium erat ſubiturus, ſuam uxorem commendâſſe. Hinc Auguſtinum de hæreticis, Apoſtolicis dictis ſic loqui. *In ſuam communionem non receperunt utentes coniugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet Eccleſia Catholica Monachos, & Clericos quàm plurimos.* De Paſchaſio Curiæ Rhætorum Epiſcopo circà Annum 7[illegible]0 referre Hedium *hiſt. Eccleſ. lib. 8.* quòd habuerit legitimam uxorem, cujus cum non puduiſſe, 11.

utpo-

utpote quam in nonnullis dogmatibus vocârit *Antiſtitam ſeu Epiſcopam Curienſem*. Aventinum *lib.* 5. dicere, quòd ſacerdotum uxores circa tempora Gregorij VII. Anno 1080. dictæ ſint Preſbyteriſſæ. Turrianum *de Dogmat. Charact. lib.* 2. Cælibatum Ordini ſacro eſſentialiter adiunctum contendere, renitente Thomâ *in* 2. *q.* 88. *a.* 11. ubi dicat: *Non eſt eſſentialiter annexum debitum continentiæ Ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ.*

12. Arguit 7. Calvinum à Georgio immeritò caſtigari, quòd aſſeruerit, Veteres requirendo perpetuum Cælibatum & ejus votum, plus requiſiviſſe in Epiſcopo, quàm Paulus 1. *Timoth.* 3. *v.* 2. Audiendum de hoc Theodoretum *in eundem locum* ita diſſerentem: *Illud, unius uxoris virum, quidem mihi videntur rectè dixiſſe. Olim enim conſueverant Græci & Iudæi cum duabus & tribus, & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege Matrimonij. Quin etiam nunc, cùm leges Imperatoriæ prohibeant, duas ſimul uxores ducere, dixiſſe Apoſtolum, eum, qui cum unâ ſolâ uxore pudicè cohabitet, dignum eſſe, qui ordinetur Epiſcopus. Neque enim ſecundum, inquiunt, reiecit Matrimonium, qui illud ſæpe præcipit fieri.* Theophylactum *in Epiſt. ad Titum c.* 1. ita habere: *Vel eum, qui uxorem habet, in Epiſcopum ſuſcipit. Nam adeò honorabile conjugium eſt, ut vel ex eo poſſit ad ſanctam illam Epiſcopatûs ſedem aſcendi.* Cajetanum *in cit. loc. Secunda conditio* (unius uxoris virum eſſe) *negativè intelligenda eſt, non plurium uxorum virum.* Mirabile eſſe, quòd, cùm Apoſtolus *loco dicto* exponat, quomodò Miniſtri præeſſe debeant liberis & familijs, ac Epiſcopum unius uxoris virum vocet, inculpatum & irreprehenſibilem, Eccleſia Romana eum auſit dicere irregularem, cùm econtrà irregularitatem non incurrat habens plures concubinas. Hinc Gloſſ. *Extrav. de Big. c.* 6. dicere - *Nota mirabile, quòd cum eo, qui peccat, diſpenſatur, & cum eo, qui non peccat, non diſpenſatur. Nota mirabile, quod plus habeat luxuria, quàm caſtitas.*

13. Arguit 8. Lepidum eſſe, quòd Georgius moneat, Chriſti & Apoſtolorum tempore ob Cælibum inopiam neceſſum fuiſſe conjugatos ad Sacerdotium promovere; quaſi verò Chriſtus omnium corda intuens, non potuiſſet duodecim cælibum animos ad ſui ſequelam permovere. Syricij, Hildebrandi, Calixti & aliorum ſanctionem ſe agnoſcere, at non Apoſtolicam, ſed qualem Paulus 1. *Timoth.* 4. *v.* 1. & 3. prædixerit, nempe *deficientium à fide, & prohibentium nubere.* Nec juvare exceptionem Georgij *præc. cap.* 1. *n.* 4. adductam, ſe enim ſuam de virginitate mentem *in Exam. Doc.* 25. expreſſiſſe. Hoc mirari ſe, quòd ſacer Matrimonij ordo ceu Rom. Eccleſiæ Sacramentū è diametro adverſetur ſacerdotali Ordini, Sacramentum Sacramento: conjugiumque ac Miniſterium ita incompoſſibilia ſint, ut majori ſacrilegio ſe ſacerdos obſtringat, ſi contrahat Matrimonium adverſus

verſùs Papæ legem, quàm ſi fornicetur adverſùs votum Deo in Baptiſmo factum. Apoſtolum *dicto loco* ferire & Tatianos, & Encratitas, & Manichæos, & Papiſtas, quotquot nubere prohibeant.

Arguit 9. Si Papiſtæ inſtent, ſe non prohibere conjugium, nec damnare nuptias tanquàm *per ſe* malas: in contrarium ſe Reformatos opponere, quòd conjugium ab Apoſtolo honorabile dictum omninò afficiant ſummâ ignominiâ, cùm ad id vocati, omni dignitate, honoreque in Eccleſiâ priventur. Satis prohiberi conjugium, cùm à ſacris Ordinibus arceantur conjugati, & ad eos votum cælibatûs tanquàm conditio neceſſaria requiratur, atque à Romanâ Eccleſiâ opponatur Caſtitati & Puritati. Ipſos Manichæos nihil ultrà feciſſe, ſolos enim ipſorum Electos, qui ipſis vice Cleri erant, à conjugio abſtinuiſſe, reliquis verò nuptias permiſiſſe. Et ſanè ad Matrimonij laudes non facere, dum Syricius & Innocentius Papæ Romani applicant illud Apoſtoli: *Qui in carne vivunt, Deo placere non poſſunt.* 14.

Arguit 10. Gloſſam ſuper Apoſtoli verbis 1. *Corinth. 9. v. 5. Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas*, quâ per mulieres illas intelligat Matronas divites, Apoſtolis de ſuâ ſubſtantiâ neceſſaria miniſtrantes, ſcopo Apoſtoli directè adverſari. Etenim velle Apoſtolum aliquid ſibi hic liberum fuiſſe, quod ſumptuoſum fuiſſet Eccleſijs: at circumducere divitem matronam, quæ neceſſaria ſuppeditâſſet, levamento futurum fuiſſe Eccleſijs, quæ ipſum aliàs alere debuiſſent; non oneri. Aliter Clementem Alexan. *Strom. lib.* 3. ſentire ita ſcribendo: *An reprobant Apoſtolos, Petrus enim & Philippus filios procreârunt. Philippus autem filias quoquè viris tradidit. Et Paulus quidem certè non veretur in quadam Epiſtolâ ſuam allegare conjugem, quam non circumferebat, quòd ei non magno opus eſſet miniſterio. Dicit itaque in quadam Epiſtolâ: Non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli.* Tertull. *de exhort. ad Caſtit. c. 8. Licebat & Apoſtolis nubere, & uxores circumducere, licebat & de Evangelijs vivere.* 15.

CAPUT III.

Oſtenditur, ex legitimo jure Eccleſiaſtico per legitimam Divinitùs acceptam authoritatem, ſacris Litteris conformiter, introductum eſſe Cælibatum Sacerdotum, & Epiſcoporum.

Probatio prima, ex ſacris Litteris deducta.

CUm enim Eccleſiæ promiſſa, ac poſteà conceſſa ſit poteſtas clavium ad ligandum *Matth. 18.* indubitatum eſſe debet, quin Apo- 16.

ſtoli, eorumque ſucceſſores obtinuerint poteſtatem, ferendi leges tum univerſales, tum particulares ſtatui præſertim Eccleſiaſticorum congruas, Paulo Apoſtolo *1. ad Theſſalon. 4.* hanc ipſam legislativam poteſtatem in ſe agnoſcente, dum ait: *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* At ſtatui Sacerdotali Novi Teſtamenti vel maximè congruere puritatem Cælibatûs ſeu abſtinentiæ à conjugio, evincitur tum ex eo, quòd in Veteri etiam Teſtamento, quando aliqua ſancta erant facienda, vel tractanda, oportuerit, Iſraelitas ab uxoribus abſtinere, juxtà illud *Exod. 19. v. 15. Eſtote parati in diem tertium, & non appropinquetis uxoribus veſtris.* Et hinc *1. Reg. 21. v. 5.* dum David peteret ab Abimelech ſacerdote panes, reſpondit iſte ſacerdos *v. 4. Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem Sanctum, ſi mundi ſunt*
7. *pueri maximè à mulieribus.* Tum ex eo, quòd Veteris quoquè Teſtamenti Sacerdotes, quando officium ſuum præſtituri erant, à domo & uxoribus abeſſent, ſingulæ namque familiæ Sacerdotum vices ſuas habebant, quibus jugiter in templo manebant, *uti patet 1. Paralip. cap. 24.* Unde *Lucæ 1. v. 8.* dicitur de Zachariâ: *Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum &c.* A fortiori igitur congruum eſt, ut ſacerdotes Novi Teſtamenti tremenda Myſteria ſemper tractantes, abſtineant ab uxoribus; eò vel maximè, quòd Apoſtolus *1. Corinth. 7. v. 5.* dixerit conjugatis: *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.* Hinc enim Origenes, Epiphanius & Hieronymus *infrà citandi* inferunt, multò magis decere, ut Sacerdotes Divinis rebus ex officio ſuo addicti ſemper abſtineant. Quinimò Apoſtolus *2. ad Timoth. 2.* ait, quòd *nemo militans Deo ſe immiſceat negotijs ſæcularibus.* At quis non videat, Matrimonium innumeris ſæcularibus negotijs eſſe implicitum? Quia proinde per Chriſtum facta eſt Eccleſiæ Dei poteſtas, ferendi leges ſtatui præſertim Clericali congruas, indubitatum eſſe debet, quin pro ſtatu Sacerdotali Novi Teſtamenti legitimo jure Divinitùs accepto, ac ex causâ rationabili in ipſiſmet ſacris Litteris fundatâ potuerit ferri lex Cælibatûs, ſeu continentiæ. At legem ejuſmodi eſſe de facto latam in Eccleſiâ Dei, patebit tum ex *ſeqq. probationibus*, tum ex illo Apoſtoli *ad Titum 1. v. 7. & 8. Oportet, Epiſcopum ſine crimine eſſe &c. ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* In hiſce enim verbis animadvertendum eſt, quòd vox latina *Sobrius* reſpondeat Græcæ, quæ temperantem ſignificat, quæquè ab Hieronymo *in Tit. 1. & contrà Iovinianum cap. 20,* de caſtitate exponitur. Et hinc quia Caſtitas etiam conjugatis communis eſt, adjungit Paulus, oportere, eſſe continentem, ut doceat, debere ab uſu fæminarum omninò abſtinere: veluti expreſſis verbis *in locum cit.* aſſerit Divus Hieronymus.

Præ-

Probatio ſecunda, ex Concilijs primitivæ Eccleſiæ petita.

ETenim Concilium Neocæſarienſe Anno 310. *Can. 1.* ſic ſtatuit: *Presbyter,* 18.
ſi uxorem acceperit, ab Ordine deponatur, ſi verò fornicatus fuerit, vel adulterium
perpetraverit, amplius pelli debet. Concilium Nicænum I. *can. 3.* ex Græco
translatum ita decernit: *Omnibus modis interdixit Sancta Synodus, neque Epiſco-*
po, nequè Presbytero, nequè Diacono, nequè ulli Clericorum omninò licere habere ſe-
cum mulierem extraneam, niſi fortè mater, aut ſoror, aut avia, aut amita, vel mater-
tera ſit: in his namque ſolis perſonis, & harum ſimilibus omnibus, quæ ex mulieribus
eſt ſuſpicio, declinatur, qui autem præter hæc agit, periclitatur de Clero &c.

Concilium Elibertinum Anno 313. ita decrevit: *Placuit in totum pro-*
hibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis poſitis in Monaſterio, abſtinere ſe
à conjugibus, & non generare filios; quod quicunque fecerit, ab honore Clericatûs ex-
terminetur &c.

Concilium Arelatenſe II. Anno 325. ait: *Aſſumi ad Sacerdotium non poſ-*
ſe in vinculo conjugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.

Concilium Carthaginenſe II. Anno 396. *Aurelius Epiſcopus dixit, cùm* 19.
in præterito Concilio de Continentiæ & Caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti
tres conſcriptione quâdam Caſtitatis per conſecrationes annexi ſunt. Epiſcopos, inquam,
Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet Sacroſanctos Antiſtites & Dei Sacerdo-
tes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inſerviunt, CONTINENTES eſſe in
omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare, ut, quod Apoſtoli
(NB.) *docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, nos quoquè cuſtodiamus &c. Ab omni-*
bus dictum eſt, placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, quia Altari
deſerviunt. Concilium Carthaginenſe V. (cui cum aliquot centenis Epiſ-
copis interfuit S. Auguſtinus) Anno 400. celebratum *cap. 3.* ita habet: *Cùm*
de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores (NB.) *proprias incontinentiâ refer-*
retur, placuit, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos ſecundùm priora ſtatuta etiam ab
uxoribus continere; quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio.

Ex quibus adeò patet, Continentiam Sacerdotum non eſſe novum
inventum, ſed primitivæ Eccleſiæ ſtatutum ab ipſiſmet Apoſtolis accep-
tum, ut adeò hodierna Reformatio adversùs continentiam ejuſmodi pug-
nando, carni nimis immerſam ſe oſtendat, & apertè probet, ſe non duci il-
lo puræ & Orthodoxæ Antiquitatis Spiritu.

Probatio tertia, ex Patrum authoritatibus deprompta.

NAm Clemens Romanus S. Petri diſcipulus circà Annum à Chriſto 20.
octogeſimum *Conſtit. Apoſt. can. 25.* ita ſtatuit: *Ex his, qui Cælibes in Cle-*
rum pervenerunt, jubemus, ut lectores tantùm & cantores (*ſi velint*) *Matrimonium con-*

trabant. Qui Canon allegatur etiam à Concilio Trullano *can. 6.* circà Annum 711. Ejuſdem meminit S. Hieronymus *lib. 1. contra Iovinian. cap. 7.* Origenes *Hom. 23. in lib. Num.* ita habet : *Si oratio juſti ſicut incenſum offertur in conſpectu Domini &c. Dicit autem Apoſtolus ijs, qui in conjugijs ſunt : Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi &c. certum eſt, quia impeditur ſacrificium indefinens ijs, qui conjugalibus ſerviunt. Unde mihi videtur, quòd illius ſolius eſt, offerre ſacrificium, qui indeſinenter & perpetuæ ſe devoverit Caſtitati.* Vide ejuſd. *Hom. 4. in Levit.* Euſebius Cæſarienſis *lib. de Demon. Evang. cap. 9. Oportere enim, dicit ſermo Divinus, Epiſcopum unius uxoris virum eſſe : veruntamen eos, qui ſacrati ſint, atque in Dei miniſterio, cultuquè occupati, continere deinceps ſe ipſos à commercio uxoris decet; qui autem non ad tantum aſſumpti ſint Sacerdotij munus,
21. ijs idem ſermo Divinus indulget.* Sanctus Baſilius *in can. ad Amphiloch. can. 6. Canonicorum fornicatio pro Matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio omninò divellatur; hoc enim Eccleſiæ ad ſecuritatem eſt utile, & non dabit hæreticis adversùs nos anſam.* Vide ejuſdem verba *Epiſt. 17. ad Paregorium Presbyterum ſeq. cap. n. 32. adducenda.* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 4. Tu in libros Evangelicos inſcriptus cùm ſis propter inſtitutum continentiæ; cave igitur, nè deleearis propter ſcortationem.* Sanctus Epiphanius *to. 2. contrà hæreſes. lib. 3. in compendiar. verâ doctrinâ de fide, ſol. ult. Vertex autem horum omnium, aut mater, aut, ut ita dicam, genitrix eſt Sanctum Sacerdotium ex virginibus quidem ut plurimùm procedens &c. aut ex ſolitariam vitam degentibus. Si verò non ſuffecerint ad miniſterium &c. de his, qui continent à proprijs uxoribus, aut ab unis nuptijs viduitatem ſervantibus &c. etiamſi is, qui ab initio continens viduus fuerit, poßit habere locum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi &c.* Videri poſſunt e uſdem verba *hæreſ. 59. ſeq. cap. num. 31. exprimenda.* Divus Gregorius Nyſſenus *lib. de Virg. cap. ult. Quomodò*, ait, *offeres Deo, tametſi ad hoc unctus ſis, qui non audis legem, quæ prohibet conſecrare non caſtum?*

22. Sanctus Chryſoſtomus *Homil. 2. in Iob. Paulus Apoſtolus*, inquit, *ubi in orbe adulterijs, fornicationibuſquè repleto voluit orbis paſtores conſtituere, & quoniam virtutes raro inveniebantur, Epiſcopos ordinans Tito dixit: Conſtitue Epiſcopos, ſicut ego tibi diſpoſui, unius vxoris viros, non eâ ratione, ut id* NB. *nunc in Eccleſiâ obſervetur: oportet enim, omni prorsùs Caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe &c.* Vide etiam *Hom. 51. in Geneſ.* S. Ambroſius *lib. 1. de Offic. cap. ult. Inoffenſum exhibendum, & immaculatum Miniſterium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio conjugali, ſacri Miniſterij gratiam recepiſtis &c.* Et *in cap. 1. prioris ad Timoth. Deinceps ab uſu fœminæ* (ſacerdotes) *cohibentur.* Videantur dicta *to. 3. Epiſt. 821. ad Eccleſ. Vercell. Et cap. 3. prioris ad Timoth.* quorum aliqua ſequenti capite exprimentur.

23. Divus Hieronymus *lib. 1. contrà Iovinian. cap. 19.* inter alia ſic habet : *Si*

laicus

Digitized by Google

laicus & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali, Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt: ergo ſemper carendum Matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus, ab uxoribus ſeparati &c. Vide, quæ habentur *lib. 1. adverſ. Vigilant. cap. 1. & cit. lib. 1. contrà Iovinianum. cap. 14. Item in Apol. ad Pammach. cap. 3. & ibid. cap 8.* Sanctus denique Auguſtinus *lib. 2. de Adult. conjug. cap. 20.* inter alia ſic habet: *Solemus eis* (adulteris) *proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem ſarcinam* (Epiſcopatûs ſcilicet & Sacerdotij) *ſubeundam rapiuntur inviti, eamquè ſuſceptam uſque ad debitum finem, Domino adjuvante perducunt.*

En igitur, nullum eſſe apicem in præallegatis SS. Patrum ſententijs, qui non contradicat hodiernæ Reformationis ſpiritui, pro carnis ſuæ concupiſcentijs totis viribus pugnanti.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. Quærendo ex Vedroſio, an ob plurium tranſgreſſorum adversùs legem aliquam invaleſcentem pravitatem, ſuo Reformationis ſpiritu cenſeat, legem abrogandam? Si affirmet, tunc diſſolventur omnes quantumvis bonæ leges politicæ, diſſolventur & univerſæ leges Eccleſiaſticæ, diſſolventur etiam leges Divinæ, ſiquidem iſtarum omnium fuerint omni tempore tranſgreſſiones frequentiſſimæ ac enormiſſimæ. Si proinde neget, leges ex frequentiâ tranſgreſſionum eſſe abrogandas, tunc ruit totum Vedroſij argumentum; quod ſanè eò levius eſt, quòd nitatur authoritate Orichorij Rutheni eodem cum Vedroſio carnis ſpiritu fœtentis, & malitiosè inducat Ferum longò puriori ac veriori ſpiritu, uti legenti patebit, ſcribentem, quàm ab ipſo allegetur. 24.

Ad *ſecundam* Reſp. Vedroſi, vel abſque ullâ, vel ex ſolâ Thuani, aperto mendaciorum ſpiritu turgentis, authoritate hic procedis. Verùm eſto, quòd circa Imperatores à te allegatos omnia, ut dicis, ita ſe haberent: exinde tamen imprimis evincitur, pro lege Cælibatûs abrogandâ à prætactis Imperatoribus recognitam eſſe Romani Pontificis, & Concilij Tridentini Oecumenici authoritatem. Quibus adeò per Principes ſæculares, eorumquè Oratores repræſentabantur quidem mala ob depravati Cleri pravitatem ex lege Cælibatûs oborta. Nihilominùs quia rationes tum ex antiquitate, & Patrum Orthodoxorum, Conciliorumquè Oecumenicorum authoritate, imò & Apoſtolicâ Traditione, tum ex alijs longè gravioribus per 25.

illius

illius legis abrogationem ſecuturis inconvenientijs petitæ, pro ſacerdotum Cælibatu manutenendo præponderabant, Pontifice Romano illam proinde legem confirmante, idcircò prætacti Imperatores ac Principes, eorumquè ſucceſſores acquieverunt, ut nullatenùs tuæ Pſeudoreformationi, non niſi ea, quæ carnis ſunt, ſapienti faverent, ſed puriori ſpiritui, in Clero ad puritatem & Caſtitatem debitam ſuæ authoritatis brachio, uti efflagitabatur, reducendo, deinceps eſſent intenti; in hoc ſecuti Iuſtinum Imperatorem, *leg.*
26. *Omnem. 41. Cod. de Epiſc. & Clericis* ita decernentem: *Convenit enim, hujuſmodi eligi & ordinari ſacerdotes, quibus nec liberi ſint, nec nepotes: etenim fieri vix poteſt, ut vacent hujus quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant, omne ſtudium, omnemquè cogitationem circà Divinam Lyturgiam & res Eccleſiaſticas conſumment.* Idem decreverunt Imperatores Honorius & Theodoſius *leg. Eum qui. 19. cod. tit. Quicunque*, inquientes, *igitur cujuſcunque gradûs ſacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore cenſentur, extranearum ſibi mulierum interdicta conſortia cognoſcant: hac tantum eis facultate conceſſâ, ut matres, filias, atque germanas intra domorum ſuarum ſepta contineant. In his enim nihil ſævi criminis exiſtimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui Caſtitatis hortatur affectio; quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conſortium.* Et Iuſtinus Imperator *Novell. 22. Collat. 4. tit. 1. de Nuptijs. cap. 24. Si quis inter reverendiſſimos conſtitutus Clericos (ultrà lectorem, aut cantorem dicimus) omninò contraxerit nuptias, hunc ex noſtrâ conſtitutione cadere Sacerdotio conſtituimus, atque volumus.* Idem Imperator *leg. Sacris. 45. Cod. de Epiſc. & Clericis.* ita ſtatuit: *Sacris canonibus neque Deo amantiſſimis Presbyteris, neque reverendiſſimis Diaconis, aut Subdiaconis nuptias contrahere poſt hujuſmodi Ordinationem permittentibus &c. Quoniam igitur pœna facinoris hujus in ſolâ ſacerdotij erat amiſſione; ſacros autem canones non minus, quam leges valere, etiam noſtræ volunt leges; ſancimus obtinere in illis, & quæ ſacris viſa ſunt canonibus, perinde ac ſi Civilibus inſcriptum eſſet legibus, & omnes ejuſmodi tam Sacerdotio, quam Divino Miniſterio, atque etiam dignitate ipſa, quam habent, nudari.* En igitur Imperatores ac Principes ſæculares tuæ quoquè Pſeudoreformationi adverſantes, dum tandem omnes in refrænandis Clericorum pravis moribus, non autem in licentiâ Cælibatûs relaxativâ ſummo Pontifici, & Concilijs Oecumenicis ſe ſubijciendo, conſenſerunt. Quòd autem allegâris Paphnutij de lege Cælibatûs abrogandâ exhortationem, dicetur de hac inferiùs *n. 31.*

27. Ad *tertiam* Reſp. Duplici fraude hîc agis Vedroſi in allegando Pio II. ſive Æneâ Sylvio. Primam commiſiſti, dum ais, Pium II. dicere ſolitum fuiſſe, quòd Sacerdotibus magnâ ratione ſint ablatæ nuptiæ, ſed majori fore reſtituendas. Hinc enim convinceris, imputare te velle Pio II. quæ tamen non ut Pius II. ſed ut Æneas adhuc Sylvius ſcripſerat; optimè enim

noſti

noſti, hunc Papatui priùs infenſum multa dixiſſe ac ſcripſiſſe, quæ poſteà retractavit, Bullâ deſuper editâ ac relatâ *in to. 4. Concil p. 1. edit. Colon. 1618. pag. 758. ac ſeq.* Cui proinde retractationi, ſi, uti debebas, intendiſſes, oppoſitum ſanè deprehendiſſes. Alteram fraudem commiſiſti, dum eundem ſub Pij II. nomine allegas, quaſi non ſtatum duntaxat, ſed etiam uſum Matrimonij probâſſet in ſacerdote, imò ſummo Pontifice, dum tamen de ſtatu duntaxat Conjugij, non de ipſius uſu (ſiquidem Doctores moventes ibi quæſtionem de ſolvendo debito, reſpondeant negativè) neque de vero Pontifice, ſed de Antipapâ *ibidem* talia locutus ſit Æneas Sylvius, quæ poſtea retractârit. *Ex cit. Bullâ.* Sed quid ex hoc concludis, quòd Gregorio VII. circà un- 28.
decimum ſæculum reiterante Decretum de Cælibatu, factio Clericorum in contrarium infremuerit? Sanè aliud non evincis, niſi tum quòd iſtud Decretum ex Apoſtolicâ Traditione (uti anteà viſum) promanans, quantumvis ex hominum malitiâ abjerit quandoquè in aliquam deſuetudinem, tam illâ, quàm alijs vicibus fuerit reſtitutum in ſuum priſtinum vigorem, tum quòd hodierni Reformatores non puriore illis factioſis (prout videre licet apud *citatum* Schaffnaburgenſem & Gemblacenſem ad Annum 1074. valde protervè, ſcandaloſè ac turpiter agentibus) Clericis ſpiritu ducantur, malintque horum, ea, quæ carnis duntaxat erant, ſapientium exempla ſequi, quàm Patrum Orthodoxorum ac Oecumenicorum Conciliorum *præc. cap. prob. 2. & 3.* adductorum authoritatem.

Ad *quartam* Reſp. Vedroſi magno te crimine obſtrinxiſti. An enim Pa- 29.
tres univerſos, atque Concilia Oecumenica *ubi ſuprà*, imò & Imperatores, *præſ. cap. n. 26.* allegatos, atque illam de ſacerdotum Cælibatu legem diſertis verbis approbantes, reos agis de hæreſi Montaniſtarum, Tatianorum, Encratitarum, & Novatianorum? Verùm probè noſti, iſtos hæreticos vel abſolutè damnâſſe Matrimonia, vel ſecundas ſaltem nuptias, tanquàm per ſe malas, ipſoſquè adeò ſpiritu veritati ac Fidei directè repugnante ductos fuiſſe: econtrà verò lex de Sacerdotum Cælibatu procedit ex motivo purioris, & à carnalibus negotijs expeditioris converſationis, ut vel hâc ratione Miniſtri Dei magis eſſent intenti ad ea, quæ Domini ſunt, intenſiùs ac frequentiùs peragenda, conformiter ijs, quæ Apoſtolus 1. *Corinth. 7. v. 33.* ad hoc noſtrum intentum diſſeruit. Nihil proinde illâ tuâ argutiâ egiſti, niſi quòd incurreris cenſuram Prophetæ in eos latæ, qui dicunt malum bonum, & bonum malum.

Ad *quintam* Reſp. Provocâſti ad Origenem & Euſebium Cæſarienſem, 30.
cujus utriuſque à te allegata loca reperies expreſſa *præc. cap. 3. prob. 3. n. 20.* ac ex eis videbis, Euſebium dixiſſe, quòd illos, qui ſacrati ſunt, atque in Dei

Mini-

Miniſterio cultuque occupati, deceat eatenùs ſe continere à commercio
uxoris, ut ipſis nullatenùs indulgeat illud Apoſtoli dictum: *Oportet Epiſco-*
pum unius uxoris virum eſſe. Quid clarius adversùs tuam Reformationem. Ex
Origenis allegato textu expreſsè habebis, ideò huic Doctori viſum eſſe, quod
illius ſolius ſit, offerre Sacrificium, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit
Caſtitati, cùm certum ſit, impediri *ſacrificium indeſinens in iis, qui conjugalibus*
neceſſitatibus deſerviunt. Quid iterum apertius contra tuam prætenſam Refor-
mationem dici potuiſſet? Verùm quia æquivocas in verbo *Videtur*, audi
eundem Doctorem verbo *Debet* utentem *Hom. 4. in Levit.* ubi præter alia ſic
habet: *Ante omnia enim ſacerdos, qui Divinis aſſiſtit Altaribus, Caſtitate DEBET accin-*
31. *gi.* Provocâſti inſuper ad aliqua Nationalia Synodo Nicænâ I. anteriora
Concilia. At quænam ſunt iſta? Tu ſanè hoc conticuiſti. Ego igitur in gra-
tiam tuæ Reformationis, ut ſibi ubique repugnantem ſentiat antiquam Or-
thodoxiam, reproduco Concilium Neocæſar enſe in Græciâ Anno 310. ce-
lebratum, ubi ſic ſtatuitur: *Presbyter, ſi uxorem acceperit, ab Ordine deponatur.*

Profers etiam in medium illam à tuæ Reformationis Miniſterio jugi-
ter cantatam, at ſæpius jam refutatam falſam de bono ſene Paphnutio hiſto-
riam. Sed iſtam Miniſterij tui deceptionem expendas velim ex S. Epipha-
nio *hæreſ. 59.* ita ſcribentem: *Reverà non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti*
adventum eos, qui à nuptiis, mortuâ ipſorum uxore, ſecundis nuptiis conjuncti ſunt, propter
excellentem Sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certè Dei Eccleſia cum ſinceritate
obſervat. Sed & adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non ſuſcipit,
ſed eum, qui ſe ab unâ continuit, (En Vedroſi tuam falſitatem, quâ dicis, quòd à
tempore Concilij Nicæni fuerit uſus conjugiorum in Eccleſiæ Miniſtris) *aut*
in viduitate vixit, Diaconum & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum, ma-
ximè ubi ſincerè ſunt Canones Eccleſiaſtici. En iterum retunditur tua falſitas, quâ
dixiſti, illum conjugiorum uſum eſſe ex canone Eccleſiaſtico Concilij Nicæ-
ni. At pergit S. Epiphanius: *Dices mihi: Omninò in quibuſdam locis adhuc libe-*
ros gignere & Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non eſt juxta Canonem
NB. *ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit &c. Nam quod decentius eſt,*
id ſemper Eccleſia per Spiritum ſanctum benè diſpoſita videns, ſtatuit apparare. Cujus
tandem rationem profert in hæc verba: *Si enim etiam populo præcipit ſanctus A-*
poſtolus dicens, ut ad tempus vacent orationi, quantò magis Sacerdoti idem præcipit? ut
indiſtractus ſit, inquam, ad vacandum ſecundùm Deum Sacerdotio. En igitur Vedro-
ſi tuam Reformationem nullo niſi per carnem inſpirato, eoque fallaci argu-
32. mento nixam. Conaris quidem Nicæni Concilij Canonem torquere, qua-
ſi prohibendo Sacerdotibus, habere mulierem introductam, interdixerit con-
cubinatu, non autem Matrimonio. Verùm audi Divum Baſilium Epiſt. 17.

ad Paregorium Presbyterum iterum tuæ intentioni adverſantem: *Nec primi, nec ſoli, Paregori, ſancivimus, non debere mulierculas cohabitare viris. Lege Canonem à SS. Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdixit, nè quis mulierculam ſubintroductam habeat &c. Itaque ſi quis Cælibatum nominetenùs profeſſus, reipſà faciat ea, quæ à conjugatis fiunt, manifeſtum eſt, quòd Virginitatis honeſtatem nuncupatione illius quidem præſtet, verùm interea ab* INCONVENIENTE NB. *voluptate non deſiſtat &c. Ob hanc cauſam conſtitutionem SS. Patrum ſecuti præcepimus,* NB. *ut à muliercula ſepareris &c. Ejice igitur ex ædibus tuis, & trade in Monaſterium.* En Vedroſi, nè legitimâ quidem uxore, cum quâ ante Presbyteratum contraxerat, ſacerdoti licuiſſe uti. Allegas denique ſextam Synodum in Trullo habitam: ſed audi *ex to. 2. Concil. pag. 1041. col. 2.* iſtius Trullani Concilij canonem ſextum ita ſe habentem: *Quoniam in Apoſtolicis Canonibus* NB. *dictum eſt, eorum, qui non ductâ uxore in Clerum promoventur, ſolos lectores & cantores uxorem poſſe ducere, & nos hoc ſervantes decernimus, ut nulli penitùs deinceps Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui Ordinationem contrahere liceat; ſi autem fuerit hoc auſus facere, deponatur &c.* Ex quibus adeò te Vedroſi convenio, quâ conſcientiâ præſumpſeris pro te allegare prætactos Patres, & Concilia, quæ tamen apertè tibi contradicere, non potuiſti non ſciviſſe.

Ad *ſextam* Reſp. Calumnioſè arguis Orthodoxam Antiquitatem, 33.
quaſi in præſenti puncto varia fuerit: ejus enim in ſacerdotum Cælibatu conſenſum unanimem nimis apertè probant, quæ *praced. cap. prob. 2. & 3. item præſ. cap. 4. n. 30. ac ſeq.* fusè deducta ſunt. Sed allegas S. Hieronymum *Epiſt. ad Oceanum*, quaſi Carterium redarguiſſet, dum iniquum putavit, quòd Carterius Hiſpanus Bigamus duabus ſucceſſivè uxoribus habitis, eſſet Epiſcopus. At duas *in to. 1.* vidi illius ſancti Doctoris ad Oceanum inſcriptas epiſtolas, & in neutrâ deprehendere potui aliquam Carterij mentionem. Verum quidem eſt, Divum Hieronymum *lib. adversùs Helvidium mihi pag. 448.* meminiſſe Carterij Epiſcopi Hiſpani, at nihil ad rem præſentem facit. Sed mirum eſt, te adeò eſſe effrontem, ut illum Sanctum Doctorem allegare auſus ſis, quem tam apertè tibi adverſari ex locis *præc. cap. prob. 3. n. 23.* adductis manifeſtum eſt. Allegas etiam S. Gregorium Nazianzenum *in Orat. de* 34.
fun. parent. At præterquàm quòd verba à te allegata nihil ad præſens inſtitutum faciant, patet ex dictâ oratione, ſententiam præcitatam referri à S. Gregorio ad ſtatum ſui patris anteriorem, ejus non tantùm ſacerdotio, ſed etiam Baptiſmate: at ubi Presbyteratu erat initiatus, teſtatur idem Sanctus Doctor, dictum ſuum patrem ſummæ vitæ puritati ac religionis exercitijs ſtuduiſſe, nec ulla fit ampliùs mentio de uſu conjugij. Allegas inſuper S. Cyprianum *lib. 4. Epiſt. 10. & lib. 5. Epiſt. 15.* nec non Pontium *in vitâ Cy-*

Xxxx *priani.*

priani. At nihil horum, quæ in hoc tertio loco effutiebas, reperire licuit in Baſileenſi editione de Anno 1558. Sed neque locus *ex libro 5. Epiſtolarum* à te allegatus in eâdem editione extat. Quòd ſi verò totum id, quod dicis, ita ſe haberet, probares quidem ſacerdotes, qui ante ſuſceptum ſacrum Ordinem vinculo Matrimonij ſe obſtringebant, minimè tamen probares de ipſis conjugij uſum à tempore ſuſcepti Sacerdotij. Nam *Epiſt. 10. lib. 5.* dicitur in Martyrio (non in concubitu, quem tuus carnalis ſpiritus tibi ſemper ſuggerit) Numidium Presbyterum habuiſſe ſuo lateri adhærentem uxorem ſimul cum cæteris concrematam. Ne verò dubitare tibi ulteriùs liceat de mente S. Cypriani, lege ipſius librum *de Habitu Virginum*, *& lib. 1. Epiſt. 11. ad Pomponium*, & clarè invenies, hunc ſanctum Martyrem ſeverè caviſſe, ut continentiæ votum tam in mulieribus, quàm viris ſtrictè ſervetur. Quæ ſanè doctrina minimè redolet tuæ carnalis Reformationis fœtorem.

35. Quæ porrò ex S. Auguſtino *lib. ad Quodvultdeum de hæreſibus hæreſ. 40.* adducis, non niſi fraudis te convincunt. Illa enim verba: *Quales habet Catholica & Monachos & Clericos*, referuntur ad iſthanc, utpote immediatè conjunctam periodum: *Res proprias poſſidentes*; neque ex mente Auguſtini referri poſſe ad præſentem remotam periodum, *utentes conjugibus*, conſtat ex ijs, quæ ex eod. S. Doctore

36. *præc. cap. 3. n. 23.* relata ſunt. Quæ refers de Antiſtitâ Curienſi & Presbyteriſſis tanquàm Sacerdotum uxoribus, plus non evincunt, niſi quòd viri conjugati fuerint quandoque aſſumpti ad Epiſcopatus & Presbyteratus, abjecto tamen ex tunc Matrimonij uſu, uti patet ex Concilijs & Patribus *cit. cap. 3. prob. 2. & 3.* fusè relatis. In quorum adeò cenſuras & pœnas meritò prolapſi ſunt, ſi qui fortaſſis in contrarium egiſſent. Quòd ſi tamen præadducta Concilia tibi necdum ſufficiant, lege inſuper Concilium Arauſicanum *cap. 20. & can. 23.* Turonenſe I. *cap. 2.* Venetum *cap. 11.* Aurelianenſe II. *cap. 8.* Arvernenſe *cap. 18.* Aurelianenſe IV. *cap. 17.* Lugdunenſe *cap. 1.* Toletanum VIII. *cap. 5.* Matiſconenſe I. *cap. 11.* Ex quibus omnibus ac ſingulis deprehendes, ſub gravibus pœnis prohiberi tum contractum Matrimonij poſt ſuſceptum ſacrum Ordinem, tum ejuſdem antè Ordinis ſacri ſusceptionem initi uſum, & conſortium uxoris.

37. Quòd denique Turrianum Divo Thomæ neganti, votum continentiæ eſſe *ſacro Ordini Eſſentialiter annexum*, aſſeras contrarium, nihil nos moratur. Aliter enim conſideratur ſacer Ordo ſecundùm ſuam Divinæ nimirùm inſtitutionis naturam, aliter verò ſecundùm ſtatum ſolennitatis Eccleſiaſticæ. Et quidem cùm de priori D. Thomas loqueretur, negavit, votum Continentiæ ſacro Ordini æquè ac ſtatui religioſo eſſe *Eſſentialiter* annexum; cùm econtrà Turrianus de ſtatu poſteriori locutus citrà ullam reſpe-

ſtu Angelici Doctoris contradictionem dicere potuerit, votum Continentiæ eſſe de Eſſentiâ ſolennitatis ex Eccleſiæ conſtitutione ſacro Ordini annexæ, in ordine ad effectum impedimenti dirimentis Matrimonium.

Ad *ſeptimam* Reſp. Calvinum à Georgio meritò caſtigari, quòd Veteres Orthodoxos Patres, imò (*uti ex præcedentibus patet*) Oecumenica Concilia damnârit peccati immodicæ ſeveritatis in Cælibatu, ejuſque voto à Presbyteris & Epiſcopis requirendo. An non enim ſuperbia intollerabilis jure merito notatur in illo Pſeudoreformatore ſibi arrogante licentiam, tam graviter cenſurandi antiquam & puram Orthodoxiam? Quæ porrò ex B. Theodoreto Vedroſius protulit in medium, nihil pro ipſo evincunt. Non enim repugnat, eundem ſacrum textum habere multiplicem ſenſum. Quo adeò fundamento jacto, optimè cohæret, quòd ille ſacer textus: *Oportet, Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, habeat tum ſenſum Theodoreti de non aſſumendo in Epiſcopatum aliquo, cui cum duabus uxoribus more Iudæorum, atque Græcorum fuerat conſuetudo, tum ſenſum communiter receptum de irregularitate Bigamiæ ob defectum ſignificationis conjunctionis Chriſti cum Eccleſiâ in eo, qui duabus conjugibus etiam ſucceſſivè fuerat conjunctus. Qui adeò ſignificationis defectus cùm locum non habeat in eo, qui uni tantùm uxori erat conjunctus, ideò advertente etiam Theophylacto *in cap. 1. Titi.* omninò poterat conjugatus aſſumi ad Epiſcopatum, abdicato tamen ex tunc uſu conjugij. *Ex Patribus & Conciliis ſæpè allegatis.* Et hinc rectè mones ex Cajetano *in cit. locum*, illa verba, *unius uxoris virum*, *Negativè* intelligenda eſſe, non eo ſcilicet ſenſu, quaſi oporteret Epiſcopum habere uxorem, ſed quòd ad Epiſcopatum aſſumi non poſſit, qui duarum uxorum Matrimonio etiam ſucceſſivè eſt copulatus. Quòd denique non tibi duntaxat, ſed etiam Gloſſæ *Extravag. de Bigamis v. 6.* videatur mirabile, quòd *irregularitas ex duplici conjugio, non autem ex multiplici fornicatione, vel etiam adulterio contrahatur*, inæqualis ſanè in tuâ & illius Gloſſæ admiratione ratio deprehenditur. Hæc enim Catholicæ Eccleſiæ myſteriorum haud ignara, ejuſmodi admirationem facilè diſſolvit, eò quòd in priori, non autem poſteriori caſu ſit defectus ſignificationis, in eo ſc. tenentis, ut, ſicut Chriſtus in duabus naturis ſub unitate Hypoſtaſeos ſubſiſtens, adeòquè Perſonaliter unus, uni Virgini Eccleſiæ per conjugium ſpirituale ſe conjunxit, ſic oporteat, Epiſcopum ac Presbyterum Chriſti Domini vices agentem hoc myſterium eatenùs in ſuâ perſonâ repræſentare, ut ex duplici conjugio priùs contracto nullus ſignificationis hujuſmodi defectus in ipſo notari poſſit. Hæc proinde Vedroſi ſi perpenderes, dum ambis nomen Curienſis Antiſtitis, magis ſtuderes, te confor-

38.

39.

mare cum Chriſto, ejuſque puritatem ac virginitatem præamante ſpiritu, quàm carni & libidini.

40. Ad *octavam* Reſp. Rides hîc Vedroſi Georgium, quòd aſſeruerit ob Cælibum inopiam tempore Chriſti neceſſum fuiſſe, conjugatos promoveri ad Sacerdotium. At nunquid ridebis Sanctum quoquè Chryſoſtomum *Hom. 2. in Iob.* ſimilia ſcribentem: *Paulus Apoſtolus, ubi in orbe adulteriis, fornicationibuſque repleto voluit orbis paſtores conſtituere, & quoniam virtutes rarò inveniebantur, Epiſcopos ordinans Tito dixit: Conſtitue Epiſcopos, ſicut ego tibi diſpoſui, unius uxoris viros &c. non eâ ratione, ut id* NB. *nunc in Eccleſiâ obſervetur, oportet enim omni prorsùs Caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe, ſed quòd id quandoquè ad eos, qui in fornicatione erant, magnum fuit, ideò dicit: Conſtitue eos Epiſcopos, ſicut ego diſpoſui tibi, ſi quis eſt ſine crimine unius uxoris &c. non quòd* NB. *id legis loco poſuerit, ſed quòd errori ignoſcebat.* Sed audiamus rationem tui riſùs, ſic enim cavillas:

41. *Quaſi verò Chriſtus omnia corda intuens non potuiſſet duodecim Cælibum animos ad ſui ſequelam permovere.* At contine riſum Vedroſi, Chriſtus enim eligendo Apoſtolos & virgines in Cælibatu, & conjugatos in perpetuâ deinceps continentiâ ſuæ Divinæ gratiæ efficaciâ ita conſervavit, ut Eccleſiæ Sanctæ Miniſtris Epiſcopis & Sacerdotibus eſſent exemplo, Divo Hieronymo in *Apolog. ad Pammach. cap. 8.* hiſce verbis id conteſtante: *Apoſtoli vel Virgines, vel poſt nuptias continentes, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium ſemper pudici.* Sed unde, inquies, iſtam perpetuam in Apoſtolis à tempore vocationis ſuæ continentiam probat Hieronymus? Audi ergo hunc ipſum Sanctum Doctorem *lib. 1.* contra Iovinianum iſtud taliter probantem. *Petrus & cæteri Apoſtoli, ut ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium neſciebant; qui aſſumpti poſteà in Apoſtolatum, relinquunt officium conjugale; nam cùm Petrus ex perſonâ Apoſtolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, reſpondit ei Dominus? Amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſerit aut parentes &c. aut uxorem &c. propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura &c.*

42. Ais porrò, te agnoſcere Syricij, Hildebrandi (Gregorij ſcilicèt VII.) Calixti & aliorum de Cælibatu Sacerdotum Sanctionem, non tamen Apoſtolicam, ſed qualem Paulus *2. Timoth. 4. v. 1. & 3.* prædixerit. Verùm ſanctionem ejuſmodi Apoſtolicam dixerunt Patres in Concilio Trullano *can. 6.* Item in Concilio Carthaginenſi II. *cap. 2.* S. Epiphanius *hæreſ. 59.* Divus Ambroſius *to. 3. Epiſt. 82. ad Eccleſ. Vercel.* ipſiquè adeò inſiſtendum decreverunt non tantùm Syricius, ſed ipſo longè anterior Clemens Petri diſcipulus, & Nicænum I. aliaque plura Concilia tum Oecumenica, tum

Natio-

Nationalia, *uti ex præced. patet.* Ex quibus adeò clarè evincitur, quantum Ec-
cleſiæ Romanæ de Sacerdotum cælibatu doctrina diſtet ab illâ Apoſtoli
1. *Timoth.* 4. cenſurâ, niſi hac omnes præallegatos Patres Orthodoxos, ac
Synodos implicatos dixeris. Verùm audi S. Auguſtinum *lib. 30. contrà Fau-
ſtum cap. 3.* tuum malignandi ſpiritum taliter redarguentem: *Si ad Virgini-
tatem ſic adhortaremini* (hæretici nimirùm) *quemadmodum hortatur Apoſtolica do-
ctrina, qui dat nuptam, bene facit, & qui non dat nuptam, meliùs facit &c. non vos
Spiritus Sanctus ita prænuntiaret dicens: prohibentes nubere. Ille enim prohibet, qui
hoc malum eſſe dicit, non qui huic bono aliud melius bonum anteponit. Denique vos
eum concubitum deteſtamini, qui ſolus honeſtus & conjugalis eſt, & quem Matrimonia-
les quoquè tabulæ præ ſe gerunt liberorum procreandorum causâ, unde viro non tam con-
cumbere, quàm nubere prohibetis. Concubitus enim etiam causâ libidinum, nubetur au-
tem non niſi filiorum causâ &c. Videtis ergo multum intereſſe inter hortantes ad Virgi-
nitatem, bono minori amplius præponendo, & prohibentes nubere, concubitum propaga-
tionis, qui ſolus propriè nuptialis eſt, vehementius accuſando &c. Proinde illa doctri-
na eſt Prophetarum & Apoſtolorum, hæc dæmoniorum mendaciloquorum.* Cave igi-
tur Vedroſi nè in dæmonum mendaciloquorū ſortem incideris, dum adeò
blaſphemè, calumnioſè, ac mendaciter inveheris in Virginitatem ac Cæ-
libatum perſonarum Deo conſecratarum, præſertim Sacerdotum. Quòd 43.
porrò nitens *Matrimonii Ordinem ſeu Romanæ Eccleſiæ Sacramentum adverſari Sa-
cerdotali Ordini, Sacramentum Sacramento*, tuam exhinc vel inertiam, vel
imperitiam, vel proterviam apertè oſtendis. Vel enim legiſti Patres præ-
citatos, & ſanè proterviæ ac contumaciæ reus es; vel ipſos toties tuæ Re-
formationi inculcatos non legiſti, & certè inertiæ ac negligentiæ reatu te
obſtrinxiſti. Ex his enim, imò & Conciliis præallegatis clarè deprehendiſ-
ſes, Matrimonium non in ratione Sacramenti, ſed quoad uſum & effe-
ctum repugnare cum ſtatûs Sacerdotalis, Divinis rebus ex officio ſuo uni-
cè intenti puritate: è quorum adeò numero unicum in tui gratiam
reproduco Originem *Hom. 23. in lib. Num.* ita concludentem. *Certum eſt,
quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt. Unde
mihi videtur, quòd illius ſolius eſt, offerre ſacrificium, qui indeſinenter* NB. *& perpe-
tuæ ſe devoverit Caſtitati.* Quòd denique dicas *mirabile, cur majori ſacrilegio ſe* 44.
*obſtringat ſacerdos contrahendo Matrimonium adverſùs Papæ legem, quàm ſi fornicetur
adverſùs votum Deo in Baptiſmo factum?* In hoc ſanè pro accepto imprimis ha-
beo, quòd agnoſcas votum Deo factum. At nunquid votum in Baptiſmo
emiſſum nos quoquè obſtringit ad vota Deo facta reddenda, juxtà illud
Pſalm. 75. Vovete, & reddite Domino. Hujuſmodi autem de continentiâ perpe-
tuâ votum ſeu profeſſionem in Sacerdote jam antiquitùs agnovit Orige-
nes

nes *proximè citatis*, Divus Baſilius *cit. Epiſt. 17.* Concilium Ancyranum aliàs ſexta Synodus *cap. 9.* & Concilium Arauſicanum *cap. 22.* Quo proinde, voto ſuppoſito, deſine mirari Vedroſi, quòd una, vel etiam iterata fornicatio non tam grave ſit peccatum, ac perpetuum ex attentato Matrimonio in Sacerdote ſacrilegium, uti pluribus tradunt SS. Baſilius *de verâ Virginit. pag. 535. col. 2.* Epiphanius *hæreſ. 61.* Ambroſius *lib. 3. de Virgin.* Chryſoſtomus *Epiſt. 6. ad Theod. Monach* Auguſtinus *in Pſal. 83.*

45. Ad *nonam* Reſp. Conjugium ab Apoſtolo ita pronunciari honorabile, ut tamen *1. Corinth. 7.* Matrimonio præferat tum virginitatem, tum viduitatem Deo conſecratam. Cujus adeò ſi facta ſit promiſſio & fides, Apoſtolus *1. Timoth. 5. v. 11.* ait, *Tunc ſi velint nubere, damnationem habituræ, cùm primam fidem irritam fecerint.* At blaſphemum foret, hinc arguere Apoſtolum, quaſi Matrimonium affeciſſet ignominiâ. Pari proinde ratione blaſphemum Vedroſij dictum eſt, quòd Matrimonium ſummâ afficiatur ignominiâ, dum ſacerdotes ad continentiam, fide Deo datâ, priùs ſe devoventes, attentando conjugium, ſacrorum Conciliorum canonibus ſuperiùs allegatis conformiter privantur omni Eccleſiaſticâ dignitate. Quæ porrò

46. circa Manichæos Matrimonia tanquàm ſcortationes abſolutè prohibentes, non autem virginitati duntaxat poſtponentes garris, refutata habes ex S. Auguſtino *ſuperiùs n. 23. adducto.* Cui, ſi ſolus tibi non ſufficit, adjunge S. Epiphanium *hæreſ. 46.* Theodoretum *in cap. 4. 1. Timoth.* Theophylactum *in idem cap. 4.* imò *& Canon. Apoſt. 50.* Item *Can. 9.* Concilij Grangrenſis. Ex quibus omnibus, imò ipſomet Apoſtolo *precitato* conſtat, eos, qui Virginitatem Matrimonio præferunt, laudari, nec adeò niſi illos, qui Matrimonium ex ſe & abſolutè malum aſſerunt, condemnari. Et hinc non eſſe, cur Vedroſius Syricium & Innocentium Romanos olim Pontifices arguat, quòd ad Virginitatis puritatem commendandam illud S. Pauli dictum, *Qui in carne vivunt, Deo placere non poſſunt*, conjugio non alio ſenſu applicuerint, quàm ipſemet Apoſtolus *1. Corinth. 7.* effatus ſit: *Qui ſine uxore eſt* (inquiens) *ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori, & diviſus eſt.* Cave igitur Vedroſi, nè, dum tam ſtrenuè uſque ad Apoſtolicæ Doctrinæ perverſionem es cum uxore, ſis diviſus, imò ſeparatus à Chriſto.

47. Ad *decimam* Reſp. Itanè iterum oſtentas perfidum caput tuum in Clemente Alexandrino non abſque crimine falſi mutilè adducendo, ut ſenſum à mente ipſius remotiſſimum ſimplicioribus obijceres? Audi proinde hunc Sanctum Doctorem *loco per te citato Edit. Baſileenſ. de Anno* 1556. ſe ſe taliter exponentem. *Dicit itaque in quâdam Epiſtolâ; Non habemus poteſta-*

tem

tem, ſororem mulierem (en vocem *Sororem* à te omiſſam, & vocem *Mulierem* tranſverſam in τὸ *Conjugem*) *circumducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli? Sed hi quidem, ut erat conſentaneum Miniſterio, quod divelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendentes, non ut uxores* (en hunc Sanctum Doctorem tibi apertè contradicentem, atque adeò de falſi crimine convincentem) *ſed ut ſorores circumducebant mulieres, quæ unà miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant; per quas etiam in Gynæceum abſque ullâ reprehenſione, malâve ſuſpicione ingredi poſſet.* Neque melior es in allegando Tertulliano, dum non diſtinguis tempora Apoſtolatum antecedentia, de quibus ait, licuiſſe Apoſtolis nubere, & tempora cum Apoſtolatu conjuncta, quibus ait, Apoſtolis licuiſſe U*xores* circumducere. Verùm per iſtas uxores minimè intellexiſſe fæminas Apoſtolis Matrimonialiter conjunctas, ſed alias ejſdem inſervientes, audi ipſummet Tertullianum *lib. de Monogamiâ* ſic diſſerentem: *Nec enim, ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres & uxores pro conſuetudinis facilitate* (*cæterum eſt proprium vocabulum uxorum*) *ideò Paulum ſic interpretabimur, quaſi demonſtraſſet, uxores Apoſtolos habuiſſe. Si enim de Matrimonijs diſputâſſet) quod in ſequentibus facit, ubi magis Apoſtolus aliquod exemplum nominare potuiſſet) rectè videretur dicere: Non enim habemus poteſtatem, uxores circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli & Cephas? At ubi ea ſubjungit, quæ de victuariâ exhibitione abſtinentiam ejus oſtendunt, dicentis: Non enim poteſtatem habemus manducandi & bibendi? Non uxores demonſtrat ab Apoſtolis deductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi & bibendi habent; ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant.* En igitur Vedroſi, te ex hoc etiam Doctore convictum de falſi crimine. Sed cur ſilentio prætermiſiſti S. Auguſtini *de Opere Monach. cap. 4.* per Georgium *cit. Doc. 26.* expreſſa, tuæque Reformationi directè adverſantia verba? Quæ ita ſe habent: *Hoc quidam non intelligentes, non ſororem mulierem, cùm ille* (Apoſtolus) *diceret: Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſed uxorem interpretati ſunt. Feſellit eos* (& ſic Reformatam Eccleſiam) *verbi Græci ambiguitas, quòd uxor & mulier eodem verbo Græcè dicitur: quanquam hoc ita poſuerit Apoſtolus, ut falli non debuerint, quia neque mulierem tantummodò ait, ſed ſororem mulierem; neque ducendi, ſed circumducendi. Veruntamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, & mulierem, non uxorem interpretati ſunt. Quod, quiſquis putat, non poſſe ab Apoſtolis fieri, ut cum eis ſanctæ converſationis mulieres circuirent, quacunque Evangelium prædicabant, ut eis de ſuâ ſubſtantiâ miniſtrarent neceſſaria, Evangelium audiant & cognoſcant, quemadmodùm hoc ipſius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noſter more miſericordiæ ſuæ infirmioribus compatiens, cùm ei poſſent Angeli miniſtrare &c. & mulieres voluit, ut ſe ad præparanda & miniſtranda neceſſaria ſequerentur &c.* Quibus omninò conformiter

48.

49.

ter

ter Sanctus Ambroſius *in cap. 9. Epiſt 1. ad Corinth.* ſuper illa verba: *Nunquid non habemus poteſtatem, mulieres circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli?* ita diſſerit: *Mulieres deſiderio Doctrinæ Dominicæ, & cupidæ virtutum ſequebantur Apoſtolos, & miniſtrabant eis & ſumptus, & ſimilia, ſicut & Salvatorem ſecutæ miniſtrantes ei de facultatibus ſuis.* Ex Sancto denique Hieronymo *ſuprà n. 41. adducto* manifeſtum eſt, qualiter ex ipſo ſacri Evangelij textu probetur, Petrum, & cæteros Apoſtolos à tempore ſuæ ad Apoſtolatum vocationis *reliquiſſe conjugale officium.* Quid ergo Vedroſi ex iſtis tandem concludimus, niſi quòd caro tuæ Reformationi jam prædominetur, ut ejus Miniſtri jam non erubeſcant in allegandis Patribus aperta falſi crimina committere.

COROLLARIUM.

50. EX dictis infertur. Nullum ſanè Georgij argumentum à Vedroſio ſolvi, ſed apertis in Sanctos blaſphemijs & calumnijs, imò & falſitatibus ab iſto Miniſtro apertè commiſſis aggravari. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui carnis deſiderijs adeò inhiat, ut veritatem potiùs, tam perſpicuè à Patribus Orthodoxis, ſacriſquè Concilijs expreſſam, & in ipſiſmet ſacris Litteris fundatam, quàm deſideriorum ejuſmodi expletionem deſerere velit. At penès Miniſterium Reformatum rem ita ſe habere in præſenti circà Sacerdotum Cœlibatum puncto, apertè conſtat ex præcedentibus. Viderit ergo iſtius Miniſterij ſpiritus, quomodò poſſit eſſe Divinus?

SECTIO IV.

De Votis Monaſticis ac Monaſterys.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. Doc. 24.* ad probanda, Monaſteria & Vota Monaſtica inducit 1. Concilium Nicænum I. *can. 21.* ubi ſic ſtatuitur: *Et hoc quidem dixit magnus Paphnutius, cùm eſſet omnis conjugij expers, quòd in Monaſterijs à pueritiâ fuerit educatus.* 2. Sanctum Auguſtinum, utpote qui hunc in finem ediderit Opuſculum *De opere Monachorum* inſcriptum. Item *Confeſſ. lib. 8. cap. 6.* ita diſſerentem: *Et erat Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extrà urbis mœnia ſub nutritore Ambroſio.* Et *cap. 15. de Bono Perſev.* ubi ait:
2. *Fuit quidam in noſtro Monaſterio, qui corripientibus fratribus reſpondebat &c.* 3. Calvinum

mum *lib. 4. Inſtit. cap. 13. Sect. 3.* ita ſcribentem: *Duobus tamen præcipuè locis veteris Monaſtices formam nobis depingit Auguſtinus, libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, ubi adversùs Manichæorum calumnias ejus profeſſionis ſanctimoniam opponit. Et altero, cui titulum fecit, De Opere Monachorum.* Item *Sect. 10. Hic mihi propoſitum non eſt, totum iſtud argumentum perſequi, ſed obiter tantùm indicare non modò, quales habuerit vetus Eccleſia MONACHOS, ſed qualis tunc fuerit Monaſtica profeſſio &c.* Et *Sect. 16. Interim non diſſimulo, vel in illâ, quam Auguſtinus commendat, priſcâ* (Monaſteriorum) *formâ eſſe nonnihil, quod mihi parum placet &c.*

Ex quibus tandem Georgius ita concludit. In aperto eſt, Veterem Orthodoxiam æquè ac Romanam Eccleſiam erexiſſe ac retinuiſſe Monaſteria. Atqui ab iſtâ viâ reſilivit nupera Reformatio. Ergo iſta quoad hoc etiam punctum reſilijt à Veteri Orthodoxiâ. 3.

Author *prætitatus Doc. 25.* inducit 1. eundem S. Auguſtinum *Epiſt. 109.* ubi diſertis verbis deſcribit Paupertatem Religioſam vitæ Monaſticæ ſolennem. Et *hæreſ. 82.* de Caſtitate religioſâ ita diſſerentem: *Hic* (Iovinianus) *Virginitatem etiam ſanctimonialium, & continentiam ſexûs virilis in ſanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum caſtorum, atque fidelium meritis adæquabat &c.* 4.
2. Calvinum *cit. lib. 4. Inſtit. cap. 3. ſect. 16.* ita ſcribentem: *Interim non diſſimulo, vel in illâ, quam Auguſtinus commendat* (Monaſteriorum) *formâ eſſe nonnihil, quod mihi parum placet &c.* Et *Sect. 17. Fateor certè, antiquitùs quoquè receptum fuiſſe hunc morem, ut ſe alligarent continentiæ voto, qui totos ſe Domino dicare vellent. Sed eam ætatem ſic ab omni vitio liberam fuiſſe non concedo, ut pro regulâ habendum ſit, quidquid tunc factum eſt.* 3. Scharpium *Curſ. Theol. adverſ. Bellarm. art. de Monach. q. 5. arg. 4.* ita diſſerentem: *Virginitas non eſt virtus, ſed res indifferens. 1. Corinth. 7. v. 36. & 37. quia non propter ſe expetitur, nec ei vitium aliquod opponitur. Ergo votum de Virginitate* (Monachorum nempè) *non eſt opus ita Deo gratum & meritorium, ideòque nec cum opinione meriti vovendum & ſervandum &c.* 4. Sculteturn *Annal. decad. 1. ad Annum 1524. & 1553.* referentem Reformationis ſuæ fructus in extrahendis Monialibus ex ſtatu Monaſtico, & Matrimonialiter copulandis, veluti præter alias acciderit Catharinæ à Poren poſtea Luthero nuptæ; item in Catharinâ à Zimmeren Abbatiſsâ Tigurinâ nubente viro, ubi tradidiſſet Monaſterium in manus conſulis &c. 5.

Ex quibus Georgius *à n. 122.* concludit 1. Hæc ſapere hæreſin Ioviniani à S. Auguſtino *hæreſ. 82.* relatam hiſce verbis: *Iovinianiſtæ à Ioviniano quodam Monacho iſta hæreſis orta eſt ætate noſtrâ, cùm adhuc juvenes eſſemus. Hic &c. Virginitatem etiam Sanctimonialium, & continentiam ſexûs virilis in ſanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum caſtorum, atque fidelium meritis adæquabat, ita ut quadam Virgines ſacræ provectæ jam ætatis in urbe Româ, ubi hæc docebat, eo audito,* 6.

nupſiſſe dicantur. Et *lib. 3. cap. 7. de peccat. Merit. & Remiſſ.* ita referentem. *Ante paucos annos Romæ quidam extitit Iovinianus nomine, qui ſanctimonialibus etiam ætate provectioribus nuptias perſuaſiſſe dicitur, non alliciendo, quò earum aliquam duceret vellet uxorem, ſed diſputando, Virgines Sanctimoniæ dicatas nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum &c.*

7. 2. Sub illâ Reformatorum doctrinâ apertè contradici Apoſtolo *1. Corinth. 7. v. 32. 33. & 38.* nos expreſsè erudienti: *Eum, qui ſine uxore eſt, ſollicitum eſſe, quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo; qui autem cum uxore eſt, ſollicitum eſſe, quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori &c.* Item: *Qui virginem ſuam Matrimonio jungit, benè facere, qui verò non jungit, meliùs* (nec adeò opus tantùm indifferens, uti Scharpius *præcitatus* dicit) *facere.* Contradici etiam Actis Apoſtolorum, ſiquidem *iſtorum tempore multitudini credentium fuerit cor unum & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe, dixerit, ſed illis omnia communia fuerint &c.* Et hinc ipſammet Orthodoxam Vetuſtatem cum S. Auguſtino *Epiſt. 109.* Sanctum vitæ cœnobialis genus commendâſſe, patet ex verbis ejuſdem *cit. Doc. 25. n. 120. relatis.*

8. 3. Ipſummet Calvinum *Inſtit. lib. 4. cap. 13. ſect. 15.* æquiore in vitam monaſticam ſpiritu compulſum, videri ſibimet *locis ſuperius citatis* in vitam ejuſmodi graviter invecto contradicere, dum ſic ait: *Neque tamen ad omnes ſine ullâ prorsùs exceptione pertinet hæc vituperatio. Quemadmodùm enim nunquàm adeò benè conſtituta fuit ſanctè vivendi regula & diſciplina, quin extarent aliqui fuci longè alijs diſsimiles: ita non ſic hodie A SANCTA ILLA ANTIQUITATE MONACHOS DEGENERASSE DICO, quin aliquos in ſuo grege bonos adhuc habeant. Sed hi pauci & diſperſi in illâ ingenti malorum & improborum multitudine delitescunt &c.*

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

9. ISte Miniſter *cit. Rat. 3. in Exam. Doc. 24. & 25.* arguit 1. Monachos antiquos, & ex iſtis quidem celeberrimos Paulum & Antonium cauſa perſecutionis declinandæ ingreſſos, & hac ceſſante poſtea vel ad ſuos reverſos, vel neceſſitate in voluntatem versâ, intrà eandem commoratos, nullo fuiſſe ligatos voto, nequè factos Clericos, teſte Auguſtino *Epiſt. 86. Ex his, qui in Monaſterio permanent, non niſi probatiores, atquè meliores in Clerum aſſumere ſolemus.* Ex labore manuum, teſte Auguſtino *de Opere Monach.* quæſiviſſe victum, nequè ſæcularibus negotijs ſe immiſcuiſſe, nequè in urbibus conſpectos fuiſſe, niſi ex causâ divendendi ſuos labores.

10. Arguit 2. Iſtos Monachos nondum imbutos fuiſſe hac doctrinâ, quòd per-

per profeſſionem Monachalem omnia vitæ priſtinæ peccata deleantur, quòdquè per habitum Monachalem ſuſceptum reſtituatur homo in eum ſtatum, in quo is eſt, qui ſacro Baptiſmo renaſcitur, quòdquè Monachus non ſit redditurus rationem de peccatis ante Monaſticam vitam admiſſis, & ſtatim atquè habitum ſuſcepit, in cœlum ſit evolaturus, ſi vitâ decedat.

Arguit 3. Eos, qui extra perſecutionis tempora convolârint in loca deſerta, cellulas ac ſpecus ſuas convertiſſe in oratoria & ſcholas liberalium ac religioſarum artium, ſuoſquè diſcipulos Verbo Dei præcipuè imbuiſſe, quam ob cauſam multum ad ipſorum contubernia fuiſſe concurſum, indeque in promptu ſemper fuiſſe viros doctos Eccleſijs præficiendos. Cujuſmodi adeò Cænobia in Aſiâ & Africâ fuiſſe Aſceteria Baſilij Magni & Auguſtini, ita ut teſte Poſſidonio Auguſtini diſcipulo vixerint ſecundùm regulam Apoſtolicam, ac ex ſuo collegio dederint Eccleſijs quibuſdam rogantibus viros undequaque doctiſſimos & pijſſimos, nequè adeò ipſorum Monaſteria fuerint latibula fucorum, ſed gymnaſia pietatis & virtutis cultorum, teſte Ruffino *lib. 2. c. 9.* 11.

Arguit 4. In Europâ Monaſteria condendi eandem rationem fuiſſe Benedicto Nurſino è ſolitudine Caſſinum Cænobium ingreſſo, Monachoſquè ob Longobardorum Italiam devaſtantium infeſtationem hinc inde ſparſos in unum contrahente, certis vivendi regulis eos adſtringente, & in bonis litteris ac pietate erudiri curante, ita ut Monaſticæ ſodalitates, quæ brevi ejus exemplo per Italiam, Galliam, Britanniam, Germaniam & Hiſpaniam magno numero fuerint, ut ut omni nævo non caruerint, ad Caroli Magni uſque tempora Eccleſiæ ſeminaria fuerint. Digna eſſe notatu, quæ de his Trithemius Abbas *in ſuâ Chron. Hirſaug.* referat. *His,* inquiens, *temporibus* (nempe circà annum 840. & diu poſt) *erat hæc conſuetudo Monachorum Benedictinorum celeberrima, ut Scholæ in ſingulis penè Cænobijs haberentur, quibus non ſæculares homines, ſed Monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatiſſimi &c.* 12.

Arguit 5. Verùm quod Gedeonis Ephod, idem Fero rectè monente, accidiſſe Monaſterijs, ut quæ à bonis bonâ intentione fuerunt inſtituta, in abuſum & ſuperſtitionem abierint. Calvino *lib. 4. Inſtit. c. 13.* poſt amplam diſſertationem tandem *Sect.* 16. ita concludente. *Hoc veteris & hodierni Monachiſmi comparatione effeciſſe me, quod volui, conſilio, ita ut appareat, Cucullatos noſtros ad profeſſionis ſuæ defenſionem primæ Eccleſiæ exemplum falsò prætexere, quando ab illis non minùs differunt, quàm ſimiæ ab hominibus. Interim non diſſimulo, vel* 13.

in illâ, quam Auguſtinus commendat, priſcâ formâ eſſe nonnihil, quod mihi parum placet &c.

14. Arguit 6. Poſt longa initia ſummam hypocriſin & ſuperſtitionem invaſiſſe has factitias (uti Anſelmus vocet) Religiones, conquerente Auguſtino *de Opere Monach. c. 28.* & Hieronymo *Epiſt. ad Ruſticum 4.* dicente: *Quoſdam ineptos Monachos dæmonum contrà ſe pugnantium portenta confingere, ut apud imperitos & vulgi hommines miraculum ſui faciant, & exinde lucra ſectentur.* Volaterranum de Benedicto Nurſino aſſerere, *Regna potiùs, quàm Cœnobia virum ſanctum poſteris reliquiſſe, ignorantem non ſe tam pauperibus hoſpitium, aut Chriſti ſervis ad Divina Myſteria ſubſidium* (uti ſperabat) *quàm Clericis ac Sacerdotibus otium, atquè luxuriam pariturum.* Georgium Caſſandrum *art. conſult. 25.* ita diſſerere: *Quàm longè Monachatus à primâ ſui origine degeneraverit, & quantis abuſibus contaminatus & deformatus ſit, per ſe manifeſtum eſt &c. ita ut nuſquàm ferè licentior & profanior vita, quàm in nonnullis Monaſteriis reperiatur &c.* Nicolaum à Clemangis gravem authorem Papiſtam *lib. de Corrupto Eccleſiaſtico ſtatu c. 23.* ita habere: *Quid, obſecro, aliud ſunt hoc tempore puellarum Monaſteria, niſi quædam, non dico ſanctuaria, ſed veneris execranda proſtibula?*

15. Arguit 7. Non injuriâ igitur Cardinales à Paulo III. Pontifice ad reformationem delectos, inter alia Conventuales Ordines abolendos eſſe, ſtatuiſſe. Unde non eſſe, cur fortiſſimis ſuis maioribus vitio vertatur, quòd Iudice Cano Epiſcopo, & in Academiâ Salmant. Theologo *loco 5. cap. 6.* ſine imprudentiæ & ſtultitiæ notâ tolerare non potuiſſent. Aboleviſſe inventum merè humanum, ſuperſtitionis feraciſſimum, cujus, ſi quis fuerit uſus, abundè compenſari per Scholas & Academias, paſſim à piis Magiſtratibus, ut ſint ſeminaria Eccleſiæ, excitatas.

16. Arguit 8. Quòd primi Eremicolæ nullo fuerint obſtricti voto, evinci ex Athanaſio *ad Dracont.* ita diſſerente: *Multi quoquè ex Epiſcopis Matrimonia non inierunt. Monachi contrà liberorum parentes facti ſunt, quemadmodùm viciſſim Epiſcopos filiorum patres, & Monachos generis poteſtatem non quæſiviſſe, animadvertas.*

17. Arguit 9. In Concilio Chalcedonenſi *can. 15.* Monachis nuptias prohiberi ſub pœnâ Excommunicationis, non tantùm invalidas eorum nuptias declarari, dicique, quòd Epiſcopo loci authoritas competat humaniùs cum ipſis agendi, ſive de ſeveritate iſtius pœnæ remittendi.

18. Arguit 10. Iſtam vivendi rationem apud antiquos obtinuiſſe, ut, ſi quis voto imparem ſe deprehenderit, temperamentum Eccleſia admitteret Apoſtolicum. Audiendum de hoc Cyprianum *Epiſt. 11.* ſic diſſerentem: *Si ſe ex fide Chriſto dicaverunt Virgines, pudicè & caſtè ſine ullâ fabulâ perſeverent, ita for-*

fortes & ſtabiles præmium Virginitatis exſpectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, meliùs eſt, ut nubant, quàm in ignem delicijs ſuis cadant. Eadem habere Bernardum *lib. 1. Epiſt. 11.* Nec aliter Ius Canonicum ex Auguſtino. *Quidam nubentes poſt votum aſſerunt, adulteros eſſe. Ego autem dico, quòd graviter peccant, qui tales dividunt. Diſt. 27. can. Quidam.*

Arguit 11. Hodiè longè aliter ſentiri. Etenim Pontificios non ſine pudore pronunciare, quòd graviùs peccetur, ſi ſacerdos, acceptâ uxore, carnis intemperantiæ medeatur, quàm ſi ſcortando corpus & animam contaminet. Bellarminum *lib. de Cleric. cap. 19.* dicere, *quòd conjugium Sacerdotum non ſit conjugium, ſed ſacrilegium.* Et Coſterum *in Enchir. de Cælibatu propoſ. 6. Sacerdotem, ſi fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametſi gravi ſacrilegio ſe ſe obſtringat: graviùs tamen peccare, ſi contrahat Matrimonium.* 19.

Arguit 12. Virginitatem nullis aculeis inhoneſtæ cupiditatis tentatam, quam ſacræ Litteræ commendent, ſe quoquè Reformatos unà cum ſuis prærogativis ſuprà Matrimonium deprædicare. Sed cùm non omnes capiant verbum hoc, ſed quibus datum eſt, ideò ſe dicere conjugium honorabile inter omnes. 20.

Arguit 13. Votum de Virginitate meritorium, quale in Eccleſiâ Romanâ obtinet, ceu ſuperſtitioſum, legitimi voti requiſitis deſtitutum, adeòque temerarium cum Calvino & Scharpio ſe damnare; ut & opinionem illorum, qui Monaſteriorum erectione graviſſima expiari ſcelera ſibi perſuaſerunt. In verbis Auguſtini à Georgio productis ne apicem quidem contineri de votis. 21.

CAPUT III.

Oſtenditur, Vota Monaſtica, ipſaquè adeò Monaſteria ab Orthodoxâ Antiquitate probata, in ipſiſmet ſacris Litteris eſſe fundata.

Probatio prima, ex definitione vitæ Monaſticæ cum ſacris Litteris collatâ.

Etenim vita Monaſtica ſecundùm ſubſtantiam eſt ſtatus perſonarum Deo conſecratarum, mediantibus Obedientiæ, Paupertatis religioſæ, & Caſtitatis perpetuæ votis, in unam quandam cultui Divino deputatam congregationem ſe coadunantium. Atqui talem ſub voto Paupertatis fidelium coadunationem omninò eſſe à Deo probatam, conſtat *ex Act. cap. 4. v. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum & ani-* 22.

ma una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Quem proinde ſub religioſâ Paupertate coadunationis ſtatum in primitivâ etiam Eccleſiâ fuiſſe voto firmatum, tradit S. Auguſtinus *Pſalm.* 132. circa illa verba: *Ecce quàm bonum*, ubi ſic ait: *Ipſi primò habitaverunt in unum, qui omnia, quæ habebant, vendiderunt &c. Et nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. Et quid eſt in unum? Et erat, inquit, illis anima una, & cor unum in Deum. Ergo ipſi priùs audierunt: Ecce quàm bonum &c. Primi audierunt, ſed non ſoli audierunt, non enim uſque ad illos iſta dilectio & unitas fratrum venit. Venit enim & ad poſteros iſta Charitatis exultatio, & VOTUM Deo, vovetur enim aliquid Deo, ut dictum eſt, Vovete & reddite Domino Deo veſtro. Meliùs autem eſt, non vovere & reddere, quàm vovere & non reddere. Sed debet eſſe impiger animus; ut & voveat & reddat &c.* Et infrà ita inquit: *Ex voce hujus Pſalmi appellati ſunt Monachi.*

83. Hunc ipſum porrò ſtatum religioſæ Paupertatis ex inſtitutione Chriſti eſſe conjunctum cum Caſtitate & Obedientiâ, conſtat ex *Matth.* 19. ubi cum omnium rerum dimiſſione, atque adeò Paupertate Religioſâ conjungitur *ſequela Chriſti*, per imitationem ſcilicèt ejus Obedientiæ, & derelictio uxoris, nimirum per *Caſtitatem*: Ejuſmodi igitur religioſum ſtatum per votum eatenùs coram Deo firmari, ut non liceat retrò aſpicere, diſertè tradit S. Baſilius *in Pſalm.* 75. *Nemo ergo*, inquiens, *poſitus in Monaſterio frater dicat, recedo de Monaſterio; neque enim ſoli, qui ſunt in Monaſterio, perrecturi ſunt ad regnum cœlorum, & illi, qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. Reſpondetur ei, ſed illi non voverunt, tu voviſti, tu retrò reſpexiſti &c.* Manifeſtum proinde eſt, in verâ Dei Eccleſiâ dari ſtatum, mediantibus Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ votis, perſonas ſacras coadunantem in unam quandam Deo conſecratam congregationem. Ejuſmodi verò eſt vita Monaſtica, ſive Monaſterium non *Materialiter*, ſed *Formaliter* ſpectatum. Conſtat igitur, vitam Monaſticam & Monaſteria eſſe fundata in ſacris Litteris.

Probatio ſecunda de Voto religioſæ Caſtitatis.

84. Etenim id, quod ex ſacris Litteris conſtat, eſſe Deo gratum, rectè & piè voveri poteſt. Hinc enim dictum eſt *Pſal.* 25. *v.* 12. *Vovete & reddite Domino Deo veſtro &c.* Et certè Deus ipſe per os Iſaiæ Prophetæ *cap.* 19. *v.* 21. prædixit de Chriſtianis, *Ægyptij cognoſcent Dominum in die illâ, & colent eum in hoſtijs & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent &c.* Atqui Caſtitatem ſacræ Litteræ vel maximè commendant tanquàm bonum aliquid & Deo gratum. In hunc namque ſenſum 1. *Corinth.* 7. *v.* 3. dicitur. *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit, & qui non jungit, meliùs facit.* Et

v. 39.

Digitized by Google

v. 39. ac. 40. Mulier, ſi dormierit vir ejus, liberata eſt &c. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium. Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam. Hinc 25.
SS. Patres, ſpeciatim Ignatius Apoſtolorum diſcipulus *Epiſt. ad Tharſenſes.* Juſtinus Martyr *Apol. 2. ad Anton. Imperat.* Theophilus Alexand. *lib. 2. alleg. in Marcum.* Clemens Alexand. *lib. 4. Stromat.* Tertullianus *lib. 1. ad uxorem. lib. 1. contrà Marcionem, & lib. 5. contrà eund.* Cyprianus *lib. de diſciplinâ & habitu Virg.* Athanaſius *in Apolog. ad Conſtant. Imperatorem.* Baſilius *lib. de Virginit. in init. & poſt medium.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 31. circa illa verba: Cùm conſummâſſet Ieſus hos ſermones.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 15.* Epiphanius *in Compend.* Gregorius Nyſſenus *in lib. de verâ & incorruptâ Virginit. cap. 10.* Ambroſius *lib. 1. de Virginib. lib. de Viduis, Epiſt. 82.* Hieronymus *in Apolog. ad Pammachium. Epiſt. 50. & Epiſt. 22. ad Euſtochium. de cuſtod. Virginit.* Ioannes Chryſoſtomus *lib. de Virginit. cap. 11. & cap. 34.* Auguſtinus *lib. de Virginit. c. 13. & alibi.* Caſtitatem ſeu Virginitatem vocant honorabilem, quâ mediante, virgines ac viduæ pudicæ fiant, itè ſacrarium Dei fructuoſum, Deo gratum, melius Matrimonio bonum, florem Eccleſiaſtici germinis, ornamentum gratiæ ſpiritualis, tale donum Dei, ut magnum in eo lucrimentum ſit, ubi viget eſſe verâ religionem, mediante quo reddantur virgines incorruptibili Deo ſimillimi, Angeliſque æquales; item fundamentum Eccleſiaſtici ordinis, portionem Angelicam, cui in ſacris Scripturis præcipua reſpondeat corona, quæque taliter ſit comparanda cum Matrimonio, ut iſtud ſit argentum, illa verò aurum, tantò præſtantiùs conjugio, quantò Angeli hominibus antecellunt. Ex quibus adeò (cuilibet petenti per extenſum producendis) maniſeſtè evincitur, Virginitatem ſeu Caſtitatem eatenùs eſſe voti materiam, ut conſequenter hîc locum habeat illud *Eccleſiaſtici 5. v. 3. Si quid vovisti Deo, non moreris reddere, diſplicet enim ſtulta & infidelis promiſſio.*

Probatio tertia, prioris continuativa.

SI enim Caſtitas eatenùs ſit Deo accepta, ut ipſi reſpondeat peculiare in 26.
cœlis præmium, ſequitur maniſeſtè, eſſe legitimam voti materiam. Atqui *Matth. 19. v. 11.* cùm Apoſtoli dixiſſent: *Si ita eſt cauſa hominis, non expedit nubere,* reſpondit Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Ex quo adeò patet, Virginitatem eſſe Divinitùs donatam, atque adeò Deo acceptam. Unde idem Dominus noſter volens nos inſtruere de præmio Virginitatis, ait: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* In quæ proinde ſacra Domini verba commentando SS. Patres, ſpeciatim Cyprianus *lib. de habitu Virg.* Chryſoſtomus *Homil. 63. in cap. 19. Matth.* Auguſtinus *lib. de Virg. cap. 24. & alibi* mirificè efferunt Virginitatis

præ-

Digitized by Google

præmium in cœlis compenſandum. In quem ſenſum S. Auguſtinus *to.* 6. *Baſil. edit.* 1529. *cap.* 24. & alij Patres applicant etiam illud *Iſaiæ* 56. *v.* 3. *Et non dicat Evnuchus* (qui nimirùm ſe caſtravit propter regnum cœlorum) *Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Evnuchis* (qui nimirùm corpus uſque ad contemptas nuptias caſtigantes, ſe ipſos non in corpore, ſed in ipsâ concupiſcentiæ radice caſtrantes , cæleſtem & Angelicam vitam in terrenâ mortalitate meditantur, uti Sanctus Doctor *citatus* loquitur, damnans eos, qui tales Evnuchos conjugatorum meritis pares eſſe contendunt) *qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint ea, quæ ego volui , & tenuerint fœdus meum : dabo eis in domo meâ , & in muris meis locum , & nomen melius* (nempe gloriam quandam propriam, excellentemquè. *Ex cit. S. Doctore)* à filijs & filiabus , *nomen ſempiternum dabo eis , quod non peribit.* Quia proinde Caſtitas eſt Deo vel maximè accepta, legitimaquè adeò voti materia, ideò circà ipſam omninò locum habet illud *Deuter.* 23. *v.* 21. *Cùm voveris votum Domino Deo tuo , non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus , & , ſi moratus fueris , reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri , abſque peccato eris.*

Probatio quarta, quâ oſtenditur perſonarum religioſarum voto ſolenni Caſtitatis obſtrictarum incapacitas ad Matrimonium,

27. NAm Apoſtolus ita hortatus eſt Timotheum *1. cap.* 5. *v.* 11. *Adoleſcentiores autem viduas devita* (nè ſcilicet mediante continentiæ voto facilè recipiantur ad Eccleſiaſtica miniſteria) cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, volunt nubere, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Atqui SS. Patres ſpeciatim Cyprianus *lib.* 1. *Epiſt.* 11. *ad Pompon.* Baſilius *lib. de Virginit.* Epiphanius *hæreſi* 25. *de Nicolaitis, & hæreſ.* 61. *contrà Apoſtolicos.* Ambroſius *ad Virginem lapſam cap.* 5. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum cap.* 7. *circà medium, & cap.* 22. *Epiſt.* 47. *cap.* 1. Chryſoſtomus *Epiſt.* 5. *&* 6. *ad Theodor. Item Orat. Quòd regulares fœminæ viris cohabitent. Hom.* 19. *in* 1. *ad Corinth.* Auguſtinus *lib. de adult. conjug. cap.* 15. *& cap.* 24. *tract.* 9. *in Ioan. in Pſal.* 75. *lib. de bono Viduitatis cap.* 8. 9. *&* 10. illum ſacrum Apoſtoli textum eatenùs exponunt, ut ſub illâ fide intelligant votum Caſtitatis Deo factum, mediante quo, ajunt, ſive viduas, ſive virgines Deo conſecrari, atque adeò ſi tale votum violent, ſeu nuptias contrahant, fieri reas de inceſtu, laſcivire contra Chriſtum, cui priùs per votum nupſerant; prævaricari fœdus Domini, cui profeſſæ ſunt Virginitatem ſeu caſtitatem, ſubirequè adeò judicium & condem-
28. nationem, quia voverunt, & non reddiderunt &c. Unde Concilium Ancyranum circa Annum 300. *Can.* 19. ſic ſtatuit : *Quotquot Virginitatem pollicitam prævaricati ſunt, profeſſione contemptâ, inter bigamos haberi debebunt.* Et Conci-

cilium Chalcedonenſe Generale *Can. 16.* ita decrevit: *Virginem, quæ ſe Domino Deo conſecravit, ſimiliter & Monachum non licet nuptialia jura contrahere; quòd ſi hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur &c.* Item Concilium Carthaginenſe IV. *can. 104.* definivit de viduis & junioribus, quæ Deo ſe devoverunt, quòd, ſi ad nuptias tranſeant, *damnationem habeant ſecundùm Apoſtolum.* Concilium denique Toletanum IV. *cap. 55.* cùm dixiſſet, duo eſſe genera viduarum ſæcularium & ſanctimonialium, de illis poſteà ſic decrevit: *Hæ, ſi ad nuptias tranſierint, juxta Apoſtolum non ſine damnatione erunt: quia ſe primùm Deo voventes, poſtea Caſtitatis propoſitum abjecerunt.*

Probatio quinta, de Voto Obedientiæ religioſæ.

Quicquid enim ex ſacris Litteris oſtenditur, eſſe Domino Deo acceptum, eſt legitima voti materia. Hinc enim Iacob Patriarcha à ſacris Litteris laudatur, quod *votum voverit Domino.* Et S. Auguſtinus *in Pſal. 75. Vovete & reddite Domino Deo veſtro*, ait: *Quiſquis, quod poteſt, voveat, & reddat &c. Non ſitis pigri ad vovendum, non enim viribus veſtris implebitis. Deficietis, ſi de vobis præſumitis, ſi autem de illo, cui vovetis, vovete, ſecuri reddetis.* Atqui obedientiam religioſam eſſe Deo acceptiſſimam, ex eo evincitur, quòd illâ mediante ſequamur Chriſtum, utpote qui *factus ſit obediens uſque ad mortem. ad Phil. 2. v. 8.* Cujus adeò obedientiæ exemplum nobis quoquè dedit *Luca 20. v. 51.* dum *erat ſubditus illis*, Mariæ ſcilicet, & Ioſeph. Imò ſe ipſum in exemplum jugis & conſtantis Obedientiæ nobis propoſuit, dum *Ioan. 4. v. 34.* dicit: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* Et *Matth. 26. v. 4. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Quam proinde ſuæ Obedientiæ imitationem ac ſequelam Chriſtus Dominus ita commendavit, ut *Matth. 19. v. 25.* dixerit: *Si vis perfectus eſſe &c. veni, ſequere me.* Hanc ipſam verò ſui ſequelam ſtatuit in abnegatione ſui ipſius, adeò ut *Matth. 16. v. 24.* dixerit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Ad quam proinde Chriſti ſequelam perficiendam, mediante voto Obedientiæ, religioſi ſe tradunt Religionis ſuperioribus gubernandos, conformiter ijs, quæ Apoſtolus *2. Corinth. 8. v. 5.* docuit, *laudando tales, ac dicendo, quòd ſemetipſos dederint primùm Domino, deinde nobis propter voluntatem Dei.* Et hinc in ijs, qui ſe certis Præpoſitis regendos propter Dominum tradiderunt, vel maximè locum habet illud quoquè Apoſtoli *Heb. 13. v. 17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Item *Luca 10. v. 16. Qui vos audit, me audit.* Ex quibus adeò, & alijs ſacris Textibus ſancti Patres, ſpeciatim Baſilius *lib. regul. fuſiùs diſput. interrog. 41. Et in Conſtit. Monaſt. cap. 22.* Ephrem *lib. de virtut. & vitijs. cap. de Obedient. & cap. 2. de Virtute.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 9.* Ambroſius *Serm. 65.* Hieronymus *Epiſt. ad Ruſticum, Epiſt. ad*

29.

30.

 Euſtoch.

Euſtoch. & Epiſt. 8. ad Demet. Auguſtinus *Epiſt. 109. ad Monachos, lib 1. de Moribus Eccleſiæ cap. 31. lib. de Opere Monach.* eatenùs laudant ſtatum, in quo certis intrà religioſam communitatem deputatis ſuperioribus aliqui per voluntatem ſuam propter Dominum ſe tradunt gubernandos, ut obedientiam ejuſmodi ſuperioribus præſtitam vocent veram Chriſti Obedientiæ imitationem, taleinquè adeò Obedientiam ceu ſingulare virtutis bonum ſeri urgeant, proferuntquè talis ſubjectionis exempla in Joſue erga Moyſen, Samuele erga Heli Sacerdotem, Eliſæo ergo Eliam &c. Quia igitur omne id, quod Deo gratum & acceptum eſſe dignoſcitur, poteſt eſſe materia voti, ſequitur manifeſtè, Obedientiam religioſam, quâ aliquis primùm ſe Deo, deinde Religionis ſuperioribus propter voluntatem Dei tradit, eſſe legitimam voti materiam. Cujuſmodi proinde voto emiſſo, eatenus non licet retroſpicere ac exire de Monaſterio, ut vel hinc maximè locum habeat illud *Pſal. 75. Vovete, & reddite Domino*, ſitquè adeò fractor voti, qui ſecus fecerit, veluti pluribus tradit S. Baſilius *in cit. Pſal. 75. & in Pſal. 99.*

Probatio ſexta, de Voto religioſæ Paupertatis.

31. NAm illum perfectionis ſtatum, quo aliquis, abdicatis bonis temporalibus, ſe aggregat communitati alicui religioſæ, ex communibus facultatibus degenti, approbant ſacræ Litteræ *Matth. 18. à v. 22. & Act. 4. v. 32.* prout fuſiùs videre licet *præſenti Diſſert. Sect. 1. cap. 3. & præſ. prob. 1.* At hunc ipſum ſtatum in Eccleſiâ ſolere voto ſtabiliri, probat S. Auguſtinus *lib. 17. de Civit. Dei, cap. 4. & in Pſal. 132. circa illa verba: Ecce quàm bonum.* Unde Ananias *Act. 5. v. 1.* cùm vendidiſſet agrum, & fraudâſſet de pretio agri, conſciâ uxore ſuâ (Saphirâ) quandam duntaxat partem ponendo ad pedes Apoſtolorum, ab Apoſtolorum Principe Petro audire meruit *verſ. 3. Cur tentavit ſathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tuâ erat poteſtate? Quarè poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus*

32. *hominibus, ſed Deo.* Ex quo adeò patet, agri venundati proprietatem eatenus fuiſſe in poteſtate Ananiæ & Saphiræ, antequam ſe voto obſtrinxiſſent Deo, ut per hujus violationem mentirentur Deo Spiritui ſancto. Et hinc illam partis pretij defraudationem ſacrilegæ voti violationis in Ananiâ, diſertis verbis arguunt SS Patres, ſpeciatim Cyprianus *lib. 3. ad Quirinum cap. 30.* Hieronymus *in Epiſt. ad Demetriad.* Chryſoſtomus *Hom. 12. in Acta Apoſt.* Auguſtinus *Serm. 27. de verbis Apoſtoli.* Fulgentius *in Epiſt. de debito conjugali cap. 8.* Baſilius Magnus *Serm. 1. Inſtit. Monach.* ex prætacto exemplo Monachos inſtruens: *Danda nobis ſedulò opera eſt, nè quid quodam pacto profeſſione noſtrâ indignum faciamus, nevè ſimili atque Ananias judicio efficiamur obnoxij. licet enim initio Ananiæ*

poſſeſſiunculam ſuam Deo non polliceri, ſed poſtquàm humana gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat, per profeſſionem Deo conſecravit, de pretio autem neſcio quid intervertit, adverſum ſe indignationem Dei provocavit, cujus Petrus miniſter fuit &c. Ex quibus adeò patet, ſtatum profeſſionis religioſæ, quâ per vota Obedientiæ, Caſtitatis perpetuæ, & Paupertatis voluntariæ quis ſe Deo conſecrat, eatenùs eſſe fundatum in ſacris Litteris, ac in primitivâ Eccleſiâ cultum & obſervatum, ut Reformatio hodierna hanc impugnando & violando, apertè dignoſcatur alio duci ſpiritu, quàm Eccleſia primitiva.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vodroſij.

AD *primam* Reſp. Me inprimis habere pro accepto, quòd Sanctos Paulum & Antonium Eremitas cenſeas inter Monachos, eoſque celebertimos. At ex horum vitâ per S. Athanaſium partim deſcriptâ conſtat, ipſos non tam perſecutionis declinandæ, quàm perfectioris vitæ à Chriſto Domino illis verbis, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia &c. & ſequere me*, commendatæ amplectendæ causâ fuiſſe eremum ingreſſos, Romanæquè Eccleſiæ addictos, eâque vitæ auſteritate, quam non patitur tua Reformatio, ad ſummum ſanctitatis apicem perveniſſe, nec adeò tuæ Reformationis, ſed Romanæ Eccleſiæ fidem protuliſſe fructus ſanctitatis. Sed ad quid iſtos Sanctos Monachos, tuæ licèt Reformationi apertè adverſantes, primo loco enumeras? An ut fucum facias, quaſi Monachatus iſtis Eremitis non fuerit antiquior? Audi proinde S. Dionyſium Areopagitam Apoſtolorum diſcipulum *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 6.* ſic ſcribentem: *Perficiendorum autem omnium altior ordo Monachorum ſana diſpoſitio, omni quidem mundata purgatione, univerſali virtute, & perfectiſſimâ propriarum actionum caſtitate, &c.* Et infrà: *Inde Divini duces noſtri nominationibus eos ſacris dignati ſunt, alijs quidem Therapeutas (ſeu cultores) alijs autem ipſos Monachos nominantes, ex puro Dei miniſterio & famulatu &c.* Euſebius Cæſarienſis circà Annum 320. *lib. Eccleſ. hiſt. cap. 16.* ita refert: *Iam verò Philo, cùm eorum vivendi rationem, qui apud nos Aſcetæ*, id eſt *Monachi*, *Religioſique virtutis ſtudio & exercitationi maximè dediti appellati ſunt, quàm accuratiſſimè percenſeat &c. ſatis conſtare poterat, illum eandem, non oculis ſolùm vidiſſe, ſed ſententiâ approbâſſe &c.* Sanctus Hieronymus *in Catalogo Script. Eccleſiaſt.* ſic ait: *Philo Iudæus ideò à nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de primâ Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſiâ, in noſtrorum laude verſatus eſt, non ſolùm eos ibi, ſed in multis quoque provincijs eſſe memorans, & habitacula eorum dicens Monaſteria. Ex quo apparet, talem primam Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam,*

quæ-

quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt, ut nihil cujuſquam proprium ſit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur, & pſalmis, & doctrinæ quoquè & continentiæ, quales & Lucas refert primùm Hieroſolymæ fuiſſe credentes. Sanctus porrò Auguſtinus de Cænobijs & eorum Origine *tract. 97. in Ioannem.* ſic diſſerit: *In Antiochiâ primùm poſt aſcenſionem Domini appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in Actibus Apoſtolorum. Et Monaſteria & Xenodochia poſtea appellata ſunt novis nominibus: res tamen ipſæ & antè nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, quæ etiam contrà improbos defenduntur.* Et *in Pſal. 132.* circà illa verba: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum,* inter alia ſic habet: *Iſte dulcis ſonus &c. tam in cantico, quàm in intellectu etiam Monaſteria peperit &c.* Et infrà de primis fidelibus *Act. 4.* diſſerens, ait: *Ex voce hujus pſalmi appellatos eſſe Monachos, nè quis de iſto nomine inſultet Catholicis, &c.*

35. Unde manifeſtè conſtat, vitam communitatis Monaſticæ, atque adeò Monaſteria cum ipſius fidei Chriſtianæ incunabilis orta eſſe, talemquè vitam ita fuiſſe in Monachis, teſtibus SS. Patribus *ſuprà præc. c.* allegatis & Auguſtino *in cit. Pſ. 132.* voto firmatam, ut Vedroſius ſit falſitatis meritò redarguendus, aſſerens, Monachos antiquos nullo fuiſſe obſtrictos voto, habuiſſequè poteſtatem revertendi ad ſæculum. Quòd autem ſcribat, ipſos non niſi causâ divendendi ſuos labores divertiſſe ad urbes, totum id approbo, ſed Vedroſium hinc ruisùs convenio, quòd in aperto jam ſit, circà bona temporalia, quæ vel manuum laboribus erant parta, vel ex fidelium donatione conceſſa, licuiſſe Monachis, contractus cum ſæcularibus inire, nec adeò hodiernis Religioſis vitio verti, ſi non ex propriâ voluntate, ſed ex ſacrâ Obedientiâ curam gerant negotiorum temporalium, maximè cùm de hoc inſtruantur in Actis Apoſtolorum *cap. 5.* ubi dicitur, bona eatenùs fuiſſe communia, ut diſtribueretur ſingulis, prout opus erat, oportebatquè adeò, aliquos pro bonis ejuſmodi curandis & diſtribuendis fuiſſe conſtitutos; exemplo etiam Chriſti loculum habentis, eumque Apoſtolo Iudæ committentis. Quòd denique aſſerat, non niſi meliores ac probatiores in Monaſterijs fuiſſe in Clerum aſſumptos, hoc etiam approbo, cùm vel hinc pateat, in arbitrio Superioris fuiſſe, ut, quos probatos reperiret, plures, vel pauciores pro neceſſitate cultûs publici deputaret functionibus Clericalibus, reliquis tamen votorum ſuorum obſervantiæ eatenùs adſtrictis, ut hoc etiam titulo dicantur perſonæ ſacræ ac religioſæ, ſive Deo dicatæ, uti paſſim loquuntur SS. Patres *ſuperiùs allegati.*

36. Ad *ſecundam* Reſp. Profeſſionem religioſam à S. Thomâ Aquinate 2. 2. q. 189. a. 3. *ad 3.* & alijs Pontificijs Theologis non *Abſolutè* ac *Simpliciter*, ſive *Adæquatè*, ſed *Inadæquatè* duntaxat. & *Secundùm Quid* æquiparari

Bap-

Baptiſmo. Hic enim habet vim omnium peccatorum non tantùm quoad reatum pœnæ; ſed quoad reatum culpæ etiam æternæ remiſſivam, gratiæquè ſanctificantis ac virtutum infuſarum ex operato Chriſti meritorum opere cauſativam, *uti præc. Diſſert. 5. Sect. 2. & Diſſert. 6 Sect. 1. oſtenſum eſt.* Econtrà verò profeſſio religioſa non habet talem vim ex opere operato, ſed ſupponere debet ſtatum Gratiæ ad hoc, ut poſſit Deo vel in vi meriti, vel in vi ſatisfactionis pro reatu pœnæ tantùm temporalis, non autem æternæ homini aliquid proficere. Quo proinde Gratiæ ſanctificantis ſtatu ſuppoſito, docent Theologi, profeſſionem religioſam, quâ ſe totum quis Deo dicat & conſecrat, adeò eſſe excellens Religionis opus, ut habeat vim ex opere operantis, Chriſti tamen merito & ſatisfactione infinitâ per eam applicatâ mediante, extinguendi totum pœnæ temporalis reatum, nec adeò, ſuppoſitâ peccatorum ante profeſſionē perpetratorum ex vi Sacramenti, vel Contritionis Charitate formatæ remiſſione, noviter profeſſo aliquid ſupereſſe temporaliter luendum, nec conſequenter opus eſſe, ulteriorem pro peccatis ejuſmodi coram Deo rationem reddere. Cujus equidem doctrinæ rationem ſic accipe ex *præcitato* D. Thomâ. Si enim aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere pro peccatis ſuis, ſecundùm illud *Dan. 4. Peccata tua eleemoſynis redime*; multò magis in ſatisfactionem pro omnibus peccatis ſufficit, quòd aliquis ſe totaliter Divinis obſequijs mancipet per Religionis ingreſſum; ſiquidem iſte excedat omne genus ſatisfactionis etiam publicæ pœnitentiæ, *juxta Capit. Admonere. 33 q. 2.* En igitur Vedroſi, illo Pontificio aſſerto nihil aliud decerni, niſi quòd religioſa profeſſio æquè, ac Eleemoſyna, imò magis valeat in ſatisfactionē pro pœnâ temporali. At ejuſmodi ſatisfactionis modū fuiſſe ab Orthodoxâ Antiquitate agnitum, oſtenditur *præc. diſſert. 9. Sect. 2. & præſertim 3.* Imò Divus Gregorius *Hom. 20. ſuper Ezechielem* ait, legi in Vitis Patrum, quòd Religionem intrantes (ſubintellige tamen, ſi conjungatur cum Sacramento, vel Contritione per Charitatem formatâ, & ut ſic peccatorum mortalium quoad culpam remiſſivâ) eandem cum baptizatis gratiam conſequantur. Quâ proinde fronte ille Miniſter auſus eſt, aſſerere, illam de profeſſione religioſâ doctrinam non fuiſſe ab antiquioribus agnitam? 37.

38. Ad *tertiam* Reſp. Aliud eſſe, ſi Monaſteria conſiderentur quoad ſuam quaſi Eſſentiam, aliud verò eſſe, ſi ſpectentur quoad effectus ac fructus inde provenientes. At Vedroſius *in præſenti argumentâ* fatetur, tantum fuiſſe in Eccleſiâ Dei ex Monaſterijs fructum, ut doctiſſimi viri ad regimem Eccleſiæ inde prodirent, inſtitutis ſacris præſertim Scholis. Eo ipſo autem, quòd ex fructibus ſecundùm Chriſti Domini effatum liceat cognoſcere inſtitutum aliquod, an ex Deo ſit, ſequitur, inſtitutionem Monaſteriorum fuiſſe Divini-

Digitized by Google

vinitùs inſpiratam, ut adeò vel hinc Reformatio hodierna dignoſci valeat, utpote quæ non tantùm non inſtituat ulla Monaſteria, ſed antiquitùs inſtituta profanârit. At verò præter iſtum doctrinæ ſacræ ex Monaſterijs prodeuntem fructum eſt alter adhuc fructus pietatis & virtutis, qui ſubſiſtere utique valet in ſimplicioribus per ſpiritualia & ſancta exercitia abſque ullâ Scholarum liberalium, præſertim publicarum inſtitutione. Cujuſmodi adeò circà pietates & virtutes ſub ſacrâ Obedientiâ exercitatio eſt primariò & eſſentialiter intenta in Monaſterijs. Et hinc licèt in pleriſque virorum Monaſterijs non tantùm antiquitùs,ſed hodie etiam vigeant Scholæ ſcientiarum præſertim ſacrarum, hoc tamen non eſſe eſſentiale ac neceſſarium piæ Monaſteriorum inſtitutioni, ſatis elucet ex ijs, quæ tradunt S. Hieronymus *de Script. Eccleſ. in Philone*. Severus Sulpitius *in vitâ S. Martini lib. 3.* Chryſoſtomus *in cap. 2. Matth. Hom. 8.* Euſebius Cæſarienſis *Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 17.* Baſilius *de Conſtit. Monaſt. cap. 19.* Ruffinus *lib. 2. cap. 9.* Unde Monaſteria etiam Sanctimonialium abſque ullâ artium & ſcientiarum liberalium diſciplinâ jam antiquitùs Eccleſiæ in uſu erant, nec proinde niſi libido Reformati Miniſterij fuit, Moniales ex Monaſterijs extrahentis, & cum ijs luxuriantis.

89. Ad *quartam* Reſp. Pro accepto haberi, quòd Vedroſius inſtitutum Monachiſmi Benedictini aſſerat,tantis abundâſſe fructibus, ut ejus Monaſticas ſodalitates dicat, per Italiam, Galliam, Britanniam, Germaniam, & Hiſpaniam ad Caroli Magni uſque tempora Eccleſiæ ſeminaria fuiſſe. Sed oportuiſſet, ipſum ſciviſſe, quòd poſterioribus Carolo Magno ſæculis ex illâ arbore Benedictinâ prodierint alij plures,ſacram doctrinam ſpirantes Eccleſiæ Doctores, ac in publicis Scholis profeſſores, ſive Scriptores ſacri, ſpeciatim Rhabanus, Angelomus, Haymon, Strabo, Algerus, Lanfrancus, Anſelmus, & alij. Quinimò iſtud minimè latuit illum Miniſtrum, utpote ex Trithemio claris verbis aſſerentem, diu poſt Annum 840. atque adeò poſt Caroli Magni tempora celeberrimam hanc Monachorum Benedictinorum fuiſſe conſuetudinem, ut Scholæ in ſingulis penè Cænobijs haberentur, quibus Monachi moribus & eruditione ornatiſſimi præeſſent, ac omnis generis ſcientias docerent. Et verò Deo Opt. Max. favente, hodièquè iſte mos obtinet in ejuſdem ſacri Ordinis Monaſterijs. Quia proinde Chriſtus Dominus apertè pronunciavit, Arborem bonam non poſſe malos fructus facere, nec econtrariò arborem malam poſſe fructus bonos facere, idcirco ex illis ipſis bonis fructibus Monachiſmus à Sanctiſſimo Patriarchâ Benedicto inſtitutus dignoſcitur Arbor bona; ut conſequenter Reforma-

tio

Digitized by Google

tio hodierna iſtam arborem eradicare cupiens, ac fructus è diametro diverſos proferens, meritò ambigat, an poſſit eſſe Arbor bona?

Ad *quintam* Reſp. Vedroſi confecta jam res eſt, quòd inſtitutum Benedictinum ex ſuâ eſſentiâ & primævâ origine ſit arbor bona, utpote fructus optimos, te ipſo etiam fatente, proferre ſolita. Quæro proinde, an, ſi arbor bona purgatione aliquâ indigeat, ſit radicitùs evellenda, vel potiùs exemplo cæleſtis Agricolæ purganda, ut fructum plus afferat. At priùs ſanè facit prætenſa Calviniſtica Reformatio, nullâ votorum ratione habitâ, ſanctimoniales ſacrilegè profanans, & Religioſos Deo dicatos ad inceſtas & ſacrilegas nuptias invitans: cùm econtra Eccleſia Romana, ubi Ordines religioſi à primævo ſuo vigore deſciverunt, ſoleat inſtituere Reformationem, quâ reducantur ad debitam votorum, ſuiquè ſacri inſtituti obſervantiam. Hæc igitur, non autem illa habet Divinum Spiritum cæleſtis illius Agricolæ æmulatorem. Quæ porrò Calvinus *loco cit. & alibi* in Monachos, alioſquè hujus temporis Ordinis Religioſos impudenter effutijt, ea non niſi impotentem hujus Pſeudoreformatoris calumniandi libidinem oſtendunt, prout cuivis ea expendenti conſtabit. 40.

Ad *ſextam* Reſp. Vedroſi, niſi malitioſum convitiatorem ageres, ex SS. Auguſtino & Hieronymo per te *citatis* clarè deprehendiſſes, inſtitutum Monachatûs ab iſtis ſacræ Eccleſiæ Doctoribus ſummoperè laudari, ſed reprobari quorundam à tali inſtituto aberrantium mores, ac reduci ad debitam obſervantiam. Quod ipſum faciunt alij quoquè Pontificij Doctores, dum corruptelas Ordinum religioſorum coarguunt, non alium in finem, niſi ut excitentur ad priſtinum ſui inſtituti vigorem. Econtrà verò tua Reformatio Monachorum inſtitutum in ipſâ ſuâ ſubſtantiâ impugnat, ejuſdemquè obſervantiam deridet, aberrantes verò abducit ad ipſam votorum à *præcitatis* SS. Patribus & ſacris Litteris approbatorum abjectionem. Viderit ergo tua Reformatio, an non ſpiritum à Divino SS. Patrum Spiritu prorsùs alienum in præſenti etiam puncto præſeferat? 41.

Ad *ſeptimam* Reſp. Si qua à ſummis Pontificibus, vel Cardinalibus ſint quandoque ſuppreſſa Monaſteria, vel Ordines, id factum eſſe authoritate legitimâ juſtis ex cauſis, & in finem melioris boni, eâque cum cautelâ, ut votorum obſervantia redintegraretur, piiſquè fundatorum intentionibus ſaltem in æquivalenti ſatisfieret. Econtra verò Reformatio hodierna præſumpſit, perſonas Deo ſacratas prophanare, vota facta violare, bona Monaſteriorum Divino cultui dicata ad uſus prophanos trahere. Et hinc quia Reformationis hodiernæ Academiæ, ſi quæ ex paucioribus Monaſteriorum 42.

Bonis

bonis erectæ ſint, talem à ſanctâ Orthodoxâ Antiquitate alieniſſimam, votorumquè obſervantiæ apertiſſimè adverſantem doctrinam profitentur, meritò Reformatum Miniſterium conven tur, quâ authoritate talem Reformationem invehere præſumpſerit?

43. Ad *octavam* Reſp. S. Athanaſium ad Dracontium nè apicem quidem inſinuare, quòd primi Eremicolæ non fuerint voto obſtricti, ſed ibi taliter diſſerere de ſtatu tum Monachatûs, tum Epiſcopatûs, ut aſſerat, in utroque inveniri bonos & malos. Inter quos proinde perditè ac male viventes cenſuit Monachos, & Epiſcopos aliquos, qui filios genuerint. Alioquin hoc fuiſſe illicitum ex ſententiâ S. Athanaſij, patet *ex cohortatione ad Monachos*, ubi inter alia Monaſticæ vitæ impedimenta ponit, alligatum eſſe uxori, aut filijs impeditum. Vides igitur Vedroſi, S. Athanaſium directè adverſarium tuæ Reformationi, ejuſque Anteſignanis, Luthero, Bucero, Petro Martyri, Oecolampadio, & alijs, utpote qui & Monachi fuerint, & Epiſcopi eſſe voluerint, & tamen filios genuerint, cujuſmodi hominum genus ille ſanctus Doctor cenſuit inter perditè viventes.

44. Ad *nonam* Reſp. Ex allegato Concilij Chalcedonenſis Canone manifeſtum eſſe, tum quòd nuptiæ ſint Monachis prohibitæ ſub pœnâ *Excommunicationis.* Quo igitur cenſu Vedroſi erunt tuæ Reformationis Anteſignani, contrà iſtum ſacrum Canonem ſacrilegis nuptijs ſe contaminantes? At verò Excommunicatio eſt ejus naturæ, ut ſit Medicinalis, nec adeò priùs tollatur, quàm excommunicatus deſiſtat ab illo delicto, propter quod lata eſt. Quia ergo in præadducto Canone erat lata Excommunicatio propter illicitas Monachorum & virginum Deo ſacrarum nuptias, ita ut ſacer Canon dicat, propter has manere excommunicatas, conſequens eſt, poſt harum etiam contractum fuiſſe adhuc obſtrictos crimine, à quo oportebat, ipſos deſiſtere, priuſquàm abſolverentur. At ſi validæ fuiſſent nuptiæ, nullum poſt harum contractum fuiſſet crimen, propter quod manere deberet Excommunicatio. Conſequens igitur eſt, tales nuptias ex Concilij Chalcedonenſis Canone *tract. cap. 3. n. 38.* per extenſum adducto, in tantum fuiſſe invalidas, ut Epiſcopus quidem poſſet cum ipſis humaniùs agere, ubi tamen pœnitentiam egiſſent, & à malè contracto connubio diſceſſiſſent: uti exponit Concilium Triburienſe *can. 23.*

45. Ad *decimam* Reſp. Vedroſi audi S. Cyprianum *cit. Epiſt. 11.* taliter diſſerentem de virginibus Deo ſacratis: *Si ſuperveniens*, inquit, *maritus ſponſam ſuam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? Et per zeli dolorem fortaſſis & gladium in manus ſumit? Quid Chriſtus Dominus & judex noſter, cum virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam jacere cum altero cernit, quam indig-*

natur

natur & iraſcitur? Et quas pœnas inceſtis ejuſmodi conjunctionibus comminatur? Annè igitur Vedroſi temperamentum dicis Apoſtolicum, quod S. Cyprianus vocat inceſtam conjunctionem, ex quâ Chriſtus indignetur & iraſcatur? Sed audi eundem Sanctum Doctorem & Martyrem Chriſti *in ead. Epiſt.* ſic pergentem: *Quòd ſi,* inquit, *obſtinatæ perſeverant, nec ſe ab invicem ſeparant, ſciant, ſe cum hac impudicâ obſtinatione nunquàm à nobis admitti in Eccleſiam poſſe &c.* Credisnè igitur Vedroſi, S. Cyprianum nuptijs virginis Deo ſacratæ divortium ac ſeparationem indicturum, earumquè continuationem de impudicâ obſtinatione accuſaturum fuiſſe, ſi legitimæ & validæ, ac temperamenti Apoſtolici rationem ſortitæ fuiſſent. Sanè ex his probas, ſpiritum tuum nec eſſe Chriſti, nec Apoſtolicum. Quarè in verbis S. Cypriani à te allegatis advertere debuiſſes, hunc ſanctum Martyrem loqui pro ſtatu, in quo erat adhuc integra deliberatio ineundi vel votum ſacræ Virginitatis, vel contractum connubij, ita ut hoc quidem dicat præferendum illis, qui perſeverare vel nolint, vel non poſſint, cùm econtrà apertè dicat illis, quæ ſe ex fide Chriſto dicaverunt virgines, pudicè & caſtè perſeverandum eſſe. Quæ 46.
porrò *ex Canone Quidam. diſt. 27.* ad mentem S. Auguſtini & Bernardi adducuntur, intelligenda eſſe de voto ſimplici Caſtitatis, non autem ſolenni ſtatûs religioſi, & ſacrorum Ordinum proprio, conſtat *ex cit. diſt. can. 8.* ubi Monachorum, & in ſacris Ordinibus conſtitutorum matrimonia dicuntur divellenda. En igitur Vedroſi, ubique prodi tuam in SS. Patribus & Canonibus falsò allegatis ſive malitiam, ſive ineptiam.

Ad *undecimam* Reſp. Sic argumentando. Si matrimonia Sacerdotum 47.
& Religioſorum eatenùs ſint invalida, ut ſub pœnâ etiam Excommunicationis ſint divellenda, ſequitur, viventes in tali ſtatu eſſe perpetuo ſacrilegij & inceſtûs crimini obnoxios. At per ſe notum eſt, gravius eſſe peccatum perpetuum ſacrilegij & inceſtûs, quàm fornicationis licèt ſacrilegæ unâ duntaxat, vel alterâ vice commiſſæ. Cùm igitur ſecundùm ſacrorum Canonum & SS. Patrum ſuperiùs allegatorum doctrinam, matrimonia Sacerdotum & Religioſorum eatenùs ſint invalida, & ſeparanda, ut conſequenter inducant perpetuum ſacrilegæ & inceſtuoſæ conjunctionis ac obſtinationis impudicæ non voto duntaxat, ſed ipſimet etiam Matrimonij Sacramento, utpote invalidè ſuſcepto injurioſæ ſtatum, ipſemet Vedroſi (ſi tamen Patrum & Canonum doctrinæ protervè non contradiceres) judica, quàm vera ſcripſerint Bellarminus & Coſterus.

Ad *duodecimam* Reſp. Illam continentiam eſſe Deo gratam, quam De- 48.
us ipſemet in Paulo Apoſtolo ſuo commendavit. At Deum in hoc Apoſtolo commendâſſe continentiam Caſtitatis, acribus licèt cupiditatis carna-

lis aculeis tentatam, conſtat ex 2. Corinth. 12. v. 7. ubi ait: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quia ergo continentia ſub ipſis etiam cupiditatis aculeis ac ſtimulis per gratiam Dei eatenùs ſubſiſtit, ut virtus ſic perficiatur in infirmitate, manifeſtum eſt, tales cupiditatis aculeos per Gratiam Dei non officere continentiæ ſecundùm ſuperiorem mentis & rationis ac voluntatis liberæ portionem integrè ſervatæ; ut vel hinc ſpiritus prætenſæ Reformationis iterum iterumquè deprehendatur adverſarius doctrinæ Apoſtolicæ.

49. Ad *decimamtertiam* Reſp. Sic argumentando. Ex eo, quòd votum Virginitatis dicatur meritorium, nequit argui ſuperſtitionis, ſi ſecundùm SS. Patres ipſi in ſacris Scripturis præcipua reſpondeat corona, atquè taliter comparanda cum matrimonio, ut illud ſit argentum, illa verò aurum; tantò præſtantius conjugio, quantò Angeli hominibus antecellunt. Atqui rem ita ſe habere circa Virginitatem, ejuſque adeò votum, apertè probatur ex SS. Patribus *præc. cap. 3. prob. 2. & 3. adductis.* In aperto igitur eſt, Vedroſium cum Calvino & Scharpio ſuo voluntatem Caſtitatis præſertim quà meritoriam arguentem de ſuperſtitione & temeritate, impingere in SS. Patres, atque adeò temeritatem hujuſmodi in ipſum meritò retorqueri. Cùm

50. porrò *ex dictis præc. Diſſert. II. Sect. 4.* conſtet, ſanctis operibus in Gratiâ factis ineſſe vim tum Meritoriam alicujus cœleſtis præmij, tum ſatisfactoriam pro pœnis temporalibus, ex hoc etiam capite arguendus eſt Vedroſius, damnans opinionem illorum, qui Monaſteriorum erectione ſacris Litteris & Patribus Orthodoxis conformiter aſſerunt, graviſſima ſcelera quoad pœnæ temporalis reatum, culpâ per Contritionem Charitate perfectam, ſeu Sacramentum Pœnitentiæ remiſsâ, adhuc remittendum expiari. Etſi verò S. Auguſtinus in verbis à Georgio citatis non faciat explicitam voti continentiæ mentionem, recenſet tamen inter hæreſes doctrinam Ioviniani aſſerentis, Virginitatem etiam Sanctimonialium & continentiam ſexûs virilis in ſanctis eligentibus cælibem vitam, adæquari conjugiorum caſtorum, atque fidelium meritis. Quo igitur loco Vedroſii tua Reformatio cenſenda erit, utpote quæ Virginitatem & continentiæ votum non tantùm coæquet, ſed poſtponat conjugij merito, imò de ſuperſtitione ac temeritate coarguat?

COROLLARIUM.

51. EX dictis infertur: Vedroſium, more ſuo ſolito, nullatenùs ſolvere argumenta Georgij, ſed hinc inde deflectendo, contradictionibus perpetuis, nec non falſis Patrum allegationibus ſeſe involvere. Unde ſic licere argu-

argu-

Digitized by Google

argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui eouſque inclinat ad carnalia, ut Caſtitatis & Continentiæ voto firmatæ, quæ ex doctrinâ antiquæ Orthodoxiæ eſt nota veræ Eccleſiæ, non tantùm ſit perſecutor, ſed apertus violator & ſtuprator. At quoad continentiam Sanctimonialium voto licèt ac profeſſione religioſâ firmatam taliter rem ſe habere circà prætenſæ Reformationis Miniſterium, in aperto eſt, repugnantibus licèt ſacris Litteris, Patribus antiquis, & Concilijs Orthodoxis. Viderit ergo iſta Reformatio, quomodò ſpiritus ipſius poſſit eſſe Divinus.

DISSERTATIO XIV.

De Cultu Latriæ & Duliæ, eoquè tùm Reſpectivo, tum Abſoluto, Invocatione Sanctorum, Veneratione & cultu ſacrarum Reliquiarum, ac Imaginum.

SECTIO I.

De Cultu Latriæ & Duliæ tum Abſoluto, tum Reſpectivo.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *cit. Rat. 3. Doc. 30.* inducit S. Auguſtinum *q. 44. ſuper Exod. q. 66. ſuper Levit. Epiſt. 49. Quæſt. 3. & 66. ad Maximum Medicum. Lib. 1. cap. 6. de Trinit. lib. 10. cap. 1. & ſeq. De Civitate Dei. Lib. 15. cap. 9. & lib. 20. cap. 21. contrà Fauſt. Manich.* ita ut ille Sanctus Doctor in omnibus hiſce locis faciat mentionem diſtinctionis inter cultum Latriæ & Duliæ.

Inducit etiam Calvinum *Inſtit. lib. 1. cap 12. Sect. 2.* ſic ſcribentem: *At complures ex Veteribus hac diſtinctione* (inter cultum nempe Latriæ & Duliæ) *uſi ſunt. Quid tum, ſi omnes eam perſpiciunt, non modò impropria eſt, ſed penitus frivola &c.*

2. Ex quibus tandem concludit, iterum iterumquè in aperto eſſe prætenſæ Reformationis diſſonantiam ac defectionem ab antiquâ Orthodoxiâ.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

3. ILle Curienſis Miniſter *Sect. 4. in Exam. cit. Doc. 30.* arguit 1. Georgium nihil producere pro Hyperduliâ. Quam æquè tamen in primitivâ Eccleſiâ, ac in hodiernâ Romanâ confirmet, notam fuiſſe. Hanc eſſe calcem, quâ Idolomaniam ſuam Romana Eccleſia incruſtet. Latriam velle, eſſe religioſum cultum ſoli Deo debitum. Duliam ſervitium religioſum Sanctis convenientis. Hyperduliam cultum fingere intermedium, Chriſti Humanitati, atquè Virgini Mariæ proprium. Sed nihil hîc eſſe ſolidi. Genium linguæ Græcæ prorsùs reſpuere hanc diſtinctionem. Græcis has voces in Dei cultu non magis differre, quàm Latinis voces Gladius & Enſis.

4. Addit Heideggerus *in ſuis Vindicijs n. 9.* De diſtinctione Pontificijs uſitatâ inter cultum Duliæ, Hyperduliæ & Latriæ à Redingio ſolicitari Zwinglium, Calvinum, Bezam, & Molinæum tanquàm confitentes reos, quòd ea Patribus probata fuerit, *in ſuis Refutat. pag. 24. & 193.* At de cultu Hyperduliæ audax & perfrictum hoc Redingij commentum eſſe. Nequè enim de eo unum jota habere ſuos Reformatos Theologos. Iſtos exactè noſſe, quòd Hyperduliæ vox & res ipſa voce ſignificata nuper demum inventa, & veteribus omnibus incognita fuerit. Verùm ſive vox Hyperduliæ, ſive res ſpectetur, nihil eâ abſurdius eſſe, nihil blaſphemum magis.

5. Arguit 2. Latriam in utroque Teſtamento tribui Deo tricies. Duliam itidem tricies novies. Cultum idolorum ſub nomine Latriæ in Veteri Teſtamento damnari tricies quater, ſub nomine duliæ vicies ter. Idololatriam itaque & Idoloduliam Spiritui ſancto non differre. Interpretes Græcos Hebræam vocem verbo Latino *ſervire* reſpondentem de Deo, & ejus cultu per Græcam vocem *Latreuſin* reddidiſſe novies, per *Duleuſin* vicies ſepties. Nullum ergo hîc eſſe diſcrimen reale. Quarè non defuiſſe in Papatu, qui illam diſtinctionem reijcerent, non minùs, quàm Calvinus, uti Martinus Pereſius *p. 3. de Tradit. conſid. 7. &* Ludovicus Vives *ad cap. 1. lib. 10. de Civit. Dei.*

6. Arguit 3. Eccleſiam Romanam deludendæ plebi, Latriæ nomen removiſſe à cultu creaturarum, interim rem omnem per Latriam deſignatam tribuere creaturis, quibus ſua & ſe ipſos religioſis ritibus conſecrent. Ad eas vota, preceſquè, qui juxtà Auguſtinum *de Civit. Dei lib. 10. c. 1.* Deitati debitus cultus ſit, remittere, in illarum interceſſione, meritis, præſidio ſpem & fiduciam ponere, ijs templa, alteria, ſtatuas, imagines erigere,

gere, anathemata ſuſpendere, Crucem non ſolùm illam, in quâ pependit Chriſtus, ſed quamlibet illjus imaginem eſſe adorandam Latriâ, diſertè tradere Gretlerum *lib. 1. de Cruce. cap. 49.* Hinc cantare Eccleſiam: *O crux ave ſpes unica &c. Auge pijs juſtitiam &c. Ave lignum triumphale &c.* Adeò oblitam eſſe Eccleſiam Romanam ejus, quod habet Ambroſius de obitu Theodoſij. *Invenit ergo titulum* (Helena) *Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum, ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo.*

Arguit 4. Epiphanium *hæreſ. 78.* contra Antidicomarianitas dicere, quòd *in nomen Virginis offerre, ſit animam perdere.* Eccleſiam autem Romanam non tantùm Divæ Virgini, ſed etiam quibuslibet Divis ſacrificia ſolemnia, quæ ſub Novo Teſtamento reſtent ſpiritualia, uti ſunt preces & gratiarum actiones, offerre, eorum imagines thure colere & incenſo. Quod acriter Auguſtinum reprehendere *de hæreſ. ad Quodvultdeum in* Carpocratianis, habentibus olim imagines Chriſti & Pauli, eaſquè thure colentes. Neminem dubitare, Iſraelitas tempore Ezechiæ ſacrificâſſe ſerpenti æneo, cùm illi thus adoleverunt. Quod vitioſum fuiſſe, pium illum regem agnoviſſe, confringendo ſerpentem, nè ultrà coleretur. Imò Pontificios ſe paria facere circà ſuas imagines cum Iſraelitis ſerpentem æneum incenſo colentibus, palàm agnoſcere. Nam Gregorium II. *Epiſt. ad Leonem Iſauric.* quæ extet *to. 3. Concil.* exprobrâſſe Imperatori, quòd imagines diſturbando, imitetur impietatem Oziæ, qui ſerpentem æneum confregerit. Ubi doctum illum Papam poſuiſſe Oziam pro Ezechiâ, & impietatis damnâſſe facinus illud confracti ſerpentis, quod pietati tribuat Scriptura. 7.

Arguit 5. Quod ad Auguſtinum, non negare, eum quandoquè uſum diſtinctione Latriæ & Duliæ, ſed eo ſenſu, quo uſurpari ſolet à Pontificijs, pernegare. Quem cultum Reformati diſtinguant in Civilem & Religioſum, eum ab Auguſtino diſtingui in Latriam & Duliam. Per Duliam intelligi cultum vel ſocietatis, vel ſubiectionis erga præſentes, vel Charitatis erga abſentes: *juxta dicta lib. 20. contra Fauſtum. cap. 21.* Per Latriam intelligi ab Auguſtino cultum Religioſum cum omnibus actibus ſuis tam elicitis, quàm imperatis, qui quidem pars ſint Religionis. Similia contra Redingium habet Heideggerus *in ſuis Vindic. n. 6. circà finem.* Aliud ergo, inquiens, eſſe, cultum in genere diſtinguere in Latriam & Duliam, quod faciat Auguſtinus; aliud cultum Religioſum ita diſtinguere, quod faciant Pontificij. Aliud Latriam & Duliam genere diſpeſcere cum Auguſtino, aliud gradu duntaxàt cum Pontificijs. 8. 9.

Arguit 6. Locum à Georgio *pag. 97.* ex Auguſtino *in Exod. q. 94.* allega- 10.

legatum aliud non probare, niſi quòd Duliā, quam alibi etiam creaturis ſenſu nempe ſuprà memorato tribuit, Deo quoquè debeatur, quatenùs eſt Dominus noſter. Ex quo Eccleſiæ Romanæ diſtinctionem everti, cùm Sancti defuncti, quibus Duliam vendicet, non ſint Domini noſtri. Dicere itaquè ſe Reformatos, Duliam & Latriam Creatori nos reddere poſſe & creaturæ; Creatori nempe & creaturæ debere nos reverentiam, imò & ſervitium ijs, qui Domini ſunt. Eam verò, quam Deo debemus, vocare ſe reverentiam Religioſam. Quam verò debemus creaturis, appellare Civilem & Chriſtianam Societatis, Dilectionis, & Charitatis.

II. Arguit 7. Heideggerus *In ſuis Apolog. & adversùs Peregrinat. Eremit. diſſert. 2. n. 8.* Hoc unum à Redingio hîc iure poſtulari, ut diſtinctionem cultûs Latriæ & Duliæ Reſpectivi ex piâ Antiquitate demonſtret. Se Reformatos pani Evchariſtico reverentiam quidem, religioſumquè honorem, latiori nimirùm notione ita dictum exhibere, at non cultum Latriæ. Reverentiam enim & religioſum honorem triplici ſenſu ita nuncupari, vel quia elicitur immediatè à Religione ut proprius ejus actus, vel quia imperatur à Religione tanquàm aliud naturæ illius congruens, vel denique quia & imperatur à Religione, & fundamentum habet in relatione ad Religionem & cultum ſacrum. Primo ſenſu Religionis honorem ſoli Deo deberi. Atquè ita Pontificios, qui eum etiam Pani Evchariſtico tribuunt, reos eſſe abalienati honoris Divini. Secundo modo etiam honorem Civilem parentibus & ſummo Magiſtratui debitum rectè vocari Religioſum. Tertio ſenſu reverentiam & honorem Religioſum impropriè & laxè ita dictum, adeòquè ipsâ adoratione latiùs patentem, impendi debere omnibus Divini cultûs inſtrumentis, Symbolis, adeòquè etiam Euchariſtico pani. Se enim Reformatos judicare, honorem Deo debitum ipſi exhiberi minimè poſſe, niſi cum ſingulari etiam reverentiâ tractentur ejus inſtrumenta, propter arctiſſimam illam connexionem, quæ inter actum aliquem, & inſtrumentum actûs intercedit. Etſi igitur nec panem Euchariſticum Reformati adorent ut Deum, nec imagines ut terminos proximos religioſi cultûs, quod faciant Pontificij, tamen ijs, quæ cultui Divino inſerviunt, adeòquè etiam Pani Euchariſtico in uſu legitimo reverentiam debitam teſtari, imò & extrà uſum cavere, nè quicquam circa ſymbola conſecrata admittatur, quo vel minuatur illa reverentia, quæ in ſacro uſu, vel cultu adhibetur. Sed utramque iſtam reverentiam ergà benedicta ſymbola tum poſitivam in uſu legitimo, tum privativam extrà uſum vel maximè differre à cultu Latriæ ſive abſoluto, ſive relativo, ſub quo adoratio, alijquè Deo competentes honores comprehenduntur.

Arguit

Arguit 8. Prætactus Tigurinus Profeſſor *n. 5.* ſic quærendo. Quotuſquiſque eſt ex plebe veſtrâ, quæ longè maxima pars religioſa, qui has Latriæ & Duliæ in cultum Abſolutum & Reſpectivum diſtinctiones vel audiat, vel auditas intelligat, vel intellectas ritè applicet? Quotuſquiſque coràm imagine, coram Sacello conſecrato proſtratus & adorans non eodem modo id facit, & eodem animi motu, quo in Deum ipſum fertur? Quotuſquiſque eſt, qui non exiſtimet, ſe actum virtutis Religionis exercere, imò qui non apud ſe ſtatuat, nullum exerceri majorem poſſe? Hinc enim, ait ille miniſter, eſſe peregrinationes illas difficiles ac ſumptuoſas, ut ad locum talem accedant, in quibus exiſtiment, Chriſtum, Mariam, Sanctos efficaciùs operari; nec expectare, donec ad locum illum devenerint, ſed cùm primùm eminùs templi turrim conſpiciunt, tum pronos in terram adorare. Etſi igitur Pontificij in Cathedrà ſuâ ſive Scholaſticâ, ſive quandoquè etiam Eccleſiaſticâ diſtinctiones ejuſmodi ad palliandam nimis horrendam Idolomaniam ſonent, in ipsâ tamen praxi, in quâ omnis ratio cultûs vertatur, minimè obſervari. 12.

Arguit 9. De cultu Latriæ Abſoluto & Reſpectivo non convenire Doctoribus Pontificijs, Pereſio Aralo *de Tradit. pag. 3. de Imag.* adorationem relativam non tantùm impugnante, imò aſſerente, nullum ſe videre validum fundamentum, quod poſſit fideles obligare ad illam ipſam adorationem & reverentiam imagini Chriſti, vel Sanctorum, ut repræſentativa eſt, adhibendam, quæ & ipſis rebus, quas repræſentat, debetur &c. Econtrà Thomam, Cajetanum, Bonaventuram, Marſilium, Catharinum, Capreolum & alios eundem cultum imagini, qui prototypo debetur, contendunt. 13.

Arguit 10. Eâdem Latriæ Abſolutæ ac Reſpectivæ diſtinctione olim Mœchilatris Iſraelitis, hodie paganis Idololatriam ſuam incruſtare proclive fuiſſe: Et, ſi rebus omnibus, quæ relationem, vel reſpectum habent ad Chriſtum, cultum Latriæ, quamvis deficiente mandato, Reſpectivum homines debeant, in immenſum cultus multiplicandos eſſe. Adorandam fore etiam aquam Baptiſmalem, Sabbatum, Evangelium, ejus Miniſtros, imò res viliſſimas, quatenùs ad Deum referuntur, uti delirârit Vaſquezius. 14.

(JESUS)

CAPUT III.

De Diſtinctione inter cultum Latriæ & Duliæ, eumque tum Abſolutum, tum Reſpectivum.

Probatio primâ, quâ oſtenditur, nomina Latriæ & Duliæ ritè fuiſſe ab Eccleſiâ applicata ad diſtinguendum Dei & Sanctorum cultum.

15. NAm quia Deus ſuarum Divinarum perfectionum nos facit participes, ideoquè pleraquè nomina Divina attribuuntur etiam creaturis, non quidem ſub abſolutâ, ſubſtantiæ nimirùm ac Eſſentiæ unitate, ſed ſub accidentariâ & analogicâ Divinarum perfectionum participatione. Sic enim homo dicitur Dominus, imò & Sancti, cùm Divinæ Naturæ ſint facti conſortes. 2. *Petri.* 1. dicuntur Dij, *juxta illud Ioan. ex. Pſal. 81. petitum : Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Ex hac proinde divinorum nominum in creaturis participatione Hæreſiarcharum pravitas quandoque conabatur, talem inducere in Divinis Myſterijs confuſionem, ut quæ Dei ſunt propria, traherent ad creaturas, & viciſſim. Sic namque
16. Ariani omnia Filij Dei nomina propria, & Macedoniani univerſas Spiritûs ſancti, quà Perſonæ Divinæ proprias nominationes eo ſenſu exponebant, ut in hiſce Perſonis Divinis ponerent Divinæ Naturæ unitatem participatæ duntaxat ſimilitudinis, non autem Conſubſtantialitatis. Ad ejuſmodi adeò errores refellendos Patres Orthodoxi, ac integra Oecumenica Concilia taliter intendebant, ut veritatem non ſolùm ex ſacris Litteris, vivâquè intrà veram Dei Eccleſiam ſemper vigente fide definirent, ſed eandem curarent, exprimi nominibus in ſacrâ Scripturâ quoad rem duntaxat, non verò quoad litteram contentis, ſed noviter etiam inventis ad confuſionem ejuſmodi, ceu erroris originem, quàm longiſſimè removendam. Quo modo introducta eſt in Eccleſiam vox *Homouſios, & Conſubſtantialitas* ad Filij Dei ſubſtantialem in Eſſentiâ & Naturâ Divinâ unitatem ſignificandam, Arianamquè adeò hæreſin declinandam. Pari igitur ratione in Eccleſiâ Dei factum eſt, ut, quia voces cultum Dei & Sanctorum ſignificantes, promiſcuè uſurpabantur, ad confuſionem quandam, erroribus gignendis præcipuè obnoxiam devitandam, induceretur quædam diſtinctio inter nomina Latriæ & Duliæ, ad cultum Dei & Sanctorum debito modo diſcernendum: *uti mox oſtendetur.*

Probatio ſecunda, prioris continuativa.

17. ETenim ſicuti creaturis præſertim intellectualibus ad ſupernaturalem

gra-

gratiæ & gloriæ ſtatum elevatis, divinæquè adeò Naturæ participatione potiuntibus, eſt quædam in nominibus Divinis Analogica licèt communio, ſic quoad cultum Dei, ejuſquè intellectualibus Divinæ excellentiæ participibus creaturis, Sanctis præſertim exhibendum, tanta eſt nominum communicatio, ut nullum in ſacris Litteris reperiatur nomen Divini cultûs expreſſivum, quin ab eâdem ſacrâ Scripturâ quandoque applicetur ad ſignificandum cultum intellectuali creaturæ exhiberi ſolitum. In quem proinde ſenſum adduci poteſt, quòd, licèt 1. *Timoth.* 1. *v.* 17. dicatur: *Soli Deo honor & gloria*: attamen *Rom.* 2. *v.* 19. ita habeatur: *Gloria autem & honor omni operanti bonum.* Et licèt *Deut.* 6. *Item Matth.* 4. dicatur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: attamen 1. *Paralip.* 29. *v.* 20. ſic habetur: *Et benedixit omnis Eccleſia Domino Deo Patrum ſuorum, & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde regem.* Conſtat etiam, vocem 18.
Servire paſſim in Scripturâ ſacrâ hominibus applicari. Hinc Divus Auguſtinus *lib.* 10. *de Civit. cap.* 1. de ipſo etiam Religionis nomine hunc in modum diſſeruit: *Nam & ipſa Religio, quamvis diſtinctiùs non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videatur &c. tamen quia latinâ loquendi conſuetudine non ſolùm imperitorum, verùm etiam doctiſſimorum, & cognationibus humanis, atquè affinitatibus, & quibuſcunquè neceſſitudinibus dicitur exhibenda Religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cùm de cultu Deitatis vertitur quæſtio, ut fidenter dicere valeamus, Religionem non eſſe niſi Dei cultum.* Sub tali proinde materiali nominum communione illi, qui veram fidem tenuerunt, ita circumſpectè agebant, ut cultum tamen Deo, ejuſquè Sanctis debitum realiter diſtinguerent, Deum colendo quà primum univerſorum Principium ac Finem ultimum, Dominumquè abſolutum, Sanctos verò quà Divinæ Excellentiæ & Sanctitatis participationem duntaxàt Analogicam præſeferentes. Nihilominùs 19.
nè ſimpliciores hæreticorum Manichæorum, Iuliani Apoſtatæ, Euſtathianorum, Vigilantianorum, & aliorum præſertim modernorum, de cùltu Sanctorum Eccleſiæ ſanctæ impiè & falsò exprobrantium, deceptionibus eſſent obnoxij, conſultò factum eſt, ut ad iſtum Dei & Sanctorum cultum non re ipsâ duntaxàt, ſed nominetenus etiam diſtinguendum vox *Latria* pro cultu ſpecificè Divino, vox autem *Dulia* pro cultu Sanctorum ſpecificè ſignificando uſurparetur. In quo equidem Eccleſia Romana morem antiquæ Eccleſiæ *præc. probat. n.*16. expoſitum ſecuta, ſpeciali per S. Auguſtinum inſinuatâ ratione nititur, *uti mox patebit.*

Probatio tertia, priorum ex S. Auguſtino continuativa.

Etenim hic ſanctus Doctor *q.* 94. *ſuper Exodum* ita habet: *Unde intelligi-* 20.

tur, quia & Dulia debetur Deo tanquàm Domino, Latria verò non niſi Deo tanquàm Deo &c. Ex quo ita licet argumentari. Quemadmodùm formalis ratio Deitatis ſive Eſſentia Divina ut ſic nulli creaturæ, ſed ſolis Perſonis Divinis eſt communicabilis, ſic cultus, qui debetur Deo, tanquàm Deo non poteſt tribui creaturis intellectualibus. At cultus Latriæ ſecundùm Divum Auguſtinū ita debetur ſoli Deo ac Perſonis Divinis, ut conſequenter nomen *Latria* de more Eccleſiæ antiquæ non ſoleret applicari ad ſignificandum cultum creaturis intellectualibus deferri ſolitum. Econtrà quemadmodùm ratio Dominij, aliarumq; divinarum perfectionum Deo abſolutè inexiſtentium participativa & Analogica ex Deo efficienter procedens, in eumquè finaliter referibilis communicatio competere poteſt creaturis præſertim intellectualibus, ſic cultus, qui debetur Deo ratione Dominij, aliarumquè Divinarum perfectionum, creaturis *Analogicè* communicabilis, poteſt in gradu quidem inferiori, non *abſolutè*, uti Deo, ſed *participativè* competere creaturis intellectualibus. At ſecundùm Divum Auguſtinum cultus Duliæ debetur Deo tanquàm Domino, ejuſmodi verò Dominij, aliarumquè Divinarum perfectionum, veluti Sanctitatis, Iuſtitiæ &c. ratio eſt ſecundùm Analogicam participationem communicabilis creaturæ intellectuali. Ergo Duliæ cultus non quidem in illo ſublimi, quo Deo proprius eſt, ſed inferiori & participato gradu eatenùs competere poteſt creaturis, ut conſequenter Eccleſia ad diſcernendum cultum ſoli Deo proprium, & creaturis intellectualibus Sanctitate, Iuſtitiâ, & gloriâ cœleſti præfulgentibus *analogicè* communicabilem, huic nomen Duliæ, illi verò nomen Latriæ eodem iure appropriârit, quo olim nomen *Homouſios* & *Tò Conſubſtantialitas* adinvenit ad explicandam veritatem Orthodoxam, ac evitandum Arianiſmum.

21.

Probatio quarta, quâ oſtenditur, cultum tam Latriæ, quàm Duliæ rectè diſtingui in Abſolutum & Reſpectivum.

22. NAm cultus abſolutus dicitur, qui in ſuo genere terminatur in perſonâ, cui exhibetur. Cultûs verò reſpectivi ratio & natura in eo ſe tenet, quòd res etiam inanimata habens reſpectum ad perſonam ſanctam propter hujus excellentiam eatenùs colatur & adoretur, ut cultus ejuſmodi non terminetur in re inanimatâ, ſed referatur in perſonam illam ſacram, imò hæc potiùs in re ejuſmodi, quàm iſta res in ſe ipſâ adoratur. Hujus autem cultûs exemplum habemus in Moyſe *Exodi 3.* ubi juſſus eſt ſolvere calceamenta de pedibus ſuis, eò quòd locus, in quo ſtabat, terra eſſet ſancta. Habemus tale exemplum in Davide, qui *Pſal. 131.* aiebat *Adorabimus in loco, ubi ſteterant pedes ejus*, ſcilicèt Dei. Simile exemplum deſumitur ex *2. Paralip. cap.*

Digitized by Google

cap. 7. ubi Sacerdotes ex cultu erga Deum ac Templum Domini, abſtinere debebant ab hujus ingreſſu, eò quòd Maieſtas Domini impleſſet templum Domini.

Probatio quinta, cujuſdam Heideggerianæ exceptionis refutatoria.

NAm contrà argumentum ex præallegatis ſacræ Scripturæ locis proximè deductum Heideggerus *in ſuis contra Heremitanam Peregrinat. Apologet. pag. 245.* excipit 1. Moyſen terræ, in quâ apparebat ipſi Deus, cultum Latriæ Reſpectivum minimè impertiviſſe, ſed reverentiam teſtatum eſſe ſigno externo. Verùm ex iſto Tigurino Profeſſore quæro, an Moyſes illi loco per Dei præſentiam ſacrato ita habuerit reverentiam, ut iſtam tamen referret in ipſum Deum? Si neget, ſanè convincitur, reverentiam & honorem etiam Religioſum, (*uti inferiùs pag. 247. eum vocat*) ex mente Heideggeri ita deferri loco ſacro, ut nullatenùs referatur in Deum. An non igitur de Idololatriâ reus erit? Si affirmet, tunc rursùs quæro, an illum honorem Religioſum à Moyſe loco ſacro exhibitum, at in Deum ipſum relatum dicat Latrevticum, vel inferioris gradûs & ordinis? Si hoc poſterius aſſerat, convincitur reus ſubtracti Deo honoris ſupremi & Latrevtici. Si prius dicat, tunc in aperto erit, quòd honor loco per Dei præſentiam ſacrato habitus ſit Latrevticus, ita tamen, ut tali loco ſolùm *Tranſitivè* & *Inſtrumentaliter*, ob reſpectum nimirùm, quem habet ad Deum, exhibeatur, Deo autem *Abſolutè* & *Principaliter* & *Ultimatè* deferatur. At talem honoris modum nos Pontificij vocamus *Reſpectivum.* Niſi ergo Heideggerus ludat in vocibus, nolens volens fateri debet cultum Latriæ *Reſpectivum.*

23.

24.

Probatio ſexta, alterjus Heideggerianæ exceptionis refutatoria.

ISte namque Tigurinus Doctor *ubi ſuprà* excipit 2. *Pſal. 132.* vel potiùs *131. v. 7.* Hebræa ita ſonare: *Introibimus in manſiones ejus, incurvabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus*, quia *ſanctum eſt.* Unde Deum nec hìc, nec alibi uſpiam præcepiſſe adorationem Arcæ, ſed juſſiſſe ibi adorari, ubi nominis ſui memoriam conſecravit, nempe ſolum Deum habitantem ſuper Arcam in medio duorum Cherubin. Verùm ex præadducto ſacro textu conſtat, Deum ideo eſſe adorandum in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, *quia ſanctum eſt.* At iſta cauſalis denotat terminum adorationis eſſe aliqualiter ipſum ſcabellum Dei, ſive locum Dei virtuoſo contactu ſacratum, prout iſtud clarè atteſtantur verba Bibliorum Hebraicorum, dum ibi dicitur: *incurvabimus nos ſcabello pedum ejus.* Hæc ipſa verò curvatio & adoratio non ſiſtebat in Arcâ ſeu loco per virtuoſam Dei præſentiam ſacrato, ſed referebatur ad ipſum Deum,

25.

26.

juxtà præadductam vulgatam verſionem. Unde adoratio & veneratio Arcæ per Divinæ præſentiæ Virtualem contactum ſacratæ exhibita, non ſiſtebat in Arcâ tanquàm ultimato Termino, & Primario Formali Objecto, ſed referebatur in Deum, utpote qui mediante ejuſmodi re ſacrâ, tanquàm Inſtrumentario termino, principaliter eſſet adorandus. Atqui adoratio rei inanimatæ per Divinæ præſentiæ contactum virtuoſum ſacratæ ſolùm *inſtrumentariè* & *Tranſitivè* cum reſpectu ad Deum ceu Principale & Ultimatum, atquè Formale adorationis Latrevticæ obiectum congruens dicitur Tranſitiva & Reſpectiva. In aperto igitur eſt, cultum Latrevticæ adorationis Reſpectivum & Tranſitivum eſſe fundatum in illis ipſis ab Heideggero, ſui ſanè immemore, adductis ſacris Litteris.

Probatio ſeptima, refutatoria tertiæ Heideggerianæ exceptionis.

27. PRætactus enim Tigurinus Profeſſor excipit 3. Ubi Pſalmus, nimirùm 98. vulgatus perperam habet: *Adorate ſcabellum pedum ejus*, in Hebræo legi, *Adorate ad ſcabellum*, non, *adorate ſcabellum*. Hinc autem patere, adorationis
28. obiectum non fuiſſe Arcam, ſed Iehova apud Arcam adorandum. Verùm in Hebraico textu habetur verbum *Iſtachauu*, quod ſignificat *Proſternere ſe*. At perinde eſt, ſi dicatur, Proſternite vos ad ſcabellum, & Adorate ſcabellum; ex hoc enim utroque loquendi modo indicatur adoratio Arcæ, non quidem Abſoluta, ſed Tranſitiva ac Reſpectiva, in Deum nimirùm ceu obiectum primarium relata, & Arcæ tanquàm termino duntaxàt Inſtrumentario ac Reſpectivo exhibita.

29. Deinde quæro ex Heideggero, an contendat, Deum ita fuiſſe adorandum ad Arcam tanquàm ſcabellum Dei, ut tamen huic quoquè cenſeret exhibendam reverentiam? Si neget, habet ſibi apertè adverſantes ſacras Litteras. Nam *Ioſue* 3. Iſraelitæ jubebantur in itinere nunquam accedere propè Arcam ad ſpatium duorum millium cubitorum. Ad quid autem conducebat iſtud præceptum, niſi pro reverentiâ Arcæ? Et hinc 1. *Reg.* 6. Bethſamitæ, quia Arcam viderunt, ſine debitâ nimirum reverentiâ, occiſi ſunt à Deo 50000. hominum. Similiter 2. *Reg* 6. Oza eſt à Domino interfectus, cùm Arcam tetigiſſet, utpote quod ipſi non licebat, ſed ſolis ſacerdotibus. Deniquè propter honorem Arcæ nemo poterat Sancta Sanctorum, ubi erat, ingredi, niſi ſummus Pontifex ſemel in Anno. *Heb.* 9.
30. Quia ergo ſacra Scriptura indicat, aliquem, eumquè (ipſo Heideggero fatente) Religioſum honorem fuiſſe deferendum Arcæ, iterum quæro ex iſto Tigurino Miniſtro, an cenſeat, reverentiam ejuſmodi fuiſſe referendam in Deum, nec nè? Si negativè reſpondeat, tunc ſe Idololatriæ reum manifeſtè

Digitized by Google

ſtè oſtendit. Si verò reſpondeat affirmativè, habebimus hoc ipſo cultum Arcæ cum relatione ad Deum, atquè adeò *Reſpectivè* ac *Inſtrumentaliter* & *Tranſitivè*, Deo autem *Abſolutè* ac *Principaliter* delatum, cumquè Latreuticum, cùm nefas ſanè ſit, deferre honorem Deo ceu principali objecto, qui non ſit Latria.

Probatio octava, quartæ Heideggerianæ exceptionis refutatoria.

Etenim iſte Miniſter *pag. 246.* ait, cur Sacerdotes domum Iehovæ ingredi non potuerint *2. Paral. 7. v. 2.* ejus reddi rationem, *quia impleverit gloria Iehovæ domum ſuam.* Unde ſequi, quòd apparuerit Iehova in extraordinario ſigno, cujus majeſtatem non tuliſſent homines peccatores. Nequè verò populum cultu Latriæ veneratum fuiſſe Iehovæ domum, ſed ſacrum textum *v. 3.* docere, *quòd inclinaverint ſe in faciem in terram ſuper pavimentum, & adoraverint, & laudaverint Iehovam.* 31. Verùm quæro ex Heideggero, an non illi extraordinario, in quo Iehova apparuerat, ſigno, imò & ipſi Templo Majeſtate Domini impleto congruerit aliqua Religioſa reverentia? 32. Ad quod ſi conformiter ijs, quæ *pag. 247. & 248.* deduxit, affirmativè reſpondeat; rurſus quæro ex ipſo, an non talis religioſus honos fuerit referendus in Deum? Si iterum affirmet, tunc fatebitur cultum Reſpectivum Symbolis & Inſtrumentis ſacris *Reſpectivè* cum debita ad Deum relatione taliter exhibendum, ut ipſe Iehova *Principaliter* adoretur & laudetur, conformiter ijs, *quæ ex cit. 2. Paral. 7. v. 3. adducta ſunt.*

CAPUT IV.

Refelluntur Argutiæ Vedroſij.

Ad *primam* Reſp. 1. Hyperduliam contineri ſub Duliâ, tribuique Beatiſſimæ Virgini ob ſubliniorem tum Maternitatis Divinæ, tum Sanctitatis excellentioris præ reliquis Sanctis prærogativam, 33. imò (in illorum Theologorum ſententiâ, qui aſſerunt humanam Chriſti Naturam ſubſiſtere quidem Subſiſtentiâ, non autem exiſtere increatâ Verbi, ſed propriâ ſuâ Exiſtenitâ) tribui etiam Chriſti Humanitati, quà ſecundùm ſe præcisè ab Hypoſtaſi Verbi Divini conſideratæ. Atqui talis Hyperduliæ cultus exhibetur Sanctiſſimæ Deiparæ, dum ex ſubliniore illâ prærogativâ tanquam Sanctorum univerſorum præcellentiſſimæ, Deoque gratiſſimæ Virginis propriâ, imploratur ejus interceſſio. Ejuſmodi verò morem implorandi Sanctos, Virginem præſertim Deiparam, fuiſſe in Antiquâ Orthodoxâ Eccleſiâ, partim conſtabit ex dicendis *ſeq. ſect.*, ſuoque exemplo

emplo probat S. Auguſtinus *Serm. 35. de Sanctis.* partim fatentur Zwinglius *Epiſher. de Can. Miſſæ.* Beza *adverſ. 2. part. lib. Brentij in fine.* Molinæus *cap. 24. de invocat. Clyp. Fidei.* Quibus in locis non verentur iſti Pſeudoreformatores arguere antiquos Orthodoxos Patres, Sanctum præſertim Hieronymum, eique in præſenti puncto præferre Hæreſiarcham Vigilantium.

34. Unde patet, etiam Redingium calumnioſe traduci ab Heideggero *præcitato*, quaſi *pag. 24. & 193.* per commentum de diſtinctione inter cultum Latriæ & Hyperduliæ ſolicitâſſet Zwinglium, Calvinum, Bezam, & Molinæum. Etenim *pag. 24.* aliud non habet Redingius, niſi quòd alleget Calvinum *Inſtit. lib. 1. cap. 12. ſect. 2.* fatentem, Latriæ & Duliæ (ad quam referatur etiam Hyperdulia) diſtinctionem veteribus Eccleſiæ Doctoribus uſurpatam fuiſſe. Hoc autem ſe ita habere, oſtendunt formalia Calvini verba *prec. cap. 1. n. 1.* expreſſa.

35. Deinde Redingius *pag. 193.* inducit Zwinglium, Bezam, & Molinæum, ubi ſuprà fatentes, cultum Duliæ in implorandâ Sanctorum interceſſione (& conſequenter Hyperduliæ cultum in Sanctiſſimæ Deiparæ interceſſione implorandâ) à Patribus antiquis & Orthodoxis fuiſſe probatum. Hoc autem ita ſe habere, oſtendunt Formalia illorum prætenſæ Reformationis Miniſtrorum à Georgio *ſuæ Fecis pag. 95. & 96.* expreſſa. Meritò igitur in Heideggerum retorquetur illa commenti calumnia.

36. Reſp. 2. Eſto, quòd vox Hyperduliæ non fuerit antiquis in uſu: eſto etiam, quòd voces *Latria* & *Dulia* olim fuerint ſynonymæ. Nihilominus ſicuti antiquæ licuit Eccleſiæ contrà veteres hæreticos invenire nova vocabula, v. g. *Homouſios*: ſic utique licuit Eccleſiæ contra hæreticos poſteriores, ex ratione præſertim in ipſo etiam S. Auguſtino fundatâ, vocibus *Latria* & *Dulia* taliter uti, ut hæc pro cultu Sanctorum, illa verò pro ſolius Dei cultu ſignificando adhiberetur: *veluti hæc fuſiùs deducta patent ex præced. cap. 3.* Quòd autem Heideggerus vocem Hyperduliæ in re ipsâ blaſphemam, Vedroſius autem illam Latriæ & Duliæ diſtinctionem Idolomaniæ Pontificiæ calcem vocitent, mera calumnia & blaſphemia eſt *ſeq. ſect. 2.* efficaciter refellenda, in ſuoſque adeò authores retorquenda.

37. Ad *ſecundam* Reſp. Ex illâ nihil aliud probari, niſi quòd voces Latria & Dulia in ſacris Litteris perſæpe uſurpentur pro cultu ſolius Dei. At hoc minimè obſtante, cum S. Auguſtino perpendendum eſſe, quòd circa iſtum cultum Deo exhibendum diſcerni debeat ratio, propter quam Deo deferatur; ſiquidem cultus Latriæ Deo tanquàm Deo ſub ratione Divinis Perſonis propriâ, & nè *Analogicè* quidem creaturis communicabili, cultus verò Duliæ Deo tanquàm Domino, ſub ratione adeò Divinis Per-

Perſonis *abſolutè* inexiſtente, à Creaturis intellectualibus *Analogicè* participabili deferatur. Ob quam proinde rationem factum eſt, ut exemplo antiquæ Orthodoxæ Eccleſiæ ad evitandam novam confuſionem, quâ hæretici ad ſimplices decipiendos, ſuoſque errores tegendos abuti ſolent, nomen Latriæ pro cultu ſolius Dei, nomen verò Duliæ pro cultu Sanctis competente applicaretur, *ut præc. cap. ſuſè deductum* reperire licet. Quòd autem Vedroſius aſſerat, illam diſtinctionem à nonnullis Pontificijs Doctoribus, ſpeciatim Pereſio, & Ludovico Vives, æquè ac Calvino reijci, aperta falſitas eſt, quam ad oculum refellunt, quæ *in cit. cap. 1. lib. 10. de Civit. Dei* producit præfatus Ludovicus Vives.

Ad *tertiam* Reſp: Meram Vedroſij calumniam eſſe, dum Eccleſiæ Romanæ imponit, eam à cultu creaturarum ita removiſſe nomen Latriæ, ut 38.
rem tamen omnem iſto nomine ſignificatam tribueret creaturis. Sed audiamus, unde iſtud probet. Ait enim 1. Vota, preceſquè ad ipſas emitti, qui cultus, teſte Auguſtino, ſit Deitati debitus, ijſque templa, altaria, ſtatuas, imagines erigi, anathemata ſuſpendi. Verùm S. Auguſtinus *loco* pet te *citato*, ſolùm dicit, Deitati debitum cultum eſſe ſacrificare, ſacra facere: noſtraque & nos ipſos Religionis ritibus conſecrare. At licèt nos Pontificij in ſacrificio Miſſæ faciamus memoriam Sanctorum, hoc tamen omnimodè probavit S. Auguſtinus *Tract. 84. in Ioann. Ideò quippe*, inquiens, *ad ipſam menſam non ſic eos* (Sanctos Martyres præſertim) *commemoramus, quemadmodùm alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro ipſis oremus: ſed magis ut orent ipſi pro nobis, ut eorum veſtigijs inhæreamus.* Ex quâ tamen Sanctos ad menſam, in ſacrificio nimirùm commemorandi, atque in eorum memoriam altaria erigendi conſuetudine minimè poſſe Pontificios argui, idem S. Doctor *lib. 20. contrà Fauſtum cap. 21.* tradit. *Nulli*, inquiens, *Martyrum offerimus ſacrificium, quamvis in eorum memorias Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Martyrum aſſiſtens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane. Sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit &c.* En igitur Vedroſi, Eccleſiæ Romanæ morem erigendi in memorias Sanctorum altaria, vel templa, vel ſtatuas, antiquæ Orthodoxiæ ita fuiſſe in uſu, ut tamen principaliter erigerentur in honorem Dei, cui ſoli ſacrificium eſſet offerendum. In quem 39.
proinde ſenſum idem S. Auguſtinus *lib. 8. de Civit. Dei. cap. 27.* ita diſſeruit: *Nec tamen nos eiſdem Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum tanquàm ſanctorum hominum Dei &c. Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare etiam ſuper ſanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cul-*

tum-

tumque conſtructum dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui & homines, & Martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cœleſti honore ſociavit &c. Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia mortuorum tanquàm Deorum.

40. Ait Vedroſius 2. Cultum Latriæ Sanctis ex hóc etiam capite deferri à Pontificijs, quòd in eorum interceſſione & meritis ac præſidio ſpem ponant. Verùm tam ex liturgijs SS. Iacobi, Clementis, & alijs, quàm ex Patribus antiquis paſſim conſtat, hoc fuiſſe in more primitivæ Eccleſiæ. Ex quorum frequentiore numero hîc audire libeat S. Cyrillum Hieroſolymitanum *Catech. 5. Myſtag.* ita diſſerentem: *Cùm hoc ſacrificium offerimus, mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum &c. ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Divus porrò Chryſoſtomus in ſuâ liturgiâ inducit Sacerdotem ſic orantem ad Deum: *Fac ſecuros greſſus noſtros, precibus & interceßione glorioſæ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum &c.* Quid ergo Vedroſi? An iſtam Antiquitatem indubiè Orthodoxam præſumis arguere de Latriâ Sanctis impiè exhibitâ, cùm in eorum interceſſionibus non quidem *abſolutè*, ſed cùm ſubordinatione (uti Pontificij hodierni quoquè faciunt) ad Deum ſpem poſuerint, eorumquè adeò interceſſionem ſub ipſo ſacrificio implorârint? Sanè ex hoc probaris non tantùm impius erga antiquam Orthodoxiam, ſed in Deum etiam blaſpemus, dum innuis, Deitati debitum, nec adeò Sanctis applicabilem cultum eſſe, in eorum interceſſione ac meritis (quaſi verò Deus alium ſe ſuperiorem habeat, coram quo pro nobis intercedat, & mereatur) ſpem collocare.

41. Ait Vedroſius 3. Eccleſiam Romanam ex eo convinci de Latriâ creaturis exhibitâ, quòd talem cultum exhibeat etiam creaturis. At quæro ex iſto Curienſi Miniſtro, an credat, poſſe rei etiam inanimatæ, quatenùs habet reſpectum ad Deum ſeu Chriſtum, eatenùs haberi honor & cultus, ut iſte tamen haud terminetur in ejuſmodi re inanimatâ, ſed referatur in ipſum Deum & Chriſtum? Si neget, ſanè convincitur, ipſi etiam Moyſi terræ ſanctæ honorē religioſum detractione calceamentorum deferenti, & Davidi ſcabellum pedum Dei, ſive Arcam Religioſo adorationis cultu colenti &c. imponere ſcelus idololatriæ. Si affirmet, tunc confecta res erit, cùm nequè Pontificij adorando crucem, in hac ſiſtant, quaſi ligno deferant honorem, ſed in Prototypon, Chriſtum ita referant ſuam intentionem, ut hujus imaginem, & paſſionis in cruce conſumma-

Digitized by Google

tæ inſtrumentum ſolùm *Inſtrumentaliter, Reſpectivè*, & *Tranſitivè*, Chriſtum verò *Abſolutè*, *Principaliter*, & *Intranſitivè* colant & adorent, nec adeò illa verba: *O crux ave ſpes unica &c.* conformiter ijs, quæ S. Ambroſius *citatus* monuit, in lignum, ſed in crucem quà Chriſti imaginem & Inſtrumentum ſolùm *Inſtrumentaliter*, *Reſpectivè*, & *Tranſitivè* dirigant, in Chriſtum verò *Principaliter*, *Abſolutè*, & *Intranſitivè*. Cujuſmodi adorandi modum in ſacris Litteris eſſe fundatum, & ab antiquitate Orthodoxâ frequentatum, *patebit ex dicendis infrà ſect. 4.*

Ad *quartam* Reſp. A Pontificijs omninò concedi, quòd in nomine Virginis offerre, Sacrificium ipſi *Principaliter* ac *ſimpliciter* deferendo, ſit animam perdere: at in memoriam Deiparæ Virginis, aliorumquè Sanctorum taliter offerre Sacrificium, ut Deo pro Gratijs in ipſos collatis agantur gratiæ, eorumque interceſſionibus apud Deum preces noſtræ magis commendentur, Orthodoxa Antiquitas jam pridem probavit: *uti patet ex dictis suprà n. 39. & ſeqq. ac fuſius conſtabit ex dicendis ſeq. Sect.* Quòd autem Vedroſius nos Pontificios, dum Sanctorum imagines thure (per cultum non quidem Abſolutum & Intranſitivum, ſed Reſpectivum & Tranſitivum in ipſos Sanctos, & ultimatè in Deum relatum) colimus, æquiparet Carpocratianis, pura calumnia eſt, ſiquidem ex S. Epiphanio *hæreſi 27.* & S. Auguſtino *ad Quodvultdeum hæreſ. 7.* conſtet, iſtos hæreticos non credidiſſe, Chriſtum Dominum eſſe Deum, ipſiuſquè adeò imaginem, inter Philoſophorum Pythagoræ, Platonis, & Ariſtotelis imagines pari incenſo cultu adoràſſe. Neque verò aliquid horum abſque injuriâ imputari poteſt nobis Pontificijs. Quoad ſerpentem æneum ab Iſraelitis cultum liquet *ex 4. Reg. 18. v. 5.* Ezechiam regem è medio illum tuliſſe, *quia nimirùm in Domino Deo Iſrael ſperavit.* Hinc autem argumento à contrario evincitur, Iſraelitas coluiſſe illum ſerpentem, non ſperando in Domino Deo, ſed in hoc ipſo ſerpente, atque adeò defeciſſe à ſuorum Patrum religione, in deſerto aſpicientium in hunc ſerpentem cum ſpe ſanitatis ab ipſomet Deo recipiendæ, atque adeò ſerpentem ejuſmodi cultu non Abſoluto & Intranſitivo, ſed Reſpectivo & Tranſitivo, in ipſummet adeò Deum relato colentium. Quibus proinde, figuræ crucis Chriſti (utpote in quâ ſerpens infernalis ſuggeſtionis ſuæ pravæ morſibus ignitis humano generi mortem inferens eſſet ſuperandus) congruum reſpectũ ac honorem deferentibus, non illis poſterioribus Iſraelitis, abjectâ ſpe in Deum, cultu Intranſitivo illum ſerpentem colentibus, æquiparari Pontificios. Quòd denique Vedroſius imponat Gregorio II. *in Epiſtolâ to. 3. Concil. edit. Colon. pag. 458. relatâ* exprobràſſe Leoni Iſaurico, quòd imagines diſturbando, imitatus ſit impietatem Oziæ (hunc pro Ezechiâ per imperitiam ſuam ſup-

[margin: 42. at "Ad quartam"; 43. at "39. & ſeqq."; 44. at "Quòd denique"]

ponendo) qui ſerpentem æneum confregerit, in hoc Miniſter ille Pontificem præfatum de falsâ ſacræ Scripturæ allegatione ac expoſitione redarguendo, ſe apertè reum fecit de falſi crimine. Etenim non ex ſuo proprio judicio, ſed ex Leonis Iſaurici litteris Papa præallegatus protulit iſtam ſententiam: *Sic ad nos*, inquiens, *ſcripſiſti: Ozias rex Judæorum poſt annos octingentos ſerpentem æneum è templo ejecit, ego verò poſt annos octingentos idola ex Eccleſijs ejeci.* Quam proinde Imperatoris ſententiam reaſſumens Pontifex ab illo, Oziam Ezechiæ ſupponente, errore opportunè abſtrahendo, ſic eum redarguit: *Verè & Ozias frater erat tuus, & eâdem erat, quâ tu, pertinaciâ præditus, illiusquè ſpiritus Sacerdotibus vim inferebat, ut tu facis &c.* Ex quibus proinde ad oculum patet, quàm infirma ſint hodiernæ Reformationis argumenta, utpote cum falſi crimine plerumque coacervata.

45. Ad *quintam* Reſp. Sic argumentando. Ex Vedroſio & Heideggero in confeſſo jam eſt, ex mente S. Auguſtini cultum Latriæ, utpote Religioſum, ſoli Deo appropriari, cultum verò Duliæ creaturis intellectualibus deferri, eumquè vocari Civilem vel ſocietatis & ſubjectionis erga præſentes, vel Charitatis erga abſentes. At iſte, quem Reformati illi Miniſtri Civilem dicunt, cultus alius fundatur ſuper ſocietate & Charitate, radicatâ in ſupernaturalis Gratiæ & gloriæ communicatione, vi cujus Eccleſiæ Militantis fideles tum inter ſe, tum cum Sanctis cælitibus uniuntur, tanquàm cives Sanctorum & domeſtici Dei. *Epheſ. 2. v. 19.* Alius verò creaturarum intellectualium cultus fundatur ſuper ſocietate & Charitate, radicatâ in naturalium hujus mundi bonorum & commerciorum communicatione politicâ. Hunc verò cultum nos Pontificij eatenùs dicimus Civilem, ut alterum in ſupernaturalium communicatione fundatum, cultum collocemus in ſuperiori quodam ordine, ſpectante ad virtutem non tantùm politicam & naturalem, ſed ſupernaturalem, quam dicimus Duliam. Quia proinde Miniſtri Reformati fatentur ex S. Auguſtino, cultum Sanctis exhiberi ſolitum, eſſe Duliam, ita tamen, ut iſto nomine dignentur cultum quoquè politicum, idcircò in aperto jam eſt, ipſos in tantum eſſe convictos, ut Duliam Sanctis exhibendam negare jam non audeant, licèt hanc deferendo ſtatui etiam politico, ſe prodant nimis imperitos in diſtinguendis naturalium & ſupernaturalium virtutum gradibus.

46. Ad *ſextam* Reſp. Iterum iterumquè probari Vedroſiani ſpiritûs, utpote in ſe contradictoriè ubique impingentis, inconſtantiam. Etenim *in argut. 2.* contendebat, Duliæ nomen eſſe ſynonymum cum voce Latriæ, atque adeò ſolius Dei proprium. Econtrà *in argut. 5. & 6.* conatur, Duliam eouſque deprimere, ut Civilem etiam ſeu politicum creaturarum intellectualium cul-

tum

tum eo nomine dignetur. Deinde *in argutiâ 5.* fatetur, Duliam Sanctis etiam abſentibus, adeoquè cælitibus de mente S. Auguſtini deferendum eſſe: *in argutiâ* verò *6.* contendit, ex mente ejuſdem ſancti Doctoris Duliam non congruere ſanctis defunctis, cùm non ſint Domini noſtri. Verùm ad ejuſmodi contradictiones evitandas oportet, advertere, ex hoc, quòd Latria, Deo tanquàm Deo, Dulia verò Deo, tanquàm Domino, ſecundùm Divum Auguſtinum exhibenda ſit, rectè concludi, Duliam non eſſe minùs *participativè* applicabilem creaturis intellectualibus, quàm dominium ſit participabile ab iſtis, atque adeò ob quamlibet excellentiæ, præſertim ſanctitatis à creaturis intellectualibus participatæ, prærogativam congruere hiſce ſanctis præcipuè cælitibus, Duliæ cultum non quidem Abſolutum, Deo quà Domino abſoluto proprium, ſed Participatum, utpote Dominij, alteriuſve excellentiæ Divinæ participationi *Analogicè* reſpondentem. Et hinc licèt Sancti non ſint ſtrictè loquendo Domini noſtri, neque perfectam erga ipſos ſervitutem habeamus, ſunt tamen cultu Duliæ Participativo à nobis honorandi, tum propter Divinæ Excellentiæ & Sanctitatis participationem Analogam, tum propter imperfectam noſtri erga ipſos ſervitutem, ſiquidem iſta fundetur ſuper hoc, quòd aliquis in ſuis operationibus dependeat ab alterius tanquàm Domini motione ac directione. Etſi verò à ſolo Deo *abſolutè* tam *Efficienter* præſertim *Phyſicè*, quàm *Finaliter* in noſtris operibus ſanctis dependeamus; attamen quatenùs Sancti tum exemplis, tum interceſſionibus nos juvant in actibus pijs ac Deo gratis, ut ſic aliquam imperfectam erga ipſos ſervitutem proteſtamur, eoſque adeò ex hoc etiam titulo veneramur cultu Duliæ participato: conformiter ijs, quæ ex ſacris Litteris & Orthodoxis Patribus *ſeq. ſect.* fuſiùs deducentur. 47.

Interea tamen operæpretium eſt, advertere, quòd ipſemet quoquè Vedroſius reverentiam creaturis intellectualibus competentem, diſtinguat in Civilem & Chriſtianam. At eo ipſo, quòd iſta ſupernaturalium donorum communioni, illa verò naturalium bonorum commercijs & communicationi innitatur, oportet, Chriſtianam ejuſmodi reverentiam eſſe politicâ, ſive Civili longè ſublimiorem, meritoquè adeò iſti præ Civili cultu applicari nomen Duliæ. Unde etiam patet, Reformatum Miniſterium inſtar arundinis ita hinc inde agitari, ut, Chriſtianam Sanctis reverentiam concedendo, nomen Duliæ ipſis quidem contradictoriè perneget, rem tamen nolens volens abnegare non poſſit. 48.

Ad *ſeptimam* Reſp. Cultum Latriæ Reſpectivum ex ſacris Litteris probatum haberi *praced. cap. prob. 4.* Cultum verò Duliæ Reſpectivum fuſiùs probatum, videre licebit *Sect. 3. & 4.* Circà ea porro, quæ Heideggerus 49.

praced. cap. 2. à n. 11. allegatus proſequitur, 1. haberi pro accepto diviſionem Religioſi honoris in *Elicitum*, & *Imperatum* à Religionis virtute. Eo ipſo autem, quòd ſacræ Litteræ, & viva fidelium intra veram Dei Eccleſiam ſemper propagata fides Orthodoxa (*prout videre licet ex Diſſert. 7.*) clarè probent realem Chriſti in Evchariſtiâ præſentiam, indubitatum eſſe debet, quin huic Sacramento deferendus ſit Religioſus adorationis Latrevticæ honor, tam quoad internum à Religionis virtute elicitum, quàm quoad externum ab eadem virtute imperatum actum. Unde quia Reformatum Miniſterium, illud de Chriſti reali intra Evchariſtiam præſentiâ myſterium abnegat, idcircò ſe reum facit & Fidei, ac Religioſi Latrevtici ſuper hoc fundati honoris tanto Sacramento per ſummam iniquitatem & ſacrilegium abalienati.

90. 2. Cùm virtus Pietatis erga parentes, & Obſervantiæ erga Magiſtratus ex parte ſui objecti Formalis importet quandam Divinæ excellentiæ participatam ſimilitudinem, ideò prætactæ virtutes non ita feruntur in proprium ſuum objectum, quin in iſto attingant virtualem ſaltem relationem ad honorem Dei, Religioniſquè adeò objectum. Quam ob rationem earundem virtutum actus ex intrinſecâ ſuâ naturâ apti ſunt, imperari à Religionis virtute.

91. 3. Ratum quoquè habetur id, quod Heideggerus *citatus n. 11.* aſſeruit, aliquem ſcilicet honorem (licèt latè & impropriè, veluti ipſe ait) nuncupari Religioſum, qui & imperetur à Religione, & fundamentum habeat in relatione ad Religionem. Quem porrò Religioſum honorem idem Tigurinus Profeſſor contendit, exhibendum omnibus Divini cultûs inſtrumentis & ſymbolis. Hinc proinde iſtum Tigurini Miniſterij Doctorem convenio, quærendo ex ipſo, in quo iſte Religioſus honor differat à Reſpectivo Latriæ cultu? Hic enim juxta deſcriptionem *præc. cap. prob. 4. ac ſeq.* factam, in eo ſe tenet, quòd res inanimata habens reſpectum ad Deum ſeu Chriſtum, propter hujus excellentiam eatenùs colatur, imò ſecundùm ſacras Litteras adoretur, ut tamen cultus ejuſmodi non terminetur in ejuſmodi re inanimatâ, ſed referatur in ipſum Deum ſeu Chriſtum, imò hic potiùs in re ejuſmodi, quàm illa res in ſe ipsâ adoretur. Atqui manifeſtum eſt, honorem Religioſum (qui Divinorum Myſteriorum ſymbolis defertur, tanquàm imperatus à Religione, quiquè fundamentum habet in relatione ad Religionem) ipſiuſque Dei, & Chriſti cultum Latrevticum ita exhiberi ſymbolo inanimato, ut in hoc minimè terminetur, ſed referatur in ipſum Deum & Chriſtum, imò hic potiùs in ſymbolo hujuſmodi, quàm ipſius ſymboli res ex ſe inanimata, nulliuſquè adeò Religioſi cultûs per ſuam intrinſecam rationem capax, adoretur. Oſtendat igitur Heideggerus reale aliquod diſcrimen inter illum, quem nos Pontificij Reſpectivum Latriæ cultum dicimus, & illum

Reli-

Digitized by Google

Religioſum honorem, quem ipſemet contendit exhibendum ſacris ſymbolis; maximè cùm idem Doctor Tigurinus aſſerat, totum iſtum honorem deferri ſacris inſtrumentis, ac ſymbolis propter connexionem, quæ inter actum Religionis Deo, mediantibus talibus inſtrumentis, deferri ſolitum, & inſtrumentum actûs ejuſmodi intercedit. Inquiet fortaſſis, quòd ſua Reformatio ſymbola ac imagines rerum Divinarum non ad inſtar Pontificiorum colat, ut terminos proximos Religioſi cultûs. At neque nos Pontificij in ejuſmodi inanimatis ſymbolis, rerumque Divinarum imaginibus reperimus intrinſecam rationem, quæ ut ſic ſit terminus Religioſi cultûs ſaltem per ſe primariò ſpecificativus, ſed tota ratio imaginis & ſymboli ita habet fundamentum relationis ad Deum, ejuſquè Religioſum cultum, ut ſolius Dei excellentia intrinſeca ſit ſpecificativum Latrevticæ adorationis motivum, ſaltem principale, ſeu terminus Formalis primarius imaginis, ratione ad talem cultum ſe habente ſolùm *Inſtrumentaliter* ac *Relativè*. Sanè igitur Heideggere non niſi aerem videris verberare, & inſtar cæcutientis palpitare, dum in ſolis vocibus ludis, nè manus dediſſe videaris; dum enim contra Reſpectivum Latriæ cultum contendis, hunc ita nominetenùs explodis, ut reipsâ eundem confirmes, nec ullum poſſis reale à tuo ſymbolis ſacris debito, honore, noſtroquè Latriæ Reſpectivo cultu aſſignare, niſi in hoc, quòd tua Reformatio, abjectâ Orthodoxâ antiquorum Patrum Fide, conſequenter non poſſit etiam virtutis Religionis ſuper Fide fundatæ actum vel agnoſcere, vel exercere. 52.

Ad *octavam* Reſp. Quærendo ex Heideggero, an ſuæ Reformationis ſimpliciores probè calleant diſtinctionem cultûs Latriæ in actum à Religione Elicitum, Imperatum, & fundatum in relatione ad Religionem? An cultum ſymbolis ac inſtrumentis ſacris debitum, ut ſic fundatum in relatione ad Religionem, norint ulteriùs, in ipſum ſcilicet Deum, animi ſui motu referre? Si affirmet, ſuæ Reformationis ſimpliciores non quidem in actu Signato, ſub Formali ac reflexâ vocum, præallegatam diſtinctionem explicantium expreſſione, ſed in actu Exercito, quoad rem ipſam probè callere, tunc rursùs quæro ex illo Miniſtro, unde hæc norint ſimpliciores ex ſuâ Reformatione animæ? Utique dicet, iſta tenere ex Fide, quâ credunt ſolum Deum adorandum. At verò hanc ipſam, & quidem illibatam cum vivâ Spiritûs ſancti motione Fidem ita tenent fideles Pontificij, ut, licèt exemplo Moyſis, Iſraelitarum fidelium, atque conformiter Pſalmis *98. Item* 131. *prae. cap. prob. 4. adductis* & coram inſtrumentis & ſymbolis Divinorum myſteriorum, atque ſacellis Deo ſacratis, ſpecialiquè Divinâ operatione præfulgentibus, externos adorationis ac proſtrationis actus exerceant, hos tamen in 53.

ipſum

praeced. cap. 2. à n. 11. allegatus proſequitur, 1. haberi pro accepto diviſionem Religioſi honoris in *Elicitum*, & *Imperatum* à Religionis virtute. Eo ipſo autem, quòd ſacræ Litteræ, & viva fidelium intra veram Dei Eccleſiam ſemper propagata fides Orthodoxa (*prout videre licet ex Diſſert. 7.*) clarè probent realem Chriſti in Eucharistiâ præſentiam, indubitatum eſſe debet, quin huic Sacramento deferendus ſit Religioſus adorationis Latrevticæ honor, tam quoad internum à Religionis virtute elicitum, quàm quoad externum ab eadem virtute imperatum actum. Unde quia Reformatum Miniſterium, illud de Chriſti reali intra Eucharistiam præſentiâ myſterium abnegat, idcircò ſe reum facit & Fidei, ac Religioſi Latrevtici ſuper hoc fundati honoris tanto Sacramento per ſummam iniquitatem & ſacrilegium abalienati.

90. 2. Cùm virtus Pietatis erga parentes, & Obſervantiæ erga Magiſtratus ex parte ſui objecti Formalis importet quandam Divinæ excellentiæ participatam ſimilitudinem, ideò prætactæ virtutes non ita feruntur in proprium ſuum objectum, quin in iſto attingant virtualem ſaltem relationem ad honorem Dei, Religionisquè adeò objectum. Quam ob rationem earundem virtutum actus ex intrinſecâ ſuâ naturâ apti ſunt, imperari à Religionis virtute.

91. 3. Ratum quoquè habetur id, quod Heideggerus *citatus n. 11.* aſſeruit, aliquem ſcilicet honorem (licèt latè & impropriè, veluti ipſe ait) nuncupari Religioſum, qui & imperetur à Religione, & fundamentum habeat in relatione ad Religionem. Quem porrò Religioſum honorem idem Tigurinus Profeſſor contendit, exhibendum omnibus Divini cultûs inſtrumentis & ſymbolis. Hinc proinde iſtum Tigurini Miniſterij Doctorem convenio, quærendo ex ipſo, in quo iſte Religioſus honor differat à Reſpectivo Latriæ cultu? Hic enim juxta deſcriptionem *præc. cap. prob. 4. ac ſeq.* factam, in eo ſe tenet, quòd res inanimata habens reſpectum ad Deum ſeu Chriſtum, propter hujus excellentiam eatenùs colatur, imò ſecundùm ſacras Litteras adoretur, ut tamen cultus ejuſmodi non terminetur in ejuſmodi re inanimatâ, ſed referatur in ipſum Deum ſeu Chriſtum, imò hic potiùs in re ejuſmodi, quàm illa res in ſe ipſâ adoretur. Atqui manifeſtum eſt, honorem Religioſum (qui Divinorum Myſteriorum ſymbolis defertur, tanquàm imperatus à Religione, quiquè fundamentum habet in relatione ad Religionem) ipſiuſque Dei, & Chriſti cultum Latrevticum ita exhiberi ſymbolo inanimato, ut in hoc minimè terminetur, ſed referatur in ipſum Deum & Chriſtum, imò hic potiùs in ſymbolo hujuſmodi, quàm ipſius ſymboli res ex ſe inanimata, nulliuſquè adeò Religioſi cultûs per ſuam intrinſecam rationem capax, adoretur. Oſtendat igitur Heideggerus reale aliquod diſcrimen inter illum, quem nos Pontificij Reſpectivum Latriæ cultum dicimus, & illum

Reli-

Religioſum honorem, quem ipſemet contendit exhibendum ſacris ſymbolis; maximè cùm idem Doctor Tigurinus aſſerat, totum iſtum honorem deferri ſacris inſtrumentis, ac ſymbolis propter connexionem, quæ inter actum Religionis Deo, mediantibus talibus inſtrumentis, deferri ſolitum, & inſtrumentum actûs ejuſmodi intercedit. Inquiet fortaſſis, quòd ſua Re- 52.
formatio ſymbola ac imagines rerum Divinarum non ad inſtar Pontificiorum colat, ut terminos proximos Religioſi cultûs. At neque nos Pontificij in ejuſmodi inanimatis ſymbolis, rerumque Divinarum imaginibus reperimus intrinſecam rationem, quæ ut ſic ſit terminus Religioſi cultûs ſaltem per ſe primariò ſpecificativus, ſed tota ratio imaginis & ſymboli ita habet fundamentum relationis ad Deum, ejuſquè Religioſum cultum, ut ſolius Dei excellentia intrinſeca ſit ſpecificativum Latrevticæ adorationis motivum, ſaltem principale, ſeu terminus Formalis primarius imaginis, ratione ad talem cultum ſe habente ſolùm *Inſtrumentaliter* ac *Relativè*. Sanè igitur Heideggere non niſi aerem videris verberare, & inſtar cæcutientis palpitare, dum in ſolis vocibus ludis, nè manus dediſſe videaris; dum enim contra Reſpectivum Latriæ cultum contendis, hunc ita nominetenùs explodis, ut reipsâ eundem confirmes, nec ullum poſſis reale à tuo ſymbolis ſacris debito, honore, noſtroquè Latriæ Reſpectivo cultu aſſignare, niſi in hoc, quòd tua Reformatio, abjectâ Orthodoxâ antiquorum Patrum Fide, conſequenter non poſſit etiam virtutis Religionis ſuper Fide fundatæ actum vel agnoſcere, vel exercere.

Ad *octavam* Reſp. Quærendo ex Heideggero, an ſuæ Reformationis 53.
ſimpliciores probè calleant diſtinctionem cultûs Latriæ in actum à Religione Elicitum, Imperatum, & fundatum in relatione ad Religionem? An cultum ſymbolis ac inſtrumentis ſacris debitum, ut ſic fundatum in relatione ad Religionem, norint ulteriùs, in ipſum ſcilicet Deum, animi ſui motu referre? Si affirmet, ſuæ Reformationis ſimpliciores non quidem in actu Signato, ſub Formali ac reflexâ vocum, præallegatam diſtinctionem explicantium expreſſione, ſed in actu Exercito, quoad rem ipſam probè callere, tunc rursùs quæro ex illo Miniſtro, unde hæc norint ſimpliciores ex ſuâ Reformatione animæ? Utique dicet, iſta tenere ex Fide, quâ credunt ſolum Deum adorandum. At verò hanc ipſam, & quidem illibatam cum vivâ Spiritûs ſancti motione Fidem ita tenent fideles Pontificij, ut, licèt exemplo Moyſis, Iſraelitarum fidelium, atque conformiter Pſalmis *98. Item 131. præc. cap. prob. 4. adductis* & coram inſtrumentis & ſymbolis Divinorum myſteriorum, atque ſacellis Deo ſacratis, ſpecialiquè Divinâ operatione præfulgentibus, externos adorationis ac proſtrationis actus exerceant, hos tamen in

ipſum

Digitized by Google

ipſum Deum ſub illis ſymbolis ac locis ſacratis ſibi repræſentatum, ultimatè referant, ita ut iſtum *Intranſitivè*, *Abſolutè* & *Principaliter*, illa verò ſolùm *Tranſitivè*, *Reſpectivè*, & *Inſtrumentaliter* colant & adorent, atque adeò licèt *ſignatè* ac *reflexè* non calleant illam Latrevtici cultûs Abſoluti ac Reſpectivi diſtinctionem, iſtam tamen tenent *in actu exercito* ac re ipsâ; ut adeò Heideggerus non niſi calumnioſè ipſos arguat Idolomaniæ, imò totam hanc calumniam in ſe retortam ſentire debeat, & quam adverſùs Pontificios movet difficultatem, cum ſuâ etiam Reformatione deglutire debeat.

54. Ad *nonam* Reſp. Heideggere, hîc te valde imperitum in Theologorum Scholaſticorum ſententijs referendis, demonſtras. Oportuiſſet enim, ut diſtingueres, quod eſt Fidei, & quod eſt ſubtilitatis Scholaſticæ. Eſt enim Fidei, Inſtrumenta & ſymbola ſacra *Abſolutè*, *Principaliter* & *Intranſitivè*, id eſt ratione ſuæ propriæ Formalitatis, tanquàm Motivi Adæquati, vel etiam Primarij, non eſſe adorabilia. At Scholaſticæ ſubtilitatis eſt, an ſub Reſpectivo & Inſtrumentario, atque Tranſitivo ſacrarum imaginum, ſymbolorum & inſtrumentorum cultu, Deus ſub ejuſmodi ſymbolis repræſentatus, ratione ſuæ intrinſecæ excellentiæ cultum Latrevticum ſpecificantis, ita adoretur, ut talis excellentia non tantùm ſit primarium Motivũ, ac terminus talis adorationis *mediatè ſaltem* ſpecificativus, ſed ſit objectum adæquatũ internæ ſubmiſſionis & adorationis, ſymbolo & imagine ſacrâ ſe tenente ad talem adorationem, per modum inſtrumenti duntaxat extrinſeci, ita ut interna adorationis ſubmiſſio nullo modo ad illam terminetur? Vel econtrà, utrùm idem adorationis etiam internæ actus feratur ſimul in ſymbolum ſacrum, quà terminum quidem intrinſecum ac ſpecificativum, attamen ſecundarium, ac per modum inſtrumenti ſubordinatum, & ſimul in Deum, tanquàm Terminum *Principaliter* ſpecificativum & Intranſitivum, imò illius etiam Inſtrumentarij Termini eatenùs habilitantem, ut Inſtrumentariæ & Tranſitivæ, ac Relativæ adorationis tum externæ, tum internæ capax eſſe poſſit. In hac proinde ſubtilitate ſcholaſticâ verſatur Theologorũ Pontificiorum controverſia, non verò in illo, quod veræ & Orthodoxæ Fidei principiũ eſt, uniformiter retentum ab omnibus Pontificijs tam Theologis, quàm ſimplici fidelium plebe, adorationem Fidei, cooperante Spiritu ſancto, eatenùs *in Actu Exercito* impendentibus Deo *Abſolutè* & *Ultimatè*, ac *Principaliter*, ſymbolis autem ac inſtrumentis ſacris *Relativè* & *Tranſitivè*, ac *Inſtrumentaliter*, ut, licèt adorandi modum, non niſi per Spiritûs ſancti gratiam ex Fide profectam, *in Actu ſignato* ac *Reflexè* non diſpiciant, ipſam tamen adorationis veritatem, Fide Divinâ ſubnixam indubitanter teneant & exerceant.

Ad

Ad decimam Reſp. Conveniendo Heideggerum, an, dum ſacræ Litteræ 55.
adorationem Arcæ, ſeu cultum loci Divinâ præſentiâ ſacrati, & templi Deo dicati producunt, talem cultum credat *abſolutè*, vel potiùs cum relatione ad Deum ejuſmodi rebus ſacratis delatum fuiſſe? Si hoc poſterius affirmet, in aperto jam erit, præter cultum Latriæ, Deo *Abſolutè* exhibendum, ipſiſmet ſacris Litteris conformiter, ſupereſſe cultum Reſpectivum. An ergo Profeſſor ille Tigurinus ex iſto rerum ſacrarum Reſpectivo cultu ritè arguet, tum Iſraelitas, tum Mœcholatras, tum paganos Idololatriam ſuam incruſtare poſſe? Certè hæc illatio nil, niſi blaſphemam Heideggeri calumniam, ipſis ſacris Litteris injuriam ſpiraret. Sed ait, in immenſum fore multiplicandos cultus Latriæ Reſpectivos, ſi rebus omnibus, quæ relationem, vel reſpectum ad Chriſtum habent, deficiente licèt mandato, impendi deberet Reſpectivus Latriæ cultus. At quæro ex illo ipſo Tigurino Profeſſore: cur ergo, prout *ex argut. 6.* videre licet, ſcripſerit, ſe Reformatos judicare, honorem Deo debitum, ipſi exhiberi minimè poſſe, niſi cum ſingulari etiam reverentiâ tractentur ejus inſtrumenta, propter arctiſſimam illam connexionem, quæ inter actum aliquem, & inſtrumentum ejus intercedit? An non iſta innuunt mandatum colendi inſtrumenta & ſymbola ſacra, non utique cultu Abſoluto & Intranſitivo, Sed relato in Deum? Siccinè Heideggere tuiſmet poſitionibus tibimet contradicendo, temetipſum ac Reformationem tuam confodis, cultum Reſpectivum reipsâ aſtruendo, & in vocibus duntaxat ludendo, atque adeò aërem verberando?

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Georgij argumenta *præc. cap. 1. adducta* ſubſiſtere firma, 56.
abſque ullâ per Vedroſium allatâ ſolutione. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui ludendo in nominibus, rem ipſam, ſacris Litteris & SS. Patrum Orthodoxâ Fide firmatam perdit. At ex *præced. cap. 4.* planè conſtat, fuſiùſquè oſtendetur *ſeq. Sect.* Reformatum Miniſterium agendo de cultu Latriæ & Duliæ, eoquè vel Abſoluto, vel Reſpectivo ita ludere in vocibus, in ſe ipſum etiam contradictoriè impingendo, ut modum adorandi Deum, ac Myſteria, ſeu ſymbola Divina à Patribus Orthodoxis, conformiter ſacris Litteris, agnitum omninò abjiciat. Viderit ergo iſte ſpiritus, quomodò poſſit eſſe Divinus.

SECTIO II.

De Invocatione & Veneratione Sanctorum.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

1. HIc Author *ſua Facis Rat. 3. Doc. 29.* inducit S. Hieronymum *in Epiſt. adversùs Vigilantium* taliter ſcribentem: *Exortus eſt ſubitò Vigilantius, ſeu veriùs Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contrà Chriſti Spiritum, & Martyrum neget ſepulchra veneranda, & damnandas dicat eſſe vigilias.* Et infra ita diſſerentem: *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti; quantò magis poſt coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam. Et Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valebunt?*

2. Inducit Sanctum quoquè Auguſtinum *lib. Medit. cap. 24. & 25.* univerſos Dei Sanctos invocantem. Item *Serm. 35. de Sanctis.* taliter ſcribentem de ſanctiſſimæ Virginis interceſſione: *Inter hæc igitur, fratres, cum toto mentis affectu beatiſſima Virginis nos interceſſionibus committamus, omnes ejus patrocinia omni niſu imploremus, ut, dum nos ſupplici eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedulâ prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe alijs omnibus liberatis impendere ſuffragium.*

3. Inducit quoquè Zwinglium *Epich. de Can. Miſſæ*, Bezam *adverſ. 3. par. lib. Brentij in fine*, & Molinæum *cap. 24. Clyp. Fid. de Invocat. Sanct.* diſertis verbis reprobantes doctrinam Veterum Patrum, ſpeciatim S. Hieronymi, Antiquitatis teſtimonium ferentium de invocatione Sanctorum. Ex quibus tandem concludit, in hoc etiam puncto manifeſtum eſſe hodiernæ Romanæ Eccleſiæ cum Orthodoxâ Antiquitate conſonantiam, econtrà Reformatæ Eccleſiæ diſſonantiam ab antiquâ Orthodoxiâ.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

4. ISte Miniſter *in Exam. cit. Doc. 29.* arguit 1. Ante tempora Cornelij Martyris invocationem Sanctorum in uſu non fuiſſe, fatentibus Pereſio, Bellarmino, Perronio, Eccio. At in Catholicâ Eccleſiâ magnoperè curan-

Digitized by Google

gandum eſſe, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.

Arguit 2. Multis ab Apoſtolis ſæculis in medio relictum fuiſſe, utrùm fideles hinc diſcedentes illicò ad Deum aſſumerentur, & ejus præſentiâ fruerentur, an verò reſurrectionis diem in ſinu Abrahæ exſpectarent, in cœlum poſt noviſſimum diem recipiendi. In hanc enim opinionem fuiſſe propenſiores Irenæum, Iuſtinum, Tertullianum, Origenem, Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Theodoretum, Bernardum, &c. imò & Ioannem XXIII, Papam Romanum, fatente Bellarmino *lib. 4. de Pontif. Roman. cap. 14.* Atqui invocationem Sanctorum pendere ab eorum interceſſione, hanc verò à viſione Dei. Unde conſequens eſſe, quòd invocatio Sanctorum toto illo tempore neque credita fuerit, neque credi potuerit. 5.

Arguit 3. Invocationem Sanctorum pertinere ad officia Eccleſiæ, de quibus Baronius *Annal. to. 1. & 11.* affirmet, *conſultò introductum eſſe, ut quæ erant gentilitiæ ſuperſtitionis officia, eadem veri Dei cultu ſanctificata, in veræ Religionis cultum impenderentur.* Hinc Polydorum Virgilium, & alios confiteri, Paganiſmo mutatum ferè nomen duntaxat, dum ejus ritus & cæremoniæ in Eccleſiâ Chriſtianâ ut plurimùm retineantur, obtento nempe Dei & Sanctorum nomine. 6.

Arguit 4. Multum nonnullos ſibi conſecutos fuiſſe olim viſos, ſi modò Ethnicos à dæmonibus ad Angelos, à priſcis illis heroibus ad Martyres Chriſtianos, ab illorum adoratione ad horum admirationem traducere potuerint, laudes eorum ad evacuandam ſuam conſtantiam decantârint. Hinc factum, ut aliqui cœperint quærere, utrùm Sancti defuncti pro vivis orarent. Hoc tanquàm veriſimile ſtatuiſſe Nazianzenum *in laud. Baſil. Et nunc ille quidem in cœlis eſt, illiquè ſacrificia facit, ut opinor. Orat. in patris ipſius funere* ſimiliter verba ſua caſtigare: *Si tam audacter loqui fas eſt. De Gorgoniâ ſorore: Si hoc præmij ſanctis animabus à Deo confertur, ut iſta præſentiſcant, noſtram quoquè orationem multorum inſtar, atque adeò pro multis funeris donis accipias, velim.* 7.

Arguit 5. Georgium omne ſuum robur collocare in Hieronymo & Auguſtino. Hieronymum producere congredientem cum Vigilantio, quem hæreticum appellet, qui tamen, teſte ipſo Hieronymo, ſanctus erat Presbyter *Epiſt. 13. ad Paul.* quemquè Hieronymus *non ex rei veritate, ſed ex unius noctis lucubratiunculis convitijs planè ferreis verberet*, uti loquatur Villa Vincentius *de Rat. Stud. Theol. lib. 4. c. 6. obſer. 7.* In ijs, quæ contrà Iovinianum ſcripſit Hieronymus, non ſolùm, Eraſmo & Ajoſtâ teſtibus, fervido quodam facto ita raptum fuiſſe, ut matrimonio videretur iniquior; verùm etiam ipſum eſſe 8.

 faſſum

faſſum, quòd aliud dixerit, aliud ſenſerit. Idem ipſi accidiſſe adversùs Vigilantium, utpote cui candoris & modeſtiæ ſuæ oblitus, ea affinxerit, quibus eum ipſe poſtea liberet. Condemnare eum tanquàm hoſtem Sanctorum, utpote qui neget, eos eſſe cum Agno: interim producere eum pronunciantem beatiſſimos Martyres, quos Agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore majeſtatis ſuæ illuſtret. Hoccinnè igitur (ſubinfert Vedroſius) eſt Sanctorum eſſe hoſtem?

9. Arguit 6. Hieronymum, quod probè notandum, contendere, *cùm Martyres adhuc in corpore conſtituti, & pro ſe ipſis ſolliciti orare poſſint, pro aliis multò magis poſt coronas, victorias, triumphos.* Sed nullibi, quod Papiſtæ faciant, inde inferre: Ergo non ſolùm Deum, ſed & Sanctos invocare debemus. Provocare ſe Papiſtas, ut proferant, ſi tale quid apud Hieronymum inveniunt. Vigilantium contendere, Sanctos mortalium rebus ſe non ampliùs immiſcere, multò minùs loculis ſuis incubare, aut involitare. Quæ etiam Auguſtini ſententia ſit *lib. de curâ pro mortuis totâ.*

10. Arguit 7. Hieronymum ad verba Vigilantij apud Georgium *pag. 92.* exclamare: *Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula injicies, ut uſque ad diem judicij teneantur cuſtodiâ, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum: Sequuntur Agnum, quocunquè vadit. Si Agnus ubique, ergo & hi, qui cum Agno ſunt, ubique eſſe credendi ſunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimiâ ubique ſint præſentes; Martyres poſt effuſionem ſanguinis arcâ operientur incluſi, & inde exire non poterunt?* Huc adeò Vedroſius ait, Hieronymum raptum contradicendi æſtu. Quàm ridiculè enim à Chriſti ſecundùm Deitatem Ubiquitate, & diaboli, & dæmonum per orbem diſcurſitatione concludatur ad Sanctorum demortuorum ubique præſentiam, & rerum ac precum noſtrarum cognitionem, videri poſſe apud Bellarminum *de Sanct. beat. lib. 1. cap. 29.*

11. Arguit 8. Extrà diſputationis ardorem longè alium fuiſſe Hieronymum. In Nepotiani Epitaphio ſic dicere: *Scimus Nepotianum noſtrum eſſe cum Chriſto, & Sanctorum mixtum choris.* De eodem *ibid. Fælix Nepotianus, qui hæc non videt, fælix, qui hæc non audit, nempe barbarorum devaſtationes.* Item, *Quicquid dixero, quia ille non audit, mutum videtur.*

12. Arguit 9. Si expendantur verba Auguſtini *contrà Fauſtum Manich. lib. 20. cap. 21.* allegata à Georgio *cit. pag. 93.* nullam inde ullis fidiculis extorqueri Sanctorum invocationem. Hoc tantùm ex iis concludi, quòd ſoleat populus Chriſtianus memorias Martyrum religiosâ ſolennitate concelebrare, id eſt, eos ad menſam commemorare (velut ipſe ſe explicet *loco cit.*) ad excitandam imitationem, & ut meritis, hoc eſt operibus eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur. In quibus nullam eſſe invocationis

men-

mentionem. Quin potiùs in ſequentibus addere: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vitâ coluntur ſancti Dei homines.* At neminem religiosè invocare aliquem in terris degentem. Quinimò in his omnibus etiam Hieronymi amaris telis, uti Zwinglius vocet, adversùs Vigilantium evibratis, & Auguſtini verbis nec vel volam, nec veſtigium apparere ullius invocationis Sanctorum. Nec hos Patres ad ſuam ſtatuminandam opinionem de precibus Sanctorum pro nobis ullum producere Scripturarum locum.

Arguit 10. Tametſi à ſe Reformatis concederetur, ſanctos Cælites pro fratribus viatoribus virtute communionis & charitatis fraternæ in genere orare, ipſiſquè vires ad pugnandum & ferendum neceſſarias, liberationem, victoriam plenam, requiem æternam à Chriſto capite precari, non tamen ſequi, eos eſſe invocandos, corporis & animi bona ab ijs petenda, vel regnorum, provinciarum, urbium, pagorum, templorum, clauſtrorum, arcium, ſodalitiorum, opificum, ovium, porcorum, equorum, morborum, omniumquè humanarum rerũ curam pro arbitrio hominis Itali committendam. 13.

Arguit 11. Provocando Pontificios, ut concilient, ſi poſſint, Auguſtinum cum Auguſtino, utpote qui modò dicat, nos orationibus Martyrum adjuvari, quod præſentiam apud Deum inferat; modò tempus inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum ſtatuat, quo animæ abolitis receptaculis contineantur, ſicut unaquæque digna ſit vel requie, vel ærumnâ. *Ex Manuali ad Laurentium cap. 109.* Porro in *Pſal. 36.* ita habere: *Poſt iſtam vitam nondum ibi eris, ubi erunt Sancti, quibus dicitur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c. Nondum ibi eris, quis neſcit? Sed jam poteris ibi eſſe, ubi illum quondam ulceroſum pauperem dives ille ſuperbus in medijs tormentis videt longè requieſcentem: in illâ requie certè ſecurus exſpectabis judicij diem.* 14.

Arguit 12. Iuvare tandem, Auguſtino ſuppoſititio *ex lib. Medit. ſerm. 35. de Sanctis. Lib. item de Eccleſ. Dogm. & lib. 9. Confeſſionum*, à Georgio citato, opponere Auguſtinum genuinum, cynoſuram ſacræ Scripturæ, non populi errorem ſequentem. Sic enim habere *cap. 55. de verâ Relig. Non ſit nobis Religio cultus hominum mortuorum, quia, ſi piè vixerint, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur, meriti ſui nos eſſe conſervos. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter Religionem. Si autem malè vixerint, ubicunque ſint, non ſunt colendi &c. Item honoramus eos, Angelos & beatos homines, charitate, non ſervitute, nec eis templa conſtruimus, nolunt enim ſe ſic honorari à nobis &c. Religet nos Religio uni omnipotenti Deo.* Et *lib. de curâ pro mortuis cap. 31.* præter alia ſic habere prædictum Auguſtinum: *Si ergo dereliquerunt nos Patres noſtri, quomodò noſtris curis* 15.

& rebus interſunt? Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidvè patremus?

16. Arguit 13. Nec quidquam prodeſſe fucum, quem Georgius, ut hanc pingeret Idololatriam *pag.* 257. arceſſerit à communione Sanctorum, quam in ſymbolo profitemur. Agnoſcere ſe Reformatos, quòd virtute hujus communionis certa ſint officia viatorum inter ſe & eorundem erga Sanctos triumphantes. At inficiari, quòd ea ſe extendant ad Sanctorum invocationem. Eccleſiam Smyrnenſem apud Euſeb. *hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 15. ita loqui: *Hunc ceu Filium Dei adoramus: Martyres autem ceu diſcipulos Domini & imitatores, ut par eſt, amamus ob incredibilem erga regem & Dominum ſuum amorem.* Georgium *pag.* 228. urgere quidem ex Cypriano *lib.* 1. *Epiſt.* 1. monente amicum, *ut qui prior hinc diſceſſerit, in ſuâ dilectione perſeveret, nec pro fratribus & ſororibus apud Deum ceſſet oratio.* At hinc minimè extendi Sanctorum invocationem. Eſto enim, quòd ſancti cælites exoptent noſtram liberationem & ſalutem, hoc tamen nihil facere ad eorum invocationem.

17. Arguit 14. Neque plùs proficere Georgij rationem vigeſimam quartam *pag.* 306. cùm à Sanctorum mutuis in terrâ interpellationibus concludit ad invocationem Sanctorum in cælis. Sanè in hac vitâ fideles mutuis ſe precibus debere juvare, cùm per eandem viam tendant ad eandem patriam, & poſſint ijs ſe nominatim commendare precibus, quibuscum ſenſibile retinent commercium, vel voce, vel ſcripto. At, cùm nullum tale reſtet viventibus commercium cum mortuis, nec habeamus tabellarios, qui epiſtolas noſtras ad eos deferant, nec ipſi nos clamantes è terris è cælo queant audire, fruſtrà eſſe, qui ſe eorum precibus commendent.

Arguit 15. Accedere diſcrimen inter invocationem Sanctorum, quæ obtineat in Papatu, & mutua precum inter pios officia. Thomam dicere, quòd *vivorum ſuffragia non imploremus orando* (uti nempe fiat in invocatione Sanctorum) *ſed à vivis petamus colloquendo.* Neminem repertum iri, qui adgeniculatus fratri ſuo, vel ejus picturæ recitet Orationem Dominicam, cum hac intentione mentali, ut ſuo nomine ad Deum deferatur, ſicuti invocatio Sanctorum etiam ſolo cordis nutu ab adverſarijs peragatur. Neminem unquam & uſpiam fidelium reperiri, qui ſubſidium precum fraternarum in hac vitâ iſto modo imploraverit, vel Mediatorem inter Deum & ſe quenquam vocârit præter Chriſtum, de quo Paulus *1. Timoth.* 2. *v.* 5. aſſerat: *Unus Deus, & unus Mediator.* Illum verò, qui unum ponit, omnes alios, ſive ſecun-

18. darios tollere. Hoc enim loco Apoſtolum, obſervante Cornelio à Lapide, opponere ſe hæreticis, qui Angelos docebant Mediatores. Ideo toties in Epiſtolâ ad Epheſios, quorum Timotheus erat Epiſcopus, dicere, nos non

niſi

niſi per Chriſtum habere acceſſum ad Patrem. Huc facere illud Auguſtini *Tract. 22. in Ioan. Hoc tibi dicit Salvator tuus: Non eſt, quò eas, niſi ad me, non eſt, quà eas, niſi per me.* Et *lib. 2. contra Parmen. cap. 8. Omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus, pro quo autem nullus intercedit, ſed ipſe pro omnibus, hic unus verus Mediator eſt.* Item: *Si eſſet Mediator Paulus, eſſent utique & cæteri Coapoſtoli, ac ſic multi Mediatores eſſent, nec Paulo conſtaret ratio illius, quod dixerat: Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum.*

CAPUT III.

Oſtenditur, invocationem Sanctorum in cœlis triumphantium eſſe ex verâ Fide, tum in ſacris Litteris fundatâ, tum intra veram Dei Eccleſiam in mentibus fidelium jugiter propagatâ, & ſanctorum Orthodoxorum Patrum authoritatibus expreſsâ.

EXplicatur ſtatus quæſtionis. Iſte namque tria complectitur hic probanda, tum quòd Sancti cælites habeant notitiam eorum, quæ geruntur in terris, orationeſquè fidelium in terris degentium à ſe agnitas offerant Deo; tum quòd iſtis fidelium orationibus ſuam coràm Dei conſpectu adiungant, ac pro Eccleſiæ Militantis, ſingulorumque ejus membrorum neceſſitatibus apud Deum intercedant, ejuſmodiquè adeò interceſſiones habeantur à Deo acceptæ: tum denique, quòd fideles Eccleſiæ Militantis cum ſanctis cælitibus talem habeant communionem, ut eorum interceſſiones meritò implorent, Deuſquè eas tanquàm glorificationes ac honorationes ſuorum cæleſtium civium gratas recipiat. 19.

Probatio prima, quâ ex ſacris Litteris oſtenditur, ſanctos cælites probè noſſe Eccleſiæ Militantis, ejuſque fidelium in terrâ viventium ſtatum ac neceſsitates.

NAm *Pſal. 90.* ita dicitur: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Unde Iuſtinus Martyr *in quæſt. ad Orthodox. q. 30.* dicit: *Quemlibet hominem ſequitur Angelus Cuſtos, ut ſacræ docent Litteræ.* At iſta cuſtodia foret Angelis cælitibus impoſſibilis, niſi ſuorum clientum in terris degentium vias noſſent, ut ſic in omnibus eos cuſtodire poſſent, eorumquè adeò ſtatum Domino Deo ſuis orationibus commendare, conformiter ijs, quæ Zach. 1. v. 11. ita leguntur: *Iſti ſunt, quos miſit Dominus, ut perambulent terram, & reſponderunt Angelo Domini: Perambulavimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quieſcit,* 20.

eſcit,

eſcit. *Et reſpondit Angelus Domini & dixit: Domine Exercituum uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, & urbium Iudæ*; Ex quo adeò clarè patet, angelos cælites pro hominibus à Deo miſſos, ſtatum Eccleſiæ Militantis, ejuſquè membrorum, urbium & habitatorum probè noſſe, ſuiſquè orationibus Deo commendare.

Probatio ſecunda, ex libro Tobiæ & Apocalypſi, prioris continuativa.

21. ETenim *Tobiæ* 12. v. 12. Angelus Raphael dixit Tobiæ: *Quando orabas cum lachrymis &c. Ego obtuli orationem tuam Domino.* At licèt Reformatum Miniſterium conetur librum Tobiæ, ut ſuæ intentioni non deſervientem infringere, iſtum tamen ab antiquâ Orthodoxiâ veram Fidem, atquè adeò Verbum Dei, ipſiſmet Reformatis Doctoribus teſtibus, illibatè & incorruptè retinente, inter canonicos ſacræ Scripturæ libros in verâ Dei Eccleſiâ iugiter fuiſſe cenſitum, probant Clemens Romanus I. *Epiſt.* 1. Polycarpus *Epiſt ad Philip.* Alexander 1. *Epiſt.* 1. *ad Orthodox.* Clemens Alexandrin. *lib* 1. *Stromat.* Origenes *Hom.* 27. *in Num. item ad cap.* 11. *ad Rom.* Cyprianus *lib. de opere & Eleemos.* Athanaſius *Apol. ad Conſtant. Imperat.* Ambroſius *lib.* 3. *contra Parmen.* Hieronymus *proœmio in Ionam.* Chryſoſtomus *ſerm. de Pœnit.* Auguſtinus *Epiſt.* 102. *Epiſt.* 120. *de Grat. Novi Teſtam. cap.* 20. *Lib. de quæſt. ex utroque Teſtamento cap.* 119. *lib.* 2. *de doctrinâ Chriſtianâ*, *& alibi* per ſæpe utens authoritate illjus libri tanquàm Canonici. Quarè ex præallegato libri Tobiæ textu probatum manet, quòd ſanctus Raphael etiam in particulari oraverit pro Tobiâ, dum hujus nimirum orationem offerebat Deo, ſuaſquè adeò preces cum illâ conjungebat. Cui adeò conformiter *Apocal.* 8. v. 3. & 4. ita habetur: *Angelus ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo &c.* Ex quibus Calvinus *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20. §. 23. tandem convictus, concedit, Angelos orare & intercedere pro hominibus, negat tamen id de ſanctis mortuis §. 21. prætexendo, Chriſto iniuriam fieri, ſi Sancti pro nobis intercederent, quaſi verò hæc ratio, ſi alicuius eſſet momenti, non æquè procederet de Angelis, ut adeò ille Pſeudoreformator non niſi ineptias in ſe contradictoriè impingentes, ſpirare noverit,

Probatio tertia, priorum quoad animas Sanctorum defunctorum ex ſacris Litteris continuativa.

22. ETenim *Matth.* 22. v. 30. Chriſtus Dominus indefinitè pronunciavit: *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Quia ergo Angeli orant pro fidelibus in terrâ militantibus, atque iſtorum orationes, cum hiſce ſuas jungendo, offerunt

Deo

Deo, cur non idem diceretur de ſanctis hominibus: maximè cùm *Apocal. cap. 5. v. 8.* de viginti quatuor ſenioribus apertè dicatur: *Ceciderunt coràm Agno habentes phialas aureas plenas odoramenti, quæ ſunt orationes Sanctorum*, quas nimirum Deo offerebant. Et hinc *2. Machab. ult.* Iudas refert, ſibi in viſu apparuiſſe Oniam, qui fuerat Sacerdos ſummus, & in virtutibus exercitatus, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Item *v. 13.* refertur, eidem apparuiſſe Hieremias Propheta, de quo Onias dixerit: *Hic eſt, qui multum orat pro populo.* Nec eſt, cur Reformatum Miniſterium excipiat contra duos Machabæorum libros tanquàm Apocryphos: hos enim tanquàm Canonicos ſacræ Scripturæ, probant Dionyſius Areopagita *lib. de cæl. Hierarchiâ cap. 2.* Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromat.* Tertullianus *adverſ. Iudæos cap. 4.* Origenes *lib. 2. de Princip. cap. 1. & ad cap. 5. Roman.* Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 3. aliàs 55. & lib. 4. Epiſt. 6. item de duplici Martyrio cap. 11.* Euſebius Cæſarienſis *lib. 12. de Præpar. Evangel. cap 1.* Ambroſius *lib. 2. de Offic. cap. 29. item lib 3. cap. 14. lib. 2. de Iacob cap. 9. 10. & 11.* Theophylus Alexandrinus *Epiſt. 1.* Ephrem *Paræneſi 15.* Hieronymus *ad cap. 23. Iſaiæ.* Baſilius Magnus *in conſtit. Monaſtica cap. 19.* Gregorius Nazianzenus *in Orat. 20. & Orat. 22.* Chryſoſtomus *Hom. 73. in Matth. & hom. 77.* Auguſtinus *lib. 18. de Civit. cap. 36. lib. de curâ pro mortuis cap. 1.* Inſuper in Concilio Carthaginenſi III. *cap. 47.* libri duo Machabæorum recipiuntur tanquàm Canonici. Et Chriſtus ipſemet *Ioan. 10.* celebrando feſtum Encæniorum, quod à Machabæis erat inſtitutum, horum libros approbavit, ſicuti celebrando feſtum Pentecoſtes, Paſchatis, Sabbatorum traditum à Moyſe, hujus libros, in quibus erant inſtituta, probavit.

Probatio quarta, prioris confirmatoria ex Ieremiæ 15. v. 1. & Symbolo Apoſtolico.

NAm *cit. cap. 15. Ieremiæ* Propheta ait: *Dixit Moyſes ad me, ſi ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* At ex hiſce patet, 23.
quòd Sancti mortui potuerint orare pro populo, licèt ob ejus malitiam tunc non fuerint audiendi. Nec eſt, cur aliquis ex Reformato Miniſterio prætendat, hæc cum antiquo Teſtamento eſſe abrogata. Tum quia ſimilia habentur in Novo Teſtamento *Apocal. 8. v. 3. & 4.* prout ſuperiùs *prob. 2. n. 21.* viſum eſt: tum quia iſta Sanctorum defunctorum coram Deo viventium, pro fidelibus adhuc in terrâ certantibus oratio comprehenditur ſub articulo communionis Sanctorum, qui vel maximè viget in Novo Teſtamento, utpote relatus in Symbolum Apoſtolicum. Etenim iſtam communionem non eſſe tantùm inter fideles Eccleſiæ Militantis, ſed unà cum Sanctis in cælo triumphantibus, evincitur *ex Heb. 12. v. 23.* ubi ſic habetur;

betur;

betur: *Acceſſiſtis* (in terris ſcilicèt militantes) *ad Sion montem, & civitatem Dei*
viventis, Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccle-
ſiam primitivorum &c. Cujuſmodi adeò fidelium hujus terræ ad Angelorum
& primitivorum Eccleſiam Triumphantem acceſſus talem importat cum
Sanctis in cœlo regnantibus communionem, ut & hi orent pro fidelibus
ad ſe per ſuas preces accedentibus, & illi iſtorum interceſſiones implorent,
uti nimis clarè tradunt Patres antiqui, Irenæus *lib. 5. contrà hæreſ. cap. 19.*
Cyprianus *Epiſt. 57. tract. de diſcipl. & habitu Virginum.* Origenes *Hom. 16. in Ioſue.*
Hom. 3. in Cant. Hom. 3. in diverſos. Euſebius Alexandrinus *Hom. de Sanctis colendis.*
Euſebius Cæſarienſis *lib. 6. Eccleſ. hiſtor. cap. 5.* Athanaſius *Epiſt. ad Felicem Papam,*
& in Evangelio de S. Deiparâ. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. Myſtag. 5.* Baſili-
us Magnus *Hom. 20. in 40. Martyres, & Epiſt. ad Iulian. Apoſtat.* Gregorius Na-
24. zianzenus *Orat. funebri in Anaſtaſium.* Epiphanius *ſerm. de laudibus Sanctæ Dei-*
paræ, & in vitâ Iſaiæ. Hilarius *in Pſalm. 124.* Ambroſius *lib. de Viduis, & lib.*
8. in Lucam. Hieronymus *lib. adverſ. Vigilantium.* Joannes Chryſoſtomus *Lau-*
dat. in Sanctam Pelagiam. cap. 15. & Hom. de Patientiâ. Ephrem *Orat. de Laudibus*
S. Mariæ. Auguſtinus *lib. 7. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 1. Lib. 20. contrà*
Fauſtum cap. 21. tract. 84. in Ioannem. Item in Pſ. 85. Pſ. 88. Serm. 2. de Annuntiat. Do-
mini. Quibus per extenſum *ſeqq. prob. ſucceſſivè licèt exprimendis* adſtipulantur e-
tiam Oecumenica Concilia, Chalcedonenſe generale IV. *in Epiſt. ad Leonem*
Imperat. & art. II. Synodus VI. Generalis *cap. 7. Item* Generalis Synodus VII.
Nicæna *2. Art. 6.* ubi ſic profitetur: *Cum timore Dei omnia agamus, poſtulantes*
interceſſiones incontaminatæ Deiparæ & ſemper Virginis, Dominæ noſtræ Mariæ, item
ſanctorum Angelorum, omniumquè Sanctorum &c.

Probatio quinta, quâ oſtenditur, quomodò Sancti in cœlis cum Chriſto regnantes ſtatum Eccleſiæ Militantis, noſtraſque neceſſitates & actiones, quas obimus in terris, agnoſcant.

25. NAm *Matth. 18.* Chriſtus Dominus ubi monuiſſet: *Videte, nè contemnatis unum ex his puſillis*, mox ſubjunxit iſtius rationem: *Dico enim vobis*, inquiens, *quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Unde patet, periculum ob contemptum & ſcandalum puſillorum imminere nobis ex ipſorum Angelis. Oportet proinde, hos licèt in cœlis exiſtentes noſſe, quæ circà ſuos clientes in terris aguntur. Atqui modum iſtum cognoſcendi, & cauſam periculi ex puſillorum ſcandalo nobis imminentis Chriſtus inde adſtruit: *Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Conſequens igitur eſt, modum illa, quæ in terris aguntur, cognoſcendi,

Digitized by Google

ti, eſſe per viſionem faciei Divinæ. Et hinc S. Auguſtinus *lib. 13. Confeſſ. cap. 15.* ſic ait: *Beatus non opus habet ſuſcipere firmamentum, hoc enim cognoſcitur videndo Verbum tuum. Videt enim faciem tuam ſemper, & ibi legit ſine ſyllabis temporum, quid velit voluntas tua.* In quem proinde ſenſum ex eodem Sancto Doctore *lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 23. & 24.* & Iſidoro *lib. 1. ſent. cap. 8.* ſolet à Theologis diſtingui in Beatis duplex creaturarum cognitio, altera *Veſpertina* per ſpecies innatas, mediantibus quibus creaturæ videntur in proprijs naturis: altera *Matutina* in Verbo, quatenùs nimirum Beati videndo Verbum, cognoſcunt non tantùm illud Eſſe rerum, quod habent in Verbo, ſed illud etiam Eſſe, quod habent in propriâ naturâ. Cùm igitur homines Sancti ſint in cœlis, ſicut Angeli Dei, *Matth. 22. v. 30.* atque adeò teſte Divo Ambroſio *in Lucam lib. 8.* tanquàm illi, qui vitam Angelorum meruerint, præſint, ſicut Angeli, conſequens eſt, animas Sanctorum æquè ac Angelos per viſionem Divinæ faciei cognoſcere in Verbo res in terris geſtas, orationes præſertim ad ſe directas, uti decrevit Concilium quoque Senonenſe *in Decretis Fidei c. 13.* ubi, cùm damnâſſet hæreticos dicentes, non cognoſci noſtras orationes à Sanctis, ait: *Eum, id eſſe falſum, facilè intellecturum, qui non ignorat, Sanctis pervium eſſe omniforme Divinitatis ſpeculum, in quo, quicquid eorum interſit, eluceſcat.*

Probatio ſexta, refutatoria exceptionis Molinæi cap. 24. de invocat. Sanct. Clypei Fidei, *& aliorum Reformationis prætenſæ Miniſtrorum, aſſerentium, quæſtionem inter Pontificios & Reformatos non eſſe, utrùm Sancti pro nobis intercedant, ſed utrùm eos invocare liceat?*

ETenim iſtam exceptionem elidit tum illud *Geneſ. 48. v. 16.* ubi Patriarcha Iacob benedicens filijs Ioſeph, dixit: *Angelus, qui eruit me de omnibus malis, benedicat pueris iſtis.* Quibus proinde verbis planum eſt, invocari Angelum. Tum illud *Exodi 32.* ubi Moyſes ſic oravit: *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum.* In hunc enim locum notat Theodoretus *q. 67. in Exod.* Sanctum Moyſen, cùm ſe non exiſtimaret ſufficientem ad placandum Deum, adhibuiſſe patrocinium Patriarcharum. Tum illud *Iob. 5. Voca, ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum* (ſcilicèt Angelorum, uti S. Auguſtinus *in Annotat. in Iob* exponit) *convertere.* Et hinc quando *Iob cap. 19.* clamavit: *Miſeremini mei amici mei*, Divus Auguſtinus hoc accipit de Angelis Sanctis. In quem adeò ſenſum *Iob cap. 33.* dicitur: *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, miſerebitur eis, & dicet, libera eum.* 26. 27.

Digitized by Google

Probatio ſeptima, refutatoria alicujus Heideggerianæ exceptionis.

28. HIc enim Tigurinus Profeſſor *in ſuis adversùs peregrinationem Heremitanam Apolog. cap. 373. & 374.* excipit 1. Iacobum non invocaſſe Angelum ſervilem, ſed Deum, qui ipſum è cunctis malis eripuiſſet, imploraſſe, ut per Angelum nempè faciei ſuæ, Chriſtum, benediceret ſuis: veluti explicent Athanaſius *Orat. 4. contrà Arianos.* Cyrillus *Theſauri tom. 12.* Staphyris *in hunc locum*, Procopius Gazæus *& alij.* Verùm in iſtâ Heideggerianâ exceptione inprimis pro accepto habetur, dum Chriſtum dicit Angelum Divinæ faciei; hinc enim jam eliditur ejuſdem contrà Divinam Sacelli Einſidlenſis à Chriſto peractam Conſecrationem exprobratio, inde petita, quòd, cùm vocetur Angelica, nequeat à Chriſto Domino eſſe peracta. Quæ ſanè objectio jam jam evaneſcit ex ipſomet Heideggero. Etſi porrò SS. Athanaſij & Cyrilli præaddućta expoſitio omninò ſubſiſtat, quatenus nimirum univerſa Sanctorum in Antiquo etiam Teſtamento benedictio Divina fuerat *Moraliter* per Chriſtum, ex hujus ſcilicèt meritis ab æterno Patre ad gratiæ ſuæ effectus tunc conceſſos acceptatis. Nihilominùs Iacobi Patriarchæ *Gen. 48. v. 16. præcitatis* verbis invocatio dirigitur ad Angelum, qui & ſemet eripuiſſet è cunctis malis, & ſuis deinceps benediceret. At iſte invocandi modus ex proprietate verborum ſignificat phyſicam Angeli actionem, cujuſmodi non erat per Chriſtum quà hominem, ut ſic adeò *moraliter* duntaxat in vi meritorum anticipatè ab æterno Patre acceptatorum operantem.

29. Nè ergo ab iſtâ ſacræ Scripturæ verborum proprietate recedamus, dicendum eſt, præadductam Sanctorum Athanaſij & Cyrilli expoſitionem eatenus ſubſiſtere, dum nimirùm juxta receptum axioma uni ſacro textui poſſunt eſſe plures etiam litterales ſenſus, ut tamen Patriarchæ Iacob invocatio intelligatur directa etiam ad Angelum, actiones illas phyſicè operantem, atque adeò realiter actu exiſtentem, Divinæque faciei aſſiſtentem non ſecundùm Hypoſtaticam Verbi cum Humanitate unionem; utpote nondum peractam, ſed ſecundum viſionem beatificam. Qui equidem Sanctos Angelos in Antiquo etiam Teſtamento invocandi modus eò magis probatur, quòd Iacob Patriarcha *cit. v. 16. c. 48. Geneſis* meminerit invocationis tum ſuimetipſius poſt mortem tum Sanctorum Patrum ſuorum; *Et invocetur*, inquiens, *nomen meum ſuper eos, nomina quoquè Patrum meorum Abraham & Iſaac.* Super hæc enim verba S. Auguſtinus *lib. 1. locut. de Gen.* ita ſcripſit: *Notandum eſt, non ſolùm exauditionem, ſed etiam invocationem aliquando dici, quæ non Dei, ſed hominum ſunt.* Ex quo proinde planum eſt, Sanctos Dei in Novo quoquè Teſtamento licitè ac

piè

piè invocari, conformiter praxi Veteris Orthodoxæ Eccleſiæ in ipſiſmet quoque Conciliis Oecumenicis Sanctos implorare ſolitæ. Sic enim Patres in Concilio Chalcedonenſi *cit. Act. 11.* orabant: *Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Et in præallegatâ Epiſcoporum Europæ in Concilio Chalcedonenſi relatâ, ad Leonem Imperatorem Epiſtolâ ſic habetur: *Sanctiſſimum Proterium in Moro & ordine Sanctiſſimorum Martyrum ponimus, & ejus interceſſione miſericordem ac propitium Deum habere poſtulamus.* Similia *ſuprà n. 24.* expreſſa habentur *in Act. 6.* VII. Generalis Synodi. Et VI. Synodo Generali *cap. 7.* ſic monemur: *Solo Deo adorato, invocet Chriſtianus Sanctos, ut pro ſe intercedere apud Divinam Majeſtatem dignentur.*

Probatio octava, refutatoria alterius Heideggerianæ exceptionis.

Hic namque Tigurinus Doctor *loco cit.* excipit 2. *Iobi 5. v. 1.* Eliphazum non loqui de invocatione defunctorum, ſed advocare vivos ſuffragantes, è quibus negare, quòd Iobus vel ullum Sanctum ſecum conſentientem producere poſſit, qui affirmet, Deum affligere innocentes. Similiter *cap. 19. v. 21.* per ſocios, quorum Iob implorabat miſericordiam, non vel Angelos, vel Sanctos defunctos intelligi, utpote qui ſocij familiares non fuerint, ſed eos, quos olim amicos habuerit, quoſque ad ſympathiam graphicè invitârit. Denique illum, qui *Iobi 33. v. 23.* dicitur *Angelus advocatus unus ex millibus,* non eſſe Angelum creatum, ſed increatum & Fœderis. Prædicata enim oſtendere, qualia ſint ſubjecta. At prædicata illius Angeli eſſe *Miſereri,* orare liberationem, indicare homini rectitudinē, & intercedere cum oſtenſione lytri. Quorum priora in ſenſu pleniore, ultimum in ſenſu tenuiore, nedū pleniore, non alij, quàm Chriſto competere. Præterea illum Angelum advocatum dici, eſſe apud *eum*, nempe Deum, quòd in hac phraſi idem eſſe, ac *coràm*, apud faciem. Et Thargum Chaldaicum diſertè reddere *Paracletum advocatum*, quæ nomina propriè notent *Interpretem.* Sed hoc loco interpretem, *ut apud Deum* intercedentem cum oſtenſione lytri, hoc eſt mortis & redemptionis ſuæ, ſolo vero Advocato noſtro Chriſto competere. Verùm circà iſta convenio Heideggerum, quærendo ex ipſo, an credat, ſuam interpretationem præponderare expoſitioni S. Auguſtini? At hic ſanctæ Eccleſiæ Doctor *in Annot. ad illa Iobi 5. cap. v. 1.* præallegata verba nomine *Sanctorum* intelligit Angelos. Tametſi proinde illa non ſint verba Iobi, ſed Eliphaz, indicatur tamen, tunc etiam fuiſſe piorum conſuetudinem, ut Angelos invocarent. Cuiuſmodi adeò invocationem Iobus *cit. cap. 19. v. 21.* reipsâ exhibuit erga Sanctos Angelos, uti S. Auguſtinus *ibidem* exponit; *Angelos*, inquiens, *videtur poſtulare, ut pro eo*

30.

31.

Digitized by Google

32. *deprecentur, at certè ſanctos, ut pro pœnitente orent.* Denique quæro ex illo Tigurino Doctore, an, dum ait, per illum Angelum advocatum intelligi Chriſtum, ſermo ſit de Chriſto ſecundùm Divinitatem duntaxat, vel ſecundùm Humanitatem quà Divinitati perſonaliter unitam? Si hoc poſterius aſſerat, oportuiſſet, illum Miniſtrum advertiſſe, in præallegato ſacro textu eſſe ſermonem de Angelo tunc temporis petente loqui pro altero, videlicèt Iobo, ad eum liberandum. At tunc temporis neque Humanitas Chriſti exiſtebat, neque Divinitati erat unita, tametſi ejus merita jam fuerint in acceptatione Divinâ. Et verò Chriſtus quà homo non erat increatus, ſed filius Dei quà homo factus. Si proinde ſub illis verbis *Angelus advocatus*, intelligatur Angelus increatus, oportet, ex mente Heideggeri, ut ipſemet Filius Dei quà ſecundum Divinitatem, vel Hypoſtaſin ſuam increatus fuerit, *Angelus advocatus*, qui orârit pro liberatione Iobi. At iſtud aperta eſt hæreſis & blaſphemia. Conſequens igitur eſt, ſub illo *Angelo advocato*, qui pro Iobi liberatione oraret, intelligi Angelum creatum pro tunc in cœlis exiſtentem, cujuſmodi Angelum poſſe quoquè hominis miſereri, apertè docet S. Auguſtinus *in cap. 19. Iobi v. 21.* Poſſe inſuper orare pro hominis liberatione, ex ſacris Litteris & Patribus Orthodoxis oſtenſum eſt ſuprà *præc. prob.* 1. & 2. Poſſe quoquè indicare homini rectitudinē ex eo evincitur, quòd Angelis ſuis mandârit de homine, ut cuſtodiant eum in omnibus vijs ſuis. *Pſal. 90. v. 11.* Potuiſſe quoquè pro Iobo intercedere cum oſtenſione lytri per Chriſtum in cruce offerendi inde probatur, quòd iſtam oblationem ab æterno Patre acceptatam viderit in Verbo Divino per Facialem Deitatis viſionem, *uti ſuperiùs probat. 5. eſt demonſtratum.*

33. Poſſe inſuper Angelum, imò hominem Sanctum eſſe medium inter Deum & homines, qui adeò coram facie Dei, quam intuitivè videat, ſit advocatus & interpres, non quidem *Authoritativè* inſtar Chriſti, ſed *Miniſterialiter* cum ſubordinatione ad Chriſtum, ejuſque lytrum in cruce conſummatum, & ab æterno Patre acceptatum, clarè patet *ex Deuter. 5. v. 5. Ezech. 22. v. 30. Exodi 32. v. 10. & 32.* Tantum igitur abeſt, quòd prædicata *cit. cap. 33. Iobi v. 23.* expreſſa, illum ſacrum textum reſtringant ad Chriſtum, ut potiùs hinc vel maximè evincatur, Angelos Dei, cæteroſque ſanctos cœlites pro nobis orare ac intercedere cum oſtenſione lytri non per ſe, ſed per Chriſtum in cruce conſummati: veluti probat unanimis Patrum Orthodoxorum *ſuprà prob. 4. n. 24. allegatorum* conſenſus, ut adeò Tigurini illius Profeſſoris interpretatio non antiquæ Orthodoxiæ, ſed proprij ſui cerebri ſenſum clarè præſeferat.

Pro-

Digitized by Google

Probatio nona, tertia Heideggerianæ exceptionis refutatoria.

ETenim iſte Tigurinus Doctor *pag. 339.* ait, Moyſen *Exod. 32. 13.* orando 34
Deum, ut recordaretur Abrahami, Iſaaci, & Iacobi ſervorum, non oráſſe Deum per interceſſionem Sanctorum, cùm ſecundùm ipſoſmet Pontificios Patriarchæ hi fuerint in lymbo, adeòque ad intercedendum non diſpoſiti. Commemorare perſonas, quibus promiſſa erant facta, poſteros, adeòque populum ejus concernentia, non autem urgere perſonarum earum merita. Verùm Beatus Theodoretus *q. 76. in Exodum* longè aliter ſentiebat, aſſerendo, quòd Moyſes, cùm ſe non exiſtimaret ſufficientem ad placandum Deum, petierit Patrum defunctorum patrocinium. Nec obſtat, hos Patres tunc temporis fuiſſe vel in lymbo Patrum, vel potius in ſinu (hunc enim ab illo lymbo fuiſſe diverſum *ſuprà Differt. 10. ſect. 2. a. 3. n. 11. & ſeqq.* oſtenſum eſt) Abrahæ; cùm enim per Charitatem & Gratiam ſanctificantem eſſent Deo conjuncti, non minùs apti erant ad orandum pro fidelibus adhuc in terrâ degentibus, utpote de iſtorum ſtatu mediantibus Angelis, ſive per Divinam revelationem informati, quàm homines Deo grati in terrâ certantes potuerint pro alijs orare. In quem a- 35
deò ſenſum S. Auguſtinus *q. 149. in Exodum* ait: *Admonemur, cùm merita noſtra nos gravant, nè diligamur à Deo, relevari nos apud Deum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* Unde etiam patet, non pactum duntaxat Dei cum Patribus antiquis initum, ſed horum etiam merita pondus habuiſſe, ut per iſta liceret, Deum pro alijs deprecari. Hinc enim *Pſal. 131. v. 1.* ita habetur: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Item *v. 10. Propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui.* Sic proinde Salomon Davide jam mortuo *2. Paralip. 6. v. 42.* Deum orabat. Sic denique Daniel *cap. 3. v. 35.* Deum orando allegabat merita Patrum: *Nè auferas*, inquiens, *miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum* (en allegari Abrahæ prærogativam, quâ merebatur, eſſe à Deo dilectus) *& Iſaac ſervum tuum* (en allegari conditionem, quâ, mediantibus ſcilicèt Sanctis, Deoque gratis operibus, Iſaac ſe probabat fidelem Dei ſervum) *& Iſrael Sanctum* (en allegari Iacobi Patriarchæ Sanctitatem) *tuum.* Sicuti proinde in Veteri Teſtamento licebat orare Deum per ſanctitatem & merita Patrum, viſione licèt beatificâ nondum fruentium, ſic à fortiori in Novo Teſtamento nunc licet invocare Angelos & Sanctos, viſione Dei Faciali jam potiuntes, & per hanc in Verbo Divino Eccleſiæ Militantis fidelium in terris certantium ſtatum agnoſcentes, ut ipſis intercedentibus pro nobis, Deus ſuas gratias per Chriſtum impertiat exemplo S. Ioannis Apoſtoli *Apocal. 1. v.* ubi ſic habetur:

betur: *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem Spiritibus* (en ab iſto Apoſtolo Deum, Chriſtum & Angelos iiſdem verbis, diverſo tamen ſenſu ac intentione, Deum nempe primariò, Chriſtum quà hominem Authoritativè, Angelos verò cum ſubordinatione ad Chriſtum tanquàm Miniſtros invocari) *qui in conſpectu throni ejus ſunt, & à Ieſu Chriſto.*

Probatio decima, deſumpta ex vivâ fidelium Fide per Eccleſiæ ſanctæ praxin jugiter propagatâ, & Patrum Orthodoxorum authoritatibus expreſſâ.

36. ETenim primo Chriſti ſæculo S. Dionyſius Areopagita *cap. 7. Eccleſiaſt. Hierarchiæ,* ita ſcripſit: *Nam profectò idem fit, ſi quis ſole ſuos radios ſanis largiente oculis, ſibi oculos eruens ſolari lumine particeps fieri poſtulet, ſic impoſſibilium ſuperfluâ ſpe ſuſpenſus eſt, qui ſanctorum flagitat preces* (en Sanctorum invocationem) *& natura eorum conſentaneas* (en ad Sanctorum preces efficaciter obtinendas requiri, ne ſacras operationes naturæ eorum conſentaneas abigamus) *ſacras operationes abigit &c.* Videatur etiam *§. 2 in Orat. Dom.* Honorationis ac invocationis Sanctorum praxin in primævâ dicti primi ſæculi Eccleſiâ frequentatam probant inſuper liturgiæ SS. Petri, Iacobi Majoris, Iacobi Minoris, Matthæi & Marci à Gualterio *in ſuis tabulis Chronographicis primo ſæculo Verit.* 2. fuſiùs allegatæ. Et Clemens Romanus *lib. 5. Conſtitut. Apoſt. cap. 8. edit. Turrian. Græ.*

37. Secundo ſæculo S. Iuſtinus Martyr *Apol. 2. ad Anton. Pium Imperat.* non longè ab initio inter alia ſic ſcripſit: *Quinimò & illum* (Deum) *& Filium, qui ab eo venit &c. aliorumquè ſequentium, aſſimilatorumquè bonorum Angelorum exercitum & ſpiritum propheticum colimus & adoramus, verbo & veritate venerantes, idquè omnibus, qui diſcere velint, ut edocti ſumus, candidè tradentes.* S. Irenæus *lib. 5. cap.* 19. ita habet: *Sicut illa* (Eva) *ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hæc* (Maria) *ſuaſa eſt, obedire Deo, uti virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.* Vide etiam Tertullianum *de carne Chriſti cap. 17.*

38. Tertio ſæculo Origenes *lib. 2. in Iob. in fine.* ſic ait: *O beate Iob, vivens in perpetuum apud Deum &c. ora pro nobis miſeris, ut etiam nos terribilis Dei Miſericordia protegat &c.* Sanctus Cyprianus *de ſtellâ & Magis propè finem. In ordine Sanctorum Protomartyres* (Innocentes) *primum habeant locum, & ſecretorum conſcij Divinorum propinquitate familiariſſimâ Clementiam Dei pro noſtris exorent, laboribus, quos uſque hodie funeſtus Herodes perſequitur &c.* Videri quoquè poſſunt S Methodius *Orat. in Hypapante Domini,* Cornelius Papa *in ſua Epiſt. de tranſlat. corporum Apoſtol.*

S. Fe-

S. Fælix Papa I. *in 1. ſuâ Epiſt. de contemptoribus Sanctorum, poſt medium.* Euſebius
Alexandrinus *in ſuâ Hom. de venerat. Sanct.*

Quarto ſæculo Divus Athanaſius *Serm. in Evang. de Deipara Virg. annun-* 39.
ciat. ſic habet: *Inclina aurem tuam* (Maria) *in preces, & ne obliviſcaris populi tui.*
Et infra: *Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima Virgo.* Item inferiùs: *Inter-*
cede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis &c. Sanctus Hilarius *in*
Pſal. 129. Interceſſione Angelorum &c. indiget infirmitas noſtra, miſſi enim ſunt propter
eos, qui hæreditabunt ſalutem, Deo nihil ex his, quæ agimus, ignorante, ſed infirmitate no-
ſtrâ ad rogandum & promerendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente. S. Ba-
ſilius *Hom. 20. in 40. Martyres: Qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad hos confugiat: qui*
rurſus lætatur, hos oret, hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis &c. S. Am-
broſius *lib. de Viduis: Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati*
ſunt, Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis patrocinium vendi-
care: poſſunt pro peccatis rogare noſtris &c. Iſti enim ſunt Dei Martyres noſtri, præſules,
ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum. Videantur porrò, quæ ſcripſit *lib. 10. in*
Lucam, & Serm. 93. in Nativit. Mart. Nazarij. Item videri etiam poſſunt Euſe-
bius Cæſarienſis *lib. 12. de præparat. Evang. cap. 1.* S. Ephrem *in Lamentat. S. Dei*
genitricis prope crucem ſtantis. Gregorius Nazianzenus *Orat. 18. in laudem S. Cy-*
priani, & Orat. 20. in laudem Baſilij. Gregorius Nyſſenus *Orat. in S. Theodorum*
Martyrem. Cyrillus Hieroſolymitanus *in ſuâ Catech. 5. Myſtag. ante medium.* Epi-
phanius *in Serm. de laudibus Mariæ Deiparæ.* S. Hieronymus *in vitâ S. Hilarionis.*
Epiſt. 27. ad Euſtochium de Epitaphio Paulæ cap. 14. & lib. adverſ. Vigilantium cap. 3.

Quinto ſæculo Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, multis alijs locis præ- 40.
termiſſis, *Hom. 26. in 2. ad Corinth.* ſic ait: *Nam & ille ipſe purpurâ indutus pere-*
grè proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & faſtu poſito, conſiſtit, Sanctos rogans, ut ſibi
apud Deum patrocinentur. Sanctus Auguſtinus *Serm. 17. de verbis Apoſtoli. Injuria*
eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. Videantur, quæ
ſanctus hic Eccleſiæ Doctor ſcripſit *Serm. 1. de S. Stephano. Epiſt. 22. ad Madarium.*
In Pſal. 140. Serm. 25. de Sanctis. Lib. de curâ pro mortuis, cap. 1. 4. 5. & 18. Videantur
etiam S. Maximus *Serm. de S. Agnete.* S. Cyrillus Alexandrinus *apud S. Ioan-*
nem Damaſcenum lib. 2. Parallel. cap. 7. & lib. 6. contrà Iulian. S. Paulinus *Epiſt. 31.*
ad Aletium. Heſychius *Serm. 1. de S. Deiparâ.* Petrus Chryſologus *Serm. 140. &*
143. Beatus Theodoretus *lib. 8. de Græcar. affect. curat. & alibi.* S. Proſper *de vi-*
tâ contemplat. cap. 4. & in tract. de gloriâ Sanctorum, in perorat. propè finem & alij.

Ex quibus proinde patet, quàm longè abſit à veritate Heideggerus
in tit. ſuis Apologet. pag. 337. ubi, cùm omnia, quæ Reformati Doctores in Pa-
trum teſtimonijs circa Sanctorum invocationem refellendis audent, pau-
cis

Digitized by Google

eis ſe complecti gloriatus eſſet, concludit, in tribus prioribus ſæculis nè minima quidem invocatorum Sanctorum veſtigia apparere.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij.

41. AD *primam* Reſp. Tripliciter reus es Vedroſi; primò quidem adversùs Heideggerum. Dum enim ais, invocationem Sanctorum fuiſſe in uſu ante tempora Cornelij Martyris, ſecundo nimirum ſæculo viventis, redarguis illum Tigurinum profeſſorem, utpote qui ſcripſerit, in tribus prioribus ſæculis nè minimum quidem talis invocationis veſtigium apparere. Secundò adversùs ipſoſmet Orthodoxos Patres: hi enim clarum contrà te ferunt teſtimonium, *uti ex prob. 10. n. 36. & ſeqq. videre eſt.*

42. Ad *ſecundam* Reſp. Graviter Vedroſi reus es de falſi crimine adversùs Orthodoxos Patres Irenæum, Iuſtinum, Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Theodoretum, Bernardum, imò & Origènem &c. dum iſtos, ais, in eam propendiſſe ſententiam, quòd Sancti fideles hinc diſcedentes, extrà viſionem beatificam poſiti, in ſinu Abrahæ expectent extremum judicij diem. Hanc enim tuam falſitatem validè reſutat ex primo Chriſti ſæculo S. Ignatius *in Epiſt. ad Rom.* Dionyſius Areopagita *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7. par. 1. & 3.* Ex ſecundo ſæculo Juſtinus Martyr *q. 75.* Irenæus *lib. 1. cap. 2.* Ex tertio ſæculo Origines *Hom. 7. in Levit.* Cyprianus *lib. de exhortat. Martyrij, cap. ult.* Ex quarto ſæculo S. Athanaſius *in vitâ Antonij.* Ambroſius *lib. 7. Epiſt. 59.* Ex quinto ſæculo Ioannes Chryſoſtomus *Hom. 10. in poſter. ad Corinth. & alibi.* S. Auguſtinus *lib. 12. Gen. cap. 34.* Beatus Theodoretus *lib. 8. ad Græcos de Martyribus.* Quibus accedit Sanctus quoquè Bernardus *Epiſt. ad fratres ad Hibern. poſt ſermones de feſto omnium Sanct. Item Epiſt. 266. ad Suggerum Abbatem, & alibi.*

43. Ex quorum adeò, aliorumquè Orthodoxorum Patrum teſtimonijs (quæ cuivis petenti paratus ſum exhibere) manifeſtum fit, in Eccleſiâ Dei ſemper creditum fuiſſe, Sanctos Dei jam jam frui beatificâ viſione, ſicuti Sanctorum quoquè invocationem uſu Eccleſiæ ſemper fuiſſe receptum, conſtat *ex præced. cap. prob. 10.* Quæ porrò ex *præcitatis* SS. Patribus Vedroſio in ſpeciem & apparenter favere poſſent, hæc apud Bellarminum *de Eccleſ. Triumph. lib. à cap. 2.* refutata videre licet, ubi quinque etiam referuntur mendacia à Calvino *lib. 4. Inſtitut. cap. 7. §. 28.* circà Ioannem XXIII. prolata.

44. Ad *tertiam* Reſp. Totam ejus rationem reduci ſub iſtam quæſtionem, an Cæremonia *Materialiter* ſimilis, quæ ex intentione veræ Fidei adverſante eſt

te eſt ſuperſtitioſa, vel idololatrica, poſſit fieri religioſa ac virtuoſa, ſi regu-letur ſecundùm intentionem Orthodoxæ Fidei conformem? In quo equidem pars affirmativa evincitur *ex Act. 15. cap.* ubi leguntur Apoſtoli poſt Chriſti mortem imperâſſe fidelibus, ut abſtinerent à ſuffocatis. At iſta abſtinentia erat inter Cæremonialia legis Moſaicæ, quæ per Chriſti mortem ita erant adimpleta, ut *Formaliter* ſpectata, ſub præfigurativâ nimirùm Chriſti venturi ac paſſuri ſignificatione, poſt Evangelicæ legis promulgatam veritatem & gratiam eſſent mortifera. Quia proinde hoc minimè obſtante, potuerunt ejuſmodi Moſaicæ legis Cæremonialia ſub aliâ veritati Evangelicæ conformi ſignificatione Apoſtolico præcepto inſtitui, conſequens eſt, poſſe Cæremoniam *Materialiter*, quæ, ſi ex intentione veræ Fidei contrariâ uſurpetur, ſuperſtitioſa, vel idololatrica eſt, à virtute Religionis, vel Duliæ imperari, quatenùs regulatur ſecundùm intentionem Orthodoxæ Fidei conformem. Deſinant ergo Vedroſius & Heideggerus convitiari, dum in Eccleſiâ Romanâ vident Cæremonias *Materialiter* ſimiles illis, quæ in Gentiliſmo ad cultum falſorum Deorum adhibebantur, ſed modò ex intentione Religionis, alteriuſvè ſuper verâ Fide radicatæ virtutis applicantur, ad veri Dei cultum religioſum, ſanctorumquè Cælitum in ſacris Litteris fundatam honorationem.

Ad *quartam* Reſp. Jam jam fateris Vedroſi, Antiquitatem Orthodo- 45.
xam magni feciſſe, ubi à cultu dæmonum ad venerationem ſanctorum Angelorum & Martyrum, eorumquè ſacrorum corporum, homines perduxiſſet. Hinc autem manifeſtè evincitur, tuæ Reformationis ſpiritû pugnare cum antiquâ Orthodoxiâ. Quòd autem aſſeras, S. Gregorium Nazianzenum *Dubitativè* de hoc puncto eſſe locutum, tua eſt perverſa cavillatio. Hic enim ſanctus Doctor de Gorgoniâ ſorore non *Dubitativè* aſſeruit, quòd ſanctis animabus hoc præmij, ut orationes noſtras perſentiſcant, à Deo conferatur, ſed hoc per particulam Cauſalem *Si* poſuit pro cauſâ & ratione invocandi Sanctos Dei, inter quos ſperabat jam tunc collocatam Gor- 46.
goniam ſororem. Deinde aliud eſt, ex privato judicio ſtatuere aliquem inter Sanctos cælites, cujuſmodi adeò judicium eſt duntaxat probabile. Aliud verò eſt ex publicâ Eccleſiæ ſententiâ colere Sanctos in cælis jam poſitos. Cujuſmodi proinde ſententia, veritatis Fidei ad particularem perſonam determinativa, cùm totam Eccleſiam ceu veritatis columnam, atque à portis inferi nullo tempore ſuperandam concernat, eſt certa non tantùm *Practicè* in genere virtutis Moralis, ſed etiam *Speculativè*, ſecundum ipſammet Fidei veritatem. Secundùm talem proinde & Speculativam, & Practicam certitudinem Sanctorum invocationem Divus ille Gregorius proba-

vit *in ſuâ de Chriſto patiente tragediâ*, *& in Orat. 19. de funere Patris. Item Orat. 20. de laud. Baſilij Magni. Item Orat. 18. in laud. S. Cypriani, ac denique Orat. 3. in Iulianum*, quatenus in hiſce locis loquitur vel de Sanctis in genere, vel ijs, qui publico Eccleſiæ ſenſu credebantur jam poſiti inter Cælites. Nihilominùs *in cit. Orat. de funere Patris, & in laud. S. Baſilij* loquitur determinatè, quoad iſtorum piè defunctorum animas, quas ut ſic ſecundùm Practicam Prudentiæ proportionatam, atque adeò Moralem virtutis certitudinem eatenùs potuit ex ſuo privato judicio prudentialiter cenſere inter Sanctos Cælites, eoſquè adeò invocare, ut tamen de hoc nullam haberet Speculativam ex Fidei Divinæ veritate deductam certitudinem, quouſque acceſſerit definitio Eccleſiæ. Quare hac necdum ſtatutâ, de illis Sanctis meritò locutus eſt *Opinativè*, ut tamen ratione Moralis de eorum Sanctitate certitudinis eos tunc invocaret, ſequè adeò probaret apertè contrarium tuæ, Vedroſi, prætenſæ Reformationi.

47. Ad *quintam* Reſp. Vedroſi iterum iterumquè probas tuum ſpiritum antiquæ Orthodoxiæ apertè repugnantem. Totus enim hìc es in expugnando, imò vituperando Hieronymo, ut defendas Vigilantium, & Iovinianum, publico Eccleſiæ judicio uſque ad prætenſæ tuæ Reformationis tempora probatos hæreticos. Sicuti proinde ab universâ Eccleſiâ dignoſcitur Sancti Hieronymi ſpiritus eſſe ex Deo, ſic econtrà tuus ad calumniandos Sanctos adeò laſciviens ſpiritus nequit eſſe ex Deo. Quinimò & falſi crimine hìc te aſpergis, dum ais, S. Hieronymum *Epiſt. 13. ad Paulinum* vocare Vigilantium Presbyterum ſanctum. Oportuiſſet enim, hunc locum integrè recenſere, ut pateret, Vigilantium, dum erat ab illo ſancto Doctore ſuſceptus, fuiſſe quidem pro ſancto habitum, quanquàm poſteà (uti *ibidem* dicitur, ſed à Vedroſio omittitur) defecerit, atque adeò illâ cenſurâ dignum ſe fecerit, quâ ipſum meritò affecit ille ſanctus Doctor. Etſi porro Vigilantius Martyres pronunciârit beatiſſimos, quia tamen eos cultui per Eccleſiam præſtari ſolito defraudandos contendit, ipſorumquè ſacras Reliquias multis ſacrilegis convitijs affecit, ideo dum Vedroſi aſſeris, Divum Hieronymum eſſe Vigilantio injurium, nihil aliud agis, niſi quòd iſta in hunc ſanctum Doctorem calumniandi libido malignum tuum prodat ſpiritū.

48. Ad *ſextam* Reſp. Vedroſi, provocâſti Papiſtas, ut proferant, ſi quid de invocatione Sanctorum inveniant apud S. Hieronymum. Lege igitur hunc Sanctum Doctorem *in vitâ Hilarionis, & Epiſt. 27. ad Euſtochium*, reperieſquè te convictum de mendacio. Nequè minore crimine falſi te obſtrinxiſti, dum ais, Sanctum Auguſtinum libro toto *de curâ pro mortuis* ejuſdem cum Vigilantio, Sanctos mortalium curam habere negante, ſententiæ fuiſſe.

Oppo-

Oppoſitum enim nimis apertè probant verba *in cit. lib. cap. 1.* expreſſa, ubi dicitur, ex eo etiam, quòd corpora fidelium ſepeliantur in Baſilicis Martyrum, apparere oppitulationem etiam iſto modo quæſitam Sanctorum. Annè igitur iſta oppitulatio prudenter tali modo quæreretur à Sanctis, ſi iſti nullam de nobis curam haberent? Et *cap. 4.* ait: *Nos Sanctis tanquàm patronis ſuſceptos apud Dominum adjuvandos orando commendari.* Annè iſta erga Sanctos tanquam patronos, per orationes, noſtri commendatio ritè fieret, dum ſancti Cælites omnem erga nos juvandi promptitudinem abjeciſſent? Sic ſic tuus Vedroſi ſpiritus mentiendi ubique ſe prodit.

Ad *ſeptimam* Reſp. Siccinè Vedroſi in tantum defendis Vigilantium, ut Divum Hieronymum iſti hæretico ſe opponentem dicas raptum ad ridiculum contradicendi ſpiritum? Rides enim hunc ſanctum Doctorē, quòd à Chriſti Domini ſecundùm Divinitatē Ubiquitate argumentetur ad Sanctorũ cælitum ubique præſentiam, & rerum ac precum noſtrarum cognitionē. At noſſe debes, lumine gloriæ illuſtratos per viſionem beatificam intueri Divinitatis Ubiquitatem, omnium ad extrà rerum Cauſatricem. Quam proinde taliter intuendo, ſunt ubique ſecundùm præſentiam non quidem Realem, ſed Intentionalem, videndo nimirùm in Verbo res creatas, ubique extra Deum exiſtentes, quantùm earundem notitia ſuo ſtatui conveniens eſt. De cujuſmodi adeò præſentiâ Intentionali S. Baſilius *in lib. de Virgin. ante medium.* ſic diſſeruit: *Revereatur ipſum ſponſum ubique præſentem, & hujus Patrem ac S. Spiritum. Et quid ſingula dico? Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his Patrum ſanctos Spiritus: nullus enim horum eſt, qui non ubique omnia videat.* Rides inſuper illum ſanctum Doctorem (ad tuum intentum trahendo Bellarminum *de Sanct. Beatit. lib.* 1. *cap. 29.* ſed fruſtrà, quia ille liber primus habet capita viginti duntaxat, in quibus nihil, quod tibi faveat, reperitur) quòd à dæmonum per orbem diſcurſitatione concluſerit ad Sanctorum demortuorum ubique præſentiam, ac rerum precumquè noſtrarum cognitionem. At eo ipſo, quòd Sancti Cælites intueantur Verbum ubique exiſtens, quis non abſurdum dicat, dæmones viſione Dei privatos pollere intellectu ad quorumlibet hujus orbis notitiam ſe ſe diffundente, Sanctorum econtrà Cælitum intellectum adeò eſſe coarctatum, ut nihil eorum, quæ aguntur in terris, noſſe poſſint. Cui adeò conformiter Gregorius Magnus *lib. 12. Moral. cap. 13.* ita ſcripſit: *Quæ animæ intus claritatem Omnipotentis Dei cernunt, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* Et Divus Auguſtinus *lib. de curâ pro mortuis cap. 16.* ſic ait: *Ideò potius intelligendum eſt, quòd per Divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſint, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt.* 49.

90. Ad *octavam* Reſp. Vedroſi tuum intellectum oſtendis nimis depreſſum, ac immerſum naturali cognoſcendi modo, ut ſupernaturalis luminis te oſtendas prorſus expertem. An enim quia S. Nepotianus ſecundùm S. Hieronymum à te *citatum* Sanctorum Choris mixtus, & cum Chriſto exiſtens in cælis, adverſitatum hujus mundi nullam habere poterat notitiam ſenſibilem, vel moleſtiæ ac triſtitiæ alicujus inflictivam, ideo negare præſumis omnimodam rerum hujuſmodi in ipſo cognitionem, ex ipſius Verbi Divini cognitione intuitivâ acceptam, & ut ſic non tantùm contriſtativam, ſed ſtatui beatifico vel maximè congruam?

91. Ad *nonam* Reſp. 1. Sic argumentando. Quiſquis Sanctorum memorias religioſâ ſolennitate concelebrat, ut & meritis eorum conſocietur, & orationibus adjuvetur, convincitur, ſtudioſè ac religioſè ſibi conciliare Sanctorum patrocinium, eorundemquè pro ſe orationes. In hoc autem conſiſtit re ipsâ Sanctorum invocatio. Quia ergo populus Chriſtianus, teſte Auguſtino *citato*, memorias Martyrum religioſâ ſolennitate concelebrat, ut & ipſorum meritis conſocietur, & orationibus adjuvetur, planum eſt, hunc ſanctum Eccleſiæ Doctorem illis verbis agnoſcere invocationem Sanctorum à populo Chriſtiano religioſè frequentari ſolitam.

92. Reſp. 2. Tale formando argumentum. S. Auguſtinus, fatente ipſomet Vedroſio, docet, Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis colendos eſſe, quo & in hac vitâ coluntur ſancti Dei homines. Atqui Sanctos Dei viventes pro ſuffragijs ad Deum interponendis, ab alijs viventibus ritè invocari, docet ſacra Scriptura. Nam *1. Reg. 7.* filij Iſrael dicebant ad Samuelem: *Nè ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum. Et Iob ult. Ite ad ſervum meum Iob, ille orabit pro vobis.* Item *Rom. 15. ſic* ait Paulus. *Obſecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Similia habentur *Ephes. 6. 1. Theſſal. 5. 2. Theſſal. 3. Col. 4. & Heb.* 13. Conſequens igitur eſt, ſanctos quoquè cælites tali dilectionis & ſocietatis cultu eſſe colendos, ut ipſorum ad Deum ſuffragia ritè implorentur. Et hinc tam Zwinglius S. Hieronymi, Vigilantium impugnantis tela vocitans amarulenta, quàm Vedroſius aſſerens, Sanctorum Patrum de precibus Sanctorum pro nobis opinionem nullo niti ſacræ Scripturæ loco, arguitur reus de injuriâ Orthodoxis Patribus illatâ.

93. Ad *decimam* Reſp. Sic argumentando. Reformatum Miniſterium non poteſt negare, quòd Sancti cælites pro fratribus viatoribus virtute communionis & charitatis fraternæ orent non tantùm in genere, ſed etiam in ſpecie ad ſublevandas neceſſitates tum ſpirituales, tum corporales, niſi apertè contradicendo ſacris Litteris, & antiquæ Orthodoxiæ Patrum *præc. cap.*

prob.

prob. 1. *n.* 20. *& ſeqq.* allegatorum authoritatibus expoſitæ. At quod ab altero virtute communionis & charitatis fraternæ ſanctè ac religioſè præſtatur, hoc ab eodem, ut faciat, licet poſtulare, eumquè adeò implorare, ac invocare, virtute prætactæ communionis & charitatis; *ut per ſe notum eſt*, probantquè ſacræ Litteræ & Orthodoxi Patres *cit. cap.* 3. *prob.* 4. *ac ſeq.* allegati. Quatenùs ergo Reformati nolentes volentes concedere debent, Sacros cælites fratribus viatoribus à Chriſto Capite precari vires ad pugnandum & ferendum neceſſarias, liberationem, victoriam plenam, requiem æternam, imò Orthodoxis Patribus atteſtantibus, ſublevationem neceſſitatum etiam temporalium, conſequens eſt, licere ſanctos cælites invocare pro impetrandis à Deo tam corporis, quàm animi, imò & fortunæ bonis tanquàm religioſi Divini cultûs adminiculis, & animæ dotium adjumentis.

Ad *undecimam* Reſp. Sanctum Auguſtinum non eſſe æquiparandum tuæ Reformationi, perpetuis contradictionibus (*uti patet ex Diſſert.* 2. *Sect.* 2.) in pleriſque Fidei Myſterijs ſibimet adverſanti. Quæ enim ex hoc ſanctæ Eccleſiæ Doctore inter ſe pugnantia fingebas Vedroſi, ea, ſi ritè intelligantur, quoad præſentis de invocatione Sanctorum controverſiæ punctum, inter ſe optimè cohærere, jam pridem monſtravit Bellarminus *cit. lib.* 1. *de Sanct. beatit. cap.* 5. ubi inter cætera oſtendit, S. Auguſtinum aliquando, *velut in Enchir. ad Laurent. & in Pſal.* 36. dubitâſſe, non quidem de viſione Dei à Sanctis actualiter acceptâ, ſed de loco, in quo animæ Sanctorum eſſent ante diem judicij: attamen re meliùs conſideratâ *lib.* 21. *quæſt. Evangel. cap.* 38 *& lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 15. hanc ſuam dubitationem correxiſſe. Dum verò de ipsâ Dei viſione beatificâ ſermo eſt, audiat Vedroſius, quæ idem ſanctus Doctor *in Pſal.* 116. diſſeruit. *Ibi omnes juſti & ſancti, qui fruuntur Verbo Dei ſine lectione, ſine Litteris: quod enim nobis per paginam ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt.* Ex quibus adeò, alijſquè per Bellarminum citatis locis clarè patet, ex ſententiâ S. Auguſtini Sanctos Dei non tantùm eſſe actualiter poſitos in viſione Beatificâ, ſed per hanc in facie, ſive Eſſentiâ Dei cernere, quæ nobis per paginam ſcripta ſunt. 54.

Ad *duodecimam* Reſp. Non flectimur Vedroſi tuâ authoritate, quâ præſumis, librum *Meditationum*, *Sermonem* 35. *de Sanctis*, *item de Eccleſ. Dogmat. & Librum Confeſſionum* à Georgio *citatos*, inter ſuppoſititia Sancti Auguſtini opera referre. Hinc enim apertè nimis prodis audaciæ ac protervìæ tuæ ſpiritum, qui, dum verborum claritate neſcis contradicere, integra illius Sancti Doctoris opera è medio tollere, at fruſtrà, conaris. Sed quid concludis *ex cap.* 55. *de verâ Religione*, dum *ibidem* dicis, Religionem (quo nomine, ſi diſtinctiùs loquamur, ſignificari cultum Dei 55.

non

non quemlibet, ſed Dei adeò proprium, ut non niſi impropriè trahi poſſit ad cultum homini competentem, præfatus Auguſtinus *lib. 10. de Civit. cap. 1.* aſſeruit) non eſſe deferendam Angelis & beatis hominibus, ſed eâ nos ſoli
56. Deo Omnipotenti religari? Sane hic ipſe ſanctus Doctor *loco per te citato* ait, Sanctos propter imitationem, non quidem ſervitute, ſed charitate à nobis tanquàm meriti ſui conſervis eſſe honorandos. At hinc patet, à Divo Auguſtino talem aſſertam eſſe Sanctorum Beatorum cum viatoribus communionem, vi cujus etiam meriti ipſorum ſimus conſervi, mutuoquè charitatis vinculo colligati. Ejuſmodi verò charitatis communionem in ſanctis Beatis ſuffragiorum ſuorum participationem, in nobis autem viatoribus eorundem ſuffragiorum implorationem inferre, patet ex præallegato ſancto Doctore tum *alibi*, tum *ſerm. 17. de verb. Apoſt. Serm. 1. de S. Stephano, Epiſt. 22. ad Madarium. in Pſal. 140. & ex toto libro de curâ pro mortuis.* Et hinc rurſùs redarguendus venis, dum *ex cap. 13. cit. de curâ pro mortuis* niteris evincere, quaſi Sancti mortui in cælis exiſtentes nullam haberent de rebus mortalium notitiam. Sanè Divus Auguſtinus *cit. cap. 13. per totum* proponit quidem argumenta, quibus videri poſſet, aliquid ſubeſſe rationis ad credendum, quòd mortui nullam noſtri curam, noſtrarumquè rerum notitiam habeant. Mox tamen *cap. 14.* proponit rationes, quibus ſuadetur contrarium. Et tandem hiſce in utramque partem propoſitis *cap. 15.* dilucidè tradit varios modos, quibus mortui præſertim Sancti rerum mortalium habeant cognitionem, idquè varijs ex ſacrâ Scripturâ argumentis, & exemplis. Ex quibus *cap. 19.* etiam concludit, quomodò Sancti Martyres rebus noſtris interſint, ubi taliter diſſerit: *Ideo potiùs intelligendum eſt, quòd per Divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſunt.* En igitur Vedroſi, te ex ipſomet S. Auguſtino redargui tanquàm apertum iam impoſtorem.

57. Ad *decimamtertiam* Reſp. Sic argumentando. Fatetur Vedroſius cum ſuis Reformatis, quòd virtute communionis Sanctorum certa ſint officia Viatorum, non tantùm inter ſe, ſed eorundem erga Sanctos triumphantes. Eo ipſo autem, quòd illa Sanctorum communio ſit expreſſa ſymbolo Apoſtolico, ita eſt de fide, ut conſequenter oporteat, ſecundùm veram Fidem profiteri, eſſe ejuſmodi certa viatorum erga Sanctos triumphantes officia. At quia iſtud ſymbolum Apoſtolicum ſub illâ formulâ, ſub quâ retinetur in Eccleſiâ, nullibi eſt ſacris Litteris formaliter expreſſum, ſed continuâ vivæ Fidei propagatione traditum, & ad nos uſque derivatum, ſequitur, eum eſſe talis ſymboli ſenſum tenendum, qui intrà Chriſti Eccleſiam vivâ fidelium Fide jugiter propagatus eſt. Ejuſmodi verò vivâ fidelium fide ſacrorum dogmatum ſenſus in Eccleſiâ Dei jugiter propagatus tradi-

traditur Sanctorum Patrum uniformi conſenſu, & œcumenicorum Conci-
liorum definitione. At verò *ex dictis ſupra prob. 5. & prob. 6.* conſtat, iuxta
SS. Patrum unanimem ſenſum, & ſacrorum Conciliorum definitiones, ta-
lia eſſe viatorum erga Sanctos triumphantes officia, & viciſſim, ut iſti pro
illis orent, & ab hiſce invocentur. Conſequens igitur eſt, invocationem
Sanctorum ex illo Fidei Orthodoxæ dogmate evinci, quo in ſymbolo Apo-
ſtolico profitemur Sanctorum communionem. Sed quid ais Vedroſi, Ec- 58.
cleſiam Smirnenſem apud Euſebium agnoviſſe, quòd Filius Dei ſit quidem
adorandus, Martyres autem amandi ob incredibilem Chriſti amorem? At
nunquid iſte Chriſti amor in Martyribus erga nos ſterilis eſt, ut eorundem
orationes, quibus pro nobis impetrant Chriſti meritorum applicationem,
& divinæ inde redundantis gratiæ in nos effuſionem, excludat? Nunquid
autem ſi ſancti Martyres, teſte Cypriano per te *citato*, taliter pro nobis o-
rant, licebit eorundem orationes etiam efflagitare? *uti ſuperiùs eſt demon-
ſtratum.* Tuum igitur figmentum, non autem Eccleſiæ Smirnenſis, vel S. Cy-
priani intentum eſt, quòd illum Chriſti amorem in Martyribus ita ſterilem
aſſeras, ut inde (adversùs regulas quoquè Dialectices ex puris affirmativis
concludendo negative) contendas excluſam Sanctorum invocationem.

Ad *decimamquartam* Reſp. Tale formando argumentum. Ideo ſecun- 59.
dùm Vedroſium non licet à Sanctorum in terrâ mutuis interpellationibus
concludere ad ſanctorum cælitum invocationem, quòd nos clamantes in
terrâ audire nequeant. At ſanctos cælites per viſionem beatificam videre
in Verbo increato viatorum preces ad ſe directas, ex ſacris Litteris, Con-
cilio Senonenſi, & Patrum authoritatibus oſtenſum eſt *præced. cap. prob. 10.
& præſ. cap.* Conſequens igitur eſt, Vedroſium non tantùm non ſolvere Ge-
orgij argumentum, ſed purum cavillatorem & in ipſos Sanctos calumniato-
rem ſe exhibere, dum ipſos non aliter, quàm per Tabellarios, vel alti
clamoris ad ipſos uſque penetrantis auditionem ſenſibilem, contendit poſſe
res noſtras cognoſcere. Quarè hunc Miniſtrum convenio, quærendo, an- 60.
credat, Deo longè alium ſupereſſe modum revelandi tum ſecreta cordis,
tum etiam diſtantia? Certè longè aliter ſenſit ſacra Scriptura *1. Reg. 9. v. 13.*
ubi Samuel dixit Sauli: *Ego ſum videns, omnia, quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi.* Et
4. Reg. 6. v. 12. dicebatur regi Syriæ: *Eliſæus propheta, qui eſt in Iſrael, indicat
regi Iſrael omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo.* Item 4. Reg. 5. v. 26. di-
cebat Eliſæus puero Giezi: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt
homo de curru ſuo in occurſum tuum?* Quia ergo Divina virtus mentis oculos in
Prophetis adeò fecit perſpicaces, ut cernerent diſtantia, imò etiam ſecreta
cordis, an credere fas ſit, non æquè perſpicaces eſſe Sanctos cælites? Cer-

tè longè aliter hinc concluſit S. Auguſtinus *lib. 22. de civit. cap. 29. Corde ſuo ergo*, inquiens, *ſe vidiſſe dixit hoc Propheta, adjuto quidem mirabiliter, nullo dubitante, Divinitùs &c. Sed quandò ampliùs tunc omnes munere iſto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus?* Et *in fine ejusd. cap. Patebunt*, ait, *etiam cogitationes noſtræ invicem nobis; hinc enim implebitur, quod Apoſtolus, cùm dixiſſet, nolite ante tempus judicare quicquam, mox addidit: Donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis?* ut ſcilicet eas non ſolùm quis ſuas videat,
61. ſed & aliorum, veluti idem ſanctus Doctor habet *Epiſt. 112. cap. 4.* Et verò de Abraham pronunciavit Chriſtus *Ioan. 8. v. 39. Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt.* De Angelis quoquè dixit *Lucæ 15. v. 7. Dico vobis, ita, quòd gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* At quomodò gauderent Angeli de peccatorum pœnitentiâ, ſi eam non viderent? Pari proinde ratione dicendum eſt de ſanctis cælitibus, ea, quæ in terris aguntur, cernere in Verbo, nimirum increato Eſſentiæ Divinæ, ſiquidem & ipſi gaudeant de nobis benè operantibus, ac pro nobis orent, Divo Auguſtino in *Pſal. 88. in fine* ſic diſſerente: *Natalitia Sanctorum cum ſolemnitate celebrate, ut imitemur eos, qui nos præceſſerunt, & gaudeant de vobis, qui pro vobis orant.*

62. Ad *decimamquintam* Reſp. Verum eſſe, quòd in ſuffragijs vivorum, & interceſſionibus Sanctorum petendis, ponamus nos Pontificij aliquod diſcrimen, eò quòd iſti, non verò illi ſint certificati ac firmati in ſtatu Sanctitatis & Beatitudinis, jugiterquè aſſiſtant Divino conſpectui. Hinc autem Vedroſi argumentationem Pontificiorum ex eo, quòd ſuffragia vivorum expetamus, inferentium, à fortiori licere Sanctorum cælitum orationes ac interceſſiones poſtulare, non tantùm non enervas, ſed tantò magis exacuis, quantò magis in Sanctis cælitibus illud Chriſti Domini: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus cæleſtis*, eſt in eis realiter
63. actu adimpletum. Sed ais, neminem unquàm & uſpiam fidelium Mediatorem inter Deum & hominem, præter Chriſtum vocâſſe. Quid ergo eſt Vedroſi, quòd Moyſes *Deut. 5.* dixerit de ſe ipſo: *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos, in tempore illo?* Quid eſt, quòd Apoſtolus ad hæc verba alludens *Galat. 3.* ſcripſerit, Legem Veterem ordinatam fuiſſe per Angelos *in manu Mediatoris*, ſcilicet Moyſis? Quid eſt, quòd S. Gregorius Nazianzenus *in Orat. ad Greg. Nyſſen.* Martyres appellet Mediatores inter nos, & Deum, & S. Cyrillus *lib. 12. theſ. cap. 10* dicat, Prophetas & Apoſtolos omnes fuiſſe Mediatores? Quomodò iſta Vedroſi conciliabis cum ſacro *ex 1. Timoth. 2.* allegato textu, nec non verbis S. Auguſtini *ex tract. 22. in Ioan. & lib. 2. contra Parmen. cap. 8. adductis*? Sanè diſtinguendum aſſe-

Digitized by Google

aſſeres inter Mediatorem Principalem, ſeu Primarium & Authoritativum, qui juſto pro peccatis noſtris pre io oblato, fecerit pro nobis Redemptionem, & Miniſterialem ac Secundarium, Chriſtoque ſubordinatum Mediatorem, qui orando pro alijs petat Gratiæ dona, ex ipſiuſmet Chriſti Domini meritis concedenda, Chriſtoque adeò *Miniſterialiter* cooperetur in ſalutem animarum. Quare nobis quoquè Pontificijs indubitatum eſt, priori modo unicum Chriſtum eſſe Mediatorem, quanquàm modo poſteriori Sancti rectè dicantur inter nos peccatores, ac Deum Mediatores: juxtà illud *Ezech. 22. v. 30. Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret, & oppoſitus contrà me pro terrâ.* Quininò voces *Salvator*, & *Salvum facere* ſub tali modo Miniſteriali tribui quoquè hominibus, conſtat *ex illo Rom. 11. v. 14. Miniſterium meum honorificabo, & ſi quomodò, & ſalvos faciam aliquos.* Item *Iudic. 3. v. 15. Qui* (Deus) *ſuſcitavit eis SALVATOREM vocabulo Aod.* Vides igitur Vedroſi, niſi tua Reformatio ludendo in verbis, quæreret potiùs veritatis obfuſcationem, quàm manifeſtationem, diſparitura omnia ejus fucata tela.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Georgij *cap. 1.* deducta argumenta manere omninò 64. firma, utpote nullatenus ſoluta à Vedroſio, *uti conſtat ex cap. 2. & 4.* Quibus adeò ſubſiſtentibus, ita licere argumentari. Ille ſane ſpiritus non eſt Divinus, qui adeò contra ſe ipſum pugnat, ut Fidei articulorum Traditiones Divinas & Apoſtolicas quidem neget, attamen affirmet, ſymbolum Apoſtolicum nullibi ſacris Litteris *Formaliter* expreſſum, ſed ſolâ vivâ fidelium fide ad nos uſque derivatum & traditum, ut nihilominùs circà ejuſdem ſymboli articulum, Communionem ſcilicèt Sanctorum non inſiſtat ſenſui vivâ fidelium fide jugiter tradito, Patrumque Orthodoxorum authoritatibus expreſſo. At circà illum ſymboli Apoſtolici articulum rem ita ſe habere, conſtat ex præcedentibus. Viderit ergo iſte ſpiritus, quomodò circà tale fidei dogma poſſit eſſe ex Deo?

SECTIO III.

De Veneratione Sacrarum Reliquiarum.

CAPUT I.

Referuntur argumenta Georgij.

HIc author *cit. Doc. 19.* inducit S. Hieronymum *Epiſt. adverſ. Vigilantium* inter alia ſic ſcribentem: *Dolet* (Vigilantius) *Martyrum Reli-* 1.

quias pretioſo operiri velamine , & non vel pannis , vel cilicio colligari , vel projici in ſterquilinium , ut ſolus Vigilantius ebrius , & Dormitantius adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus , quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator , qui Sanctas Reliquias Andreæ , Lucæ , Timothei tranſtulit Conſtantinopolim : apud quas dæmones rugiunt , & inhabitatores illorum Vigilantij ſe ſentire præſentiam confitentur &c. Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico , & vaſe aureo portaverunt. Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt Sanctis Reliquijs, & tantâ lætitiâ quaſi præſentem, viventemquè Prophetam cernerent , ſuſceperunt &c.

2\. Inducit etiam S. Auguſtinum *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* de miraculis ad ſacras Reliquias editis ſic atteſtantem : *Cùm enim prolata* (corpora nempe Prothaſij & Gervaſij) *& effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus , confeſſis eiſdem dæmonibus, ſanabantur , verùm etiam quidam plurimos annos cæcus civis &c. impetravit admitti , ut ſudario tangeret pheretrum pretioſæ in conſpectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod ubi fecit , atque admovit oculis , confeſtim aperti ſunt &c.*

3\. Inducit eundem Sanctum Doctorem *cap. 73. de Eccleſ. Dogmat.* ita diſſerentem : *Sanctorum corpora , & præcipuè beatorum Martyrum Reliquias , ac Chriſti membra ſynceriſſimè honoranda , & Baſilicas eorum nominibus appellatas , veluti loca ſancta, Divino cultui mancipata, affectu pijſſimo, & devotione fideliſſimâ adeundas credimus. Si quis contrà hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus , ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur.*

4\. Ex quibus adeò concludit author *præcitatus*, facilè colligi , quo in cenſu quoad præſens etiam punctum habenda ſit hodierna Reformatio, adversùs quam proinde meritò proferantur illa S. Hieronymi verba, quæ *Epiſt. ad Ripar.* contrà Vigilantium ſcripſit, ac retulit Georgius *Rat. 8. Exemp. 29.*

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

5\. ISte Miniſter *in Exam. cit. Doc. 29. pag. 103.* arguit 1. Si Vigilantius propugnâſſet, ut Martyrum Reliquiæ irreverentiâ afficerentur , ſe Reformatos primos futuros fuiſſe, qui lapidem in eum mitterent. Si verò propugnârit , ut Sanctorum corpora honeſtè involvenda , in quiete ad reſurrectionem abſconderentur , nec in fruſta diſcerpta hinc inde geſtarentur , oculiſquè vel adoratione honorarentur , ſed ſolus Deus invocaretur , non peccâſſe , ſed ex Spiritûs ſancti mente locutum fuiſſe. Quinimò & ipſum

ipſum Caſſandrum, poſtquàm *in Conſultatione ſuâ art. 27.* multis conqueſtus fuerat de fiduciâ in Martyrum Reliquijs collocatâ, de Reliquijs ſuppoſititijs, & miraculis ad alendam ſuperſtitionem fictis, concludere in hæc verba: *Multò conſultius videtur, ut ab omni Reliquiarum oſtentatione abſtineatur, & populus ad veras Reliquias colendas, id eſt ad exempla ſanctitatis, quæ in Scripturis, vel ab ipſis Apoſtolis, vel de ipſis extant, imitanda provocetur.*

Arguit 2. *pag. 104.* Cùm adhuc recens & certa memoria Martyrum vigeret, Deum ad loca Martyrum ſepulturâ inſignia indubitatis miraculis, eos, qui mortui videbantur, ſibi vivere declaràſſe, quibus fides, quam ipſi profeſſi ſint, confirmaretur. Sed teſte Caſſandro *citato* in hæc paulatim abuſum irrepſiſſe, uti Auguſtinus *de opere Monach. cap. 28.* conqueſtus ſit. De Antonio Eremicolâ primo in vitâ ejus, quæ Athanaſio tribuatur, proditum eſſe, eum Sanctorum corpora non terræ mandare, ſed impoſitâ lectulis intrà privatos parietes retinere, conſuetudinem non bonam vocâſſe. 6.

Arguit 3. *Sect. 6. in Exam. Exempli 8.* Hieronymi *ex Epiſt. ad Ripar. per Georgium pag. 175.* relata verba, probè attendenda eſſe. Hunc enim taliter diſſeruiſſe: Nos autem dico Martyrum Reliquias, ſed nè ſolem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti, & in futuro ſæculo colimus & adoramus, nè ſerviamus creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Econtrario Baronij Cardinalis Annalibus ad Annum 821. teſtibus, corpus S. Cæciliæ juſſu Clementis VIII. adoratum eſſe. Quin & ipſum Clementem VIII. religiosè invocato corpore S. Cæciliæ miraculosè ſanatum eſſe à podagrâ, teſte Antonio Cicarellâ in vitâ Clem. VIII. 7.

Arguit 4. Se Reformatos dicere Reliquias Sanctorum incapaces cultûs Religionis. Oſſa enim eorum debere terræ mandari tum communi lege, tum ſpeciali promiſſione *Gen. 15. v. 15. 2. Reg. 22. v. 2.* Iſaiæ *57. v. 6.* Nec præter honeſtam ſepulturam quicquam ijs tributum legi. *Gen. 23. 24. 25.* Sanctos vivos honorem eum non admiſiſſe, multò minùs mortuos. Nullo mandato, aut promiſſo Divino ſanciri, nec ullo laudato exemplo comprobari, ſed factis Dei *Deut. 34. v. 6.* & Sanctorum repugnare. Cultum Reliquiarum eſſe idololatriam & ſuperſtitionem hypocritarum, Phariſæorum à Chriſto damnatam *Matth. 23. v. 29.* Iſtius conſequentiæ: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Pſal. 116. v. 16. Ergo illorum Reliquiæ aſſervandæ, circumferendæ &c.* ſe miſſam facere, ſive Hieronymi juxtà Georgium *pag. 175.* ſive alterius autho- 8.

thoris ſit, cùm nullus Propheta, nec Apoſtolus, nec Martyr, qui veri Sanctorum cultores fuerunt, eam perſpexerint.

9. Arguit 5. Heideggerus *in ſuis adversùs ſacras peregrinationes Apologet. pag. 66.* Ex eo, quòd umbra Petri, & ſudaria Pauli *ſymbolicè* ſanârint ægrotos, non licere propterea Reliquias Sanctorum frequentare, eaſdemque adorare. An enim, ait Miniſter *citatus*, umbræ ejus portionem aliquam in capſulâ, aut lagenâ aſſervârunt? An fortè eam incluſerunt reliquiario, ut pennam Angeli Gabrielis, ſonum campanarum, & Ioſephi halitum? An denique ſudaria fuerunt circumlata per pompam, aut condita ſub altaribus, aut exhibita populo, ut adorarentur?

10. Arguit 6. Idem Tigurinus Profeſſor *pag. 67.* ubi Sancti hinc diſceſſerunt, quieſcere ipſorum ſpiritus in cœlo, corpora in terrâ, quâ condantur, obdormire, & Patribus ſuis apposita ſentire corruptionem, uti de Davide doceat Paulus *Act. 13. v. 36.* Hanc ipſam corruptionem fateri, quòd nulla ampliùs vis miraculorum effectrix in eis reſideat, utpote quæ, ſi qua eſſet, ipſa inprimis corpora ab hac injuriâ intacta ſervaret. Unde priori ad Chriſtum uſque Eccleſiæ tempore de nullius Sancti corpore ab animâ ſeparato quidquam hujuſmodi proditum legi, ſi unius Eliſæi corpus excipiatur.

11. Arguit 7. Quòd umbra Petri, & ſudaria Pauli ſuo ſenſu ſanârint ægrotos, dubitari non poſſe, cùm id authenticè Scriptura teſtetur. At corpus, quod Romæ ſepultum dicitur, eſſe Petri, cubiculum Mariæ Lauretī oſtentatum, fuiſſe illud ipſum, in quo B. Virgo, & Chriſtus educatus eſt, præputium, quod in Lateranenſi Eccleſiâ aſſervatur, fuiſſe verum (uti Innocentius III. *lib. 4. de Miſſæ Myſterÿs cap. 30.* aſſerat) præputium, lac, quod paſſim aſſervatur incredibili copiâ, eſſe B. Virginis Mariæ; ſubuculam vel giganti ſufficientem apud Cornulenſes aſſervatam, eſſe ejuſdem B. Virginis: caput, quod Romæ habetur ad S. Sylveſtrum, eſſe Ioannis Baptiſtæ, uti Concilium Conſtantienſe definierit; corpora Trium Regum, quæ ſibi non Colonienſes tantùm, ſed etiam Mediolanenſes vendicant, eſſe Trium Regum, & infinita ejuſmodi, ita, ut illi narrant, ſe habere, nullam ſcripturam canonicam, vel alia documenta authentica omnem dubitationem removentia teſtari.

12. Arguit 8. *Præcitatus* Miniſter *pag. 69.* Si illa Pontificiorum epicheremata valeant, non videre ſe, cur abſolvenda non ſit omnis paganorum in mundi elementa pietas, utpote per quæ Deus magna beneficia, imò vitam ipſam impertiat hominibus. Et hinc adorationem ſolis Perſis familiarem quo-

quoquè probandam fore, ſi Petri umbra, eò quòd per eam infirmi nonnulli convaluerint, adoranda fuerit.

Arguit 9. *Pag. 70. & 71.* Quod per umbram Petri ac ſudaria Pauli factũ legitur, fuiſſe ſingulare, perſonale, & extraordinarium, quo Deus doctrinam 15.
Evangelij ab eiſdem prædicatam, confirmare, & hoſtes, nè violentas ijs manus injicerent, cohibere voluerit. Hinc autem religioſi cultûs fundamentum aliquod peti non poſſe, cum eum in finem miracula per umbram Petri, & ſemicinctia Pauli patrata non ſint, ut ad illorum cultum homines invitarentur. Imò miraculorum donum fuiſſe proprium Eccleſiæ Apoſtolicæ & primitivæ. Nec ullam extare promiſſionem, aut veſtigium, quo conſtet, poſtremis Eccleſiæ temporibus Sanctorum Reliquias in uſum veræ Eccleſiæ patrare miracula. Nè Apoſtolos quidem, dum vivebant, pro ſuo arbitratu miracula edere potuiſſe, ſed à liberrimo Dei beneplacito ipſis hac in re unicè pendendum fuiſſe, uti pateat exemplo Pauli non potentis invaletudinem Timothei ita reſtituere, quin ipſi juſſerit, aquæ potu inſtar medici abſtinere &c. Minùs igitur ordinariam, ac perpetuam quandam vim edendi miracula Sanctorum Reliquijs adſcribendam eſſe.

CAPUT III.

Oſtenditur, cultum ſacrarum Reliquiarum in Eccleſiâ Romanâ frequentatum, eſſe pium in ſacris Litteris fundatũ, & vivæ intrà fidelium mentes jugiter propagatæ Fidei, & antiquæ Orthodoxiæ conformem.

Probatio prima, ex antiqui Teſtamenti ſacris Litteris per D. Hieronymum in Epiſt. ad Ripar. deducta.

SI enim pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus ſit, *Pſal. 116.* ſequitur, in pretio & honore habenda eſſe corpora Sanctorum, utpote quæ in ſe ipſis non tantùm ſubjerint iſtam mortem, ſed jam exanimata hanc ipſam pretioſam mortem ſub oculos clarè proponant ac repræſentent. Deinde id, per quod Deus miraculum facit, meritò habetur in pretio & honore, tanquàm inſtrumentum Divinæ potentiæ. Atqui *4. Reg. 13. v. 21.* legitur Eliſæus mortuus ſuſcitâſſe mortuum, Deuſquè adeò 16.
corpus Eliſæi mortui ita honoravit, ut aſſumeretur in inſtrumentum evidentis miraculi. Hic ipſe verò honor redundavit in ipſius Eliſæi animam ſanctam. Conſequens igitur eſt, honorem Sanctorum corporum redun-

dare

dare tum in Deum, utpote cujus ſint inſtrumenta, ad ejus beneficia quandoque etiam miraculoſa conferenda, tum in animam ſanctam in tali corpore etiam poſt mortem repræſentatam. Denique ſi honor Sanctorum cor-
16. poribus exhibitus, non redundaret in ipſos Sanctos, tunc Ioſeph fruſtrà, imò ſuperſtitiosè adjuràſſet filios Iſrael dicens: *Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum. Exodi 13. v.* 19. Similiter idem Ioſeph, qui in typo præceſſit Salvatoris noſtri, ſuperſtitioſus fuiſſet, dum *Gen. 50.* tantâ ambitione Iacobi oſſa portauit in Hebron, niſi talis honor reduceretur in ipſum Patriarcham. At eo ipſo, quòd honor ſacris Reliquijs exhibitus, redundet in ipſos Sanctos, ſive animas ipſorum Gratiâ Dei inſignitas, ſequitur, talem cultum æquè non eſſe ſuperſtitioſum, atque ipſum honorem Sanctis habitum, quem ab ipſomet cæleſti Patre approbari, conſtat ex illis Chriſti Domini verbis *Joan. 12. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.*

Probatio ſecunda, ex alijs Veteris Teſtamenti ſacris Textibus deſumpta.

17. Etenim rei corporali, quatenùs habet ſpecialem ad Deum reſpectum, meritò deferri honorem, non quidem *Abſolutè* & *Intranſitivè*, ſed *Reſpectivè* & *Tranſitivè*, conſtat ex honore Arcæ Dei olim debito *Pſal. 98. v. 1. Paral. 28. v. 2. 2. Reg. 6. v. 2. Ioſue 3. v. 4. 1. Reg. 6. v. 19.* Atqui inſtrumenta paſſionis Chriſti, ejuſquè ſepulchrum etiamnum habent ſpecialem reſpectum ad Chriſtum, non minùs, quàm terra, in quâ Deus ſive Angelus ejus *Exodi 3. v. 5. & Ioſue 5. v. 13.* legitur ſteriſſe, eatenùs habebat reſpectum ad Deum, ut propterea non niſi ſolutis calceamentis, Moyſi & Ioſue liceret ipſam ingredi. Pari proinde ratione inſtrumenta paſſionis Chriſti, eiuſque ſepulchrum ſunt in honore habenda, *juxta illud Iſaiæ 11. v.* 10. *Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Hunc enim ſacrum Textum intelligi de Chriſto, patet *ex Rom. 15. v. 12.* At iſta prophetia procedit de ſepulchro Chriſti pro tempore reſurrectionem Chriſti ſubſequente, quo nimirùm gentes illud venerati ſunt. Unde Sanctus quoquè Hieronymus *Epiſt. ad Marcell. cap. 3.* iſtam ſic hortatus eſt: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum &c. nonnè tibi venerabilius videtur ſepulchrum Chriſti, quod quotieſcunque ingredimur, toties jacere in ſindone cernimus Salvatorem.* Sanctus quoquè Auguſtinus *lib. 22. de Civit. cap. 8. circà medium* refert, terram ſanctam de Hieroſolymis allatam publico cultui ſuâ & Synecenſis Epiſcopi authoritate expoſitam, atque iſtum cultum miraculo Divinitùs probatum fuiſſe.

Probatio tertia, ex Novi Teſtamenti ſacris Textibus.

18. Etenim Reliquiæ Crucis, in quâ Chriſtus paſſus fuit, ejuſquè paſſionis in-

inſtrumenta, nec non ſepulchrum ipſius non minorem habent reſpectum ad Chriſtum, quàm ejus veſtimenta, quibus induebatur. At quando Hæmorroiſſa *Matth. 9. v. 21. acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti, dicens intrà ſe: ſi tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero:* tunc Chriſtus ipſam non tantùm non redarguit ſuperſtitionis, ſed reſpondet *v. 22. Confide filia, Fides tua te ſalvam fecit.* Hujus autem Chriſti Domini reſponſi non erat alia ratio, niſi quòd tota illa ex contactu veſtimentorum Chriſti veneratio redandârit in ipſummet Chriſtum. Conſequens igitur eſt, cultum ſacrarum Chriſti Reliquiarum ita reduci in Chriſtum, ut hodierna Reformatio non niſi blaſphemè eum redarguat de ſuperſtitione.

Probatio quarta, ex Actorum 5. & 19. deprompta.

NAm *Act. 5. v. 15.* ita habetur: *Credentes in plateas ejiciebant infirmos, & ponebant in lectulis & grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra ejus obumbraret quemquam illorum, qui curabantur omnes.* Et *Act. 19. v. 11. Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Ex quibus adeò patet, Deum miraculis quoquè probâſſe devotionem populi, ita delatam umbræ & ſudarijs Apoſtolorum, ut referretur in ipſos ſanctos Apoſtolos. Atqui umbra & ſudaria multò minùs ad Sanctos illos ſpectabant, quàm ipſorum corpora. Conſequens proinde eſt, devotionem corporibus Sanctorum habitam ita referri in iſtos, ut Deus eam ratam habeat, miraculiſquè non raròapprobet, *juxta illud S. Chryſoſtomi Serm. 3. de Virtutibus*, ita diſſerentis: *Pauli veſtes morbos ſuderunt, Petri umbra mortem fugârunt, Sanctorum Martyrum cinis improbos dæmones expulit.* 19.

Probatio quinta, refutatoria cujuſdam Heideggerianæ exceptionis.

ISte namque Tigurinus Profeſſor *in ſuis adverſùs ſacras peregrinationes Apologet. pag. 65. ac ſeq.* excipit, umbram Petri, & ſemicinctia Pauli non ſanâſſe ægrotos miſtâ quadam virtute, ſed Deum eos ſanâſſe ad eorum præſentiam, ita ut virtus Divina *Energyticè*, Fides ægrotantium *Organicè*, ac umbra Petri, & ſemicinctia Pauli *Symbolicè* ſanârint. Neque verò iſtos ſanctos Apoſtolos paſſos fuiſſe, ut ſibi, minùs umbræ & ſemicinctijs ſuis religioſum honorem deferrent homines. Nec porrò ab umbrâ Petri, & ſudarijs Pauli viventium, & miracula Chriſti virtute operantium licere argumentari ad Reliquias Sanctorum defunctorum incertas: ſiquidem Petro & Paulo miracula, mediantibus illis ſymbolis, patrandi poteſtas conceſſa fuerit ob Miniſte- 20.

niſterium ab ipſis viventibus obitum, ut proinde iſto ceſſante, ipſum quo-
21. què donum ceſſare debuerit. Verùm in iſtâ Heldeggeri exceptione pro ra-
to & accepto habeo, quòd jam jam faſſus ſit, Deum ad præſentiam umbræ
& ſudarij Apoſtolorum taliter ſanâſſe homines, ut illa ipſa umbra & ſuda-
ria *Symbolicè*, Fides verò ægrotantium *Organicè* concurrerent ad illum effe-
ctum. Hinc autem in confeſſo jam eſt, aliquam rem corporalem, quatenùs
habet reſpectum ad Sanctum aliquem, præ alijs rebus corporalibus *ſymbolicè*
conducere non tantùm ad Fidem, ceu organicam & diſpoſitivam miraculo-
ſæ ſanationis cauſam in mentibus fidelium excitandam, ſed ad hunc ipſum
etiam effectum modo ſibi proportionato efficiendum. Atqui nos Pontificij
Reliquias Sanctorum ex reſpectu, quem habent ad iſtos, eatenùs amplecti-
mur & veneramur, ut non ex innatâ earundem virtute, ſed ex Deo ceu
causâ Principali, ex Sanctis verò ceu causâ Morali & Impetratoriâ, ſive eti-
am Phyſicâ Inſtrumentali ſperemus Dei beneficia, ſacris Reliquijs *ſymbolicè*
concurrentibus, quatenùs nos excitant ad cultum Sanctorum, atque ad Fi-
22. dem, tanquàm Organicam talis miraculoſi effectûs cauſam. Neque verò
cultum religioſum *Abſolutè* ac *ſimpliciter*, ſive *Propriè* dictum, ſed *Reſpectivum*
tum Latriæ erga Reliquias Chriſti, tum Duliæ erga Reliquias Sanctorum
eatenùs exhibemus, ut ipſas Reliquias ſolùm *Tranſitivè* & *Inſtrumentaliter*,
Chriſtum verò *Principaliter* & *Intranſitivè* in genere Latriæ, Sanctis autem in
genere duntaxat Duliæ, ad Latriam ſeu cultum Dei religioſum *virtualiter*
relatæ, deferamus talem cultum. In quo equidem ita nutat Heideggerus
prac. Sect. 1. *cap.* 2. *n.* 8. *citatus*, ut, nè videatur deferre Pontificijs, nova coa-
ctus fuerit fingere nomina, novamquè hactenùs inuſitatam ſub vocibus à ſe
noviter inventis inducere diſtinctionem. Quòd denique ille Tigurinus Do-
ctor poteſtatem miracula, mediantibus umbrâ & ſudarijs tanquàm ſymbo-
lis, patrandi, Apoſtolis in terrâ converſantibus duntaxat, non verò ipſis,
alijſque SS. cælitibus, eorumquè Reliquijs tanquàm Inſtrumentarijs ſym-
bolis admittat, in hoc pugnat cum verbis S. Chryſoſtomi *ſuperiùs adductis*,
23. imò cum universâ antiquâ Orthodoxiâ, uti ſequens probatio exhibebit. In-
terea ipſi expendendum hîc propono id, quod *Ioannis* 5. *v.* 2. ſcribitur, nem-
pe poſtquàm ad deſcenſum Angeli aqua in Bethſaidâ eſſet mota, illum, qui
primus in eam deſcendiſſet, ſanum eſſe factum. Hinc autem patet, aquæ
taliter motæ ex virtuali Angeli præſentiâ & contactu licèt Tranſeunte, ſive
Symbolicam, ſive Inſtrumentariam fuiſſe vim miraculosè ſanativam. At-
qui Reliquiæ Sanctorum majorem habent ad iſtorum in cælis jam exiſten-
tes animas contactûs, morte quidem ſoluti, in reſurrectione tamen glorio-
ſâ reparandi reſpectum, quàm illa aqua ex motu ſolum Tranſeunte relationē
habue-

habuerit ad Angelum. Quia ergo iſti aquæ ex tali contactu inerat vis miraculorum patrativa, non eſt, cur Sanctorum Reliquijs ſimilem virtutem non concedamus, ipſomet Deo eam probante miraculoſis effectibus mox referendis, & firmandis Orthodoxorum Patrum authoritatibus.

Probatio ſexta, ex Patrum Orthodoxorum authoritatibus deſumpta.

Etenim Iuſtinus Martyr *Quæſt. 28. ad Orthodoxos* Heidelbergæ *1593.* editâ teſtatur, Sanctorum corpora, & ſepulchra Martyrum & dæmonum amoliri inſidias, & morborum ab arte medicâ comploratorum conferre ſanationes. Eccleſia Smyrnenſis circà Annum Chriſti 150. *in Epiſt. ad Ponti Eccleſias* ſcripſit, qualiter decorârit corpus S. Polycarpi. De ejus ſancti corporis, aliarumquè ſacrarum Reliquiarum veneratione ac miraculis teſtimonium fert Euſebius Cæſarienſis *lib. 4. Hiſt. c. 15.* Item *lib. 7. cap. 14. & de præpar. Evang. lib. 13. c. 7.* Quibus accedit Pius I. circà Annum 142. *Epiſt. ad Iuſtin. Epiſc.* ita ſcribens: *Cura Sanctorum Martyrum corpora, ſicut membra Dei, quemadmodùm curaverunt Apoſtoli Stephanum.* Sanctus Athanaſius *in vitâ S. Antonij circa finem* facit teſtimonium de cultu veſtium hujus Sancti, tanquàm imaginum ſanctitatis ipſius. Baſilius Magnus *hom. in Pſal. 115.* inter alia ſic habet: *Martyris oſſa quiſquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem, fit quadantenùs ſanctificationis particeps.* Similia habet in Martyrem Iulittam. 24.

Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 18. circà medium* ſic ait: *Si ſudaria & ſemicinctia extra corpus exiſtentia contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate, quantò magis corpus Prophetæ mortuum ipſum excitavit?* Gregorius Nyſſenus *Orat. in S. Theodorum Martyrem* ita habet: *Anima verò in ſublime abijt &c. corpus verò venerandum & immaculatum illius inſtrumentum &c. cum multo honore & cultu compoſitum, in auguſto ſacroque loco ſitum eſt.* Et infrà: *His ubi oculos* (fidelis) *oblectavit, cupit deinceps etiam ipſi conditorio appropinquare, ſanctificationem ac benedictionem contrectationem ejus eſſe credens &c.* 25.

Gregorius Nazianzenus *Orat. in Iulian. Apoſtatam*, ubi recenſuiſſet, qualiter Sanctis honores & feſta conſtituantur, ſubdit: *Quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod anima ſancta, ſive manibus contrectentur, ſive honorentur, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt, quod corpora. Hæc non colis, ſed contemnis &c.* Videatur etiam *Orat. 2. in Iulian.* Epiphanius in vitâ Ezechielis teſtatur de frequenti fidelium confluxu ad monumentum hujus Prophetæ propter adprecationem & obſequium. S. Ambroſius de cultu ſacrarum Reliquiarum & miraculis ſeu beneficijs liberationis à dæmone, ſanitatis &c. inde acceptis teſtimonium facit *lib. 10. Epiſt. 85. Serm. 91. in feſto Ger-* 26.

 vaſij

vaſij & Protaſij. Serm. 92. de SS. Nazario & Celſo. Divus Chryſoſtomus Reliquiarum ſacrarum venerationem & utilitatem ac benedictionem gratiæ cæleſtis inde ſecutam atteſtatus eſt *Hom. 32. in Epiſt. ad Roman. lib. contra Gent. paulò ante medium. Homil. 66. ad popul. Antioch. Serm. de Inventio & Maximo.* Sanctus Hieronymus clarum de tali Reliquiarum cultu, ac effectibus Divinorum beneficiorum inde ortis fert teſtimonium in vitâ Hilarionis *Epiſt. 17. ad Marcell. cap. 5. Et in Epitaph. Paulæ cap. 6.*
27. Denique miracula ex Reliquiis Sanctorum, earumquè cultu exorta legantur apud S. Auguſtinum *lib. 9. Confeſſ. cap. 7. Lib. 22. de Civit. Dei. cap. 8.* ubi *circa medium* meminit ſolennis proceſſionis cum deportatione Reliquiarum & miraculi exinde provenientis. Accedunt ſacra Concilia Gangrenſe Anno 336. adversùs Euſtathianos celebratum. In cujus *can. 20.* ita decernitur: *Si quis Conventus, qui per loca, & Baſilicas Martyrum fiunt, accuſaverit, memoriaſquè Sanctorum contemnendas putârit, anathema ſit, &c.* Concilium Generale Nicænum II. *Act. 3.* Reliquias vocat fontes ſalutares, quibus Deus multa beneficia præſtet hominibus. Et *Act. 7.* mandat, Laicum excommunicari, qui Reliquias Martyrum contemnit, & non ut rem ſacram cum honore tractat. Concilium Carthaginenſe V. ſic ſtatuit: *Placuit, ut omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ ſint.* Ex quibus proinde omnibus nimis manifeſtum eſt, quàm longè hodiernæ Reformationis ſpiritus quoad venerationem ſacrarum Reliquiarum diſtet à Religione ac veritate puræ antiquæ Orthodoxiæ.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Vedroſij & Heideggeri.

28. AD *primam* Reſp. Vedroſi in cultu ſacrarum Reliquiarum damnas 1. quòd non abſcondantur ad reſurrectionem, ſed oculis fidelium exponantur. Atqui S. Chryſoſtomus *Hom. 32. in Epiſt. ad. Rom.* ita ſcripſit: *Quis mihi nunc dabit, circumfundi corpori Pauli, attingi ſepulchro, videre* N. B. *pulverem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant, adimplentis, ſtigmata illius geſtantis &c. pulverem inquam oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt.* Sanctus Ambroſius *Epiſt. 85. de Invent. SS. Gervaſij & Protaſij* teſtimonium apertum fert de Sanctorum iſtorum corporibus è terrâ effoſſis, eorumquè translatione publicâ & ſolemni factâ, Deo eam approbante per miraculoſam cæci illuminationem. Idem teſtatur D. Auguſtinus *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* Inſuper *cap. 22. de Civit. Dei.*
29. *cap. 8 circa medium* fecit atteſtationem de publicâ ſacrarum Stephani Protomartyris Reliquiarum deportatione per ſolennem ac publicam proceſſionem,

nem,

nem, ſecutis etiam cæcæ mulieris illuminatione, alijſquè effectibus miracu-
loſis. Siccinè Vedroſi damnare præſumis, quod veræ Eccleſiæ Doctores
nobis in exemplum propoſuerunt, Deuſquè ſuis miraculis approbavit.

2. Damnas, quòd Reliquiæ ſacræ adoratione honorentur. At, ſi ſer-
mo ſit de adoratione ſtrictè & propriè ſumptâ, calumnia eſt, quam ex Re-
formationis tuæ ſpiritu impingere niteris Pontificijs, quaſi adorationis cul-
tum religioſum & Latrevticum deferant Sanctorum Reliquijs. Hi enim
non aliâ ratione colunt iſtas, niſi ex reſpectu ad animas Sanctorum, unde
excitantur ad recolendos iſtos, eorumquè, cum ſubordinatione tamen ad
Chriſtum, preces implorandas. Cujuſmodi adeò Reliquiarum Reſpectiva,
Sanctorum verò Abſoluta veneratio latè quidem dici poteſt adoratio, licèt 30.
Latrevticâ adoratione Dei propriâ ſit infinitè inferior. In quo adeò lato
ac improprio ſenſu locutus fuit Sanctus quoquè Hieronymus *Epiſt. 17. ad Mar-
cellam cap. 5.* invitans, *Samariam pergere, & Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi quoquè & Ab-
diæ pariter cineres adorare.* En igitur Vedroſi, ſi tua Reformatio non adamaret,
vocibus ludere ad calumniandos Pontificios, ſed veritatem ab ipſiſmet Pa-
tribus Orthodoxis traditam in Eccleſiâ Romanâ perquireret, jam pridem 31.
fuiſſe deſituram cæcutire. 3. Caſſandrum improbantem ſuppoſititias
Martyrum Reliquias, & hortantem ad cultum verarum Reliquiarum,
nempe imitationem virtutum ex Sanctorum vitâ reſplendeſcentium. At
nihil ex hoc (licèt ejus utpote non Catholici authoritas, non urgeat) con-
cludis adversùs Pontificios. Eſt enim primarius ſacrarum Reliquiarum ve-
nerationis finis, ut ex memoriâ Sanctorum excitemur ad pares virtutes. In
quem adeò ſenſum S. Chryſoſtomus *lib. contrà Gentes paulò ante medium* aſſeruit:
*Deum nobis reliquiſſe idoneum ad virtutem capeſſendam ſtimulum, relictis ſcilicet interim
apud nos Sanctorum Reliquijs.* At hunc finem aliqui in tantum negligunt, ut
etiam in medio, ipſo ſcilicet Sanctorum ſub veris Reliquijs cultu deficiant,
ſupponendo nimirùm fictitias aliquas Reliquias. Quem proinde abuſum
non tam Caſſander improbavit, quàm Romana Eccleſia, ſuis Decretis ſtu-
dioſè providere ſolita, nè publicæ venerationi exponantur Reliquiæ, niſi per
legitimum proceſſum fuerint probatæ veræ. In aperto igitur eſt, Vedroſi,
tuâ illâ argutiâ te non niſi aerem verberâſſe.

Ad *ſecundam* Reſp. Sic argumentando. Cùm adhuc recens & certa me- 32.
moria Martyrum vigeret, Deum ad loca Martyrum ſepulturis inſignia mi-
raculis eos, qui mortui videbantur, ſibi vivere declarâſſe, quibus Fides,
quam ipſi profeſſi ſunt, confirmaretur. Atqui S. Chryſoſtomus *Hom. 32. in
Epiſt. ad Rom.* fert teſtimonium indubitatum de corporibus SS. Petri & Pauli
Romæ conditis, ut ex his aſſeruerit Romam magis munitam, quàm innu-

meris mœnijs. Eo ipſo autem, quòd Deus miraculis, ad loca ſepulturis Martyrum inſignia declarârit, eos vivere, ſequitur, ipſum excitâſſe animos fidelium ad Sanctos ejuſmodi in ſuis Reliquijs venerandos, utpote quos ipſemet quoquè Deus talibus miraculis honoraret, juxta illud Chriſti Domini: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* At hæc Sanctorum ex Deo ipſo, miraculis eorum ſanctitatem conteſtante, honoratio confirmabat illam ipſam Fidem, quam profeſſi ſunt. Ejuſmodi verò Fides non eſt alia à Fide Patrum Orthodoxorum, quos *præc. cap. 3. prob. 6.* claris teſtimonijs probatum eſt, indubitanter tenuiſſe ſacrarum Reliquiarum venerationem, hodiequè retentam à Romanâ Eccleſiâ, in cujus urbe adhuc exhibentur SS. Petri & Pauli Reliquiæ, quas Divus Chryſoſtomus *præc. cap. n. 26.* relatus, tam piâ mentis ſuæ devotione ac veneratione eſt complexus. Ex principio igitur per ipſummet Vedroſium poſito, clarè ſequitur, Deum etiam miraculis approbâſſe venerationem, quam Eccleſia Romana hodieque defert ſacris Reliquijs. Quæ autem hic Miniſter *in præſ. arg.* adduxit ex S. Auguſtino, *cit. cap. 28. de opere Monach.* cuique legenti patebit, nihil eorum continere, quæ ad rem præſentem faciant. Quamvis denique circà ſacrarum Reliquiarum venerationem aliqui ſubinde abuſus æquè ab hodiernâ etiam Romanâ Eccleſiâ, atque à S. Athanaſio reprobati irrepſerint, hinc tamen iſtum ſanctæ Eccleſiæ Doctorem minimè cenſuiſſe abrogandum Reliquiarum cultum, ſed hunc firmo ſuo teſtimonio approbâſſe, *conſtat ex dictis cit. prob. 6. n. 27.*

33. Ad *tertiam* Reſp. Hinc te reum agi de aperto falſi crimine. Quo enim jure, ut alienum à mente S. Hieronymi redderes ſenſum, hujus ſancti Doctoris verba præſumpſiſti mutilè allegare? Nam verbis à te allegatis mox ſubjunguntur ſequentia: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum* NB. *cujus ſunt Martyres, adoremus; honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* Sed inſtas ex Baronio ad Annum 821. ſcribente, corpus S. Cæciliæ juſſu Clementis VIII. adoratum eſſe. Verùm poſito, rem, uti aſſeris, ſe habere (nam legenti prætactum Baronium, aliter nonnihil occurret) repono tibi *præcitatum* S. Hieronymum *in fine Epiſt. 17. ad Marcellam cap. 5,* invitantem ad cineres S. Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi, & Abdiæ adorandos. Quid ergo Vedroſi? An hinc ſanctum iſtum Doctorem redarguendum cenſes de Idololatriâ? An illum ſibimet contradicentem arguere præſumis, eò quòd hîc Reliquiarum adorationem admittat, quam tamen *ſupracitatus* negârit? Sanè ſi non vocibus luderes, ſed rem teneres, ſub diſtinctione adorationis propriè & impropriè dictæ, ejuſquè tum Reſpectivæ & Tranſitivæ, tum Abſolutæ ac Intranſitivæ, omnes iſtos tuæ Reformationis fucos facilè diſcuteres.

Ad

Ad *quartam* Reſp. Neque nos Pontificios deferre Reliquijs cultum ſtrictè & propriè Religioſum, ſeu adorationem Latrevticam, ut adeò Reformatio hodierna calumniæ manifeſtæ rea ſit, dum Romanam Eccleſiam ex hoc titulo damnat Idololatriæ. Sed videamus conſequentias à Vedroſio hîc factas. Ait enim 1. Ideò cultum in Romanâ Eccleſiâ ſacris Reliquijs deferri ſolitum eſſe illicitum, eò quòd *Gen. 15. v. 15. 2. Reg. 22. v. 2. Iſaiæ 57. v. 6.* ſit proviſum, ut oſſa hominum terræ mandentur. At quæro, an ex hoc concludat, oſſibus ejuſmodi ſepulturæ traditis, nullum ampliùs licere deferre honorem, qui redundet in Sanctos, quorum ſunt Reliquiæ? Si neget, in aperto eſt, nullam eſſe conſequentiam illam. Si affirmet, convincitur graviter damnare antiquam Orthodoxiam *præc. cap. 3. prob. 6.* productam, nec non Ioſephum *Exodi 13. v. 19.* adjurantem filios Iſrael, ut tempore viſitationis ſuæ ſecum ex Ægypto efferrent oſſa ſua. 34.

Ait 2. Præter honeſtam ſepulturam nec quidquam oſſibus Sanctorum tributum leg. *Gen. 23. v. 25. & 35.* At præterquam, quòd iſtud argumentum procedat ex puris particularibus, atque adeò peccet in formâ Dialecticâ, *Gen. 40.* legitur Ioſeph, transferendo corpus Iacob Patriarchæ in Hebron, alios adhuc honores ei detuliſſe. Legitur inſuper apud Patres *cit. prob.* allegatos, Antiquam Orthodoxiam ſacris Reliquijs è terrâ etiam effoſſis exhibuiſſe longè diverſum cultum, approbante id Deo effectibus etiam miraculoſis. 35.

Ait 3. Cultum Reliquiarum repugnare Dei facto *Deut. 34. v. 6.* At iſtud quoque argumentum procedit ex puro particulari, in quo ſpecialis ſuberat ratio ex parte Iudæorum, Divo Ioanne Chryſoſtomo *Hom. 5. in Matth.* ſcribente, occultatum fuiſſe Moyſi ſepulchrum, nè à Iudæis coleretur pro Deo. Quæ ratio non militat in Chriſtianis: *uti patet ex cit. prob.* Quinimò ex hoc vel maximus in gloriam Moyſis redundans honor fuit exhibitus ejus corpori, quando ſepultus fuit in ſepulchro tàm admirando, ut nullus hominum dignus fuerit illud conquirere. Si ergo ex illo facto argumentandum ſit, inde inferre licebit, præter ſepulturam alio inſuper honore afficienda eſſe Sanctorum corpora. 36.

Ait 4. Cultum Reliquiarum ceu Idololatricum de hypocriſi Phariſaicâ à Chriſto damnari *Matth. 23. v. 29.* Verùm Sancti Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus *in cap. 23. Matth.* & Ambroſius ac Beda *in cap. 11. Lucæ*, alijque Patres ajunt, Dominum non ideo reprehendiſſe Iudæos, quòd ædificarent, vel ornarent monumenta Prophetarum, ſed quòd non imitarentur eos, quorum ornabant ſepulchra, ſed potiùs illos, qui eos occidebant, itaq; ſe ipſos condemnarent. At in aperto eſt, hodiernam præ- 37.

tenſæ

tenſæ Reformationis Miniſterium in hoc etiam circà ſacrarum Reliquiarum cultum articulo non tantùm non imitari Sanctos Novi Teſtamenti *ſuprà prob. 6. adductos* Patres, ſed horum doctrinæ directè ac proterve adverſari. Meritò igitur illam Chriſti Domini cenſuram in ſe retortam ſentiat Reformationis illius Miniſterium.

38. Ait 5. Illius conſequentiæ (quâ S. Hieronymus ex eo, quòd *Sanctorum mors in conſpectu Domini ſit pretioſa*, inferebat *non tam Adorationem*, uti calumnioſè imponit Vedroſius) *quàm Venerationem, eamquè Reſpectivam & Tranſitivam eſſe ſacris Reliquijs deferendam*) nexum ſe facere miſſum, non attento, quòd eſſet S. Hieronymi. At ex hoc ille Miniſter apertè probat ſuum adversùs Orthodoxos Patres ſpiritum, qui eò magis etiam elucet, dum hinc evincitur, contraire uniformis Antiquitatis Orthodoxæ ſententiæ, uti clarè oſtendunt allegationes *cit. prob. 6.* expreſſæ.

39. Ad *quintam* Reſp. Heideggerum ibi nihil aliud agere, quàm illuſorem & calumniatorem, velut ipſamet ejus argutia ad oculum demonſtrat. Quòd autem neget ex eo, quòd umbra Petri, & ſudaria Pauli ſymbolicè ſanârint ægrotos, poſſe argumentari ad ſacras Reliquias, ſanè in hoc diverſum convincitur habere ſpiritum à Patribus Orthodoxis, ſpeciatim à S. Cyrillo Hieroſolymitano *Catech. 18. circà medium* ita diſſerente: *Ut autem non ſolùm anima Sanctorum honoretur, credaturquè, quòd etiam in corporibus mortuorum ineſt virtus ſeu potentia, jacens in ſepulchro Heliſæi mortuus, mortuumquè corpus Prophetæ attingens, vivificatur, exhibenſquè alteri vitam, ipſum nihilominùs mortuum permanſit. Quâ de causâ? Ne, ſi reſurrexiſſet Heliſæus, factum illud ſoli animæ adſcribatur; & ut demonſtretur, quòd, abſente etiam animâ, ineſt virtus quædam ejuſmodi corporibus Sanctorum propter tot annorum inhabitantes in illis animas juſtas, quorum miniſterio uſæ ſunt; neque diffidamus ut rerum gnari, fieri iſtud: ſi enim ſudaria & ſemicinctia* (NB) *extrà corpus exiſtentia contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate, quantò magis corpus Prophetæ mortuum ipſum excitavit? &c.*

40. Ad *ſextam* Reſp. Demonſtrando ineptam hujus conſequentiæ illationem. Hæc enim in formam redacta ſic ſe habet: *Spiritus Sanctorum requieſcit in cælo, & corpora in terrâ obdormientia ſentiunt corruptionem. At ſi ipſis ineſſet vis miraculorum effectrix, ſe ipſa à corruptione ſervarent intacta. Ergo.* En Heideggere tuam conſequentiam verbis ex S. Cyrillo proximè adductis apertè adverſantem. Nunquid enim corpus Eliſæi ſentiebat corruptionem. Quomodò ergo habebat vim alterius corporis mortui vivificatricem, quin ipſum reviviſceret? Nunquid Sancti Ambroſius, Auguſtinus, alijquè Patres *cit. prob. 6.* allegati conteſtati ſunt de mortuis ex Sanctorum, carne jam corruptâ, effoſſorum, & ſolenni proceſſionis pompâ tranſlatorum oſſium, conta-

ctu

ctu etiam mediato reſuſcitatis? Reſponde igitur ad iſta, & tibi ſtatim patebit conſequentiæ tuæ ineptia.

Ad *ſeptimam* Reſp. Si virtutum intellectualium eſſes peritus, ſcires utiquè diſtinguere inter Fidem & Prudentiam. Fides enim tradit in genere iſtud dogma, quòd cultus ſacris Reliquijs delatus referatur in ipſorum Sanctorum animas, quòdquè iſtæ in cælis pro nobis orent, ipſorumquè adeò preces à nobis ritè implorentur. At Prudentiæ eſt, in particulari decernere, 41
an hæ, vel iſtæ ſint veræ Sanctorum Reliquiæ. In quo equidem definiendo non opus eſt certitudine Metaphyſicâ, vel etiam Phyſicâ, ſed ſufficit certitudo moralis, quæ *ſpeculativè* ex rationibus utrinque probabilibus poteſt verſari *contradictoriè*, licèt *Formaliter* quoad rationem prudentialem tunc nulla ſubſit oppoſitio. Quòd ſi habitis rationibus talem Moralem certitudinem inducentibus, ex unâ, vel ex alterâ parte interveniat error aliquis Materialis, nequit contaminare Formalem Prudentialis rationis certitudinem practicam, quâ etiam mediante, honeſtas cultûs ſacrarum Reliquiarum ita applicatur ad Moralem Duliæ virtutem, ejuſquè actuale exercitium, ut neque Fidei non niſi in veritatem quà revelatam intentæ, neque iſti Morali virtuti, non niſi in Formalem quà Fidei ſubnixam rectitudinem reflexæ aliquod fiat præjudicium: *uti in Differt. Refutatorijs, Differt. 3. & 12. à me oſtenſum eſt ex ipſiſmet principijs Theologicis.* Quæ, licèt Heideggerus fateatur, ſe non intelligere, non idcircò credendum eſt, ſufflata eſſe vel ſolo hujus Miniſtri halitu. Et hinc exempla per dictum Tigurinum Profeſſorem adducta quatenùs innituntur rationibus Moralem certitudinem fundantibus, nullum Sanctorum cultui præjudicium afferre poſſunt.

Ad *octavam* Reſp. Ex Heideggero quærendo: An inſtar Paganorum 42
in res corporales pietatis confundum ſit, quòd Chriſtus Dominus *Matth. 5. v. 34. & 35.* prohibuerit, neque per cœlum, quia thronus Dei ſit, neque per terram, quia ſit ſcabellum pedem ejus, jurare? Si, uti debet, reſpondeat Negativè, oportet, ut fateatur, aliud eſſe rei creatæ habere reverentiam ex reſpectu ad Deum, aliud verò eſſe, ſi talis reverentia *Abſolutè* & *Intranſitivè* deferatur rei creatæ. Hoc igitur poſterius eſt impia & idololatrica Paganorum v. g. Perſarum erga ſolem pietas. At illud prius conforme eſt præadductæ Chriſti Domini doctrinæ. Hinc enim *Matth. 22.* quoquè dixit: *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ ſuper illud ſunt; & quicunque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui ſedet ſuper eum.* Ex quo adeò manifeſtè patet, tum impietatem, tum à contrario pietatem, quæ rei corporali, quatenus habet reſpectum ad Deum, defertur, ipſimet Deo exhiberi. Pari proinde ratione cultus delatus Sanctorum Reliquijs non quieſcit in ipſis, ſed refertur

in

in ipſos Sanctos, imò *virtualiter*, & ex parte operis ſaltem in ipſum Deum, nec adeò impietatis damnari poteſt, niſi ipſammet Chriſti Domini, quatenùs docet, rebus corporalibus *quà in Deum relatis, habendam eſſe reverentiam*, doctrinam aliquis prætenſæ Reformationis Miniſter fortè præſumat arguere, eò vel maximè, quòd *cit. Matth. 5. v. 36.* ob talem reſpectum etiam prohibuerit, jurare per caput noſtrum, cùm non poſſimus unum capillum album facere, vel nigrum. A fortiori igitur Sanctorum capitibus & Reliquijs *Reſpectivè & Tranſitivè* deferri poteſt honor, quin periculum ſit idololatricæ impietatis.

43. Ad *nonam* Reſp. Talè formando argumentum. Fatente ipſomet Heideggero, fideles primævæ Eccleſiæ citrà ullum impietatis diſcrimen colebant umbram Petri, ac ſemicinctia Pauli tanquàm ſymbola miraculoſæ ſanationis per Sanctos Apoſtolos conferendæ. Atqui SS. Patres *præc. cap. prob. 6. allegati*, ſpeciatim Ambroſius & Auguſtinus *n. 26. & 27. relati* expreſsè teſtati ſunt, ex ſacris Reliquijs ſaltem *ſymbolicè*, nempe ſub ratione ſigni Sanctorum repræſentativi, & ut ſic in ipſos relati, proveniſſe miraculoſos effectus. Conſequens igitur eſt, quoad iſtud punctum eatenùs licere cum S. Cyrillo Hieroſolymitano *ſuperiùs n. 25. adducto*, ex umbrâ Petri, & ſudarijs Pauli argumentari ad ſacras Reliquias, ut omninò falſum ſit, quòd illud miraculorum donum fuerit Perſonale, umbris ac ſemicinctijs illis, vel potiùs Apoſtolis proprium, ita ut nullum talis doni veſtigium appareat in poſterioribus Eccleſiæ ſæculis; ſiquidem oppoſitum ſit efficaciter demonſtratum *ſuprà Diſſert. 3. Sect. 5.*

COROLLARIUM.

44. EX dictis infertur: Argumenta Georgij *præc. cap. 1.* deducta, non tantùm non eſſe ſoluta, ſed ita ulteriùs licere hunc in modum argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui ex proprij ſui cerebri inſtinctu damnat, quæ Sancti Patres primævæ Eccleſiæ tanquàm inſtrumenta cultûs Divini cum relatione in ipſum Deum, tanquàm unicum Latrevticæ adorationis objectum, eatenùs venerati ſunt, ut Deus huic venerationi, mediantibus Sanctis ſuis, tulerit teſtimonium per effectus etiam miraculoſos. At prætenſæ hodiernæ Reformationis ſpiritus damnat ſacrarum Reliquiarum cultum, ab ipſiſmet Orthodoxis antiquis Patribus frequentatū cum relatione ad Sanctorum venerationem, ac ipſius Dei Latrevticam adorationem, Deo talem cultum miraculoſis etiam effectibus probante: *uti hæc omnia conſtant ex dictis præced. cap. 3. & 4.* Viderit ergo ille Reformationis ſpiritus, an poſſit eſſe Divinus?

S E-

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Veneratione ſacrarum Imaginum.

CAPUT I.

Referuntur Argumenta Georgij.

Hic Author *cit. Rat. 3. Doc. 31.* uſum & cultum ſacrarum Imaginum probat tum ex S. Hieronymo *Epiſt. 27. aut lib. 3. Epiſt. 8.* ita ſcribente: *Proſtrataque ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat &c.* Tum ex D. Auguſtino *lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 10.* ſic diſſerente: *Credo, quòd pluribus locis ſimul Petrum & Paulum cum eo* (Chriſto videlicet) *pictum viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eandem paſſionis diem celebriùs & ſolenniter Roma commendat &c.* Ex quo adeò patet, in Eccleſiâ antiquâ ita fuiſſe uſum imaginum tum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, tum Chriſti Domini crucifixi, ut crux ipſummet Chriſtum repræſentaret, & quaſi ob oculos poneret, itaque in ipſum Dominum adorandum duceret. 1.

Idem auctor *Rat. 24. Exemplo 7.* inducit Confeſſionem Reformatæ Eccleſiæ, ex falsâ Divinarum Litterarum interpretatione impugnantis cultum ſacrarum imaginum. Etenim ex eo, quòd *Exodi 20. v. 4.* dicatur: *Non facies tibi ſculptile, aut imaginem aliquam earum rerum, quæ in cœlo ſurſùm ſunt &c.* Reformata fidei Confeſſio illicò concludit; imagines etiam Chriſti hominis, Angelorum, & omnium Sanctorum Cælitum eſſe prohibitas. Atqui hanc interpretationem impugnant ipſimet Reformationis prætenſæ Anteſignani Bullingerus *Decad. 2. Serm. 2. §. Porrò, &* Calvinus *Inſtit. lib. 2. cap. 2. ſect. 17.* 2.

Quinimò expoſitio illa reijcitur ex ipſis ſacris Litteris, Divino Spiritu hac de re mentem *Deut. 4. v. 19.* hiſce verbis exponente: *Nè fortè elevatis oculis ad cœlum, videas ſolem & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in Miniſterium cunctis gentibus &c.* Et *Deut. 17. v. 3. Cùm reperti fuerint apud te &c. vir, aut mulier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactum illius, ut vadant & ſerviant Dijs alienis, & adorent eos, ſolem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi &c.* Unde Georgius *n. 76.* concludit: Illo etiam Exodi præcepto nequaquam prohiberi ſacrum imaginum Sanctorum cælitum uſum, ſed ſacrilegum tantùm damnari falſorum Deorum, apud Gentiles invectum abuſum, utpote ſub ſolis, lunæ, aliorumque aſtrorum, imò & avium figuris frequentatum. 3. 4.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Vedroſij.

5. ILle Miniſter *cit. ſect. 4. in Exam. dicti Doc. 31.* arguit 1. Imaginum uſum non potuiſſe habere locum in primitivâ Eccleſiâ, utpote quæ pictores & picturas damnârit. Etenim Clement. Alexand. *in Protrept. ad Gentil. Pictoriam* vocare *Artem deceptricem, quam exercere Chriſtianis interdictum.* Tertullianum *lib. de Idol. cap. 3.* ita habere: *Artifices ſtatuarum & imaginum diabolus ſæculo intulit.* Lactantium *lib. 3. Inſtit. cap. 19.* ſic diſſerere: *Non dubium eſt, quin religio nulla ſit, ubicunque eſt ſimulachrum.* Concilium Eliberinum *can. 36.* ita ſtatuiſſe: *Placuit, picturas in Eccleſiâ eſſe non debere, nè quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Euſebium *hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 14.* teſtari: *Imagines Chriſti, & Apoſtolorum conſuetudine, ſeu more Gentili eſſe factas.* Gerſonem *Epiſt. de Neglig. Prælat. Imagines* vocare *Reliquias Idololatriæ Ethnicæ.*

6. Arguit 2. De ſæculo Auguſtini Caſſandrum *Conſult. cap. 21.* ita habere: *Sanè ex Auguſtino conſtat, ejus ætate ſimulachrorum uſum in Eccleſijs non fuiſſe &c.* Locum à Georgio ex illius Sancti Doctoris *lib. 1. de Conſ. Evangel. cap. 10. adductum* agere de deliris, qui eò uſque inſaniæ proceſſerint, ut dicerent, Chriſtum libros artem miracula patrandi continentes ſcripſiſſe, eoſque Petro & Paulo commiſiſſe. Ac proinde addere, quòd Georgius callidè ſuppreſſerit: *Sic omninò errare potuerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos ejus non in Sanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſiverunt. Nec mirum, ſi à pingentibus fingentes decepti ſunt.*

7. Arguit 3. Ejuſdem commatis eſſe, quod ex Hieronymi *Epiſt. 25.* attulerit de Helenâ Conſtantini Matre, de quâ tamen aſſerere Ambroſium *in Orat. de obitu Theodoſij: Regem adoravit, non lignum utique.* Hoc nihil facere ad crucis adorationem per Latriam, quam ſtatuerint Thomas *3. p. q. 25. a. 3. & 4.* Bellarm. *de Imaginib. lib. 2. cap. 21.* quorum utrumque commendâſſe imaginum adorationem abſolutam, quæ in ipſis terminetur.

8. Arguit 4. Chriſtianis primitivis nullas fuiſſe imagines, prout conſtat ex Ælio Lampuitio *in Alex. Sev.* ubi referat de Imperatore Alexandro, eum templa (in honorem Chriſti) in omnibus civitatibus ſine ſimulachris fieri juſſiſſe. Polydorum Virg. *lib. 6. cap. 13.* aſſerere, omnes fermè ſanctos Patres, *teſte Hieronymo, damnâſſe uſum imaginum, ob metum Idololatriæ.* Sæculo demum ſexto receptas fuiſſe imagines tanquàm rerum geſtarum monumenta, non ut cultûs inſtrumenta: veluti diſtinguant Caſſander *in Conſul.* & Ferus *in Expoſit. Decal. Exodi 20.* Gregorium I. adorationem imaginum

ſtri-

Digitized by Google

ſtrictè prohibere. Quam poſtea Græcos ſanxiſſe peſſimis auſpicijs Nicææ congregatos. A ſimulachris tamen Trinitatis abſtinuiſſe, quæ Damaſcenus *lib. 4. Orth. Fid. cap. 16.* (uti & Durandus) ſummi furoris & inſaniæ damnârit &c. B. Hilarium ita habere: *Deum negare, & Deum ullâ imagine exprimere, idem eſt &c.*

Arguit 5. Imagines ſuſtuliſſe & confregiſſe Serenum Epiſcopum Marſil. ſexto ſæculo. Eaſdem tolli curâſſe Imperatores Philippicum Leonem Iſauricum, Conſtantinũ V. & VI. Pulchella de hoc eſſe verba Caroli Magni adversûs Synodum Nic. II. *lib. 2. c.* 30. ubi haberi ſequentia: *Paulus Apoſtolus non, inquit, quidquid pictum eſt, ad noſtram doctrinam pictum eſt, ſed quicquid ſcriptum eſt, ſcriptum eſt ad noſtram inſtitutionem.* Item: *Non dicit omnis pictura, ſed omnis Scriptura Divinitùs inſtituta eſt, & apta ad docendum. Apoſtoli non imagines, ſed epiſtolas diverſas in mundi partes deſtinâſſe leguntur, nec per picturas genus humanum ab idolorum cultibus ad Fidei veræ puritatem revocare, ſed per ſcripturas.* 9.

Arguit 6. *ſect. 6. in Exam. Exempli 26.* Omnem imaginum cultum Religioſum, ceu Idololatriam fœdam cupere ſe Reformatos longè abeſſe, monitus voce Altiſſimi: *Non facies tibi ſculptile eorum, quæ in cælis ſunt ſuprà &c.* Hoc præceptum ſede ſuâ exturbâſſe Romanam Eccleſiam, ac nè caſſâ quidem nuce dignam eſſe exceptiunculam Georgij *pag. 308.* allatam, quòd per eas quæ in cœlo ſunt, interpretibus Calvino & Bullingero intelligantur ſol, luna, ſtellæ &c. non verò Sanctorum cælitum imagines. Deum inclamare 10.
Levit. 26. v. 1. Ne facite vobis idola, & ſculptile, aut ſtatuam nè erigitote vobis, nequè lapidem figuratum ponite in terrâ veſtrâ, ut incurvetis vos ante eum. Etenim quis (uti aſſerat Auguſtinus *in Pſal. 113.*) *adorat, vel orat intuens ſimulachrum, qui non ſic afficitur, ut ab eo exaudiri ſe putet, ac ab eo ſibi præſtari, quod deſiderat,* maximè, *cùm ipſæ imagines terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur, & non ſolùm ut vices gerunt exemplaris,* juxtà Bellarminum *cap. 21. de Imag. Sanctorum.*

CAPUT III.

Oſtenditur, uſum & cultum ſacrarum imaginum eſſe tum in ſacris Litteris fundatum, tum vivæ in Eccleſiâ Dei iugiter propagatæ, & SS. Patrum authoritatibus expreſſæ Fidei conformem.

Probatio prima, petita ex Dei per figuras corporales repræſentati adoratione probatâ in ſacris Litteris.

ETenim Veteris Legis Patriarchæ ac viri Sancti leguntur adorâſſe, dum 11.
ſub viſionibus ac figuris corporalibus ipſis apparebant vel Angeli, vel

Digitized by Google

Deus ipſe *Gen.* 1. ubi *v.* 1. dictum eſſet, Abrahæ apparuiſſe Dominum, mox *v.* 2. ita ſubditur: *Cùmquè elevâſſet oculos, apparuerunt ei tres viri &c. & adoravit in terram. Gen.* 19. *v.* 1. *Loth duos Angelos pronus adoravit.* Moyſes *Exodi* 3. flammam rubi, in quâ Deus apparebat, humiliter honoravit. Ioſue 5. *cap. v.* 15. intelligens Angelum eſſe, qui in ſpecie viri ſibi loquebatur, *pronus adoravit.* Daniel 10. *cap. v.* 6. Angelum in ſpecie viri veſtiti lineis &c. cum magno tremore & reverentiâ alloquitur. At verò omnes iſtæ apparitiones non fiebant niſi ſub figuris corporalibus: ſub ejuſmodi adeò figuris ſancti viri in antiquo etiam Teſtamento, approbante ſacrâ Scripturâ, vel Deum adorabant Latrevticè, vel Angelos inferiori cultu Duliæ honorabant. Ergo adoratio vel Dei Latrevtica, vel Sanctorum Cælitum per inferiorem Duliæ cultum veneratio in antiquo etiam Teſtamento à viris Sanctis taliter facta eſt, ut ſacra Scriptura eam omninò probet, & in exemplum proponat. At eo ipſo, quòd talis adorandi modus proceſſerit ex verâ Fide ac virtute Religionis, ita ſpectat ad Moralia, ut conſequenter teneat in Novâ etiam Chriſti Evangelicâ Lege, ſiquidem in hac vigeant adhuc Legis Antiquæ præcepta Moralia, uti clarè patet ex Decalogo ab ipſiſmet etiam Reformatis recepto.

Probatio ſecunda, quâ ex ſacris Ueteris Teſtamenti Scripturis probatur, imagines ſacras, earumquè venerationem Divinitùs præceptam, atquè adeò minimè repugnantem fuiſſe præcepto Decalogi.

121. Etenim Deus nihil potuit præcipere, quod *directè* ac *formaliter* pugnaret cum Præcepto Decalogi prohibentis, *nè Iudæi facerent ſculptile &c.* Atqui Deus *Exodi* 25. *v.* 18. non obſtante Iudæorum ad Idololatriam proclivitate, non tantùm mandavit Moyſi, ut faceret duos Cherubin aureos, qui utrumque lâtus propitiatorij tegerent: ſed *v.* 22. ſubiunxit ſequentia: *Inde præcipiam, & loquar ad te ſuprà propitiatorium, ac de medio duorum Cherubin, qui erunt ſupra arcam fœderis.* Similiter *Num.* 21. *v.* 9. Moyſes, *jubente Domino, fecit ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Quia proinde iſte ſerpens æneus poſitus fuit pro ſigno Chriſti nimirùm venturi, ac pro nobis morituri: imò quia ipſa Arca erat repræſentativa Dei populo Iſraelitico ſpecialiter præſentis; quia denique ad decorandam iſtam Arcam juſſu Dei factæ ſunt Cherubinorum imagines, in aperto jam eſt, Divino Decalogi mandato nullatenùs diſcrepare, quòd fiant imagines Dei ac Chriſti, atquè Sanctorum Cælitum. Atqui ſub ejuſmodi ſignis

Digitized by Google

nis ac imaginibus ita debebat Deus adorari, ut non quidem *Abſolutè*, ſed
Reſpectivè & *Tranſitivè* exhiberetur reverentia ipſiſmet imaginibus ac fi-
guris Deum repræſentantibus. Hinc enim *Ioſue 7. v. 6.* ita legitur: *Ioſue pro-* 13.
nus cecidit in terram coràm Arcâ (en reverentiam ipſimet Arcæ cum relati-
one tamen ad Deum habitam) *Domini uſquè ad veſperam, tam ipſe, quàm ſenes Iſ-
rael.* Hinc puniti ſunt à Deo Bethſamitæ 1. *Reg. 6. v. 19.* & Oza 2. *Reg. 9. v. 7.*
qui Arcam Domini minùs honorificè tractàrunt. Hinc *Levit. 19. v. 30.* Do-
minus præcepit Iſraelitis, *ut metuerent Sanctuarium*, in quo ſcilicèt erat Arca.
Nequè licebat niſi filijs Aaron, idquè ſemel in anno ingredi Sanctum San-
ctorum. *Levit. 19. v. 30. & Num. 4. v. 30.* Quæ omnia apertè probant, rebus
etiam corporalibus quà Deum repræſentantibus eſſe habendam reverentiam.
Quinimò Sanctis Sanctorum delatum fuiſſe honoré propter ipſos etiam Che-
rubin ibi repræſentatos & effigiatos, S. Hieronymus *Epiſt 17. ad Marcellam cap.*
3. ita teſtatus eſt: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Che-
rubin, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, Manna, virga Aaron, & altare aure-
um &c.* Ex quibus adeò patet, ex eo, quòd in Sanctis Sanctorum eſſent ima- 14.
gines Cherubinorum; ipſos Cherubinos ita fuiſſe inibi *Repræſentativè*, ut
ex hoc etiam reſpectu adorentur Sancta Sanctorum, ſicuti propitiatorium
quoquè ex reſpectu, quem habebat ad Deum, colebatur, cultu adeò Reſpe-
ctivo, & in ipſum Deum Tranſitivo. Atqui ratio imaginis eſt, in tantum
repræſentare prototypon, ut hoc cenſeatur *repræſentativè* eſſe in ipsâ ima-
gine. Conſequens proinde eſt, prototypon eatenùs eſſe colendum in ſui
imagine, ut huic competat quoquè cultus aliquis, non quidem *Abſolutus* &
Intranſitivus, ſiſtens nimirùm in imagine, ſed *Reſpectivus* & in ipſum prototy-
pon Tranſitivus.

Probatio tertia, per rationem ex ipſiſmet ſacris Litteris deductam.

ETenim nomini Dei deberi honorem & reverentiam, evincitur ex ſacris 15.
Litteris, paſſim clamitantibus, nomen Domini eſſe ſanctum, bene-
dictum, laudabile & glorioſum. Unde *Pſal. 32. v. 21.* dicitur: *In nomine ſan-
cto ejus ſperavimus.* Et *Pſal. 71. v. 19. Benedictum nomen maieſtatis ejus.* Item *Pſal.
112. v. 1. Et Pſal. 112. v. 2. Sit nomen Domini benedictum.* Et *v. 3.* dicitur: *Laudabile
nomen Domini.* Ob cujuſmodi adeò reverentiam nomini Dei debitam præ-
ceptum eſt à Deo *Exodi 20. v. 7.* in Decalogo: *Non aſſumes nomen Domini in
vanum.* Et *ad Philippen. 2. v. 15.* ita jubet Apoſtolus: *In nomine Ieſu omne genu
flectatur.* Atqui talis reverentia & honor nomini Dei debitus eſt, quòd ſub
tali nomine repræſentetur Deus, in quem tanquàm Principale obiectum ter-
minetur cultus ejuſmodi, nomini Domini ſolùm *Tranſitivè*, ac *Reſpectivè* tan-
quàm

Google

quàm objecto minùs principali, ac inſtrumentario delatus. Conſequens igitur eſt, rei corporali, quatenus eſt Dei repræſentativa (licèt iſta repræſentatio & ſignificatio pendeat ex hominum impoſitione) eatenus deberi reverentiam & honorem, ut iſte tamen tranſeat in ipſum Deum. Atqui tota ratio imaginis eſt in vi repræſentativâ ſui prototypi. Si proinde iſti debeatur aliquis cultus ſacer, erit conſequens, poſſe, *Tranſitivè* tamen, ac *Reſpectivè* deferri ejus quoquè imagini, licèt ſit quædam hominis factura. Quia ergo Deo cultus Latriæ, Sanctis verò Duliæ Latriâ infinitè inferioris, debetur, uti oſtenſum eſt *ſuprà Sect.* 1. *&* 2. conſequens eſt, eorundem imaginibus ritè deferri honorem aliquem, *Reſpectivum* tamen, & *Tranſitivum* in ipſum Prototypon: *uti ex uniformi Patrum Orthodoxorum conſenſu mox patebit.*

Probatio quarta, deſumpta ex vivâ fidelium Fide intra Eccleſiam Dei jugiter propagatâ, & SS. Orthodoxorum Patrum authoritatibus expreſſâ.

16. ETenim Canon Apoſtolorum in VII. Synodo relatus ſic habet: *Nè decipiantur ſalvati ob idola, ſed pingant ex oppoſito Divinam, humanamquè manufactam, impermixtam effigiem Dei vivi, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſiuſque ſervorum contra idola & Iudæos &c.* Dionyſius Areopagita *in quæſt. ad Titum* ſic ait: *Proinde nos etiam oportet, depoſitâ de ipſis vulgari opinione, INTRA SACRA SIGNA congruentem rebus cogitationem ſuſcipere, nec ea, quæ ſunt Divinarum formarum notæ, atquè exempla, & perſpicuæ arcanorum, naturamque ſuperantium ſpectaculorum IMAGINES contemnere.* Idem Divinus Doctor *lib. de Hierarch. cæleſti* ait, *Nos imaginibus ſenſum moventibus ad Divinas contemplationes quoad fieri poteſt, pervehi.* Tertullianus *lib.* 2. *adversùs Marcionem cap.* 22. ita diſſerit; *Similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cælo & quæ in terrâ, & in aquis, oſtendit & cauſas Idololatriæ ſcilicèt ſubſtantiam cohibentes, ſubjicit enim: Non adorabis ea, nec ſervies illis. Serpentis autem ænei effigies poſtea præcepta Moyſi, à Domino non ad Idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui à ſerpentibus infeſtabantur, & taceo de figurâ remedij: ſic & Cherubin & Seraphin aurea in Arca figuratum exemplum certè ſimplex ornamentum accommodata ſuggeſtus, longè diverſas terminando cauſas ab Idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quam ſimilitudo prohibetur.* Euſebius Cæſarienſis *lib.* 5. *Demonſt. Evang. Apparuit Deus Abraham ad quercum Mambre, quam ob rem ad hoc uſque tempus is locus, tanquàm Divinus ad honorem illorum, qui illic Abraham apparuerunt, vicinis populis celebratur, & ſpectatur adhuc firma therebinthus, & qui ab Abraham excepti ſunt hoſpitio, PICTURA ſic expreſſi &c.*

17. Sanctus Athanaſius *lib. interrogat. & Reſpons. ad Antiochum principem cap.* 38. Ab-

58. *Abſit, ut quemadmodùm Græci faciunt, nos Chriſtiani tanquàm Deos imagines adoremus. Affectionem duntaxàt, & charitatis noſtræ ſtudium erga* FIGURAM *perſonæ per imaginem expreſſæ declaramus &c. Chriſtiani non aliâ ratione imaginem colimus, niſi quemadmodùm, cùm filios noſtros & patres noſtros oſculamur, animi noſtri deſiderium indicamus &c.* Divus Baſilius *lib. contrà Iulian. Imperat.* cùm aſſeruiſſet, *ſe profiteri ſecundùm fidem immaculatam Chriſtianorum*, poſtea ſubiecit: *Unde & hiſtorias, & characteres imaginum illorum* (Apoſtolorum, Prophetarum, & Martyrum) *honoro & adoro, præcipuè cùm hoc ſit à SS. Apoſtolis nobis traditum, non eſt prohibendum, ſed in omnibus noſtris Eccleſijs eorum hiſtorias erigimus &c.* S. Gregorius Nyſſenus *Orat. de laudibus S. Theodoreti*, cùm meminiſſet, qualiter *in templo depingerentur fortia facta martyris, & certaminum præſidis Chriſti humana forma effigies*, ita ſubdit: *Solet etiam pictura tacens in pariete loqui, maximequè prodeſſe.* Divus Chryſoſtomus in liturgiâ relatâ *to. 5. operum illius, interprete Eraſmo edit. Baſileæ de anno 1558.* ſic habet: *Sacerdos egreditur è parvo oſtio portans Evangelium & converſus ad Chriſti imaginem inter duo oſtia inflexo capite cum exclamatione dicit. &c.* S. Ambroſius *ſerm. 10. in Pſal. 118.* ſic habet: *Qui coronat imaginem Imperatoris, utiquè illum honorat, cujus imaginem coronavit &c.* Et *lib. de Domin. Incarn. ſacram. cap. 7. Nunquid, cùm in Chriſto imaginem Dei, crucemquè veneramur, dividimus eum?* His accedunt præter alios Patres, Sancti Hieronymus & Auguſtinus partim *cap. 1.* relati, partim *ſeq. 4. cap.* unà cum nonnullis ſacris Concilijs referendi. Ex quibus adeò manifeſtum eſt, in hoc etiam de ſacris imaginibus retinendis, imò & venerandis articulo antiquæ Orthodoxiæ, vivæque adeò per hanc expreſſæ Fidei apertè adverſari hodiernam prætenſam Reformationem.

CAPUT IV.

Refelluntur Argutiæ Vedroſij.

AD *primam* Reſp. In Clemente Alexandrino nihil aliud de picturis & pictoribus me potuiſſe invenire, niſi quòd *lib. 6. contrà Iulian.* 18.
damnet quidem picturas Deorum ac Dearum, utpote vitiorum incentivas: attamen ibidem arguat Iulianum, miſeros illos dicentem, quibus cura ſit ſemper, & domos & frontes ſigno pretioſo crucis ſignare. Ad quod proinde ſuum argumentum firmandum inducit, quòd ſignum ſeu imago crucis Chriſti in memoriam reducat Chriſtum *pro omnibus mortuum, ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Unde tandem concludit, noſtras imagines docere pietatem. Tertullianus *cit. cap. 3. de Idololat.* agit de artificibus, quatenùs faciebant falſorum Deo-

Deorum ſimulachra: uti clarè patet ex illo capite integrè perlecto, atque adeò per Vedroſium falsè allegato. Nam imagines Sanctorum cælitum à periculo Idololatriæ immunes defendi ab iſto antiquo Doctore, conſtat ex ejuſdem verbis *præc. cap.* adductis. Idem refert *lib. de pudicit. cap. 7.* quòd in
19. calicibus ſacris Eccleſiæ Chriſtus in formâ paſtoris ovem in humeris portantis depingi, ſeu ſculpi ſolitus fuerit. Quem morem in argumentum deducens, ait: *Procedant ipſæ picturæ calicum veſtrorum.* Lactantius *cit. lib. 2. Inſtit. cap. 19.* apertè loquitur de talibus ſimulachris, quibus mens non erigatur ad Deum & Sanctos cœlites, ſed in ipſis, vel eorum prototypo, quod ſit infrà hominem, ſiſtendo, incurvetur ad aliquid ſe inferius: *uti hæc clarè patebunt allegatum locum integrè legenti.* At in aperto eſt, iſta procedere de Idolis falſorum Deorum, non de cultu ſanctos cælites, ſeu Chriſtum repræſentantium. De imagine enim crucis Chriſti crucifixi, quòd tempore Lactantij fuerit in templis expoſita & venerata, apertè conſtat ex ejuſdem carmine *De Beneficijs Chriſti.* Quanto inſuper terrore afficiantur dæmones ex imagine ſeu ſigno crucis, patet ex ipſius *lib. 4. cap. 27.* Ex Concilio Elibe-
20. rini congregato *36. canone* ita licet argumentari. Ideo placuit, nè picturæ ſint in templo, nè quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur. At hiſce verbis clarè ſupponitur, illius temporis Eccleſiæ morem fuiſſe, in parietibus Eccleſiæ depingi, quod colitur & adoratur. Nequè verò iſtud Concilium non quidem Oecumenicum, ſed Provinciale damnat, quòd res ejuſmodi ſub picturis effigiata, Chriſtus ſcilicèt fuerit adoratus, ſanctiquè cœlites ejuſmodi imaginibus expreſſi fuerint culti. Conſequens proinde eſt, iſtud Concilium ſuppoſuiſſe, quòd fideles colendo imagines ejuſmodi in hiſce non ſiſtant, ſed ſuam intentionem referant in rem ſub illis repræſentatam, ſcilicèt Chriſtum, ſanctoſquè cælites. Quia igitur iſta ſynodus nequè improbavit ſanctorum cœlitum, & Chriſti ſub imaginibus ſuis cultum & venerationem, nequè imagines in templis abſolutè prohibuit, ſed cum reſtrictione, nè ſcilicet imagines, ſub quibus Chriſtum adoramus, Sanctoſquè colimus, depingantur in parietibus, manifeſtè ſequitur, hujus reſtrictivæ prohibitionis longè aliam, quàm hodie fingat prætenſa Reformatio, rationem fuiſſe, nempe nè illis temporibus eſſent Sanctorum ac Chriſti imagines expoſitæ ludibrio inimicorum Chriſtiani nominis, dum inſtantibus horum irruptionibus, non potuiſſent facilè amoveri, ſi eſſent depictæ in parietibus. Quem adeò Canonis illius ſenſum hodiequè probat conſuetudo
21. Eliberinæ Eccleſiæ. Euſebius *loco cit.* nihil habet ſimile Vedroſianæ allegationi, ſed *ibi* refert, quanto cum gaudio antiqua Eccleſia celebrârit Martyrum feſtivitates, qualiterquè honorârit & exornârit eorundem Reliqui-

Digitized by Google

as. Verum quidem eſt, verba Euſebij per Vedroſium adducta inveniri *lib. 7. Ecleſ. Hiſt. cap. 14.* Attamen ibidem refert, quanto in honore habita tunc fuerit Cathedra S. Iacobi, utpote hujus Apoſtoli repræſentativa. Refert etiam, quòd præ foribus domûs Hemorroiſſæ à Chriſto Domino mirabiliter ſanatæ ænea mulieris hujus effigies inſtar ſupplicantis collocata, tunc fuerit exhibita, cui è regione ſtatua, ſive effigies & imago Ieſu Chriſti erecta manum mulieri porrexerit, ad cujus adeò pedes peregrina quædam & inuſitatæ herbæ ſpecies enaſcatur, habens vim & facultatem cujuſque generis morbis medicandi. Ex quibus adeò patet, ſacras imagines utpote miraculis, & antiquæ Orthodoxiæ pietate ex ipſius etiam Euſebij teſtimonio probatas, non potuiſſe ab iſto improbari. Quarè dum *ibidem* ait, Chriſti & SS. Apoſtolorum imagines ad gentilis conſuetudinis ſimilitudinem fuiſſe expreſſas, loquitur de ſimilitudine *Materialiter* duntaxat, quoad extrinſecam ſpeciem ſpectatâ; at *Formaliter* quoad venerationis in Chriſtum & Sanctos, mediantibus ejuſmodi imaginibus, directæ intentionē, non tantùm non improbat illam antiquæ Orthodoxiæ conſuetudinem, ſed *prætactum cap. 14.* hiſce tandem verbis concludit: *Unde declarant perſpicuè, quemadmodùm veteres Patres ad noſtram uſque ætatem ſanctis viris ob eorum erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non ceßent.* Quæ ex Gerſone profers Vedroſi, reperire in iſtius operibus non potui. Ut ut tamen res ſe habeat, mentem hujus Doctoris à Reformatione tuâ prætenſâ prorſùs alienam accipe ex ijs, quæ habet *pag. 25. litt. Q.* ubi probat, imagines non prohiberi. Item ex ijs, quæ diſſerit *pag. 21. Litt. O. & pag. 69. litt. D. & pag. 73. litt. L. & pag. 87. litt. H.* probans, imagines Sanctorum non contemnendas, imò venerandas eſſe, poſſequè adeò imaginum certarum ſingularem cultum ex intentione iuſtificari. Nec non ex ijs, quæ affert *pag. 25.* aſſerens, Chriſtum imaginem ſuam miſiſſe Abagaro. En igitur Vedroſi, qualiter Doctores à temetipſo *citati* tuam prætenſam Reformationem validis telis confodiant. 22. 23.

Ad *ſecundam* Reſp. Tametſi Caſſander non ſit in cenſu Catholicorum ſcriptorum, ipſius tamen teſtimonium necquicquam prodeſt tuæ Reformationi, ſiquidem nec hodie, nec tempore S. Auguſtini in Eccleſiâ fuerit uſus ſimulachrorum, pro *Idolis* ſtrictè ſumptis ſupponi ſolitorum. Illa verò, quam ex S. Auguſtino adducis, exceptio nullatenùs ſolvit argumentum Georgij. Etenim ille ſanctus Eccleſiæ Doctor *cit. lib. 1. de Conſe. Evang.* agit quidem de deliris, eò uſque inſaniæ procedentibus, ut fingerent libros aliquos à Chriſto Domino ad Petrum & Paulum conſcriptos: attamen *ibidem* addit, iſtos impoſtores ad maiorem veri ſimilitudinem affricandam, hoſce 24.

libros finxiſſe à Chriſto Domino directos ad illos, quos Chriſtiana Fides agnoſceret, familiariùs egiſſe cum Chriſto. At iſtud ab illis impoſtoribus agnitum fuiſſe ex picturis, dum nimirum pluribus in locis viderent cum Chriſto ſimul pictos Petrum & Paulum. Ex quo proinde ritè infertur à Georgio, illo jam tempore fuiſſe conſuetudinem, picturis exprimendi Chriſtum Dominum, & unà cum iſto SS. Apoſtolos Petrum & Paulum.

25. Ad *tertiam* Reſp. Vedroſi nolens volens fateris, Helenam S. Conſtantini matrem, referente S. Hieronymo, ita ſe proſtraviſſe coram cruce, ut, dû quaſi Chriſtum Dominum pendentem cerneret, hunc adorârit. Et hoc ipſum eſt, quod S. Ambroſius *in Orat. de obitu Theodoſij* de hac ipſa Helenâ peroravit: *Regem*, inquiens, *adoravit, non lignum utique*. Hinc autem evincitur, crucem ita eſſe Chriſti Domini repræſentativam, ut quis coram illâ ſe proſternens non jam lignum adoret, ſed Chriſtum Dominum ſub tali imagine repræſentatum. Cùm proinde Romana Eccleſia non aliter veneretur crucem, niſi quatenùs ſuâ repræſentatione ducit in Chriſti Domini adorationem, conſequens eſt, hodiernam quoquè Romanam Eccleſiam ſe proſternendo coràm Chriſti Domini cruce, convenire cum antiquâ Orthodoxiâ.

26. Quòd autem impudenti tuo calamo ſcripſeris, Thomam 3. *par. q.* 25. *a.* 3. & 4. (uti & Bellarmінum) commendâſſe Abſolutam imaginum adorationem, quæ in ipſis terminetur, aperta tua calumnia eſt. Audi enim Angelicum illum Doctorem *cit. a.* 3. ita ſcribentem: *Dicendum, quòd imagini Chriſti, in quantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur. Relinquitur ergo, quòd exhibeatur ei reverentia ſolùm, in quantum eſt imago: & ſic ſequitur, quòd eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cùm ergo Chriſtus adoretur adoratione Latriæ, conſequens eſt, quòd ejus imago ſit adoratione Latriæ adoranda.* Ex quo adeò patet, cruci exhiberi quidem Latriam, non aliter tamen, quàm imagini Chriſti. At imaginis eſt totum, quod eſt, ita referri in rem effigiatam, ut conſequenter imago Chriſti non adoretur propter ſe ipſam, ſed propter Chriſtum, cujus eſt imago, nec adeò adoratio & reverentia ipſi exhibita in eâ terminetur: uti apertis verbis tradit D. Thomas *cit. ad* 2. & 3. En igitur Vedroſi, quàm perfidè allegâris hunc Doctorem Angelicum.

27. Ad *quartam* Reſp. Quid ex hoc Vedroſi contendis probare, quòd Alexander Severus ſimulachra (quæ ſunt dæmonum idola) prohibuerit, poni in Eccleſijs? Sed ex Polydoro Virgilio *lib. 6. cap.* 13. ais, omnes fermè Patres teſte Hieronymo ob metum Idololatriæ damnâſſe uſum imaginum. At triplici hîc falſi crimine te obſtrinxiſti. Etenim ſi Polydorum integrè legas, invenies, ipſum meminiſſe tum imaginis Chriſti ab ipſomet Chriſto-

ſto Domino noſtro miſſæ Toparchæ Ediſſeniorum Abagaro, tum imagi-
nis Chriſti per ipſum expreſſæ in ſudario, & traditæ Veronicæ, tum ima-
ginis Sanctiſſimæ Deiparæ per S. Lucam Evangeliſtam depictæ. Inveni-
es *ibidem*, qualiter hic auctor probet, honorem imaginis transferri ad ho-
norem exemplaris, qualiterque hanc ob cauſam eam conſuetudinem, ha-
bendi, & colendi ſacras imagines, non modò admiſerint Patres, ſed au-
thoritate ſextæ ſynodi ſtatutum ſit, ut ſacræ Divorum imagines in templis
ponerentur, magnaquè veneratione colerentur. Quamvis proinde in
hominibus idololatriæ eatenùs aſſuetis, ut cultum imaginibus delatum vel
ſuâ intentione non transferrent in honorem exemplaris, vel ſub hiſce ne-
què Deum cultu Latriæ, nequè Sanctos infinitè inferiore Duliæ cultu co-
lerent, fuerit periculum, nè ruerent in illud immaniſſimum ſcelus, atque
adeò reſpectu horũ Patres antiqui debitam adhibuerint cautelam: quia tamẽ
iſtud diſcrimẽ ex ipsâmet catecheticâ juventutis informatione jam jam ſub-
latum eſt, idcirco Polydorus adductus illam ſacrarum imaginum conſue-
tudinem probat ex primitivæ Eccleſiæ uſu per ipſum Chriſti Domini ex-
emplum firmato, & authoritate ſextæ Synodi ſtabilito adversùs Icono-
claſtas hodiernæ prætenſæ Reformationis anteſignanos. Quinimò iſtum 28.
ſacræ Eccleſiæ uſum Patribus antiquis Orthodoxis uniformiter eſſe pro-
batum, conſtat *ex præc. cap. prob. ult.* ut in hoc adeò articulo Vedroſius ſe
reum de altero quoquè falſi crimine fecerit, aſſerendo ex Polydoro (haud
integrâ, ſed mutilatâ fide) *citato*, univerſos fermè Patres uſum imagi-
num damnâſſe. Cui tertium quoquè adjecit falſi crimen, ad ſuum inten-
tum adducendo S. Hieronymum, quem tamen conſtat, hac in parte ex in-
ſtituto pugnâſſe adversùs Vigilantium hæreticum, prætenſæ tamen Re-
formationi amiciſſimum. Quoad Caſſandri, utpote haud Catholici, au-
thoritatem, non eſt, cur ea nos multum moveat. Ex Fero autem longè
alius legenti patebit ſenſus, quàm allegatur à Vedroſio. Verum quidem
eſt, in Synodo VII. *Act. 6.* ex Pſeudoſynodo Conſtantinopolitanâ ſub nomi-
ne Gregorij ex S. Epiphanio allegata fuiſſe duo loca adversùs ſacras ima-
gines, illâ ipsâ tamen horâ ab hæreticis ſuppoſita convincebantur. Quàm
verò quoad Sacrarum imaginum cultum ab hodiernâ Reformatione re-
motus fuerit Gregorius I. clarè oſtendunt ejus verba *lib. 7. Epiſt. 5. induct.
2. ad Ianuarium*, item *Epiſt. 53. circà finem ad Secundinum.* Quâ de causâ ip-
ſemet quoquè Calvinus *lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 5.* in Gregorium invectus fuit,
longè adeò diverſus à Vedroſio. Sed inquiet iſte Miniſter, hunc Sanctum 29.
Pontificẽ prohibuiſſe ſaltem adorationem imaginum. Et hinc *lib. 9. Epiſt. 9. in-
duct. 4. ad Servitium* ſic ſcripſiſſe: *Perlatum ad nos fuerat, quòd inconſiderato zelo ſuccen-*

ſus SS. imagines ſub hac quaſi excuſatione, nè adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudamus, fregiſſe verò, reprehendimus &c. Verùm quid ex hoc probas, niſi adorationem imaginibus *Principaliter* & *Intranſitivè* delatam prohiberi quidem: attamen ſi referatur in exemplar, ab iſto S. Eccleſiæ Doctore & Pontifice Maximo vel maximè probari, oſtendunt ejuſdem verba *cit. Epiſt. 53. ad Secundinum circa finem* ita ſcribentis: *Scio quidem, quòd imaginem Salvatoris noſtri non ideò petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filij Dei &c. Et nos quidem non quaſi ante Divinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur &c.* Allegas denique Vedroſi Damaſcenum, quaſi *lib. 4. Orth. Fidei cap. 16.* imagines Trinitatis damnârit inſaniæ ac furoris. At nihil horum ibidem extat, ſed egregiè *ibi* defendit cultum Sanctorum, & ſacrarum Reliquiarum, imaginumque ac ſtatuarum pro ipſorum honore erectionem. Verum quidem eſt; quòd S. Hilarius *loco citato* ſcripſerit, *idem fore, ſi quis Deum negaret, vel ipſum aliquâ imagine vellet EXPRIMERE.* At hoc eſſet, conari ad talem formandam imaginem, quâ Deus repræſentaretur ſecundùm propriam ſuam naturam: hoc enim ſignificat verbum tò *Exprimere.* Illud autem tam remotum eſt à Romanâ Eccleſiâ, ut proptereà ſacrum Tridentinum Concilum *Seſſ. 25.* ita decernat: *Doceatur populus, Divinitatem non figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit.* Cujuſmodi adeò ſimilitudo Dei, ut eſt in ſe, ſecundum propriam ſuam Naturam expreſſiva, reprobatur *Iſaia 40. v. 17. v. 22. & 25. cap. 46. v. 5. Item Act. 17. v. 29.* Quare non niſi Metaphoricè repræſentari ſolet Deus, Sanctiſſimaquè Trinitas ſub imaginibus Eccleſiæ Romanæ confectis. At ejuſmodi Metaphoricam Dei, Sanctiſſimæque Trinitatis imaginem & figuram licitè exhiberi, patet ex ſacris Litteris *Gen. 28. v. 13.* ubi Iacob videbat *Dominum ſcalæ innixum.* Et *Exodi 3. v. 2.* Moyſi apparebat Deus *in flammâ ignis de medio rubi.* Inſuper *Iſaia 6. v. 1.* legitur hic Propheta, *Dominum vidiſſe ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Michæas quoquè Propheta *3. Reg. v. 19. vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum.* Et Daniel *cap. 7. v. 9.* aſpexit Deum tanquàm *Antiquum dierum.* Denique *Matth. 3. v. 16.* Ioannes Baptiſta *vidit Spiritum Dei deſcendentem, ſicut columbam.* Quia proinde ipſemet Deus Metaphoricè repræſentavit ſe, Divinaſque Perſonas ſub ejuſmodi figuratis formationibus, non eſt, cur hac in re culpari poſſit Romana Eccleſia.

Ad *quintam* Reſp. Non eſſe, quòd Vedroſius glorietur de Imperatoribus Philippico, Leone Iſaurico, & Conſtantino quinto & ſexto tanquàm imaginum ſacrarum extirpatoribus: tum quòd iſti Imperatores non tantùm fuerint notorij hæretici, veræ Orthodoxiæ perſecutores, ſed inſuper

gra-

graviſſimis ſceleribus ac tyrannide obſtricti probentur ex Zonarâ *pag. 79. 81. 86. & 97. to. 3.* Bedâ *in Chronico to. 2. pag. 117.* Cedreno *pag. 396.* Urſpergenſi *pag. 156. An. 718. & pag. 157. Anno 718. & alibi.* Cuſpiniano *pag. 253.* Paulo Diacono *lib. 21. hiſt. Miſcell.* Sabellico *Enneade 8. lib. 8.* Blondo *Decade 2. lib. 1.* Platinâ *pag. 108.* Tum quòd illi Imperatorum antiquæ Orthodoxiæ adverſantium conatus ſint repreſſi à Synodo Nicænâ II. Generali VII. *Act. 7.* ita decernente: *Fatemur unanimiter, nos Eccleſiaſticas Traditiones ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes &c. De numero eſt imaginum effiguratio &c.* Et infrà: *His ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & Sanctorum noſtrorum, & Divinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in quâ S. Spiritus inhabitat, traditionum obſervantes, definimus cum omni diligentiâ & curâ venerandas ſanctas imagines &c. in templo Dei collocandas &c. maximè autem imaginem Domini & Dei Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium* 32. *deinde ſanctorum virorum &c.* Inducit quidem Vedroſius aliqua ex libris Carolinis (uti vocant) verba, quibus nititur illam ſacram Nicæni Concilij definitionem enervare. At fruſtrà, tum quia ex Adriani Papæ libro dictorum Carolinorum librorum refutatorio adhuc extante conſtat, illos libros ſub nomine Caroli Magni jactitari jam ſolitos, fuiſſe ab illo Imperatore miſſos ad prædictum Pontificem, ut refutarentur. Non ergo veriſimile eſt, illorum librorum authorem fuiſſe Carolum Magnum; maximè cùm neque Calvinus id aſſerere audeat, ſed *lib. 1. inſtit. cap. 11. §. 14.* dicat, illos ſub nomine Caroli Magni extare. Quinimò in illorum librorum præfatione proponitur author ſub nomine *Eliphili* conantis probare, Carolum tunc authorem, quod ſanè opus non fuiſſet, ſi conſtitiſſet, à Carolo Magno compoſitos fuiſſe. Neque verò illa præfatio ante Annum 1541. apparuit, ab aliquo Acatholico edita, dum tamen non additur, ubi, vel quando reperta ſit. Tum quia ex Zonarâ, Cedreno & Paulo Diacono *in vitâ Leonis Iſauri* conſtat, Romanos Pontifices illorum temporum excommunicatis Græcis Imperatoribus, ſe in tutelam Francorum contuliſſe, atquè tandem imperium in eos tranſtuliſſe, eam præcipuè ob cauſam, quòd Imperatores Græci patrocinarentur hæreſi Iconomachorum, econtrario autem Francorum reges in antiquâ Fide conſtantes permanerent. Nullâ proinde ratione veriſimile erit, Carolum Magnum Imperatorem eâdem cum Græcis hæreſi adversùs Eccleſiam Romanam laborâſſe. Illud igitur ex librorum Carolinorum authoritate petitum argumentum facilè evaneſcit; quinimò ſi Vedroſio libris iſtis inhærere placeat, oportet, ut ſequentibus ibi expreſſis articulis ſuæ prætenſæ Reformationi apertè repugnantibus ſiſtat: *tum quòd Romanus Pontifex à Deo primatum habeat, & judicium ſupremum in controverſijs Fidei; tum quòd Sancti ſint invocandi, & illorum Reliquiæ venerandæ.*

Ad

33. Ad *ſextam* Reſp. Sic argumentando. Si ipſius Dei juſſu in ſanctuario Antiqui Teſtamenti ſint effigurati Cherubini, non potuit Deus prohibendo, nè fierent eorum, quæ in cœlis ſunt, imagines, intellexiſſe ſanctos cælites. Atqui ex ſacræ Scripturæ indubitatis textibus apertè conſtat, ipſius Dei juſſu in Sanctuario Antiqui Teſtamenti effiguratos eſſe Cherubinos. Non igitur leviuſcula, ſed in ſacris Litteris fundata eſt exceptio Georgij, aſſerentis ſub illo Divino præcepto, quo imagines eorum, quæ in cœlis ſunt, prohibebantur, nullatenùs intelligi Sanctorum cœlitum imagines. Quinimò *ex allegato Levit. cap. 26. v. 1. ſacro Textu* apertè conſtat, fuiſſe à Deo prohibitas imagines cum iſto addito, *ut incurvetis vos ante eos*. At iſte loquendi modus deſumptus eſt ex Hebraico, cujus propria phraſis eſt ſub incurvatione intelligere adorationem. Unde dum *Pſal. 21. v. 28.* dicitur: *Adorabunt in conſpectu tuo univerſæ familiæ gentium*, habetur in Hebraico: *Inclinabunt ſe ad faciem tuam.* Pari proinde modo circà prætactum Levitici ſacrum Textum ubi in Hebraico legitur: *Ut incurvetis vos ante eum*, Latina vulgata editio habet:
34. *Ut adoretis eum.* Cui concordat etiam Græca verſio, nec non interpretatio ex Græco Septuaginta, uti Chaldaicæ quoquè paraphraſis tranſlatio. Et hinc, ubi Deus prohibuiſſet factionem ſculptilis, addidit: *Ego enim Dominus Deus veſter*: ſive: *Nam ego Iehova Deus tuus, Deus fortis zelotes ſum.* Ex hoc autem inſinuatur ratio illius legis, nè ſcilicet alteri, quàm Deo deferatur cultus Divinus Latrevticæ adorationis. At dum imagini Dei, non quidem ut eſt in ſe, ſecundùm naturæ ſuæ propriam rationem, ſed *Metaphoricè* ac *figuratè* repræſentanti, *Tranſitivè*, *Inſtrumentaliter*, ac *Reſpectivè* cum relatione ad ipſum Deum defertur honor ſeu incurvatio, iſta *Abſolutè*, *Terminativè*, *Ultimatè*, & *Intranſitivè* non alij exhibetur, quàm Deo, uti definit ſacrum Tridentinum Concilium *cit. Seſſ. 25.* conformiter ijs, quæ tradunt Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus *Orat. de Imaginibus.* Damaſcenus *Orat. 1. de Imag.* S. Chryſoſtomus *Hom. 33. in Ioan.* Divus Athanaſius *Orat. 4. contrà Arianos* ſic concludens: *Qui igitur adorat imaginem, in illâ adorat ipſum regem, quippe cùm ipſa imago nihil aliud ſit, quàm regis forma ac ſpecies.* Cui concinunt SS. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto cap.* 18. Ambroſius *in Pſal.* 118. *Serm.* 10. Auguſtinus *lib. 3. de doctrinâ Chriſt. cap. 9.* ita diſſerens: *Qui verò aut operatur, aut veneratur utile ſignum Divinitùs inſtitutum, cujus vim, ſignificationemquè intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & tranſit, ſed illud potiùs, quo talia cuncta referenda ſunt.*
35. Et hinc Vedioſius huic S. Eccleſiæ Doctori apertè injurius eſt, dum ejus ſententiam *in Pſal.* 113. nullâ ad præcedentia & ſubſequentia ratione habitâ, in ſenſu ab ejus mente longè diverſo, mutilè allegat, cum ibidem apertè loquatur de cultu adorationis imaginibus creaturarum non quidem *Intranſitivè*

dela-

delato, ſed tamen ultimatè terminato in ipſis creaturis, ſole, mari &c. ſub Ethnicis figuris inſtar Deorum adorari ſolitis. Ubi autem de inſtrumentis, & vaſis ſacris in Eccleſiâ Romanâ coli ſolitis (idem eſt de ſacris imaginibus) loqui cœpit, aſſerendo *nos per ea ſupplicare Deo*, diſertè profitetur, cultum Tranſitivum ejuſmodi inſenſibilibus, Deo tamen ſacratis rebus à Romanâ Eccleſiâ deferri ſolitum. Quod ipſum claris etiam verbis docuit Bellarminus *cit. cap. 21. ad 1. object.* expreſsè dicens: *Imagines ſive honorentur propriè, ſive per ſe, ſive per accidens, ſemper honorari propter exemplar, & ſemper honorem earum tranſire ad exemplar.* Unde iterum iterumquè proditur fraus Vedroſij mutilè citantis Bellarminum, ut ſenſum ab ipſius mente alieniſſimum ipſi affricaret.

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur: Georgij fundamenta *cap. 1.* deducta, non tantùm non 36.
eſſe ſoluta, ſed Vedroſium multis falſis allegationibus gravi reatu ſe obſtrinxiſſe. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui Patrum antiquorum ſenſu rejecto, in errores jam antiquitùs damnatos ita ſe præcipitem agit, ut non niſi falſis allegationibus ſe ad ſpeciem tueri conetur. At Reformati Miniſterij ſpiritum ita ſe habere in præſenti circà ſacrarum Imaginum uſum articulo, conſtat *ex præs. cap. 3. & 4.* Viderit ergo iſte ſpiritus, quomodò poſſit eſſe Divinus?

DISSERTATIO XV.

De ſacris ac religioſis Peregrinationibus.

1. ISthæc controverſia in præſenti diſcutitur occaſione Diſſertationis adversùs Peregrinationes religioſas ab Ioanne Heinrico Heideggero Tigurino Doctore & Profeſſore Anno 1669. editæ, ſed refutatæ à D. Bernardo Baldinger, Eccleſiæ Collegiatæ Badenſis Præpoſito, & Auguſtino Reding Monaſterij Einſidlenſis Decano, tum Vindiciarum ab eodem Doctore contrà haſce Refutationes repoſitarum. At quia prætactus Tigurinus Profeſſor non tam ex ſacris Litteris, ſeu Patrum Orthodoxorum allegationibus procedit, ideò duas duntaxat hìc exhibebimus Sectiones, quibus pleraque ejus argumenta ſtylo hactenùs conſueto excutientur, reliqua verò minùs digna brevioribus Corollarijs expedientur.

SECTIO I.

An pro ſacris ac religioſis in Romanâ Eccleſiâ frequentatis Peregrinationibus ſtent aliqua Fidei argumenta?

CAPUT I.

Referuntur Baldingeri argumenta.

2. HIc Author in ſuâ Theologicâ Diſſertat. pro religioſis Peregrinationibus argumentatur 1. ex ſacrâ Scripturâ. Tum quia *Deut. 16.* Deus inſtituit, ut omnes filij Iſrael ter in anno peregrinarentur ad tabernaculum, ſeu templum Domini. Quod equidem præceptum ſtudioſè ſervabant Elcana, & Anna uxor ejus *1. Reg.* 1. nec non Chriſtus ipſe cum Matre ſuâ & Ioſeph *Lucæ 2.* Evnuchus quoquè Æthiops è longinquâ regione veniebat adorare in Ieruſalem. *Act. 8.* Tum quia *2. Paral. 6. v. 36.* orabat Salomon, ut Deus in templo ſibi conſecrato exaudiret quoquè peregrinum & externum, qui non eſſet de populo Iſrael. Cui orationi Deus reſpondit indefinitè, *quòd aures ſuæ eſſent erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit &c. cùm elegerit & ſanctificaverit locum iſtum, ut nomen ſuum ibi ſit in ſempiternum.* Tum
3. quia licèt iſthæc obtigerint in Teſtamento Antiquo, dum Meſſias venturus habitabat in templo Hieroſolymitano per typum & figuras: nihilominùs ſub

Digitized by Google

ſub novi etiam Teſtamenti lege, Chriſto Domino jam ſedente ad dexteram Patris, locum habent; ſicut enim in templo veteri habitabat Chriſtus per typum, ita multò magis modò habitat in hoc vel illo loco, per inſtrumenta ſuæ paſſionis, aliaquè monumenta noſtræ redemptionis, veluti quædam victoriæ trophæa: ratione quorum adeò monumentorum hodiequè accidit, ut unus locus ſit alio ſacratior. Tum denique quia *Act. 5.* legitur, non 4.
ſolos Hieroſolymitas, ſed & plurimos alios ex vicinis civitatibus properâſſe cum ægrotis & obſeſſis ad umbram S. Petri, ut eâ tacti ſanarentur. Et *Act. 19.* ſudaria, cùm corpus Pauli tetigiſſent, & languidis impoſita fuiſſent, languores curabant, & pravos dæmones abigebant. A fortiori igitur licet accedere ſepulchrum Chriſti, limina Apoſtolorum, & tumbas SS. Martyrum, ut ibi animarum, corporumquè ſalutem conſequantur.

Argumentatur 2. ex SS. Patribus. Nam Euſebius *lib. 6. Hiſt. cap. 9.* unà 5.
cum S. Hieronymo *lib. de viris illuſtribus in Alexandro* teſtatur, S. Alexandrum Epiſcopum tum voti, tum locorum ſanctorum viſendorum causâ conceſſiſſe Hieroſolymam. Neque exceptiones à Pſeudoreformato Miniſterio hîc opponi ſolitas alicujus eſſe momenti, conſtat ex Refutationibus à Baldingero *ibidem* expreſſis. Idem Euſebius *lib. 3. de vitâ Conſtantini*, & Ambroſius *Orat. de obitu Theodoſij*, laudant Helenam, quòd religionis causâ conceſſerit Hieroſolymam. Sacris porrò peregrinationibus authoritatem conciliant S. Hieronymus *Epiſt. 17. ad Marcellam.* Divus Auguſtinus *Epiſt. 137. ad Clerum & populum Hipponenſem*, item *Epiſt. 42.* S. Chryſoſtomus *in 2. ad Corinth. 1. Hom. 26.* Et *Hom. Quòd Chriſtus Deus.* Item *Hom. 8. in 4. ad Epheſ.* S Epiphanius *de Prophet. vitâ & interitu c. 8. & 9.*

Argumentatur 3. ex ratione. Etenim pium & honeſtum eſt, profiteri *im-* 6.
mediatè ſuam magnam æſtimationem de excellentiâ Dei, & *mediatè* ipſam Dei excellentiam. Hoc autem fit per ſacras peregrinationes, ad ſepulchrum v. g. Chriſti.

Argumentatur 4. ex miraculis. Hæc enim ſunt Divina quædam ſuf- 7.
fragia. At illa loca, quæ accedimus devotionis causâ, creberrimis ac præclariſſimis illuſtrantur miraculis in ſalutem animæ & corporis eorum, qui eò accedunt.

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Heideggeri.

Iſte Tigurinus Profeſſor *in ſuis Apologet. ſeu Vindicijs adverſùs Baldingerum præ-* 8.
ſatum Diſſert. 1. §. 6. arguit 1. Ex Veteris Teſtamenti ſacris Litteris, non

 lice-

Digitized by Google

licere pro religioſis peregrinationibus in Novo Teſtamento inferre. Etenim in Veteri Teſtamento peregrinationes Iſraelitarum diſerto mixas fuiſſe mandato Dei *Deut.16. v.16.* At peregrinationes Pontificias deſtitui Dei mandato, nec adeò pertinere ad Dei cultum, ſed ad cultum voluntarium, qui à Paulo *Coloſſ.* II. *v. 23.* damnetur *ſuperſtitionis*, ſiquidem omnis cultus à Deo non inſtitutus ſit voluntarius, adeoquè ſuperſtitio & religio prohibita à Deo *Deut. 12. v. 32. Eſaia cap. 1. v. 12. & cap. 30. v. 31. Matth. 15. v. 9.*

9. Arguit 2. *§. 7. & 8.* Iſraelitis eundum fuiſſe in locum, in quo Deus conſtituerat memoriale nominis ſui, nempe Tabernaculum, ſeu Arcam. At in Novo Teſtamento locorum differentiam penitùs ſublatam eſſe. *Ierem. 3. v. 16. Joan. 4. v. 21. 1. Timoth.* II. *v. 8.* olim Hieruſalem fuiſſe ignem Iehovæ, *Eſa. 31. v. 9.* At in Novo Teſtamento de quolibet jam loco dici poſſe: Hic eſt domus Dei & porta cœli. *Gen. 28. v. 17.* Ubi enim Chriſtus ad thronum magnificentiæ ſuæ eſt evectus, nullam in certo aliquo terræ loco Divinitùs ad id conſecrato, vel realem, vel typicam habitationem obtinere: alioquin ſi in terrâ adhuc habitaret, Sacerdos noſter non eſſet, cùm Sacerdotes ſint in terrâ, illi demum, qui ſecundùm legem dona offerunt. *Heb. 8. v. 4.* Nec juvare oppoſitionem Baldingeri *pag.* 8. contendentis, Chriſtum habitare in hoc, vel illo loco per inſtrumenta ſuæ paſſionis, ceu trophæa victoriæ. Nam Iudæos, & ſathanam ipſum fuiſſe inſtrumenta paſſionis Chriſti, quem ex poteſtatibus quoquè tenebrarum erexiſſe trophæa victoriæ, nec tamen ad iſthæc licere inſtituere votivas peregrinationes. Scripturam nuſpiam dicere, quòd Chriſtus in terris habitet per inſtrumenta ſuæ paſſionis, & victoriæ trophæa, ſed quòd purgatione peccatorum per ipſum factâ, conſideat ad dexteram magnificentiæ in Excelſis. *Heb. 1. v. 3. &* 8. coll. cum *Epheſ.* I. *v. 20.* Agnoſcendam Scripturam dicentem: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite.* Trophæa Chriſti præcipuè eſſe fideles ab ipſo redemptos. Maxima verò ibi eſſe, ubi Chriſtus thronum ſuum fixit. Eò igitur oculos, eò animos noſtros devotè & humiliter convertendos.

10.

11. Arguit 3. *§. 9. ac ſeq.* Quòd in Novo Teſtamento Chriſtus, Mater ejus, Apoſtoli, alijque mandato Divino frequentandi certis temporibus templum Hieroſolymitanum, ſatisfecerint, exinde minimè concludi, hodiequè vigere tale mandatum, ſed potiùs ſynagogam Iudaicam nondum honeſtè tunc ſepultam fuiſſe. Peregrinationes porrò Veteris Teſtamenti non fuiſſe inſtitutas ad inſtar Pontificiorum; ut Iudæi coràm imaginibus proſternerentur, vel ſanctos Abrahamum, Iſaacum, &c. religioſo cultu proſequerentur; Indulgentias emercarentur, vel ſatisfactionis, meriti, operis operati opinione dementarentur, ſed ut Hieroſolymis in templo, in quo Chriſtus inter Cherubi-

rubinos umbraticè habitabat, adorantes, ſuam in Chriſtum futurum Fidem, atque Spem teſtificarentur. Quocircà ad rem iſtam neque facere argumentum ex umbrâ Petri, & ſudarijs Pauli *prac. Differt. cap. 2. n. 19.* deductum. 12.

Arguit 4. *§. 2. & 3.* Ex Antiquitatis tum exemplis, tum ſuffragijs nullum pro religioſis peregrinationibus militare argumentum. Tum quòd in civitate Dei legibus, non exemplis vivatur, tum quòd, ſi argumentum ex Antiquitate alicujus eſſet momenti, Paganiſmus præponderaret Chriſtianiſmo. Tum quòd Patres, ſi qui antè Conſtantini M. tempora profecti ſunt Hieroſolymam, non opinione cultûs, nec fiduciâ ſatisfactionis & meriti, non ſpe remiſſionis peccatorum ex opere operato impetrandæ, non animo procumbendi coram Reliquijs Chriſti & Sanctorum, coram inſtrumentis paſſionis Dominicæ, & ea adorandi ac venerandi, Indulgentiaſquè impetrandi eò profecti ſint; maximè cùm integro trium primorum ſæculorum decurſu Reliquiarum Chriſti, vel Sanctorum adorationis nè minimum quidem veſtigium occurrat. Tum quòd Pontificij Reliquias altaribus inſerant, & eum in modum torqueant animas ſub altari viſas *Apoc. 6. v. 9.* Quem uſum non fuiſſe Veteribus. 13.

Arguit 5. *§. 4. ac ſeq.* Exemplum de Alexandro Epiſcopo Hieroſolymas eunte non urgere, eò quòd ille aſcenderet Divinâ revelatione & diſpenſatione excitatus, ut loci illius Epiſcopatum capeſſeret. Neque tam attendenda eſſe verba Chryſtophorſoni Euſebium ita reddentis, *Tum voti, tum locorum viſendorum causâ*, quàm Ruffini prætacta Euſebij verba ſic vertentis. *Alexander Hieroſolymam adorandi* (non voti) *& ſanctorum locorum videndi gratiâ properaverat.* Fateri ſe, Paganiſmo per Conſtantinum M. profligato, frequentari cœpiſſe Hieroſolymam à fidelibus, neque iſtam conſuetudinem improbatam fuiſſe, donec apud multos incœperit opinio, alia alijs locis ſanctiora eſſe, nec infimam pietatis & cultûs Divini partem collocandam eſſe in ejuſmodi corporali exercitatione. Antonium, referente Athanaſio *in ipſius vitâ*, ſuperſtitionem naſcentem hiſce verbis pulsâſſe: *Nobis nulla proficiſcendi &c. neceſſitas imminet, in omni ſede terrarum conſtituta ſunt regna cælorum.* In hoc argumentum integram extare Gregorij NyſſeniEpiſtolam inferiùs vindicatam. Hieronymum *to. 1. Epiſt. 3. ad Paulinam* diſertiſſimè agere ſuam cauſam, inter alia ſic ſcribendo: *Nè quidquam fidei tuæ deeſſe putes, quia Hieroſolymam non vidiſti, nec nos idcircò MELIORES exiſtimes, quòd hujus loci habitaculo fruimur: ſed ſive hîc, ſive alibi æqualem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem.* Auguſtinum *Serm. 1. de verb. Apoſtoli Petri ad Chriſtum* ſic habere: *Veni ad Chriſtum, noli longa itinera meditari &c. Ad illum enim, qui ubique eſt, amando venitur, non navigando.* Et *Serm. 3. de Martyr. Dominus non dixit, vade in orientem, & quare juſti-* 14.

ſtitiam, naviga uſque in occidentem, ut accipias Indulgentiam. Dimitte inimicis, & dimittitur tibi: Nihil à Te extrà Te quare. Chryſoſtomum *Hom 22. in Epiſt. ad Rom. & Hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ. Romam ire non cogitâſſe, ſed figuris Rethoricis S. Pauli membrorum cineres extollendo, ſanctas actiones, quarum hæc fuerint inſtrumenta, celebrare voluiſſe.* Illum ipſum Doctorem *Hom. 3. ad Antiochenos* negare disertè *ad propitiandum Deum quidquam valere, ſi quis peregrinationes ad terras longè diſſitas inſtituerit. Hom. 1. in Epiſt. ad Philem.* ſic habere: *Via ſolutionis ſeu remiſſionis peccatorum nec laboribus indiget &c. ſed ſimpliciter tantùm bono propoſito. Non opus eſſe in longinqua peregrinando tranſire &c. ſed velle tantummodò.* In Concilio Chalcedonenſi *cap. 45.* reprehendi Romam, aut Turonum ſub prætextu orationis peragrantes, putantes, frequentatione horum locorum ſe à peccatis purgari, & impunè peccare. Claudium Scotum à Bellarmino fruſtrà inter Wicleſiſtas cenſitum, prolixè in Romanas peregrinationes invehi. Bernardum *Epiſt. 319.* ita ſcripſiſſe, *Non terrenam, ſed caleſtem Hieroſolymam Monachorum propoſitum eſſe, & hoc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus &c.*

25. Arguit 6. *Diſſert. 3. §. 1. & 2.* Rationem *prac. cap. 1. n. 6.* inſinuatam non urgere. Etenim profitendam quidem eſſe tum *immediatè* noſtram de Dei excellentiâ æſtimationem, tum *mediatè* ipſam Dei excellentiam, eo tamen modo, quo Deus definierit & mandârit. Hinc namque *Reg. 15. v. 12.* reprobatam fuiſſe Saulis apologiam, quòd præſtantiſſima anathemata reſervârit ſacrificio. Atqui laborem & pericula itinerum ſpontè ſuſcipere ad Divos, Divaſquè, & eorum imagines religiosè colendas, cum opinione ſatisfactionis, meriti, loci ſacratioris, non tantùm in Scripturis nuſpiam mandari, ſed prohiberi.

26. Arguit 7. Neque valere rationem à miraculis petitam, cùm miracula vel hoc ſolo nomine, quòd à cultu ſolius Dei ad cultum creaturarum abduxerint, pro Divinis peregrinationum ſuffragijs recipi nullo modo poſſint. Huc facere verba *Deuter. 13. v. 2. & 3.* dehortantia, nè Iudæi propter portentum credant verbis Prophetæ invitantis ad cultum Deorum alienorum. *Matth. 24. v. 24. & 2. Theſſal. 2. v. 9. Apocal. 13. v. 13.* Antichriſto & pſeudoprophetis tribui ſigna, quæ poſterioribus temporibus edituri ſint homines. Datis etiam alicubi veris miraculis, minimè concludi, loca illa religiosè adeunda; imagines, Reliquias colendas, Sanctos invocandos, vota ijs nuncupanda &c. cùm neque mandibula aſini Samſonis, neque aqua Iordanis Naaman ſanans, neque Eliſæi oſſa, neque Pauli ſudaria, vel umbra Petri propter miraculum fuerint adorata. Nullum à Pontificijs verum reſuſcitati alicujus ex mortuis oſtendi poſſe. In viciniâ ſanè à Thaumaturgâ tale quid patrari nè fando quidem ſe audiviſſe. Miracula Pontificia eſſe diabolica, vel conficta.

C A-

CAPUT III.

Oſtenditur, peregrinationes Pontificias ad loca ſacra eſſe in ſacris Litteris, & vivâ in mentibus fidelium intrà veram Dei Eccleſiam jugiter propagatâ, ac Orthodoxorum Patrum authoritatibus expreſsâ Fide fundatas.

Probatio prima, ex ſacris Litteris antiqui Teſtamenti petita.

ETenim ex ſacris textibus *prac. cap. 1. n. 2. & 3.* expreſſis, clarè evincitur, in antiquo Teſtamento fuiſſe loca præ alijs ſacratiora, ad quæ Deo fuerint acceptæ, imò præceptæ ſacræ ac religioſæ peregrinationes. At in præceptis Antiqui Teſtamenti diſtinguendum eſt id, quod eſt Cæremoniale, & quod eſt Morale, ita ut lex illa quoad Cæremonialia ſit quidem abrogata, vigeat tamen quoad Moralia ſecundùm ſubſtantiam ſaltem ſpectata. Cujus apertum argumentum præbet Decalogus in Moſaicâ quidem lege tabulis lapideis conſcriptus, ac Moyſi Divinitùs traditus, hodieque tamen quoad ſubſtantiam, non tamen quoad diei Sabbati circumſtantiam in lege Evangelicâ (uti Tigurinus quoque Catechiſmus fatetur) obſervatu neceſſarius. Sicut ergo ſervatâ ſubſtantiâ Decalogi, & die Sabbati ad obſervantias Cæremoniales legis Moſaicæ proprias ſpectante abrogatâ, licuit, diem Dominicum in hujus locum ſubſtituere, etiamſi nullum de hoc in ſacris Litteris oſtendi poſſit mandatum, ſic in peregrinationibus religioſis ſub Antiquo Teſtamento præceptis, diſtinguere oportet tum Subſtantiam moralis virtutis, nempè Religionis, tum circumſtantiam Cæremonialis, quà propriam Antiqui Teſtamenti ſignificationem præſeferentis obſervantiæ, ut ſic nimirùm Chriſtum venturum præfigurantis. Quemadmodùm proinde in Novo & Antiquo Teſtamento eadem eſſentialiter viget Religionis virtus, ſic peregrinationes religioſæ, quatenùs virtutis Religionis Novo & Antiquo Teſtamento communis rationem ſpecificativam induunt, quoad ſubſtantiam legi Chriſti minimè repugnant, imò huic vel maximè concordant, *uti mox oſtendetur.*

Probatio ſecunda, Heideggeri exceptionum refutatoria.

NAm iſte Tigurinus Doctor *cit. Diſſert. 3. §. 2. & alibi* prætendit, peregrinationes religioſas pugnare cum ſacrâ Scripturâ, eò quòd iſta vetet imagines, vetet Sanctos adorare, vetet ſatisfactiones proprias, meritumque operum aucupare, & cultum Dei certis locis tanquam ſanctioribus aſtringere.

gere ac denique ſtudia hominum corpori non parcentium ſine Dei verbo, & ſine non juſto ſuſcipientium. Atqui ſacras imagines, imò & Reliquias Sanctorum *Tranſitivè* cum relatione ad Chriſtum & Sanctos ritè & ſacris Scripturis conformiter coli ſecundùm veram Orthodoxam Fidem, demonſtratum eſt *præcedenti Diſſertatione 14. Sectione 3. & 4.* Sanctos cælites non quidem adorandos (propriè loquendo) ſed per cultum Duliæ, Latrevticâ adoratione infinitè inferiorem, honorandos & invocandos eſſe ex verâ in ſacris Litteris fundatâ, & intrà Eccleſiam jugiter propagatâ, Patrumque & Conciliorum Oecumenicorum authoritatibus expreſsâ fide, conſtat *ex cit. Diſſert. 14. ſect. 2.* Porrò operum Sanctorum in ſtatu gratiæ elicitorum pro temporalis poſt culpam remiſſam plerumque reſiduæ pœnæ reatu ſatisfactiones proprias, Chriſti tamen Domini ſatisfactioni in cruce conſummatæ omnimodè ſubordinatas, & probari ex ſacris Litteris, & vivâ intrà Eccleſiam Dei jugiter ſervatâ fidelium fi-
19. de, patet *ex Diſſert. 9. ſect. 2. cap. 3.* Inſuper pijs, mediante Divino per Chriſtum collato auxilio, in ſtatu gratiæ factis operibus ineſſe vim æternæ gloriæ, ejuſque augmenti meritoriam, Chriſti tamen Domini meritis abſolutè ſubordinatam, ex ſacris Litteris, Patrum authoritatibus, & Concilijs oſtenſum eſt *Diſſert. 11. ſect. 4. cap. 3.* Adhæc actiones laborioſas corpori moleſtas, ejuſque concupiſcentiæ ac ſenſualitati adverſantes non tantùm ex præcepto, ſed etiam ex conſilio, propter memoriam Chriſti pro nobis paſſi & mortui, Divinumque honorem, atque carnis mortificationem, alioſque virtutum fines juxta Sanctorum Patrum doctrinam, ritè & conformiter ſacræ Scripturæ ſuſcipi, conſtat *ex Diſſert. 9. ſect. 2. & diſſert. 12. ſect. 2. & alibi.* In aperto igitur eſt, peregrinationes religioſas ex præallegatis Heideggeri allegationibus nō tantùm non pugnare, ſed vel maximè concordare cum ſacris Litteris. At neque ex eo titulo iſtis adverſantur, quòd cultus Dei certis locis tanquàm ſacratioribus adſtringatur, *uti mox demonſtrabitur.*

Probatio tertia, prioris continuativa.

20. ETenim Deus in uno loco tanquàm ſacratiori præ alijs colitur, quatenùs ſuâ virtuali præſentiâ ibi ſpecialiter exiſtit ſecundùm ſpeciales gratiæ effectus, in vel ex unâ certâ re ſeu loco ſecundùm Divinam Providentiam peculiariter collatos & conferendos. At minimè pugnat cum Novo Teſtamento, quòd Deus ſeu Chriſtus in cælo ad thronum ſuæ magnificentiæ conſidens, in vel ex unâ certâ re ſeu loco ſpeciales gratiarum ſuarum effectus tum in corporibus, tum in animabus fidelium ſecundùm peculiarem Divinæ ſuæ Providentiæ rationem operetur. *Minor iſta probatur.* Tum quia

quia hoc ipſum patet *ex Act. 5. & 19.* ubi legitur ex umbrâ Petri & ſudarijs Pauli per virtutem Dei & Chriſti ad Patris dexteram ſedentis dæmones fuiſſe ejectos, ac ægros ſanatos. Tum quia ex contactu corporis Eliſæi legitur *4. Reg.* 13. reſuſcitatus mortuus. Quod miraculum vel *Inſtrumentariè* 21.
quidem ex hujus Prophetæ corpore, *principaliter* autem ex Dei virtute illi ſpecialiter aſſiſtente patratum eſt. Ex quo adeò poſteriori patet, non eſſe contrà majeſtatis Divinæ, ſuâ immenſitate omnia continentis & ambientis, rationem, ut uni rei corporali præ alterâ *virtualiter* ſit præſens per Divinæ ſuæ virtutis aſſiſtentiam. Ex prioribus autem exemplis apertè liquet, neque Chriſti Domini ad dexteram Patris ſedentis magnificentiæ, neque Novi adeò Teſtamenti rationi ac legi adverſari, quòd Chriſtus Dominus ſuâ virtute, quam ſecundùm gratiæ & operationis ſuæ effectus jugiter exerit in terrâ, uni rei corporali ſpecialem reſpectum ad Sanctum aliquem habenti, præ alijs rebus aſſiſtat. Neque hîc locum habere exceptiones Heideggerianas *Diſſert.* 1. *à* §. 13. oppoſitas, conſtat ex dictis *præced. Diſſert. 14. ſect. 3. cap. 3.*

Probatio quarta, præcedentium continuativa.

NEque dicere licet prætenſæ Reformationis Miniſterio, pugnare cum 22.
ſtatu Evangelij, quòd Deus ſeu Chriſtus virtutem ſuam permanenter adſtringat alicui rei ſeu loco corporali. Nam iſta exceptio eliditur vel ex ipſis Novi Teſtamenti Sacramentis. Etenim iſthæc Sacramenta, teſte Miniſterio Reformato apud Vedroſium *pag. 42.* ſub ſenſibilibus elementis ſunt à Chriſto inſtituta ad gratiæ ſuæ ſalutaris obſignationem in Eccleſiæ uſum perpetuum. Hæc ipſa verò Sacramenta in legitimo uſu Chriſtum, ejuſque univerſa beneficia non tantùm obſignare, ſed exhibere, aſſerit Heideggerus *in ſuis Vind. pag. 14. & alibi.* Oportet igitur, iſtis Sacramentis, niſi dicantur eſſe nuda & ſterilia ſigna, Chriſti ac Dei virtutem *permanenter*, pro perpetuo ſcilicèt Eccleſiæ uſu in ordine ad gratiæ ſalutaris beneficia conferenda aſſiſtere. Ex ipſâmet proinde Reformati Miniſterij confeſſione non pugnat cum ſtatu Evangelij, quòd Chriſtus ſeu 23.
Deus ſuâ virtute etiam *permanenter* ſive ad perpetuam fidelium utilitatem aſſiſtat rebus corporalibus. At neque cum eodem Evangelij ſtatu pugnat, quòd etiam extra Sacramenta alijs corporalibus rebus ſuam virtualem, ſive virtutis ſuæ aſſiſtentiam Chriſtus quandoquè contulerit, *uti patet ex præcedenti prob. n. 21.* Conſequens proinde eſt, non adverſari ſtatui legis Evangelicæ, quòd Chriſtus ac Deus ſpeciali ſuæ Divinæ Providentiæ ratione alijs rebus, quàm Sacramentis etiam *permanenter* ſuâ virtuali præ-

li præſentiâ aſſiſtat in ordine ad gratiæ ſeu beneficiorum ſuorum effectus impertiendos.

Probatio quinta, prima Heideggerianæ Diſſert. 4. §. 1. *expoſitæ exceptionis refutatoria.*

83. HIc enim Tigurinus Profeſſor *Diſſert. 5. §. 1. & 2.* excipit, legis & Verbi Divini perfectionem, ac electiorum cultuum prohibitionem, nec non cultûs Deo grati rationem nullatenùs permittere, ut ex proprio arbitrio præter & extrà Verbum Dei novus aliquis cultus vel publicè inſtituatur, vel privatim ſuſcipiatur. *Ex Deut. 12. Eſaiæ 19. v. 13. Matth. 15. v. 9. Coloſſ. 2. v. 22. & 23.* Nec niſi frivolè opponi, præceptum non fuiſſe, ut ægri infererentur in umbram Petri, vel ſudaria Pauli languidis admoverentur. Hæc enim non eſſe facta opinione cultûs, ſed ad valetudinem per media Divinitùs oblata recuperandam. Ad id autem ſufficere naturæ inſtinctum, quo quiſque jubeatur, ſe ipſum amare, & corporis ſui rationem habere. At peregrinationes Pontificijs haberi tanquàm antiquiſſimum & graviſſimum
84. Dei cultum. Verùm iſta Heideggeriana exceptio ſe ipſam confodere, probatur ſequenti argumento. Quæro enim ex iſto Tigurino Doctore, an ſecundùm verum tam naturæ, quàm gratiæ ac fidei lumen, per quod dignoſcitur ſignatum ſuper nos lumen vultûs Domini, non ſit purior habenda ratio cultûs Divini, quàm amoris proprij? Si affirmet, tunc quemadmodùm naturæ inſtinctus ſuggerit, amplectenda eſſe ſalutis corporalis media Divinitùs inſtituta, ſic non tantùm naturæ, ſed fidei ac veræ erga Deum Religionis inſtinctus ſuggerit, amplectenda eſſe media Divinitùs inſtituta ad colendum Deum. At licèt Deus non verbis, ſed effectibus miraculoſis revelârit fidelibus umbram Petri, & ſudaria Pauli eſſe media Divinitùs inſtituta ad recuperandam ſalutem corporalem, naturæ tamen inſtinctus, teſte Heideggero exinde ſuggeſſit, ea eſſe amplectenda. Hæc ipſa verò media Divinitùs inſtituta ita erant proteſtativa Divinæ virtutis, ut hæc *Principaliter*, illa verò *Symbolicè* facerent effectus miraculoſos. Ex
85. Heideggero *cit. Diſſert. cap. §. 12.* Conſequens proinde eſt illa media Divinitus inſtituta ex vi hujus Divinæ inſtitutionis ita habuiſſe vim ægrotantibus proficuam, ut eſſent ſimul proteſtativa Divinæ virtutis, ejuſque adeò excellentiæ. Atqui cultûs Dei Eſſentia & ratio formalis nihil eſt aliud, quàm Divinæ excellentiæ proteſtatio. Deus igitur umbram Petri & ſudaria Pauli inſtituendo, tanquàm ſymbola effectûs miraculoſi, quà per Dei virtutem *Principaliter* faciendi, eo ipſo inſtituit illa in cultum ſuum religioſum, ita ut ex inſtinctu fidei ac virtutis Religionis talia media Divi-

nitùs

nitùs inſtituta non tantùm ex fine ſanitatis recuperandæ, ſed vel maximè ex fine cultûs Divini, ſub reflexâ in Deum, ejuſque excellentiam proteſtandam intentione, amplecti licuerit. At verò Deum per Sanctorum quoquè Reliquias tribuere effectus miraculoſos ac beneficia animæ & corporis, teſtantur Orthodoxi Patres *præs. Differt. 14. ſect. 3. cap. 3. prob. 6. n. 24. ac ſeqq. adduct.* Sicuti ergo ægrotantibus ex intentione tum ſanctitatis recuperandæ, tum Divinæ virtutis ſignificandæ, atque adeò cultûs Divini exhibendi, licuit, ſe inſerere umbræ Petri, & admovere ſudaria Pauli, ſic ex pari cultûs Divini ratione licet, ſe conferre ad Sanctorum Reliquias, eaſquè ſibi applicare, Deo effectibus ſuis miraculoſis faciente apertum de hoc teſtimonium. Nec obſtant textus ſacri ex Heideggero *ſuprà n. 8. allegati*; 26.
tum quia *Deut.* 12. prohibetur quidem cultus idolorum, indicitur tamen veri Dei cultus per religioſas quoquè peregrinationes exhibendus. Tum quia *Iſaiæ 29. v. 13. & Matth. cap. 8. v. 9.* conqueritur Deus, cor Iudæorum eſſe longè à ſe, ita ut non timeant ſe, niſi mandato hominum & doctrinis. At quia Confeſſio Helvetica *cap. 27.* profitetur, ſuæ Eccleſiæ poteſtatem eſſe, inſtituendi ac mutandi cæremonias circà uſum & adminiſtrationem Sacramentorum, quæro ex Heideggero, an non ejuſmodi cæremoniæ ſint doctrinæ ſeu mandatum hominum ſuæ Reformationis? Anne igitur iſte Tigurinus Profeſſor exinde inferret, cor Miniſtrorum ſuæ Reformationis eſſe longè à Deo, ac ſequaces doctrinæ talium Miniſtrorum non timere Deum, niſi ex eorum mandato ac doctrinis? Tum quia *Coloſſ. 2. v. 22. & 23.* ille cultus voluntarius prohibetur, cujus ratio Sapientiæ ex purâ humanâ adinventione procedens, adverſatur Verbo Divino: *uti patet ex contextu.* Unde talis cultus non tantùm *Materialiter*, ſed etiam *Formaliter* quoad rationem ſuam motivam eſt voluntarius, diciturque adeò ſuperſtitioſus. Atqui ratio peregrinationum ſacrarum eſt Divinæ excellentiæ tum in ſe ipsâ, tum in Sanctis ſuis laudandæ & adorandæ proteſtatio, maximequè fundatur in ſacris Litteris, quæ ut ſic eſt motiva & ſpecificativa virtutis Religionis. Etſi verò iſta Divinæ excellentiæ proteſtatio aliter 27.
facta ſit in Antiquo Teſtamento, nempe ſub fide in Chriſtum venturum, aliter verò facienda ſit in Novo Teſtamento, nempe ſub fide Chriſti pro nobis jam mortui, ac in cœlis triumphantis, attamen quoad ſubſtantiam rationis formalis, religionem ſpecificantis eo ipſo eſt una & eadem, quòd in utrâque lege ſit unica Religionis virtus. Et hinc, licèt peregrinationes in antiquo Teſtamento ſub propriâ hujus legis ratione præceptæ ſint abrogatæ, minimè tamen ſequitur, peregrinationes in novâ lege quoad ſubſtantiam ſpectatas eſſe de cultu *Formaliter* (id eſt quoad formalem Di-

vinæ excellentiæ proteſtationis rationem) voluntario. Unde non minus inſtitui poſſunt, quàm, ubi dies Sabbati, exſpirante Veteri lege, eſt abrogatus, diem Dominicum ex eâ ratione inſtituere licuerit, quòd, licet quartum Decalogi præceptum quoad circumſtantiam Cæremonialis obſervantiæ ſit extinctum, immutabiliter tamen maneat quoad ſubſtantiam moralis virtutis.

Probatio ſexta, ſecundæ Heideggeriana cit. Diſſert. 4. §. 2. & 3. *expoſitæ exceptionis refutatoria.*

28. HIc namquè Miniſter contendit, peregrinationes religioſas conditionem Novi Teſtamenti evertere, eò quòd ſublata jam ſit locorum differentia, quæ vigebat in antiquo Teſtamento. Hujus verò ſui aſſerti probationem inducit tum *ex Ioan. 4. v. 22.* ubi Salvator aiebat: *Venit hora, quâ nequè in hoc monte, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem: & veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Tum *ex 1. Timoth. 2. v. 8.* ubi Paulus ita hortatur, *Volo*
29. *igitur adorare viros in omni loco, levantes ſanctas manus abſquè irâ & deceptione.* Verùm quæro ex Heideggero, annon ſub uſu Sacramentorum, ſub quibus *ſymbolicè* & *Sacramentaliter* continetur Chriſtus ac virtus Divina noſtri ſanctificativa, liceat taliter elevare mentem ad Deum & Chriſtum in cælis triumphantem, ut in ſpiritu & veritate tunc adoretur? Si neget ille Miniſter, ſanè dignoſcitur omninò expers Religionis virtutis. Si affirmet, ſequitur manifeſtè, Deum in ſpiritu & veritate adorari poſſe ſub ſignis Divinæ ſuæ virtutis effectus, gratiæque beneficia *ſymbolicè* continentibus. Atqui Heideggerus *cit. Diſſert. 1. §. 12.* faſſus eſt, Deum ad præſentiam umbræ Petri & ſudariorum Pauli taliter contuliſſe ſanationis miraculoſæ effectus, ut iſti *principaliter* quidem in virtutem Dei, *ſymbolicè* tamen in res illas corporales reducerentur. Hinc autem manifeſtum eſt, locorum ſeu rerum differentiam in Novo Teſtamento non ita eſſe ſublatam, quin per ſuæ virtutis aſſiſtentiam magis præſens ſit uni, quàm alteri rei corporali, veluti manifeſtè quoquè patet ex Evangelicæ legis Sacramentis. Quamvis igitur Deus ubique exiſtens in omni loco ſit adorandus, eo ipſo tamen ex ſpeciali virtualis ſuæ præſentiæ, ſive virtutis ſuæ ſub certis rebus corporalibus tanquàm ſymbolis peculiariter repræſentatæ titulo iti poteſt adorari in certis per talis virtutis Divinæ aſſiſtentiam ſeu ſymbolicam repræſentationem ſacratioribus locis ac rebus, ut tunc etiam adoretur in ſpiritu & veritate, atquè adeò præallegata ſacræ Scripturæ loca non niſi frivolè & vanè adverſus ſacras peregrinationes ſint adducta ab Heideggero.

Pro-

Probatio ſeptima, refutatoria exceptionum Diſſert. 4. §. 4. 5. 6. 7. & 8. *ab Heideggero oppoſitarum.*

ISte namque Profeſſor Tigurinus *locis citatis* prætendit, peregrinationes in 30.
Novo Teſtamento expugnari tum ex *illo Matth. 24. v. 23. Ecce hic, aut illic eſt Chriſtus*: tum ex eo, quòd unius loci præ alijs ſanctitas nequeat conſiſtere cum Fide aſcenſionis in Chriſtum: tum ex eo, quòd Samaritani olim cultũ Hieroſolymis ſine mandato transferentes in montẽ Garizim fuerint rei idololatriæ. Si enim idololatria erat cæremonijs adhuc vigentibus, adorare Deũ in figurâ, quam non elegerat, multò magis, ait ille Miniſter, eſſe Idololatriam in Novo Teſtamento, adorare quaſi Deum cum fictione habitationis in hoc magis, quàm illo loco, quando non ampliùs figuræ obtinent, ſed veritas venit. Tum ex eo, quòd Deus non ſit procul ab unoquoque noſtrûm. *Act. 17. v. 27.* ſitquè adeò inſaniæ proximum ſine ſonticâ causâ curſitare ad peregrina loca: tum denique ex eo, quòd inſtituantur non ad colendum ve-
rum Deum, ſed venerandos Sanctos, eorumquè Reliquias. Verùm in iſtâ 31.
Religionis virtutem concernente materiâ, oportet, ante omnia diſtinguere id, quod eſt Obiectum Materiale, & id, quod eſt Formale, ſeu motivum Eſſentialiter ſpecificativum illius virtutis. Hoc verò eſt unius Dei, ſuæquè in Trinitate perſonarum ſubſiſtentis tanquàm univerſorum Domini & Cauſæ omnipotentiſſimæ, ultimique Finis proteſtatio & profeſſio. Eiuſmodi autem ſupremæ Divinæ ſub ratione ultimi Finis & cauſæ univerſaliſſimæ, Dominiquè abſoluti, ſupremæquè in ſe perfectiſſimè ſubſiſtentis maieſtatis proteſtatio ſit per media ſe habentia ad iſtam profeſſionem ac Religionis virtutem tanquàm Obiectum Materiale. At verò id, quod eſt Obiectum Formale ac Eſſentialiter ſpecificativum virtutis Religionis, ita conſiſtit in indiviſibili, ut ſit omninò immutabile, eſtquè adeò juris naturalis in omni lege tum Antiquâ, tum Novâ æqualiter obligantis. Cui adeò iuri Naturali adverſatur, ſi non unius duntaxàt veri Dei, Divinarumquè perſonarum, ſed aliorm falſorum Deorum fiat profeſſio, vel nominis Divini ipſammet Dei ſupremam maieſtatem repræſentantis, atquè adeò ſummam reve-
rentiam exigentis vana, vel etiam falſa aſſumptio. Cujuſmodi adeò For- 32.
mali Religionis ſpecificativo obiecto directè adverſatur, ſi vel Pſeudochriſtus pro vero Chriſto jactitetur, juxta illud *Matth. 24. Ecce hic, aut illic eſt Chriſtus.* Uel falſi Dij vero Deo ſubſtituantur, uti fecerunt tum Iſraelitæ vitulum aureum adorantes *Exodi 32. v. 4.* dicentes: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti?* tum Ieroboam immolans vitulis à ſe fabricatis tanquam Dijs *3. Reg. 12. & 14.* At verò ſi unius veri Dei, Divinarumquè per-

ſonarum ſub debitâ Maieſtatis, nominiſquè Dei reverentiâ, Fidei ſacræ con-
formiter & inviolabiliter teneatur, varia ſuperſunt media, ſub quibus fieri
poſſit talis Divini cultûs exhibitio. Et hinc quod in virtute Religionis eſt
Materiale, non conſiſtit in indiviſibili, ſed non modicam admittit extenſi-
onem ac latitudinem. Sub quâ proinde latitudine aliud religioſo cultui
conveniens medium eſt ſub præcepto non tam naturali, quam poſitivo, cu-
juſmodi in antiquo Teſtamento erat Dei adoratio annua, eaquè trina in Ie-
ruſalem. Adversùs quod præceptum apertè fecerunt Samaritæ cultum in
templo Hieroſolymitano exhibendum transferentes in Garizim. Aliud ve-
rò medium pro religioſo Dei cultu aſſumptum in antiquo etiam Teſta-
mento, ſub nullo erat præcepto. Legitur enim David ſepties in die laudem
dixiſſe Deo, cujuſmodi tamen ſeptenariæ laudis Divinæ per diem exhibi-
tio nullibi extat præcepta. In comperto etiam eſt, Davidem ſtatuiſſe Deo
33. extruere Templum, fuiſſequè pro iſtâ religiosâ voluntate à Deo laudatum &
remuneratum, cùm tamen nullum de hoc haberet præceptum, ſed nè ex-
ecutioni mandaret, fuerit à Deo prohibitus &c. Sic Salomon in dedicati-
one Templi 2. *Paralip.* 7. legitur mactâſſe boum viginti duo millia, & a-
rietum centum viginti millia, licèt nullibi iſte numerus extet præcep-
tus, ſed fuerit ſupererogatorius. Sic in lege etiam Evangelicâ præter
opera Divinitùs præcepta, dari ſupererogatoria, quæ ſint tantùm de
conſilio, cultui tamen Divino vel maximè congrua, atquè adeò Deo
apprimè placita, conſtat ex ſacris Litteris *ſuprà Diſſert. 11 ſect. 2. cap. 3.* expreſ-
ſis. Sic *Act. 20. v. 16.* legitur Paulus *feſtinâſſe, ut, ſi poſſibile eſſet, diem Penteco-
ſten faceret in Hieroſolymis.* Cujuſmodi tamen præceptum non iam Moſaicæ,
ſed Evangelicæ legis Pentecoſten in Hieroſolymis celebrandi tunc non exta-
bat. Ex quibus proinde infertur *Primò.* Falſum eſſe illud Heideggeri prin-
34. cipium, quo dicitur, *Omnem Dei cultum Divinitùs non præceptum eſſe ſuperſtitioſum:*
ſiquidem nequè diei Dominicæ inſtitutio ſit per aliquam Dei in ſacris præ-
ſertim Litteris expreſſam legem præcepta, nequè Ceremoniæ, quas Con-
feſſio Helvetica fatetur, Eccleſiæ liberas eſſe, poſſint eſſe ſub præcepto, cùm
tamen ille Tigurinus Profeſſor ſuæ Reformationis offenſam certò incur-
reret, ſi negaret, ea eſſe reducenda in Dei cultum Religioſum. 2. Infertur,
35. Ex eo, quod Apoſtolus 1. *Timoth.* 2. moneat, *ut Deus in omni loco adoretur*, ma-
lè Heideggerus infert, nullam eſſe locorum reſpectu efficaciæ precum dif-
ferentiam. Hæc enim differentia non eſt ex loco *Materialiter* ſpectato, ſed
ex Dei, ejuſque Gratiæ operatione, animum excitante ad ferventiores pre-
ces in uno præ aliis loco exaudiri ſolitas, intuitu Chriſti meritorum ex Di-
vinæ Providentiæ ſpeciali ratione efficaciùs operantium. At certè Paulus

non

non tantùm *Act. 20. v. 16.* feſtinabat ad diem feſtum Pentecoſtes Hieroſo-
lymis celebrandum, ſed *Act. 24. v. 11.* legitur aſcendiſſe, adorare in Hieru-
ſalem. Ejuſmodi verò Pauli iter, adorandi cauſâ in Hieruſalem ſuſceptum
fuiſſe fruſtraneum, imò ſuperſtitioſum, ſi reſpectu efficaciæ precum ta-
liter fuiſſet tunc ſublata locorum differentia, ut divina lex *in omni loco* op-
poſitè, ad unum illum in Veteri Teſtamento cultui Divino deſtinatum lo-
cum, Templum ſcilicèt Hieroſolymitanum, juberet adorare Deum. In a-
perto igitur eſt, illam ſacrorum Pauli verborum expoſitionem ab Heideg-
gero *cit. Diſſert. 4. §. 3.* ipſimet Apoſtolo apertè contradicere, prout præter ali-
os SS. Patres probavit S. Hieronymus *Epiſt. 17. ad Marcellam* ex præaddu-
ctis Actorum Apoſtolicorum ſacris textibus probans peregrinationes ad lo- 36.
ca ſacra. 3. Idem Tigurinus Profeſſor *cit. §. 5.* ineptè infert ſpecialem quo-
rundam locorum ſeu rerum corporalium præ alijs ſanctitatem, pugnare cum
fide aſcenſionis Chriſti in cælum. Hæc verò peculiaris locorum ejuſmodi ſan-
ctitas eſt ex ſingulari Dei, ejuſquè gratiæ ibi Divinitùs exhiberi ſolitâ opera-
tione. At Tigurina Eccleſia non niſi ſacrilegè negabit peculiarem ex Sacra-
mentis à Chriſto Domino in hunc finem inſtitutis Divinæ gratiæ operatio-
nem. Tantum verò abeſt, quòd iſta divinæ Gratiæ ex ſacramentis potiùs,
quàm ex cubilibus Heideggerianis operatio pugnet cum fide aſcenſionis
Chriſti in cœlum, ut vel hinc iſte Tigurinus Profeſſor ſe ſacrilegium faciat,
in negandâ Sacramentorum efficaciâ, fidem Chriſti in cælo triumphantis ap- 37.
primè proteſtantium. 4. Impia eſt argumentatio prætacti Tigurini Docto-
ris *cit. §. 9.* peregrinationes religioſas in novo Teſtamento impugnantis, eò
quòd Samaritæ cultû Templi Hieroſolymitani in Garizim transferentes fue-
rint reprehenſibiles. Etenim tunc temporis erat mandatum ter in anno pe-
regrinandi ad tabernaculum Domini: cujus adeò præcepti Divini violati
ſe ex illo facto reos faciebant Samaritani. Nequè verò hodie probantur vo-
tivæ ſacræ peregrinationes, ſi ex illis contingat, violari præceptum aliquod
Divinum. Etſi verò peregrinatio ad Sanctuarium Hieroſolymis tunc exi-
ſtens, utpote Fidei in Chriſtum venturum proteſtativa, Veteri lege jam ex-
tinctâ, non ampliùs vigeat, licitum tamen eſſe in lege Evangelicâ ex inten-
tione proteſtandi fidem Chriſti jam nobis paſſi & mortui, aſcendere in Hie- 38.
ruſalem ad adorandum, conſtat *ex Act. cit. cap. 20. & 24.* 5. Infertur, fal-
ſum quoquè eſſe illud Heideggerianum ſymbolum, quo dictum eſt, non li-
cere in novo Teſtamento, Deum in uno loco, vel re corporali tanquàm ſym-
bolo Dei præ alijs adorare. Etenim quæro ex iſto Tigurino Doctore, an
non credat, Sacramenta Novæ legis eſſe peculiaria Dei, Divinæquè virtutis,
ac ſalutarium gratiæ ipſius effectuum ſymbola? Atqui impium foret dice-
re, non licere, Deum in Sacramentis tanquàm Divinæ ſuæ virtutis ſymbo-

lis

Digitized by Google

lis adorare. Quinimò ipſemet Hejdeggerus *cit. Diſſert.* 1. §. 12. umbram Pe-
tri & ſudaria Pauli dicit, fuiſſe effectuum miraculoſorum, Divinæquè adeò
virtutis ſymbola. Sub quibus adeò ſymbolis utique licebat excitare fidem in
Chriſtum ad Patris dexteram ſedentem ac effectus illos miraculoſos ope-
rantem, ipſumquè adeò adorare in ſpiritu & veritate. En igitur, quam mi-
39. ſerè ſuamet principia confodiat ille Tigurinus Miniſter. 6. Ex eo, quòd
Deus non ſit procul ab unoquoque noſtrûm, ineptè argumentatur, non
licere peregrinari ad loca ſacra. Etenim iſtam ineptiam S. Auguſtinus *Epiſt.*
137. ad Clerum populumquè Hipponenſem ita retundit: *Ubique quidem Deus eſt, &*
nullo continetur, vel concluditur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus
in ſpiritu & veritate oportet, adorari &c. Veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter
nota ſunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quarè in altjs locis hæc miracula fiant?
Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, ubi B. Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quò
40. *volui, ut pergerent.* 7. Heideggeri, ſuæquè prætenſæ Reformationis impi-
etatis eſt, religioſas peregrinationes ideò perſtringentis, quòd fiant ad ve-
nerandos Sanctos, eorumquè Reliquias, cujuſmodi cultum ait, eſſe Idolo-
latricum. Sed audiamus ipſum ſeq. argumento id probantem. *Si enim,* in-
quit, *adoratio, ſeu religioſus Sanctorum & Reliquiarum cultus, utpote à Deo non*
mandatus, ſiſtit in Sanctis, & terminatur in Reliquijs, tum ſiſtit ac terminatur in cre-
aturis, adeoquè eſt Idololatricus. Verùm inprimis Heideggere non probas, ſed
ſupponis, cultum Reliquiarum ſacrarum in Eccleſia Romanâ frequentatum,
in his terminari, quod tamen apertè adverſari Pontificiæ doctrinæ, conſtat
ex dictis *præced. Diſſert. 14. Sect. 3.* Inſuper falsò ſupponis, cultum Religioſum
ſeu adorationem ſiſtere in Sanctis. Etenim longè aliud eſt, ſi dicatur,
cultum Duliæ adoratione Latrevticâ infinitè inferiorem ita ſiſtere in
Sanctis, ut eo ipſo tamen, quòd inferioris ſit gradûs, *Virtualiter*, ex par-
te ſaltem ſui obiecti Formalis, atquè adeò ex fine operis per ſuam intrin-
ſecam quidditatem & Eſſentiam referatur in Dei cultum Religioſum. At
hoc ita tenet Romana Eccleſia, ut vel hinc calumniæ apertiſſimæ reus ſit
Heideggerus mendaciter aſſerens, cultum religioſum, & adorationem à
Pontificijs ita deferri Sanctis, ut ſiſtat in ipſis. Quamvis proinde Sanctis de-
feramus Duliæ cultum, ipſorum Sanctitatis taliter proteſtativum, ut non
ipſos, ſed Deum in ipſis adoremus, & ultimatè anquam principium pri-
mum & finem ultimum laudemus & honoremus, in hoc ipſo tamen age-
re nos conformiter ſacris Litteris, ac vivæ in Eccleſiâ Dei jugiter propaga-
tæ, Sanctorumquè Patrum authoritatibus expreſſæ Fidei, conſtat ex dictis
præced. Diſſert. 14. Sect. 2. cap. 3.

Pro-

Digitized by Google

Probatio octava, deſumpta ex Antiqua Orthodoxia authoritate.

NEquit enim non eſſe conforme veræ Fidei, ac Religionis virtuti, quod antiqua Orthodoxia in ipſo Apoſt. Paulo & SS. PP. tum factis, tum verbis profeſſa eſt. Atqui circà religioſas ad loca ſacra peregrinationes rem ita ſe habere, ſequenti probatur inductione. Etenim Paulus *Act. 20. v. 16.* legitur feſtinâſſe, ut Pentecoſten ageret Hieroſolymis. At ex hoc Pauli facto S. Hieronymus *cit. Epiſt. ad Marcellam* ita probat religioſas ad loca ſacra peregrinationes: *Martyrum ubique ſepulchra*, inquiens, *veneramur &c. & monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam exiſtiment negligendum? Si poſt paſſionem Chriſti (ut ſcelerata vox concrepat) hic deteſtabilis locus eſt, quid ſibi voluit Paulus, Hieroſolymam feſtinare, ut ibi faceret Pentecoſten? Quid cæteri ſancti & illuſtres viri, quorum vota & oblationes poſt prædicationem Chriſti ad fratres, qui erant Hieroſolymis, deferebantur? Longum eſt nunc ab aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, aut Martyrum, qui eloquentium in doctrinâ Eccleſiaſticâ virorum venerint Hieroſolymam putantes minus ſe RELIGIONIS, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, virtutem, niſi IN ILLIS CHRISTUM ADORASSENT LOCIS, de quibus primùm Evangelium de patibulo conſecraverat.* Quibus concordant, quæ idem S. Eccleſiæ Doctor *Epiſt. ad Paulinum de inſtit. Monach. Epiſt. ad Deſiderium, item Epiſt. ad Ruſticum*, habet, ubi hortatur reddendum votum ſacræ peregrinationis. Concordat etiam exemplum Alexandri Epiſcopi circà Annum Chriſti 200. referente Euſebio *prat. cap. 1. n. 5.* adducto, Hieroſolymam orandi gratiâ peregrinantis. Idem Euſebius in vitâ Conſtantini *lib. 3. cap. 41.* ita teſtatus eſt de hoc Imperatore: *Poſtquam autem ſalutaria veſtigia competenter juxtà propheticum ſermonem adoravit, Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus &c.* Similia de Helenâ ſcribit Sanctus Ambroſius *Orat. de Theodoſ. Imperat.* 41.

42.

De hoc ipſo Theodoſio peregrinationis ſacræ voti causâ Hieroſolymã ſuſceptæ teſtimoniũ fert Socrates *lib. 7. cap. 47.* Item Caſſianus *lib. 4. de inſtit. renunc. cap. 31.* & Sulpitius Severus *Dial. 1. cap. 2.* peregrinationes ad loca ſancta antiquitùs frequentatas validis quoquè exemplis probant. S. Baſilius *in Reg. ſuſ. diſput. Reſponſ. 40.* ita habet: *Neque ullam aliam ob cauſam adeſſe docet Chriſtianos ad Martyrum conditoria, aut iſtis contigua loca inviſere, quàm orandi causâ, & ut Sanctorum conſtantiâ admoniti &c. ad necem uſque fortiter perſeverarent.* Inſuper Divus Chryſoſtomus *Hom. 66. ad populum Antioch.* peregrinationes ad corpora Sanctorum probat ex miraculis ſeu dæmonum expulſionibus per talia ſacra corpora patratis. Sanctus Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* recenſet plura miracula, quæ facta ſint ad Reliquias tum terræ ſanctæ, tum

cor-

corporum Martyrum Gervaſij & Protaſij. Ex quibus adeò patet, peregrinationes ſacras ita probari tum factis, tum verbis antiquæ Orthodoxiæ à Patribus, imò Apoſtolo ipſo cultæ, ut conſequenter non poſſint non eſſe conformes veræ Fidei ac virtuti Religionis.

CAPUT IV.

Refelluntur argutiæ Heideggerianæ.

43. AD *primam* Reſp. In Peregrinationibus Veteris Teſtamenti diſcernendum fuiſſe, quod erat Cæremonialis obſervantiæ, & quod erat virtutis Moralis. Illud verò Evangelicæ legis Teſtamento ſuccedente ita erat abditum, ut tamen id, quod erat virtutis Moralis, æquè adhuc ſubſiſteret, ac lege Moſaicâ abrogatâ, ſubſtiterit quartum Decalogi præceptum, non quidem quoad Cæremonialem diei Sabbati obſervantiam, ſed quoad ſubſtantiam cultûs religioſi publici Deo debiti, certoquè tempore Deo exhibendi. Hinc autem factum eſt, quòd dies Dominica ſubſtitueretur Sabbato citrà ullum Dei mandatum ex ſolo Eccleſiæ, ſive Apoſtolorum præcepto. In aperto igitur eſt, cultum Religioſum etiam publicum Deo ritè deferri poſſe abſque Dei mandato, id ipſum Confeſſione Helveticâ fatente, dum aſſerit, variationem Cæremoniarum, ut ſic cultum Dei religioſum præſeferentium in adminiſtratione Sacramentorum pendere ex arbitrio Eccleſiæ. Quare ſub cultu voluntario *Coloſſ. II. v. 23.* reprobato, ille duntaxat cultus intelligitur, qui præſefert aliquam ſignificationem Fidei ac veræ Religioni contrariam, atque adeò non tam *Materialiter*, quoad ritum duntaxat extrinſecum, quàm *Formaliter*, quoad rationem ſignificativam erat præter, imò contrà Divinam ſtatûs Evangelici legem. *Ex ſacro contextu v. 21. & 22.*
44. Pari proinde ratione ex eo, quòd peregrinationes ſacræ nulli in ſtatu Evangelico ſubſint legi Divinæ, minimè infertur, eas eſſe illicitas, cùm in hoc ſtatu dentur opera ſupererogatoria, quæ nulli ſubjacent præcepto, ſed conſilio duntaxat. *Ex I. Corinth. 7. aliſque ſacris Scripturis præc. Diſſert. II. Sect. 2. cap. 3. fusè deductis.* Cùm igitur tales peregrinationes in Romanâ Eccleſiâ minimè probentur, niſi quatenùs ſuſceptæ ſunt ex Motivo veritati Fidei, ac Religionis virtuti conveniente, non niſi impiè damnantur à prætensâ hodiernâ Reformatione. Nec ad rem faciunt loci ex ſacris Litteris per Heideggerum allegati. Tum quia *Deut. 12. v. 32.* ſermo eſt de Cæremonijs legi Divinæ directè adverſantibus, *uti patet ex contextu v. 30. & 31.* Quæquè adeò non tantùm *Materialiter*, ſed *Formaliter* ita ſunt præter legem Dei, ut pugnent cum virtutis Divinitùs præceptæ ratione

For-

Digitized by Google

Formali. Alioquin ſi ea, quæ ſolùm *Materialiter* ſunt præter legem Dei, eſſent Divinitùs prohibita, quomodò ſubſtitiſſet mandatum Moyſis *cap. 17. v. 10.* jubentis, ſub pœnâ mortis obedire decreto Sacerdotis & Pontificis? Quomodò ſubſiſterent etiam Imperatorum ac Regum, ſeu Magiſtratuum edicta? Sane Calvinus & Zwinglius ac Reformatio prætenſa induxit multos novos ritus & Cæremonias, novoſquè Miniſtros, utique minimè reijciendos, ſi ſolùm *Materialiter* eſſent præter legem Chriſti, nec *Formaliter* pugnarent cum veritate Evangelij, ac veræ Religionis virtute. Tum 45.
quia *Eſaiæ 1. v. 12.* juncto ſacro contextu, aliud non evincitur, niſi quòd Deus refutârit malam & noxiam confidentiam in ſuis victimis & cæremonijs, quia nimirum manus ipſorum eſſent plenæ ſanguine. Et hinc Deus ab ipſis requiſivit cordis contritionem ac pœnitentiam, vitæquè emendationem. Quid ergo iſtud facit ad peregrinationes pontificias cum pœnitentiâ & confeſſione peccatorum, emendationiſquè propoſito ſuſcipi ſolitas? Minùs ad rem præſentem conducit textus *ex cap. 30. Iſaiæ v. 21.* productus, uti legenti patebit. Tum denique *Matthæi 15. v. 9.* arguuntur Phariſæi & Scribæ, quòd ſibi arrogarent cultum Dei ſub tali hominum doctrinâ, quâ propter traditionem Phariſaicam irritum redderetur Dei mandatum, *ex ſacro contextu v. 5. & 6.* Atqui antiqua Orthodoxia per SS. Patres, imò Paulum Apoſtolum, probata non tantùm non contrarias Divinæ legi, ſed vel maximè ſacris Litteris conformes oſtendit religioſas peregrinationes. Nihil ergo Heideggerus illis ſacrorum Textuum allegationibus probat, niſi quòd ſe manifeſtè prodat contaminatorem ſacrarum Litterarum.

Ad *ſecundam* Reſp. Totam ejus rationem reduci ad hoc, quòd locorum differentia jam ſit ſublata. Etſi verò iſtud principium *præced. cap. Prob. 3.* ſit refutatum, nihilominùs ad ejus abſurditatem magis demonſtrandam, denuò perpendamus ſacros Textus ab Heideggero *hic* productos. Allegat enim 1. Jeremiam *cap. 3. 16.* At ibi aliud non habetur, niſi quòd propheticè prædicatur, Arcam Teſtamenti Moſaici, ejuſque viſitationem, ſuccedente Evangelicâ veritate, eſſe abolendam. Allegat 2. Joannem Evangeliſtam *cap. 4. v. 21.* ubi dicitur, Deum in ſtatu Evangelicæ Veritatis eſſe adorandum in ſpiritu & veritate. Atqui ſub ipſo uſu Sacramentorum tanquàm Dei ac 47.
Chriſti, ejuſque virtutis ſymbolorum ita licet Deum, ac Chriſtum ad dexterâ Patris ſedentē adorare in ſpiritu & veritate, ut conſequenter Doctor iſte Tigurinus fruſtrà excipiat, ſymbolicam ſive Typicam Dei præſentiam repugnare veritati Chriſti ad dexteram Patris ſeſſionis. Allegat 3. Paulum *1. Timoth. 2. v. 8.* aſſerentem, Deum eſſe adorandum in omni loco, utpote qui ubique ſit præſens. At ſicuti ex iſtâ Dei Ubiquitate minimè evincitur, De- 48.

 um

um in omnibus locis æqualiter operari effectus tum naturæ, tum gratiæ, ſic exinde minimè infertur, non eſſe ſubeundas ſacras peregrinationes, uti
49. diſertis verbis tradit S. Auguſtinus *Epiſt. 137. ad Eccleſiam Hippon.* Et verò ipſe Heideggerus ex *Eſaiæ 31. v. 9.* fatetur, Deum ſuæ Divinæ operationis efficaciâ ſpecialiter ſe exhibuiſſe præſentem in Sion & in Hieruſalem. Cujuſmodi porrò Virtualis peculiaris Dei præſentiæ argumentum evidens erat, dum 2. *Paral. 7.* Majeſtas Domini implebat Templum Domini. Atqui ex tali ſpeciali Dei præſentiâ erat Deus ſpecialiter adorandus in Sanctuario, ſeu Templo Hieroſolymitano. Conſequens proinde eſt, talem ſpecialem, mediante virtutis ſuæ operatione, Dei in aliquo loco præſentiam non tantùm non pugnare cum Dei Ubiquitate, ſed fundare peculiarem adorationis in tali loco peragendæ titulum, in lege Evangelicâ ſecundùm ſubſtantiam minimè abrogatum, utpote ut ſic fundatum in ipſâ rei naturâ, atque adeò ſpectantem ad Formalem virtutis Religionis rationem, non verò ad Cæremonialem legis Moſaicæ propriam obſervantiam. Quâ proinde Virtuali intra Tabernaculum & Arcam Dei præſentiâ ſuppoſitâ, David, cæterique Prophetæ etiam in ſpiritu & veritate ibi adorabant Iehovam, ut adeò hinc quoquè manifeſtum fiat, adorationem in ſpiritu & veritate fieri poſſe ſub typicâ quoquè ſeu ſymbolicâ ſignificatione Dei, quà ſpecialiter alicui loco præſentis per ſuæ virtutis efficaciam. At verò talem virtutis Divinæ efficaciam, atque adeò Virtualem præſentiam vel maximè vigere in ſacris inſtrumentorum præſertim Chriſti, imò & Sanctorum Reliquijs, probant frequentia miracula, quæ memorant Juſtinus Martyr *q. 28. ad Orthod.* Ambroſius *lib. 10. Epiſt. 85.* Auguſtinus *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* Et *lib. 22. de Civit. Dei.*
50. *cap. 8.* Item *cit. Epiſt. 137.* Quam proinde ob cauſam in ſacris Reliquijs, imò & Sanctis ceu vivis trophæis Chriſti, ejuſque paſſionis inſtrumentis ita Deus ſeu Chriſtus laudatur & adoratur, ut crux Chriſti, cæteraquè paſſionis inſtrumenta ſummo in honore ſemper habita, & cultu non quidem *Abſoluto* & *Intranſitivo*, ſed *Reſpectivo* in Deum & Chriſtum *Tranſitivo* adorata fuerint, uti teſtatur S. Chryſoſtomus *Hom. Quòd Chriſtus ſit Deus.* Ambroſius *Orat. in Theod.* Paulinus Nolan. *Epiſt. 11.* Auguſtinus *in Pſal. 36 & cit. lib. 22. de Civit. cap. 2.* Damaſcenus *lib. 4. Orth. fidei cap. 12.*

51. Ad *tertiam* Rep. Ex eo, quòd in Novo Teſtamento Chriſtus, Mater ejus Apoſtoli, alijque frequentârint templum Hieroſolymitanum, non quidè probari illud peregrinationis Moſaicum præceptum hodie adhuc vigere: inde tamen ſequens formari argumentum. Certum eſt, quòd Chriſtus Dominus, ejuſque Mater ſuſceperint illam religioſam peregrinationem non ex intentione ſignificandi adventum Chriſti futuri, utpote jam præſentis,

At

At lex Moſaica inſtituebat illam peregrinationem Hieroſolymitanam quà proteſtativam Fidei in Chriſtum venturum. Imò verò dum Apoſtolus Paulus *Act.* 20. feſtinabat in Hieruſalem, ad Pentecoſtes feſtum ibi celebrandum, Deumquè adorandum, non poterat intendere Motivum legis Moſaicæ, utpote jam abolitæ per Chriſti Domini mortem, ac legis Evangelicæ promulgationem. Conſequens proinde eſt, peregrinationes religioſas licitè inſtitui ſub intentione diversâ à præcepto antiqui Teſtamenti. Atqui peregrinationes taliter ſuſceptæ non poterant *Formaliter* ſpectare ad antiquum Teſtamentum, utpote tempore peregrinationis à Paulo ſuſceptæ jam abolitum. Oportet igtur, peregrinationes religioſas ſub ratione & ſignificatione legis Moſaicæ propriâ ita fuiſſe præceptas in Antiquo Teſtamento, ut hoc etiam abolito, vigeant ſub formali virtutis Religionis ſive Moralitatis hanc ſpecificantis ratione. Quæ porrò Heideggerus circà cultum Imaginum, interceſſiones Sanctorum, Indulgentias, ſatisfactiones, Meritum, & argumentum ex umbrâ Petri, & ſudarijs Pauli ad ſacras Reliquias applicatum adversùs Pontificios effutit, ea refutata videre licet *ſuprà Diſſert.* 14. *Sect.* 4. *cap.* 3. *Diſſert.* 14. *Sect.* 2. *cap.* 3. *Diſſert.* 11. *Sect.* 4. *cap.* 3. *Diſſert.* 14. *Sect.* 3. *cap.* 3.

Ad *quartam* Reſp. Sic argumentando. Exempla à ſacris Litteris probata, & ab antiquæ Orthodoxiæ fidelibus continuata, ipſorumquè adeò SS. Patrum authoritatibus firmata & laudata, probant vivam fidelium Fidem in Eccleſiâ Dei incorruptè ſervatam. At exempla circà peregrinationes religioſas in ipſo Paulo Apoſtolo eſſe probata. *Act.* 20. *&* 24. eſſequè ab antiquâ Orthodoxiâ frequentata, atteſtantibus & approbantibus SS. Patribus, conſtat *ex præc. cap.* 3. Talia igitur exempla ita probant vivam in Eccleſiâ Dei incorruptè ſervatam Fidem, ut ab hac conſequenter defeciſſe, convincatur Reformatio, pertinaciter pugnans adversùs ſacras peregrinationes. Sed quid ais Heideggere, ſi argumentum ab Antiquitate valeret, Paganiſmum præponderaturum Chriſtianiſmo? Verùm originem Antiquitatis, neceſſum eſt, ut inſpiciamus, an ſcilicet ex ipſo Dei Verbo tum ſcripto, tum exemplis & doctrinis fidelium per vivam fidem jugiter propagato & tradito fluxerit. At rem circà peregrinationes religioſas ita ſe habere, conſtat *ex locis præcitatis.* Ipſimet ergo Fidei ac vivo Dei Verbo injurius es, dum quoad illud ex Antiquitate Orthodoxâ petitum argumentum Chriſtianiſmo præfers Paganiſmum. Injurius inſuper es antiquæ Orthodoxiæ, dum *Diſſert.* 4. *§.* 9. hanc peregrinationum religioſarum conſuetudinem contendis à Iudæis, Paganis, & Mahumetanis emendicatam. Eſto enim, iſti honorem Latrevticum, quem ex lumine naturali agnoſcebant uni Deo deferendum *Rom.* 1. *v.* 23. le-

52. 53. 54.

gantur tranſtuliſſe ad ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum &c. non exinde evincitur, honorē Divinū naturaliter notum & in falſos Deos translatū, non in verum Deum denuò reducendū fuiſſe. Quamvis igitur *cit. §. 9.* probes, Ethnicis & Mahumetanis fuiſſe peregrinandi morem ad ſimulacra falſorum Deorum, minimè tamen hinc concludere tibi licebat, tales peregrinationes in cultum religioſum veri Dei ſuſceptas eſſe idololatricas, niſi Conſtantinum Magnum, & Patres Orthodoxos iſto Imperatore anteriores, quos Hieroſolymam profectos eſſe, de Idololatriâ inſimules: ex præcitatis enim locis patet, eodem hodiernæ Eccleſiæ fideles fine ac intentione religioſas ejuſmodi peregrinationes ſuſcipere, atq; ab ipſis
55. Patribus ſuſceptæ fuerint. Tua porrò *præc. Diſſert. Sect. 1. 3. & 4. ac præſ. cap.* refutata mentiendi libido eſt, dum aſſeris, de Reliquiarum & Sanctorum (non adoratione ſtrictâ, uti mendaciter ſupponis) ſed cultu & veneratione, ſeu invocatione nullum primorum trium ſæculorum occurrere veſtigium. Quòd denique Pontificios calumnieris, animas Sanctorum ab ipſis ſub altari torqueri, dum ſub hiſce, more Veteribus inſueto, recondant eorum ſacras Reliquias, apertè reus es temeratæ antiquæ Orthodoxiæ: huic enim talem fuiſſe morem, apertè teſtatur S. Auguſtinus *Serm. 11. de Sanctis.*

56. Ad *quintam* Reſp. Fateris jam Heideggere, Alexandrum Epiſcopum aſcendiſſe Hieroſolymam, ſi non voti, ſaltem adorandi causâ. At ex hoc manifeſtè convincitur, adorationem Dei ſpeciali titulo factam Hieroſolymis fuiſſe, atque adeò ſecundùm exemplum antiquæ in illo Epiſcopo refulgentis Orthodoxiæ, licere peregrinationes religioſas, utpote adorandi causâ, ſuſcipere. Fateris inſuper, Paganiſmo per Conſtantinum Magnum profligato, cœpiſſe Hieroſolymam frequentari. At iſtas peregrinationes fuiſſe tunc ſuſceptas ex motivo religioſi erga Deum & Chriſtum cultûs, conſtat
57. *ex præced. cap. 3. prob.* 8. Sed ais, iſtam peregrinandi conſuetudinem, ſubortis erroneis opinionibus, poſtea ſucciſam fuiſſe. At videamus, quos hujus tuæ aſſertionis alleges teſtes. *Primò* igitur producis S. Antonium & S. Athanaſium in vitâ ipſius. At per iſtam allegationem falſi crimine te obſtrinxiſti. Ibi enim non eſt ſermo de peregrinationibus religioſis, ſed de Græcorum ad terras alienas ſtudiorum & inanium litterarum causâ ſuſceptis itineribus. *Secundò* producis Epiſtolam Gregorij Nyſſeni de ijs, qui adeunt Hieroſolymam. At imprimis iſta epiſtola, juxta Molinæi quoquè verſionem, loquitur de ijs, qui ſe ſemel conſecraverunt ſublimi vivendi rationi, ſolitariâ, & in ſeducto vitâ electâ. At tu eandem extendis ad omnes fideles. In quo proinde jam divertis ab intentione illius S. Doctoris: imò hunc ſolitariæ vitæ Deo conſecratæ teſtimonium ferentem ſtatim in limine illius epi-

ſtolæ

ſtolæ habes tuæ Reformationi adverſantem. Deinde hic S. Doctor ibi ſolùm probat, peregrinationes religioſas non eſſe à Deo præceptas. Tu verò hinc contendis, eſſe indefinitè omnibus fidelibus illicitas, ac Divinitùs prohibitas. Quod remotiſſimum eſt ab intentione illius Doctoris, utpote *ibidem* probantis vitam ſolitariam Deo conſecratam, quam tamen conſtat, nullibi eſſe præceptam. Iterum igitur iterumquè Heideggere in Gregorio Nyſſeno reus es læſæ veritatis. *Tertiò* producis Hieronymum *in Epiſt. 3. ad Paulinum.* At non integrè, ſed mutilè adducendo hujus Sancti Doctoris verba, iterum novo falſitatis reatu te feciſti obnoxium. Ubi enim probâſſet, peregrinationes ejuſmodi non congruere Monachatui, ſubjunxit ſequentia: *Quod loquor, non de Epiſcopis, non de Presbyteris, non de Clericis loquor, quorum aliud eſt officium, ſed de Monacho &c.* Et hinc Bernardum *Epiſt.* 319. de Monacho loquentem, allegando, quaſi indefinitè refutâſſet peregrinationes religioſas, rursùs te fallacem oſtendiſti. 58.
Quartò producis Auguſtinum *Serm. 1. de verb. Apoſt. & Serm. 3. de Martyribus.* At in priori loco nihil eorum reperire potui, quæ allegas. Poſito tamen, rem ita ſe habere, ut aſſeris, plus non evincis, niſi quòd unico cum Chriſto per Gratiam ſanctificantem mediante amore Divino, non autem peregrinationibus obtineatur. Hinc autem minimè evincitur, ſuppoſito etiam juſtificationis ſtatu, non licere cultum religioſum, mediantibus ſacris quoque peregrinationibus ex variarum virtutum, præcipuè Religionis motivis, Deo deferre. In *loco* porrò *poſteriori* præcitatus S. Eccleſiæ Doctor tantùm docet, ad remiſſionem peccatorum ita ſufficere actus interiores, ut non ſit opus exterioribus, v. g. peregrinationibus ſacris. At hinc minimè refutari ejuſmodi religioſas peregrinationes, utpote miraculis probatas, apertè probat S. Auguſtinus *locis ſuperiùs citatis*, ſpeciatim *lib. 22. de Civit. cap. 8.* In aperto igitur eſt, tuam ex præallegatis S. Auguſtini locis illationem eſſe fallacem, huicquè Sancto Doctori injuriam. 59.
Quintò producis Chryſoſtomum *Hom. 22. in Epiſt. ad Rom. & Hom. 8. in Epiſt. ad Epheſ.* Item *Hom. 3. ad Antioch. & Hom. 1. in Epiſt. ad Phil.* At *primis duobus locis* fateris, iſtum ſanctum Doctorem S. Pauli cineres mentaliter coluiſſe, extollendo actiones ſacras, quarum fuerint inſtrumenta. Hic ipſe verò ſanctus Doctor ibi ſubjungit, Romam vel maximè muniri ex SS. Apoſtolorum corporibus. En igitur iſthunc tuæ Reformationi apertè adverſantem. Deinde *Hom. 3. ad Antioch.* nihil eorum, quæ dicis, invenire potui, ſed ibi ſolummodò dicit, non eſſe neceſſarias peregrinationes. Et *Hom. 1. in Philem.* ſolùm aſſerit: *Remiſſionem peccatorum ſolo interiori voluntatis actu obtineri poſſe.* At hinc minimè refutantur religioſæ peregrinationes ab illo ſancto Doctore *Hom. 66. ad popul. Antioch.* Item *Hom. 20. in 2. ad Corinth. & alibi* approbatæ & laudatæ, ipſomet etiam Deo miraculis ferente pro ipſis teſtimo- 60.

monium. *Sextò* denique producis Concilium Cabilonenſe *cap. 45.* At mutilâ hujus Synodi allegatione iterum reatu criminis falſi te obſtrinxiſti. *Ibidem* enim, poſtquàm refutati ſunt, qui abſque confeſſione & pœnitentiâ probabant, ſe purgari à peccatis, tandem concluditur in hæc verba: *Qui verè peccata ſua Sacerdotibus &c. confeſſi ſunt, & ab his agendæ pœnitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum inviſere deſiderant, horum eſt devotio modis omnibus collaudanda.* En quot hîc ſunt characteres adverſantes tuæ prætenſæ Reformationi.

61. Ad *ſextam* Reſp. Sic replicando. Religioſa Divinæ excellentiæ proteſtatio non poteſt non eſſe bona, quatenùs cum omnibus ſuis circumſtantijs, ſecundùm Eſſe Morale virtutis, eſt *Formaliter* à Deo definita, licèt *Materialiter* quoad actionem exercitam non ſit Divinitùs præcepta, ſed ſupererogatoria: veluti oſtenſum eſt *Diſſert. 13. Sect. 1. cap. 3. ac alibi in præcedentibus.* Atqui peregrinationes ſacras ad Divos, ſacraſque Reliquias, imò & imagines ex purâ Divinam excellentiam proteſtandi, & in Sanctis ſuis laudandi ac adorandi, Sanctoſquè adeò cultu Duliæ, *Virtualiter* ex fine ſaltem operis in Divinam Majeſtatem referibili, Deum verò cultu Abſoluto, ſupremo, ac ultimato Latriæ colendi ſuſceptas, licèt *Materialiter* quoad actionem exercitam non ſint præceptæ, etiam quoad rationem meriti, ſatisfactionis Divinitùs eſſe præſcriptas, conſtat ex ſacris Litteris, & authoritatibus Orthodoxorum Patrum *præc. cap. Item locis præſ. cap. ad 3. in fine allegatis.* Ergo peregrinationes ejuſmodi ſunt Divinæ Excellentiæ taliter proteſtativæ, ut omninò ſint *Moraliter* bonæ ac virtuoſæ.

62. Ad *ſeptimam* Reſp. Sic argumentando. Falſum eſt, Miracula Divinitùs facta abducere à cultu ſolius Dei ad cultum creaturarũ. Atqui SS. Ambroſius *lib. 10. Epiſt. 85. &c.* Auguſtinus *lib. 9. Confeſſ. c. 7. &c.* & Chryſoſtomus teſtantur, venerationem Sanctorum & ſacrarum Reliquiarum ſæpius fuiſſe probatam miraculis Divinitùs factis. Conſequens igitur eſt, talem Sanctorum & ſacrarum Reliquiarum venerationem non tantùm non abducere à cultu Dei, ſed huncex illâ præcipuè promoveri, imò ipſummet Deum Sanctos ceu amicos ſuos, & Miniſtros Chriſti honorificantem, ſuo quaſi exemplo illam commendare, Divo proinde Ambroſio *Serm 93. de SS. Nazario & Celſo poſt medium* ita nos adhortante: *Honoremus beatos Martyres, principes Fidei,*
63. *intereeſſores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quòd ſi dicas mihi: Quid honoras in carne jam reſolutâ* (en Heideggeri tuæ Reformationis objectionem) *atque conſumptâ, de quâ nulla jam Deo cura eſt? Ubi eſt illud, quod ipſa veritas loquitur per Prophetam: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et iterum; *Mihi autem valde*

Digitized by Google

valde honorificandi ſunt amici tui Deus? Ex quo proinde concluditur, Heideggerum manifeſtæ blaſphemiæ reum eſſe, dum miracula ad cultum Sanctorum ac Reliquiarum, Patribus Orthodoxis teſtibus, Divinitùs facta, annumeravit portentis Antichriſti. Quia verò iſte Tigurinus Profeſſor cavillando infert, datis etiam hiſce veris miraculis, Reliquias Sanctorum non magis adorandas (ſubintellige cultu Latriæ Reſpectivo in ipſummet Deum relato) ſeu potiùs venerandas eſſe, quàm mandibulam aſini Samſonis, aquá Iordanis ſanantem Naaman, Eliſæi oſſa, Pauli ſudaria, & umbram Petri: idcircò quæro ex ipſo, an non iſta omnia agnoſcat, fuiſſe Divinæ virtutis *ſymbolicè* repræſentativa? Quòd ſi conformiter iis, quæ *cit. Differt. 1. §. 13.* aſſeruit, affirmativè reſpondeat, rurſùs quæro ex ipſo, an non ſuæ Reformationis ſpiritus ex Divinæ virtutis ſymbolis, effectu etiam miraculoſo exhibitis ſe attollat in ipſam Dei virtutem colendam & venerandam? Si talem ſpiritûs ſui ex Divinæ virtutis ſymbolis ad Deum, mediantibus effectibus miraculoſis, elevationem neget, convincitur Reformatio ex tali ſpiritu procedens, eſſe omninò depreſſa & immerſa terreſtribus affectibus. Si verò affirmet, denuò quæro, an non mens taliter in Deum elevata, ipſum adoret in ſpiritu & veritate? Si affirmet, confecta jam res erit, quòd ejuſmodi res inanimatæ, Sanctorumquè adeò Reliquiæ quà Divinæ virtutis ſymbola *inſtrumentaliter* conducant ad Deum adorandum. Et quia ipſemet Heideggerus *in præcedentibus* fatetur, Deum coli non poſſe, niſi inſtrumenta & ſymbola ad Dei cultum conducentia propter connexionem, quæ inter actum & inſtrumentum intercedit, ſingulari etiam reverentiâ tractentur, in aperto quoquè erit, quòd cultus aliqualiter Religioſus, non quidem *Abſolutè* & *Intranſitivè*, ſed *Reſpectivè* & *Tranſitivè* cum relatione ad Deum deferri debeat Divinæ
virtutis ſymbolis, ſacriſquè adeò Reliquiis. Quòd autem prætactus Eccle- 64
ſiæ Tigurinæ Miniſter Pontificiis exprobret, nullum verum reſuſcitati alicujus mortui miraculum ex ſacris præſertim Reliquiis ab ipſis oſtendi poſſe, in hoc ſanè eſt apertè contradicens S. Auguſtino *lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* referenti de Euchario Presbytero mortuo, fuiſſe ex contactu Reliquiarum S. Martyris Stephani vitæ reſtitutum. Quinimò talia miracula frequentiora, & quidem his ipſis temporibus à Thaumaturgâ Einſidlenſi patrata legitimis teſtimoniis ac probationibus in promptu eſt demonſtrare, nec Heideggerus ejuſmodi dixiſſet conficta & diabolica, niſi ex ſpiritu Antichriſtiano fuiſſet locutus.

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Baldingeri argumenta *cap. 1.* deducta non tantùm non 65
ſolvi ex argutiis Heideggeri, ſed hunc falſis commentis, ſacrarumquè

Lit-

Litterarum & Patrum Orthodoxorum falſificationibus ſe feciſſe graviter obnoxium. Unde ſic licere argumentari. Ille ſanè ſpiritus non eſt Divinus, qui religioſum in ſacris Litteris fundatum, & vivâ fidelium fide ac exemplis in Eccleſiâ Dei jugiter obſervatum, Patrumque adeò auctoritatibus cultum tantâ cum protervîâ nititur refutare, ut non erubeſcat, Patres Orthodoxos cum falſi crimine allegare, & ſacræ Scripturæ ineptos, imò falſos ſenſus ſupponere. At ſpiritum Heideggeri ita ſe habere circà peregrinationes religioſas, Sanctorumquè venerationem, & Reliquiarum cultum, conſtat tum *ex præced. cap. 3. & 4.* tum *ex præced. Diſſert. 14. per totam.* Viderit ergo Tigurina Eccleſia, quomodò illius ſui Profeſſoris ſpiritus poſſit eſſe Divinus.

SECTIO II.

An fideles Romanæ Eccleſiæ nitantur legitimis, prudentialem ac Moralem certitudinem fundantibus rationibus, ad certa loca ſacra Fidei principiis conformiter, cultu vel Latria, vel Dulia Reſpectivo colenda?

CAPUT I.

Referuntur argumenta Baldingeri ac Redingij.

1. Redingius *in ſuis adversùs Einſidlenſem Peregrinationem Refutat. Diſſert. 10. à n. 1.* argumentatur 1. Prudentiæ infuſæ ſeu Doni Conſilij certitudinem Moralem ſive *immediatè*, ſive *mediatè* reduci in Fidei, vel Intellectûs, ſeu ſapientiæ ac ſcientiæ Spiritûs S. Donorum veritates tanquàm prima principia, ſeu primas præmiſſas, *Majores* dici ſolitas. Exinde verò ſub rationibus ex circumſpectione & conſultatione circumſtantiarum particularium adinventis, per Gnomen ſive Syneſin, ceu virtutes Prudentiæ annexas, eatenùs fieri judicium de practicâ veritate ad virtutem aliquam Moralem ſpectante, ut iſtud judicium ſubeat locum ſecundæ, ſive *Minoris* præmiſſæ. Ex quâ tandem & illarum aliquâ Majori præmiſſâ ſeu primo Fidei principio inferri Prudentialem concluſionem de veritate practicâ ad virtutem aliquam Moralem ſupernaturalem ſpectante. Quo proinde diſcurſu ſuppoſito, videamus, quibus rationibus prudentialibus nitantur præcipuè Pontificiæ peregrinationes.

2. Baldingerus itaque *cit. Diſſert. Theolog. pag. 33.* argumentatur 2. Peregrinationis Hieroſolymitanæ rationem prudentialem ac Moralem in eo ſe tenere,

nere, quòd ibi ſuperſit ſepulchrum Chriſti aliquot quidem annis unà cum Cruce, & alijs Dominicæ paſſionis inſtrumentis injecto aggere oppletum, Conſtantini vero & Helenæ operà adinventum & reſeratum. Inſuper ſupereſſe loca Chriſti præſentiâ, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione illuſtria, tantæ rei dignâ memoriâ conſecrata, tametſi vici & ædificia non ſupereſſent in eodem, quo erant Chriſti tempore, ſtatu. De quo videri poſſe Adrichomium de urbe Hieroſolymâ.

3\. Argumentatur 3. Refutando Heideggerum *ſua Diſſert. Synod. pag.* 13. aſſerentem, quòd Palæſtinæ ac Hieruſalem vel nihil inſit Sanctitatis, vel poſt Chriſti mortem ſancta dici non debeat, utpote in quâ Chriſtus crucifixus ſit, & ex quâ ceu maledictâ fugam Paulus *Heb.* 13. *v.* 14. fidelibus ſuaſerit, quæquè *Ezechielis* 22. dicatur impura. Cui proinde Heideggerianæ exceptioni Baldingerus *citatus pag.* 34. *&* 35. opponit, quòd ſanior Theologia & ratio ipſi dictet, ejuſmodi locis & rebus ſanctitatem Reſpectivam ineſſe. Sicut enim panis Evchariſticus dicitur ſanctus propter carnem Chriſti, quam aut continet, aut ſignificat, tametſi confectus ſit à ſcelerato piſtore. Et ſicut Ioannes judicavit, ſe indignum ad ferendos Chriſti calceos, propter Chriſtum illis calceis indutum: ſic Palæſtinam dici terram ſanctam non propter Iudæos, ſed propter Chriſtum, qui ſuâ præſentiâ, paſſione, & effuſo ſanguine illam ſignificârit. Unde cùm illius terræ ſanctitas conſiſtat in reſpectu ad Chriſtum, ſequi, quòd ea planè indelebilis ſit, ſed ſemper duret, quantumvis enormes peccatores illam inhabitent & poſſideant. Semper enim verum eſſe, quòd Chriſtus hoc in loco natus ſit, converſatus, & pro noſtrâ ſalute paſſus. Locum Apoſtoli *Heb.* 13. *& Ezechielis* 22. temerari ac perversè allegari ab Heideggero, prout pateat expendenti.

4\. Argumentatur 4. Refutando Heideggerum *cit. Diſſert. Synod. pag.* 23. arguentem, ſi qua narrationi de Idolo Lauretano à Pontificijs aſſertæ, attamen à Vergerio, & Berneggero confoſſæ, fides eſſet, ſequi, Mariam in eâdem camerâ, quâ nata & educata eſt, etiam Chriſtum per duodecim annos enutriviſſe. Hoc autem adverſari Scripturæ *Matth.* 1. *v.* 20. affirmanti, Ioſephum in ſomno monitum ab Angelo, ad ſe accepiſſe Mariam, adeoquè in ædes ſuas, utpote qui mos fuerit maritatis, recepiſſe. Cui adeò Heideggerianæ exceptioni Baldingerus *pag.* 13. opponit, falſum eſſe, quòd in Scripturâ dicatur Ioſephum, Mariam ad ſe accepiſſe, adeoquè in ædes ſuas, more tunc mariti, conſueto, recepiſſe. Sic enim habere Scripturam: *Ioſeph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam &c.* In quibus proinde verbis nullam fieri mentionem [illegible], nec moris uſitati, ſed tantùm juberi Ioſepho, accipere Mariam conjugem ſuam, id eſt acceptam non dimittere, ſed retinere. Hunc

enim ſenſum cohærere cum animo Ioſephi, tunc volentis eam occultè dimittere *v.19.* Nec ullibi in Scripturâ legi, morem maritis tunc fuiſſe perpetuum, traducendi ſponſas in ſuas ædes, ſed econtrà Iacobum plures annos habitâſſe in domo ſui ſoceri &c.

5. Argumentatur 5. Redingius *in cit. Refutat. Diſſert. 2. n. 1.* pro conſecratione ſacelli Einſidlenſis Divinitùs factâ ſtare teſtimonium S. Conradi Epiſcopi tanquàm teſtis de viſu, *ex lib. de Secret. Secret.* Inſuper publicum Inſtrumentum in præſentiâ Ottonis I. ejuſque filij Ottonis II. nec non Imperatricis Adelheidis, ac plurium tam Romanorum, quàm Teutonicorum Principum, Anno 964. IV. Idus Novembris editum. Quod adeò inſtrumentum tantam habere fidem, ut vel attentâ tantorum Principum & authoritate, & in rebus conſiderandis maturo judicio, hiſtoria illa per publicum ejuſmodi Inſtrumentum aſſerta & approbata, ſufficiens nacta ſit & validum veritatis monumentum. Nec eſſe, cur illud inſtrumentum, utpote manu Papæ firmatum repudietur ab Heideggero, niſi frequenti Germaniæ Procerum pro illâ approbatione ſuis conſilijs concurrentium Archiepiſcoporum, ſcilicet Moguntienſis & Colonienſis, & Epiſcoporum Wormatienſis, Hildenheimenſis, Mirmidonenſis, Argentinenſis, Auguſtenſis, Curienſis, nec non Abbatum Augienſis & Sancti Galli, aliorumque plurium in Bullâ Leonis VIII. allegatorum authoritatem labefactare, & unà cum Papâ ac prænominatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus ipſum etiam Imperatorem ac Imperatricem, multoſquè tam Romanos, quàm Teutonicos principes illi approbationi præſentes arguere præſumat.

6. Argumentatur 6. *cit. Diſſert. 2. n. 2.* Ipſum Heideggerum diſertis verbis fateri, quòd ex tempore, quo vulgatum, creditumquè eſt, à Chriſto & Angelis in honorem Deiparæ Virginis ſacellum Einſidlenſe glorioſè dedicatum & conſecratum eſſe, maximo confluentium concurſu tanquàm ſacroſanctum & gratijs impertiendis ditiſſimum frequentari cœperit, hodieque maximo ſtudio frequentari ſoleat. At non tantùm ex hiſtoriâ illius dedicationis per authores antiquiſſimos deſcriptâ, ſed ex vivo S. Conradi Antiſtitis Conſtantienſis teſtimonio, imò & voce cæleſti à prætacto S. Conrado & Divo Udalrico, imò & univerſo tunc præſente populo Anno 948. 14. Septembris ter auditâ, ceu firmis per authoritatem plurium Epiſcoporum ac Principum, ipſiuſque Imperatoris, ac Imperatricis & Papæ Anno 964. IV. Idus Novembris approbatis argumentis conſtare, illam Divinitùs factam conſecrationem à tempore proximè relato creditam, vulgatamque eſſe. Ex ipſâ igitur Heideggeri confeſſione, junctis argumentis prætactis, ſtare pro illâ Divinâ conſecratione Antiquitatis ſeptin-

gen-

gentis annis durationem continuatam. At verò in cæteras probationis ſpecies, ſiſtendo etiam in ſolo lumine naturali, unam & præcipuam eſſe obſervantiam & durationem continuatam per tempus immemoriale. *Ex leg. Quadam mulier. ff. de rerum vendicat. Leg. Si à te. ff. Si ſervitus vendicatur. Leg. Prædiâ. de acquirendâ poſſeſſ.* & ex communi Iuriſconſultorum. Unde cùm dubietas etiam tituli primordialis, ſi qua potuiſſet eſſe, debeat ex eventu ſubſecuto certificari. *Leg. Minimè. & Leg. Si. De Interpret. ff. de Leg.* Imò cùm à primordio tituli poſterior firmetur eventus, *Leg. Prima. circà finem. Cod. de imponend. tit. lucrat.* Conſequens eſt, conſecrationem illam Divinam pro indubitatâ tenendam eſſe, tum ex præadducto luminis naturalis inſtinctu, tum ex ipſo etiam luminis ſupernaturalis argumento, ſiquidem veritatis etiam Divinæ ac fidei ſupernaturalis firmiſſimum, teſte S. Auguſtino *lib. cont. Epiſt. fund. cap. 4.* deſumatur argumentum ab Antiquitate continuatâ & nunquàm interruptâ: adſtipulante quoquè Gamaliele *Act. 5.* ubi iſtam in myſterijs ſupernaturalibus obſervantiæ continuationem agnovit tanquàm effectum infallibilem Divinæ inſtitutionis.

Argumentatur 7. Heideggeri Leonem VIII. è numero verorum Pontificum cum Baronio explodere conantis, exceptionem *Diſſert. 2. n. 2.* taliter refutando. Etenim in Leone VIII. oportet diſtinguere annos, quibus Pontificatum geſſit. Nam anno 963. electum teſtatur Baronius, obijſſe diem anno 965. Etſi proinde argumenta Baronij videantur evincere, Leonem VIII. non fuiſſe verum Pontificem, quouſque anno videlicet 964. Menſe Majo Ioannes XIII. erat defunctus, attamen à die mortis hujus nihil impediebat, quò minùs conſtitueretur legitimus Pontifex. Et hinc Baronius ad annum 907. teſtatur, illius temporis ſcriptores uno animo & ore Leonem VIII. agnoviſſe verum Papam, patetque ex varijs Bullis Pontificijs, reliquos Pontifices unanimiter vocâſſe eundem prædeceſſorem ſuum, adeòque inter legitimos Papas cenſuiſſe. Quem porrò in ſerie Romanorum Pontificum locat Catalogus Romæ excuſus, in quo peculiariter notandum venit, unicum cum menſibus aliquot aſſignari annum Pontificatûs ipſius, & ita primum ejus annum non computari in Pontificatu, ſed hujus initium peti ab Anno 964. quando Ioannes XIII. iam erat defunctus. At verò ex Bullâ Leoninâ patet, Anno 964. IV. Idus Novembris eſſe à Leone VIII. decretam Divinæ Sacelli Einſidlenſis conſecrationis approbationem, à quo tempore fuiſſe hunc legitimum pontificem, præter argumenta ſuperiùs poſita ex hoc etiam probari poteſt, quòd nefas ſit, credere, duos ſanctitate conſpicuos, Conradum Conſtantienſem, & Udalricum Auguſtanum Antiſtites cum primarijs Germaniæ ac Italiæ Archiepiſcopis & Epiſco-

piſcopis affuturos fuiſſe Conſiſtorio Antipapæ, ab hoc petendo confirmationem dedicationis præfatæ. Evaneſcit igitur illius ab Heideggero motæ argumentationis fundamentum, omniaque, quæ juxta conſuetum ſuum ſtylum exinde conatus fuit deducere dilemmata, ſtatque firma illius Divinæ conſecrationis approbatio Pontificia, maximè cùm à diverſis ſummis Pontificibus fuerit deinceps reiterata, conceſſis diverſis etiam privilegiis, ob maxima, quæ ibidem Beatæ Mariæ meritis dignatus eſt Altiſſimus operari, miracula: uti habent plures Bullæ in Archivio Einſidlenſi aſſervatæ.

8. Argumentatur 8. Prætacti Tigurini Profeſſoris ad peregrinationem Einſidlenſem illa Chriſti Domini verba; *Ecce in Eremo eſt PSEUDOCHRISTUS, nè egredimini*, applicantis, exceptionem *Diſſert. 16. n. 2.* taliter refutando. Etenim callidè Heideggerus, ut fucum faciat, loco vocis *in deſerto*, ſuppoſuit vocem *in Eremo*. Sed quæritur ex ipſo, an poſſit intrà ſuum conclave, vel in deſerto, ſive in Eremo adorare Chriſtum in Spiritu & veritate? Si neget, redarguendus erit ab Apoſtolo *1. Timoth. 2. v. 8.* ita diſſerente: *Volo igitur, adorare virum IN OMNI LOCO.* Si affirmet, cur ſuccenſet Pontificijs, quòd Chriſtum adorent in Eremo, non quà ibi jam *Circumſcriptivè* & *Quantitativè* exiſtentem, ſed quà in cœlis ad dexteram Patris ſedentem? Quòd ſi ex ſuæ *Diſſert. ſynod. §. 4. a. 4.* reſpondeat, Pontificios dicere, Chriſtum eatenùs eſſe magis in Eremo ſeu Sacello Einſidlenſi, quòd gratia meriti ipſius magis ibi ſit, quàm alibi. Tunc rurſus quæritur ex ipſo, an non,
9. quando in Eccleſiâ Tigurinâ ſumit Cœnam Domini, ſeu panem Eucharisticum, Chriſti non quidem *Realiter*, uti ait, contentivum, ſed ſignificativum & figurativum, tunc ſentiat fidem Chriſti in ſe magis excitatam; atque magis in Spiritu & veritate adoret, quàm, dum in cubilibus neſcio, quæ agit? Si neget, timeo ſanè, ne totus ipſius ſpiritus reſolvatur in concupiſcentiam carnis. Si affirmet, denuò quæritur, an illa excitatior erga Chriſtum fides, nec non in ſpiritu & veritate adoratio ſit per gratiam meriti Chriſti? Si neget, planum erit, totum ipſius ſpiritum reſolvi in præſumptuoſam ſuperbiam. Si affirmet, iterum quæritur, an non igitur gratia meriti Chriſti magis vigeat in templo Tigurino, quàm in obſcœnis cubilibus? Si neget, non erit, cur frequentet ſuam Dominicam Cœnam in templo, & videat, nè id coæquet obſcœnis cubilibus. Si affirmet, denuò quæritur, an non illa gratiæ meritorum Chriſti in uno præ obſcœnis cubilibus loco ſacrô efficacia & præſentia importet quandam virtualem Chriſti præſentiam? Si neget, tunc nè ſpiritum quidem & veritatem Chriſti, tanquàm ejus virtutem & effectum habebit in ſe præſentem, nec adeò poterit adorare in ſpiritu & veritate [illegible] affirmet, rurſus quæritur, an credat,

quòd

quòd Pontificij aliam, ſcilicet Circumſcriptivam & quantitativam Chriſti præſentiam pro hîc & nunc aſſerant extrà cœlum? Si affirmet, apertam com- 10.
mittit falſitatem, eoſquè Lutheraniſmi ac ſectæ Ubiquiariæ (quem tamen errorem Eutychianiſmi à Zwinglianis olim damnatum, hodie in Eccleſiâ Tigurinâ volunt habere adjaphorum, cujuſque ad credendum licentiæ expoſitum) falsò redarguit. Si neget, in apertò erit, totam illius ab Heideggero ſuperiùs factæ argumentationis vim evaneſcere.

Argumentatur 9. *cit. Diſſert.* 20. *n.* 2. inferendo, quòd Chriſti Domini 11.
adorabilitas, Divæque Virginis cultus Hyperdulicus in Sacello Einſidlenſi, tanquàm Divinitùs Deiparæ conſecrato habeat practicâ certitudinem omninò infallibilem, ac ſupernaturalẽ præſentiæ infuſæ propriã. Etenim Chriſti Domini Latrevtica adoratio, Divæque Virginis cultus Hyperdulicus in Baſilicis Deo, ſeu Chriſto, ejuſque Matri conſecratis exhibendus, ipſis etiam Reformatis Doctoribus *in Reſutat. Diſſert.* 4. *n.* 5. fatentibus, fundatur in Veteris Eccleſiæ (ſecundùm eos Reformatos Doctores) puræ & immaculatæ Patribus, non niſi veram & Orthodoxam in Verbo Dei radicatam doctrinam tradentibus, atque adeò reſolvitur in ipſa fidei Divinæ Principia. Atqui omnibus pro Sacelli Einſidlenſis Divinâ conſecratione ſubſiſtentibus argumentis circumſpectè conſideratis, reperire licebit, pro hac ſtare atteſtationem S. Conradi Epiſcopi, nec non vocem cæleſtem publicè auditam, & in Romani Papæ, ac Imperatoris, Epiſcoporum & Principum conventu deductam & probatam, indeque latam deciſoriam approbationem, atque hinc ſecutum ſeptingentorum annorum continuatum fidelium cultum & conſenſum, atque traditionem miraculis frequentibus Divinitùs roboratam. Quæ ſanè argumenta non tantùm veriſimilia fundare poſſunt credibilitatis evidentiam, Morali naturali certitudine longè ſuperiorem. Ex quibus adeò formari poteſt judicium non tantùm *Formaliter Practicè*, ſed etiam *Materialiter* ac *ſpeculativè* certum de Divinâ Sacelli Divinitùs Deiparæ dicati conſecratione. Hinc ergo Chriſti Domini adorabilitatis Latrevticæ, Deiparæque Hyperdulici cultûs in Sacello Einſidlenſi tanquàm Divinitùs conſecrato exhibendi honeſtatem ac decentiam ſub certitudine morali etiam ſupernaturali ſecundùm Prudentiæ infuſæ rationem eatenùs concludere licebit, ut adoratio Chriſti, & cultus Deiparæ taliter exhibitus ſub omnimodâ practicâ certitudine inducat ſpecificam Latriæ & Hyperduliæ ſupernaturalem honeſtatem.

***

Digitized by Google

CAPUT II.

Referuntur argutiæ Heideggerianæ.

12. ISte Tigurinus Miniſter *in ſuis Apologet.* contrà Baldingerum *Diſſert.* 1. §. *1. 2. & 3.* arguit 1. Crucis Chriſti, aliorumque Dominicæ paſſionis Inſtrumentorum ab Helenâ inventionem, & de hac Traditionem ex ſilentio Euſebij. Codices Hieronymianæ Chronici Euſebij interpretationis, ubi mentionem faciunt crucis ab Helenâ inventæ, ex Ruffino interpolatos eſſe. Veterum Cyrilli, Ambroſij, Paulini, Nicephori, de inventâ ab Helenâ cruce diſcordem eſſe narrationem. De reliquis paſſionis Dominicæ Inſtrumentis, clavis tribus, cuſpide fariſſæ, ſpineâ coronâ, purpurâ Chriſti, tunicâ inconſutili, teſſeris militaribus, ſudario Chriſti mendacem, ac ſecum pugnantem eſſe aſſertionem. Cùm igitur certum ſit, tum urbem Hieroſolymitanam tot mutationibus variatam eſſe, ut ubi ſita fuerit, certò dignoſci non poſſit, tum inventionem crucis fabuloſam eſſe, tum reliqua paſſionis Divinæ Inſtrumenta non tantùm alibi, quàm Hieroſolymis demonſtrari, ſed etiam fictitia, ubicunque demonſtrentur, prorsùs eſſe, nihil ſupereſſe, quod alliciat ad Peregrinationem Hieroſolymitanam, maximè, quòd nulla etiam certitudo infallibilis ſit, quâ conſtet, ſepulchrum Chriſti eſſe, quod demonſtratur: potuiſſe enim ab indicibus decipi Conſtantinum. Adhæc Scripturam jubere, Chriſtum quærere, ubi eſt ad dexteram Dei Patris, non viventem inter mortuos.

13. Arguit 2. Sanctitatem externam, ſeu Reſpectivam eſſe duplicem, nempè vel rerum communium, vel ſymbolicarum & myſticarum. Priorem verò conſiſtere in eo, quòd res communes & profanæ verbo & precibus ſanctificatæ ſint. Si proinde terra Palæſtina ſit ſancta iſtâ communi duntaxat ſanctitate, ipſi non competere aliquam præ totâ terrâ habitabili prærogativam. Poſteriorem proinde ſymbolicarum ſanctitatum conſiſtere in rebus, quæ ſint ſymbola & pignora cæleſtium & ſpiritualium bonorum. Unde ſi Palæſtina eſſet ſancta per ſanctitatem ejuſmodi, neceſſum fore, ut ſit ſymbolum & pignus Divinum perpetuum rerum cæleſtium & ſpiritualium. Terram Canaan in Veteri quidem Teſtamento fuiſſe hoc modo Sanctam *Iof. 52. v. 1.* utpote inſtitutam in ſymbolum Chriſti & rerum cœleſtium. At redemptione in eâ factâ, & Chriſto poſt mortem in cælum ſublato, neque propter figuram, utpote ceſſantem, neque propter rem, utpote Chriſto in eâ non habitante, ſed ad dexteram magnificentiæ reſidente, majorem jam ſanctitatem ipſi ineſſe, quàm cuilibet rei. Negare Apoſtolum Paulum *Hebræorum 13. v. 14.* nos hic habere manentem

civi-

civitatem, qualis erat terra Canaan reſpectu Veterum, ſed aſſerere, converſationem noſtram eſſe in cœlis. *Phil. 3. v. 20.* Locum Pauli *Heb. 13. v. 13. & 14.* ad hoc non temerè applicari, ſi conferatur cum loco *Iſ. 52. v. 2.* ita ſe habente: *Recedite, recedite, exite inde paululùm, nè attingatis, exite de medio ejus, purificate vos, qui fertis vaſa Iehovæ.* Hic enim ſermonem eſſe de Ieruſalem, veluti pateat ex contextu. Ex quo adeò loco Apoſtolum *ad Heb. 13.* deprompſiſſe ſuum, quo jubeat, exire ad Chriſtum extrà caſtra, & improperium ejus portare, atquè adeò receſſum ex Hieroſolymâ ſuadere. Quo adeò ſenſu locum *Ezech. 22. v. 5.* quo Hieroſolyma poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem vocatur impura, non ad gentium deriſionem (uti oſtendat Baldingerus) ſed ad ipſius Dei judicium eſſe referendum.

Arguit 3. Lauretanam narrationem habere, quòd Maria in eâdem camerâ, quâ nata & educata eſt, etiam Chriſtum per duodecim annos enutriverit. At contrà hoc pugnare, tum quòd *Matth. 1. v. 20.* Angelus ita alloquatur Ioſephum: *Nè metuas, aſſumere Mariam conjugem tuam:* tum quòd *v. 24.* Angeli dicto obtemperans Ioſephus, dicatur *aſſumpſiſſe* uxorem ſuam. Eo ipſo autem, quòd Ioſephus aſſumpſerit Mariam, non ipſum tranſiviſſe in Mariæ ædes, ſed potiùs Mariam ſuæ inhabitationis locum tranſtuliſſe. Teſtem hujus accerſiri Nicephorum *hiſt. lib. 1. cap. 8.* Vaſquezium *in 3. par. Tho. to. 2. q. 39. a. 2. diſp. 123. cap. 9.* Nec obſtare, quòd *Luca 2.* dicatur, Ioſeph aſcendiſſe ex Nazareth in Bethlehem. Nam ex *Luca 2. v. 3.* conſtare, cuique tribuum primariam aliquam urbem fuiſſe aſſignatam, non in quâ neceſſariò rerum ſuarum fixam habebant ſedem, ſed in quam convenirent, atque ita Ioſephum ex Nazareth, ubi domicilium habebat, in civitatem Bethlehem ratione domûs & familiæ David ſibi aſſignatam aſcendiſſe.

Arguit 4. *In Apologet. adversùs Redingium Diſſert. 1.* Divinam Sacelli Einſidlenſis conſecrationem nullatenùs probari authoritate Conradi, utpote cujus *de Secretis Secretorum* inſcriptus liber ſit apocryphus, partim quòd hactenùs lucem non viderit, partim quòd ſolenne ſit, Pontificios ſupponere fictitia monumenta, uti pluribus oſtendatur exemplis, partim quòd Trithemius Abbas & alij, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum catalogos confecerunt, ejus libri non meminerint. Quinimò dato, illum librum eſſe authenticum, Conradi tamen authoritatem, utpote hominis fallacis tantam non eſſe, ut religioſus Sacello Einſidlenſi & Deiparæ impendi ſolitus cultus ſuper illius teſtimonio ſuperſtrui poſſit, maximè cùm miracula & viſiones ipſi tributæ non ſint omni exceptione majores: tum quòd Hulricus Epiſcopus Conſtantienſis ad Calixtum II. ſolicitans Conradi Canoniſationem ſcripſerit, ſe hujus viri digniſſimam Deo converſationem potius

tiùs, quàm miracula nonnumquam reprobis cum Sanctis communia colligenda curâſſe; tum quòd Calixtus in Bullâ Canonizationis ſtatuerit, *Miracula, ſi cæca ſint, ſcripturis & lectionibus memoriter deinceps tenenda eſſe.*

16. Arguit 5. *cit. Diſſert.* 1. §. 4. 5. & 6. Neque conſecrationi illi Divinæ fidem adſtrui ex publico inſtrumento Papæ Leonis VIII. manu firmato, & in præſentiâ Ottonis Imperatoris I. ejuſque filij Ottonis II. nec non Imperatricis Adelheidis, ac plurium tam Romanorum, quàm Teutonicorum Principum A. C. 964. IV. idus Novembris edito. Nam Papam, Imperatorem, & illum Principum chorum non aliud teſtari, & ad poſteritatem tranſmittere potuiſſe, quàm ſe Epiſcopi Conradi teſtis *de viſu* relationem coram Pontifice auribus percepiſſe. Cùm igitur Conradi relatio fide digna non ſit, nec illud Papæ, Imperatoris ac Principum teſtimonium mereri fidem, cùm nequeat plus fidei haberi alienæ relationis teſti, ſive Tranſumpto, ſive Originali, quàm ipſi relationi. Nec dici poſſe, quòd Papa, Imperator, ac Principes illi *maturum in re illâ conſiderandâ judicium habuerint*, hoc enim Bullam non dicere, ſed quòd lectum duntaxat ſit Inſtrumentum coram Ottone, Adelheide, Epiſcopis & Principibus, quòdque *conſultis fratribus Coepiſcopis, & rogatu ac inſtinctu Ottonis, & Adelheide dedicatio Divina ſit rata habita.*

17. Arguit 6. Redingium *Diſſert.* 2. *pag.* 73. diſſertè fateri, *non tam privatam viſionem Conradi, quam cœleſtis ab omnibus in Eccleſiâ præſentibus ter audita vocis teſtimonium publicum* ſufficere pro judiciali illius conſecrationis approbatione. At populum illum, qui cœleſtis illius oraculi teſtis auritus fuiſſe perhibetur, authenticum coram Pontifice teſtimonium non depoſuiſſe. Manifeſtum igitur eſſe, nec teſtimonium illud ab Ottone & universâ Principum ſynodo audiri, nec à Pontifice explorari, nec ab utriſque in poſterum allegari potuiſſe, ut illi inniteretur conſecrationis illius approbatio judicialis. Imò illam ipſam Leonis VIII. Bullam Epiſcopos Conſtantienſes, Ottonem Anno Chriſti 1430. & Hugonem Anno 1515. diſertè oppugnâſſe. Accedere, quòd Otto Imperator duobus poſt Leonis Bullam menſibus Anno 966. Monachis Einſidlenſibus conceſſerit Diploma aliquod, nullâ factâ mentione Divinæ illius conſecrationis, indubiè iſtam, ſi vera fuiſſet, allegaturus. Denique ante Heinricum Epiſcopum Conſtantienſem, qui Anno 1363. illam Bullam deſcribi curaverit, neminem ejus meminiſſe. Prætendi quidem primam Confirmatoriam Innocentij IV. Bullam hactenùs non editam, cum tamen inter ipſum & Leonem tria ferè ſæcula interceſſerint.

18. Arguit 7. §. 9. & 10. Sacelli Eremitani religionem & conſecrationem Divinam non firmari argumento ab Antiquitate petito, & ſeptingen-

gen-

Digitized by Google

gentorum annorum tractu, niſi eâdem operâ placuerit vel Mahumetanorum ad Meccanum templum peregrinatio, vel Paganorum erga ſuos Deos cultus, cùm longè pluribus, quàm ſeptem ſæculis duraverit. Quin-imò integro trium poſt illam dedicationem ſæculorum intervallo ne ullum quidem authorem ejus meminiſſe. Si obſervantia ſubſecuta, & duratio continua & immemorialis pro argumento prætendatur, non poſſe iſtud prævalere, niſi Vetuſtas ejuſmodi & duratio dicatur conjuncta cum rectitudine cultûs, & veritate doctrinæ. Tunc autem non ſufficere unius & alterius ſæculi vetuſtatem & durationem, ſed eam requiri, cujus principia figuntur in Chriſto & Apoſtolis.

Arguit 8. *Diſſert. 8. §. 5.* Quæ pro legitimo Leonis VIII. Pontificatu movet Redingius, diſtinguendo Annos, quibus Papatum geſſit, haud promovere. Etenim Leo VIII. ſi verus & legitimus Papa fuit, neceſſum eſt, ut Papa fuerit factus vel ſine legitimâ electione, vel per legitimam, eamque novam electionem. At prius minimè ſubſiſtere, cùm Paulus neget, prædicare poſſe non miſſum, ſeu ritè non electum. Si poſterius dicatur, ſtare in contrarium, quòd poſt mortem Ioannis Benedictus V. in ſeditione creatus Pontifex à Clero & populo Romano fuerit deditus Ottoni, & Leo receptus. 19.

Arguit 9. *cit. Diſſert. 8. §. 2.* Moralem Divinæ Sacelli Einſidlenſis conſecrationis certitudinem ex Pontificiâ approbatione per Redingium taliter ſtatui, quòd nimirum Papa loquendo ad univerſalem Eccleſiam, in ijs, quæ Iuris ſunt, ut ſic fidem & honeſtatem Moralem concernentia, errare non poſſit, adeò, ut errore etiam Materiali interveniente, ſub ejus conſtitutionibus & approbationibus publicis ſemper ſubſit honeſtas, in fidelium actus Morales ſpecificè derivans bonitatem Moralem: uti pateat exemplo Iacob Patriarchæ errantis circà Liam. At imprimis falſum, vel ſaltem controverſum eſſe, quòd Papa, loquendo ad univerſalem Eccleſiam, in ijs, quæ ſunt juris, errare non poſſit. Deinde errorem facti redundare in errorem Iuris. Neque verò Materialem fore falſitatem ſeu errorem, ſi Pontifex circà illam approbationem ita errârit in Facto, ut ex malâ informatione pronunciârit, Sacelli Einſidlenſis conſecrationem fuiſſe Divinam, tunc enim Sacellum & altare hujuſmodi non eſſe Divinitùs conſecratum. Unde illum, cui ob Pontificiam approbationem, utpote errori obnoxiam, comperta ſit ejuſmodi falſitas, vel *genericè* ſaltem dubia veritas, non poſſe cum certâ fiduciâ in ejuſmodi Sacello cultum Deo & B. Virgini præſtare. Neque huc quadrare exemplum Iacobi Patriarchæ circà Liam decepti, ſiquidem iſte error in perſonâ purgârit quidem facinus, 20. 21.

at in illud non derivârit honeſtatem Moralem. Adhæc rectitudinem actûs Moralis non niti alieno judicio, & tali quidem, quod propter inſitam fallibilitatem explorari debuerit, uti accidat circà cultum illius Sacelli. Denique errorem Iacobi Patriarchæ, utpote cui nulla dubitandi ratio in contrarium occurrere potuerit, fuiſſe involuntarium & invincibilem. Secùs eſſe circà Sacelli Einſidlenſis conſecrationem, ſiquidem alienum judicium, cui innititur illius cultus, ſi non erroris agnitionem, ſaltem perpetuam dubitationem relinquat, quæ unicè ſufficiat ad impediendam actionem, tum quòd dubitatio pugnet cum fide, quicquid autem eſt ſine fide, peccatum ſit; tum quòd ſic agens non abhorreat à peccato. Quòd verò Redingius neget, circà conſecrationis Sacelli approbationem, aliquem Facti errorem timendum eſſe, cùm ſuſpicionem abſtulerit tum legitimè probata atteſtatio vocis cœleſtis coram Summo Pontifice, tum fidelium ultrà ſeptingentos annos continuata traditio, ex præcedentibus facili negotio ſolvi.

22. Arguit 10. *Diſſert. 6. §. 10.* Ea, quæ Redingius *Diſſert. 10.* (*præc. cap. arg. 1. & 9.* reproducta) de Morali prudentiali ac ſupernaturali certitudine, quâ conſtet, licere cultum Divinum peragere in ſacello Einſidlenſi, differit, tam obſcura eſſe, tam horrida, ut, cùm ea ſcripſerit, ſinapi victi'âſſe, aut in antro Trophonij oracula reddidiſſe videatur. Quiſquis ea legerit, judicaturum longè meliùs tacendo, quod volebat, aſſecuturum fuiſſe, quàm tam obſcurè & barbarè ſcribendo. Et tamen quæ operosè, & ut mirarentur potiùs ſimplices (inter hos quoquè recenſuit ſe ipſum Heideggerus) quàm intelligerent, involvit, paucis verbis exprimere potuiſſe; nimirùm certò & infallibiliter conſtare Chriſtum, & B. Virginem in Sacello Einſidlenſi adorandam, *eò quòd Fidei Divinæ principium ſit, Chriſtum & B. Virginem in Baſilicis Deo ſeu Chriſto, ejuſque Matri conſecratis adorandos eſſe. Prudentia verò infuſa conſilium ſuggerat, Chriſtum conſecrâſſe ſacellum Einſidlenſe, cùm & atteſtatio Conradi, & vox cæleſtis publicè audita, & in Romano conventu deducta & probata, ab ipſoquè Romano Pontifice approbata, & ſecutus inde ſeptingentorum annorum cultus ac traditio miraculis roborata id confirmet: ex quo tum Fidei Divinæ principio, tum prudentia infuſæ conſilio, velut ex duabus præmiſſis ſequatur omnimoda practica certitudo cultûs tum Latriæ Chriſti, tum Hyperduliæ B. Virginis.* Quæ omnia tamen prolixiore examine digna à ſe non judicari.

(M A R I A)

CAPUT III.

Oſtenditur, cultum religioſum in peregrinationibus Hieroſolymitanâ, Lauretanâ, & Eremitanâ niti certitudine prudentiali, ut ſic ſufficiente ad honeſtatem Moralem Religionis transfundendam in actum, ex hujus virtutis motivo ſub tali certitudine applicato ſpecificatum.

EXplicatur ſtatus quæſtionis. Etenim ſecundùm veram Theologiam in ordine ad actus ſupernaturales diſtinguenda eſt duplex virtus intellectualis, Fides nimirùm & Prudentia. Illa proinde unà cum donis Spiritûs S. Intellectûs, ſapientiæ, & ſcientiæ non tantùm ſe tenet in ſpeculabilibus Divinorum Myſteriorum contemplationibus, ſed probat inſuper Moralium agibilium principia. Quibus adeò ſuppoſitis, oportet, ea applicari ad operationes humanas, quà in actu exercito ſecundùm rectitudinem Moralem ritè & convenienter faciendas. Ejuſmodi autem Moralium operabilium rectitudo penſanda eſt ex circumſtantijs particularibus & contingentibus. Hoc igitur munus eſt Prudentiæ, ut Fidei principia quà Moralium actionum directiva ritè applicet ad circumſtantias particulares ex judicio Gnomes, vel Syneſeos, ceu virtutum prudentiæ connexarum, taliter conferendas cum principio per Fidem ſubminiſtrato, ut ex iſto, & illo Gnomes & Syneſeos judicio agibilium particularium ad illud Fidei principium conferente & judicante, per prudentiam inferatur concluſio Moralis in tali operabili rectitudinis demonſtrativa. Quemadmodùm igitur Fides ſub primæ Veritatis infallibilitate in veritatibus ex rei naturâ contingenter licèt, ac non niſi ex libero Dei Decreto certificatis, firmat intellectum ſecundùm omnimodam ſpeculativam certitudinem, ſic Prudentia infuſa agibilia particularia, circumſtantijs licèt contingentibus, & per naturam ſuam dubijs obnoxia, taliter applicat ad principium, honeſtatis moralis ex Fidei veritate demonſtrativum, ut honeſtatis ejuſmodi Moralis faciat omnimodam certitudinem practicam. *Probatur iſtud ſubſumptum.* Nam ſuppoſito illo Syneſeos, vel Gnomes judicio, ex parte intellectûs in opere Morali hîc & nunc agendo repræſentatur ſpecifica aliqua Moralitatis honeſtas. Cujuſmodi adeò repræſentatio ita eſt directiva voluntatis, ut ad iſtam applicet Honeſtatem Moralem objectivam, quà ejuſdem *Finaliter* motivam & ſpecificativam. Atqui volitio ex tali objectivâ honeſtate *Finaliter* mota & ſpecificata, hoc ipſo *Formaliter* habet illam ſpecificam Moralem bonitatem, quam illa ratio prudentialis repræſentabat. Conſequens igitur eſt, rationem prudentialem, eatenùs

23.

24.

eſſe voluntatis cum honeſtate objectivâ per ſe repræſentati confirmativam, ut conſequenter actus Moralis ejuſmodi rationi prudentiali conformatus, ſub certitudine in ipſum Fidei principium reſolutâ, infallibiliter inducat Honeſtatem & Bonitatem Moralem, licèt quoad concretionem Materialem ſubeſſet aliqua falſitas.

25. *Confirmatur 1.* Quis enim neget, adorationem Arcæ, ſive Dei ad Arcam tum à Davide, tum ab Iſraelitis factam, uſque ad tempus abolitæ legis Moſaicæ fuiſſe religioſam? At quis certificavit poſteriores præſertim Iſraelitas, Arcam Dei tot Hieroſolymæ excidijs, imò & templi ruinis, ac gentilium profanationibus obnoxiam, vel incorruptè conſervatam fuiſſe, vel fuiſſe illam ipſam, quam ex juſſu Dei Moyſes poſuit in tabernaculo ad Deum in illâ adorandum? Quomodò igitur iſta veritas ad Arcæ ſeu Dei ſub illâ adorabilitatem inducentis contingentiâ, tot ſanè circumſtancijs particularibus, iiſque fallibilibus obnoxiâ, practicam Moralem certitudinem, pro illâ adoratione indubitanter cohoneſtandâ, induere poterat, niſi quatenùs ratio prudentialis ex continuâ legis Moſaicæ fidelium obſervantiâ eam reducebat in Fidei principium Arcæ Divinæ myſteriorum, Virtualiſquè Dei virtutis, Chriſtum venturum repræſentantis, præſentiæ demonſtrativum?

26. *Confirmatur 2. argumento ad hominem.* Nunquid enim inclytæ Reipublicæ Tigurinæ Magiſtratus publico edicto cavit, ut nulli ſuorum tum ſubditorum, tum Eccleſiæ ſuæ Miniſtrorum liceat vel tenere, vel prædicare aliter, quàm in Catechiſmo ſuo Anno 1629. edito ſit præſcriptum? Nunquid autem iſtud Magiſtratûs Civilis in rebus Fidei Decretum, accedente licèt Eccleſiæ Tigurinæ Miniſtrorum authoritate, poteſt eſſe obnoxium errori? Quomodò igitur poterit quis prudenter ſe conformare illi Decreto, niſi forte habeat ſibi perſuaſum, iſtud Decretum eſſe reducibile in aliquod veræ Fidei principium? Quibus proinde ſuppoſitis, ſtatus præſentis quæſtionis in eo verſatur, *An cultus religioſus Deo ſub Hieroſolymitanâ præſertim, Lauretanâ, & Einſidlenſi peregrinationibus per rationem prudentialem ſit reducibilis in aliquod veræ Fidei principium?*

Probatio prima, univerſaliter concernens illas peregrinationes.

27. NAm ex eo, quòd Spiritus S. per os David *Pſal. 98. & Pſal. 131.* documentum nobis præbuerit adorationis ſcabelli pedum Dei, ſive Arcæ, ac Deus ipſe juſſerit, ut Moyſes ſolvendo calceamenta de pedibus, reverenter ſe haberet erga terram, in quâ ipſe apparebat, & *2. Paral. 7.* Sacerdotes ex cultu erga Deum ac templum Domini Majeſtate ejus impletum, abſtinere debuerint ab ejus ingreſſu. Ex his, inquam, argumentis docemur, locis ac rebus inanimatis per Dei ſpecialem operationem ſeu apparitionem ac ſignificatio-

cationem myſterioſam ſacratis, & ut ſic ſymbolicum aliquem erga Deum reſpectum obtinentibus, eſſe adhibendum religioſum cultum adorationis, non quidem *Abſoluta* & *Intranſitiva*, ſed *Reſpectiva* & *Tranſitiva*, ſive in ipſum Deum relatæ. Atqui talem ad Sanctos quà cultu Duliæ colendos, ac ipſummet Deum, quà cultu Latriæ in Sanctis ſuis adorandum, ſacris Reliquijs ineſſe reſpectum, generatim oſtenſum eſt *præced. Diſſert. Sect.* 1. Idem generaliter demonſtratum eſt de locis ſacris, religiosè in Romanâ Eccleſiâ frequentari ſolitis. Talem verò Myſterioſum reſpectum ſpecialiter competere terræ ſanctæ, nec non domui Lauretanæ, atque Sacello Einſidlenſi, Beatiſſimæ Virgini ſacrato, oſtendetur ſequentibus prudentialibus rationibus.

Probatio ſecunda, circà peregrinationem Hieroſolymitanam.

NAm *Iſaiæ* 11. *v.* 10. ita habetur: *Ipſum Gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Hunc verò locum intelligi de Chriſto, colligitur ex Apoſtolo *ad Romanos* 15. *v.* 12. At iſtam Prophetiam non tantùm intelligi de ſepulchro Domini pro triduo mortis, quo in illo Corpus Chriſtus jacebat, ſed pro tempore ſequenti, quo fideles ex Gentibus deſcendentes, illud venerabantur, eruitur ex ipſomet ſacro Textu. Et hinc S. Hieronymus *Epiſt. ad Marcellam cap.* 3. ubi eam hortatus eſſet ad migrandum in Bethlehem, Chriſtique ſepulchrum juxta Iſaiæ propheriam venerandum, ita diſſeruit: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, Manna, Virga Aaron, & altare aureum; nonnè tibi venerabilius videtur ſepulchrum Chriſti, quod quotieſcunque ingredimur, toties jacere in ſindone cernimus Salvatorem.* En igitur ſepulchri Chriſti cultum Reſpectivum taliter eidem delatum, ut ferretur in ipſum Chriſtum, quà ultimatè adorandum. At ſicuti de Arcâ Teſtamenti, mannâ, & virgâ Aaron &c. quà myſterioſis Dei, ejuſque virtutis, nec non Chriſti Domini venturi ſymbolis (quòd non obſtantibus varijs mutationibus, & urbis Hieroſolymitanæ, templique frequentioribus excidijs, fuerint vel in ſeipſis *Phyſicè*, vel *Moraliter* in ſuis ſymbolis Divinitùs conſervata) non niſi ex continuâ fidelium Iſraelitarum obſervantiâ habebatur prudentialis certitudo, ſic excidia Hieroſolymitanæ urbis, ac hoſtiles Palæſtinæ oppreſſiones impedire nullatenùs poſſunt, quò minùs Chriſtianorum fidelium perpetua obſervantia fundet prudentiale argumentum, mediante quo ejuſmodi ſanctorum locorum cultus ſit reducibilis in Fidei principium *Prob.* 1. deductum, atque adeò cultus taliter exhibitus honeſtatem Latreuticæ in Deum relatæ adorationis induere poſſit; maximè cùm Deus talem cultum miraculis etiam conteſtatus ſit, Divo Auguſtino *lib.* 22. *de Civit. cap.* 8. atteſtante de miraculis factis ad Reliquias terræ ſanctæ, Hieroſolymâ allatis.

Præ-

Probatio tertia, circà peregrinationem Lauretanam.

29. NAm loci illius, intrà quod Spiritûs ſancti virtute operante *Luca* 1. in Beatiſſimâ Virgine fuit peractum Incarnationis Divinæ Myſterium, non minorem habet Divinæ virtutis & operationis myſteriosam memoriam, quàm Arca Veteris Teſtamenti. At ſicuti hujus, diverſis licèt hoſtilibus corruptionibus obnoxia, adorabilitas per prudentialem ſuper fidelium Iſraelitarum obſervantiâ fundatam rationem reducebatur in Fidei principium, Arcæ adorabilitatis demonſtrativum, ex contactu pedum Dei, id eſt Divinæ operationis; ſic quia Domus Lauretana, tum alijs, tum fidelium obſervantiæ continuatæ argumentis creditur eſſe illa ipſa, in quâ Divinæ Incarnationis myſterium eſt peractum, ideò non minori prudentialis rationis fundamento ejus veneratio, Chriſtiquè intra eandem adoratio, Beatiſſimæquè Virginis cultus Hyperdulicus reducitur in prætactum fidei principium.

Probatio quarta, circà peregrinationem Einſidlenſem.

30. ETenim Sacellum Divinitùs conſecratum, Divinæquè virtutis operationibus celebratum ex veræ Fidei principijs *præc. cap.* 1. 3. *&* 4. *& præſenti cap. prob.* 1. *deductis*, ita eſt dignum cultu religioſo, ut hic tamen referatur in ipſum Deum ac Chriſtum, nec non in Sanctos, Deiparam præſertim Virginem, intuitu cujus ob merita ipſius & interceſſionem ibi fiunt miraculoſæ operationes, gratiæquè Divinæ effectus. Atqui Divinam Sacelli Einſidlenſis conſecrationem à Summo Pontifice, de conſilio etiam Antiſtitum Germanorum ac Italorum, aſſiſtente Imperatore Ottone I. ejuſquè filio Ottone II. cum Principibus tam Teutonicis, quàm Romanis, eſſe ratam habitam, conſtat ex præcitatâ Bullâ Leonis VIII. In hac ipsâ verò Bullâ fit mentio cæleſtis publicè auditæ atteſtationis, *Capella Divinitùs eſt conſecrata*, diciturquè *ibidem* ex tunc rem geſtam veram & ſanctam univerſos præſentes cognoviſſe & approbâſſe, Eccleſiam præfatam ex illâ die cælitùs conſecratam veraciter affirmantes. Super quâ adeò certâ (ut ibi aſſeritur) veritate præadducta Pontificia conſecrationis Divinitùs factæ de conſilio Epiſcoporũ confirmatoria deciſio ita lata eſt, ut Heinricus Epiſcopus in ejuſdẽ Bullæ authẽtico Tranſumpto An. 1383. VIII. Calend. Ianuarij, Indict. V. atteſtetur, ſibi plenariè conſtare de omnimodâ veritate, in prætactis Pontificijs Litteris Tranſumpto ejuſmodi de verbo ad verbum inſertis contentorum, nec non de ſuſpicionis carentiâ, ac obſervantiâ earundem diuturnâ, per plurium centenariorum annorum
31. curricula inconcuſsè & irreprehenſibiliter factâ. De hoc ipſo Conſtantienſis Epiſcopi Tranſumpto tanquàm legaliter facto, Apoſtolicâ authoritate confirmando, ſupplicârunt Eugenio IV. ſuumquè intentum obtinuerunt oppidi

pidi Turicenſis, & alij Helvetiæ Oratores, de Anno 1433. Singularem porrò devotionis affectum erga illam ſacram Einſidlenſem B. Virginis Capellam expreſſit Nicolaus V. Anno 1451. Frequentem ad eundem locum fidelium confluxum, propter miracula, quæ ibidem Altiſſimus ſit operatus, teſtantur Eugenius IV. Anno 1432. Pius II. in Bullis Anno 1463. & 1464. Iulius II. Anno 1512. Leo X. Anno 1518. Pius IV. Anno 1562. Clemens VIII. Anno 1597. & alij Pontifices, qui, dum confirmant Indulgentias plenarias, ſpecialiter meminerunt cauſæ in Bullâ Leonis VIII. (nempe conſecrationis) expreſſæ. Quem proinde in ipsâ cæleſti, conſecrationem Divinam atteſtante voce, indequè fidelium, ipſis etiam Romanis Pontificibus, ac pluribus Epiſcopis ac Imperatoribus jugi obſervantiâ fundatum Sacelli Einſidlenſis cultum, hodiequè incorruptè teneri, nè adverſarij quidem negare poſſunt: atteſtante Heideggero *ſuæ Differt. Synod. §. 13. Ex quo vulgatum, creditumquè eſt, Einſidlenſe Sacellum à Chriſto & Angelis in honorem Deiparæ Virginis dedicatum & conſecratum eſſe, maximo confluentium concurſu, tanquàm ſacroſanctum, & gratijs impertiendis ditiſſimum frequentari cœpiſſe, hodiequè maximo ſtudio frequentari ſolere.* Et §. 15. ait, *lippis & tonſoribus notum eſſe, quantâ hodiequè in veneratione ſit.* Item §. 16. ait, *Religioſam hanc ad Eremitanam Divam peregrinationem civitatis quoquè Tigurinæ Majoribus haud exiguo in pretio fuiſſe, utpote qui ad illam 1351. voto ſe adſtrinxerint.* Conſtat etiam ex litteris publicis Cantonum Tigurini, Bernenſis &c. Anno 1466. eam hiſce inclytis Reipublicis maximè cultam, earumquè ſigillis probatam fuiſſe. Quinimò Deum omni tempore, maximè hoc etiam anno mortuorum quoq; reſuſcitatione (cujuſmodi hoc ipſo anno 1670. legitimis teſtimonijs probatam oſtendere licet) eam firmare miraculis, argumentis moraliter certis demonſtrari poteſt. Ex quibus adeò fundamentis nulli ſanæ mentis, ac integræ fidei dubium eſſe poteſt, talem adſtrui veritatis firmitatem, ut ſub ratione prudentiali omninò liceat illius ſacræ peregrinationis cultûs honeſtatem Moralem reducere in præinſinuatum Fidei principium. 32.

CAPUT VI.

Refelluntur argutiæ Heideggerianæ.

AD *primam* Reſp. Nimis Heideggere impudens ac præſumptuoſus es, quod tam audacter neges authenticam ſanctæ Crucis, tempore Conſtantini Imperatoris ab Helenâ inventæ hiſtoriam, cùm tamen eam expreſsè teſtetur Euſebius *in Chron.* interprete S. Hierony. Cyrillus Hieroſolymit. *Epiſt. ad Conſtant. Auguſtum.* Socrates *lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 13.* 33.

Sozo-

Sozomenus *lib. 2. Eccleſ. Hiſt. cap.* 18. Iuſtinianus Imperator *in Auth. de moderat.*
Helenop. cap. 1. Divus Ambroſius *orat. funeb. in obitu Theod. Imperat.* Imò Con-
ſtantinus Magnus *in Epiſt. ad Macar. relatâ ab Euſebio lib. 3. de vitâ Conſtantini.* Ruf-
finus *lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 8.* Paulinus Nolanus *Epiſt. 11.* Falſum inſuper dicis, quòd
Cyrilli, Ambroſij, Nicephori de Cruce per Helenam inventâ ſaltem in ſub-
ſtantialibus ſit diſcors narratio. Tua quoquè calumnia eſt, quòd mendacem
dicas aſſertionem de cæterorũ Chriſti paſſionis inſtrumentorum veneratione,
34. aſſeraſquè, eſſe fictitia, ubicunque demonſtrentur. Eſto tamen, quòd aliqui-
bus in locis vera Chriſti Domini paſſionis inſtrumenta, vel horum Reli-
quiæ ac particulæ, alibi verò eorundem duntaxàt imagines colantur, nè
tunc quidem evincis, cùm Crucis Chriſti, ac inſtrumentorum paſſionis ip-
ſius non tantùm originalia, ſed etiam imagines ſint Reſpectivo in Chri-
ſtum Tranſitivo cultu venerandæ, ipſiſquè etiam dæmonibus tremendæ, te-
ſtibus SS. Ignatio Martyre *Epiſt. ad Phil.* Dionyſio Areopagitâ *lib. Hierarch. Ec-
cleſ. cap. 2.* Martiali *Epiſt. ad Burdegal.* Tertulliano *lib. 2. ad uxorem cap. 5. lib. de
coronâ militis. cap. 3.* Cypriano *lib. 4. Epiſt. 6. lib. de lapſis, & alibi,* Iuſtino *in Di-
alogo cum Tryphone, & lib. ad Orthod. q. 118. Item Apol. 2.* Hyppolito *lib. de conſum. mun-
di.* Origene *Hom. 6. in Exodum cap. 15. & Hom. 2. in Pſal. 3. item Hom. 8. in diver-
ſa Evangelij loca.* Euſebio Cæſarienſi *lib. 1. in vitâ Conſtant. cap. 22. & cap. 24.* A-
thanaſio *lib. de Incarnat. Verbi, & in vitâ S. Anthonij. Item lib. quæſt. ad Antioch. q. 15.
& ad quæſt. 15. & ad quæſt. 16.* Baſilio Magno *lib. de Spiritu S. cap. 27.* Cyrillo Hie-
roſolymit *Cateb. 4.* Gregorio Nazianzeno *Orat. 3. in Iulian. Apoſt.* Epiphanio
hæreſi. 30. contrà Ebionitas. Gregorio Nyſſeno *de S. Gregorio Thaumat.* Chryſo-
ſtomo *Demonſt. adversùs gentes, & alibi ſæpe.* Lactantio *lib 4. cap. 27.* Ephrem
lib. de Pœnit. cap. 3. Ambroſio *lib. de Iſaac & animâ cap. 8. & alibi.* Hieronymo *ad
Pſal. 85. & alijs in locis.* Auguſtino *perſæpe, ſpeciatim Tract. 16. in Ioan. Tract. 5. in*
35. *1. Ioan. 3. Lib. 83. quæſt. q. 79. Lib. 22. de civitate. cap. 8.* Unde tua quoquè cæcitas
redarguitur, dum putas, Chriſtum quæri inter mortuos, ſi colendo tum ori-
ginaria Chriſti paſſionis inſtrumenta, tum eorundem imagines, erigimur ex
iſtis ſymbolis in ipſum Chriſtum, ſedentem ad dexteram Patris. Quòd ve-
rò vel ejus crucem & paſſionis inſtrumenta neges veneranda propter ſuam
incertitudinem, iterum iterumquè pugnas cum Patribus Orthodoxis, præ-
ſertim Cyrillo Hieroſolymit. *cit. Catech. 4. Hom. Quòd Chriſtus ſit Deus.* Ambro-
ſio *Orat. in Theod.* Hieronymo *Epiſt. 17 ſub nomine Euſtochij & Paulæ,* Auguſtino *in
cit. Pſal. 36.* Damaſceno *lib. 4. Orthod. Fidei cap. 12.* Hanc ipſam porrò tuam ex
incertitudine cavillationem excuſſam, vide *præced. cap. 3. prob. 2.*

Ad 2. Reſp. Rememorare Heideggere, quæ *in Apol. adversùs Baldingerum Diſ-*
36. *ſert. 1. §. 12.* dixiſti, quòd ſcilicèt ſudaria Pauli, & umbra Petri fuerint ſymbo-

la

Digitized by Google

la miraculoſarum Divinæ virtutis operationum. An non igitur ſymbolica quædam Divinæ virtutis repræſentativa Sanctitas externa ipſis inerat, in eo ſe tenens, quòd ex ipſius Divinæ operationis impreſſione, ceu Moralia ſaltem inſtrumenta Dei ſanctificarentur? Talis igitur ex operationum & paſſionum Chriſti, ac Divinorum myſteriorum ibi peractorum impreſſione, non minùs adhuc *Moraliter* ineſt terræ ſanctæ, Chriſti ſepulchro, ejuſquè paſſionis inſtrumentis, quàm Aaronicæ virgæ ex Divinæ virtutis operatione fuerit impreſſa ſanctitas ſymbolica, fueritquè adeò reſervata intrà Arcam, ibiquè culta, licèt de ejus poſt tot ruinas exiſtentiâ ad ſummum Moralis 37.
haberetur certitudo. Sed audiamus tuas ex ſacris Litteris argumentationes: ſic enim infers. Paulus *Hebræ. 13.* dicit, nos hìc non habere manentem civitatem, ſed noſtram converſationem eſſe in cœlis *Philip. 3.* Ergo Chriſtus non eſt in paſſionis ſuæ inſtrumentis, vel in rebus corporalibus contactu ſuæ virtutis & operationis ſeu paſſionis ſanctificatis, honorandus & adorandus. O ineptam conſequentiam! quæ ſi teneret, nè ex Sacramentis quidem, ceu ſymbolicis Dei & Chriſti ſignis corporalibus, liceret mentem in Deum & Chriſtum in cælis triumphantem attollere, ad eum in ſpiritu & veritate adorandum. Nequè melior eſt conſequentia, 38.
quam infers *ex Heb. 13. v. 13. & 14.* Ibi enim eſſe ſermonem de mentis à corporalibus abſtractione, & ad Divina, atque cæleſtia elevatione, nimis clarè patet ex contextu. Vana eſt ergo tua illatio, quâ infers, Hieroſolymitanam peregrinationem adeò execrabilem eſſe, ut Deus juſſerit abire ex Hieruſalem, non ad illam peregrinari. Quòd autem tuam intentionem conatus fueris firmare ex Threnorum *Ieremiæ cap. 4. v. 15.* ideo convenio te, ut vel unum apicem *in allegato* Pauli *capite* allegea, ex quo probes, Apoſtolum præadductum decimumtertium & decimumquartum *capitis 17.* verſum deprompſiſſe ex præinſinuatis Hieremiæ verbis. Nec denique plus evincis ex *Ezech. 22. v. 5.* 39.
Etenim terra ſancta & Inſtrumenta paſſionis Chriſti conſiderari poſſunt, tum quatenus erant inſtrumenta malitiæ Iudæorum, tum quatenùs erant inſtrumenta Chriſti Domini paſſionis, ſuntquè adeò ejus ſacrarũ actionum & paſſionum contactu ſacrata, ac Chriſti Domini repræſentativa. Sub priori igitur conſideratione terra Palæſtina indubiè fuit polluta, nec adeò ut ſic eſt veneratione digna; perverſi tamen animi eſt, ſe non elevare ad alteram in Chriſtum reflexivam conſiderationem, ut ſic in ipſis Chriſtus honoretur & adoretur, exemplo Patrum Orthodoxorum *præc. Reſp.* adductorum, à quibus adeò quàm longè ſit cor & doctrina Heideggeri, eſt in aperto. 40.

Ad *tertiam* Reſp. Sic argumentando. Domus Lauretana colitur ex reſpectu ſymbolico ac myſterioſo Incarnationis Divinæ in Beatiſſimâ Virgine

Digitized by Google

gine intra illam domum peracto. At ſive Ioſephus tranſierit in domum Beatiſſimæ Virginis, ſive hæc in domum Ioſephi, ſemper tamen ſubſiſtit, illam domum eſſe ipſiſſimam, quam Verbum Divinum incarnatum Virgineo Mariæ utero conceptum inhabitârit. Nihil ergo domûs Lauretanæ venerationi detrahere poteſt illa Heideggeri impertinens cavillatio.

41. Ad *quartam* Reſp. Heideggere hîc non ſpiras, niſi ineptas conſequentias. Quis enim ſanæ mentis dicat, omnes ſcripturas in Archivijs (uti de illo libro S. Conradi intrà alicujus S. Rom. Imperij Principis Archivium recondito validum proferre licet teſtimonium) reſervatas, eſſe apocryphas, eò quòd luci publicæ nunquàm fuerint donatæ? Quis ſanæ mentis non videat imbecillitatem conſequentiæ arguentis ex particularibus ad aliud Diſparatum particulare, ab aliquibus libris ſuppoſititijs ad alium hactenùs receptum, & à nemine in controverſiam deductum librum arguendum tanquàm ſuppoſititium? Quis ſanæ mentis non videat infirmitatem conſequentiæ ab authoritate Negativâ, eò quòd Trithemius illius *de Secretis Secretorum* libri non in publicum editi, ſed intrà Archivium principis reconditi, non meminerit, inferentis, eſſe Apocryphum? En dum omnem Heideggere pietatem abieciſti, rationis quoque expertem te demonſtras. Sed auges tuam ex calumniandi libidine inſaniam, dum S. Conradi miracula & viſiones ſuſpecta reddere conaris ex puris putis cerebri tui figmentis. An enim, quia ſanctæ converſationi primas, miraculis autem ſecundas pro Canonizatione S. Conradi obtinendâ ſuis ad Pontificem Romanum litteris tribuit Huldricus Conſtantienſis Epiſcopus, exinde inferre licuit, miracula ejuſmodi non eſſe omni exceptione maiora? Sanè hanc tuæ illationis abſurditatem cuique integræ fidei ſtatim deprehendere pronum eſt. An quia Pontifex in Bullâ Canonizationis conceſſit, ut miracula S. Conradi, ſi vera ſint, ſcripturis & lectionibus memoriter deinceps teneretentur, inferre tibi licuit, ea non carere ſuſpicione? Sanè cuique ſinceræ mentis patet, hunc loquendi modum aliud non arguere, niſi quòd Pontifex omnium ſaltem particularium diſcuſſionem facere noluerit, ſed Epiſcopo Diæceſano eam ex hoc delegârit, ut tandem publicare liceret hujuſmodi miracula. Sic nimis apertè prodit ſe ſpiritus tuus, nihil niſi ineptias & calumnias in rebus etiam ſacris ſpirans.

43. Ad *quintam* Reſp. Quæro ex te Heideggere, an, ſi inclytæ Reipublicæ Tigurinæ Magiſtratus ſuper allegatione & probatione per te expoſitâ aliquid decernat, non plus roboris & authoritatis ſit in hoc Decreto, quàm in tuâ allegatione? At licèt S. Conradus loci tunc Ordinarius ex fundamentis ſibi omninò perſpectis, & (uti teſte Bullâ Leonis VIII. coràm Pontificio

Con-

Conſiſtorio expoſuit) certæ veritatis, potuerit ſuâ Ordinariâ Authoritate de illâ Divinâ Sacelli conſecratione facere deciſionem; attamen pro maiori authoritate illi conciliandâ, Pontificiam quoquè authoritatem conſulere voluit. Nequè verò Pontifex niſi præhabito Epiſcoporum tunc præſentium partim Italorum, partim Germanorum conſilio (en igitur, quàm temerè negaveris, maturum in illâ re conſiderandâ judicium eſſe habitum) in publico Conſiſtorio, ex rogatu & inſtinctu Ottonis Imperatoris, & Adelheidæ Imperatricis ratam habuit illam Divinam conſecrationem. Quia proinde S. Conradi allegationi, argumentis Ordinariâ authoritate iam priùs authorizatis & omninò certis firmatæ, ſupervenit tum Deciſoria Pontificia, tum Conſultiva Epiſcoporum, tum Solicitativa (ut ita loquar) Imperatoris & Imperatricis non temerè utique, rogatu & inſtinctu ſuo inſtantium authoritas, idcircò convinceris Heideggere, iterum iterumque à ratione defeciſſe, dum ex Bullâ Leonis VIII. contendis, non plus evinci authoritatis, quàm ineſſet meræ Conradi tanquàm teſtis privati relationi. En igitur, quò te perducant inanes tui cerebri perſcrutationes.

Ad *ſextam* Reſp. Eſto, quòd populus, cui vox illa cœleſtis, *Capella Divinitùs conſecrata eſt*, publicè innotuit, non tulerit authenticum coràm Pontifice teſtimonium, hoc tamen S. Conrado omninò perſpectum, ex authoritate ipſius Ordinariâ expoſitum, eminentiori certitudinis publicæ & authoritativæ ratione innotuit illi ſummi Pontificis & Epiſcoporum Conſiſtorio. Cujuſmodi ſanè probationis ſpecies longè validior eſt privatis atteſtationibus. Sed calumniaris, Ottonem & Hugonem Conſtantienſes Epiſcopos Anno 1430. & 1515. oppugnâſſe Divinâ ſacelli Einſidlenſis conſecrationem. At hunc exemptionem, illum verò punctum aliquod juriſdictionem concernens, non autem illam Divinam conſecrationem impugnâſſe, licet demonſtrare tum ex aliquo ad Romanam Curiam de Anno 1433. Procuratorio, tum ex Diætæ Cantonum Helvetiorum Tiguri ſub Annum 1515. habitæ actis. Nequè valet tuum contrà Dialectices principia ab authoritate negativâ argumentum ex eo petitum, quòd Otto in ſuis Diplomatibus Monaſterio Einſidlenſi poſteà conceſſis, non fecerit mentionem illius Divinæ conſecrationis. Hanc enim re ipsâ ex ſuâ erga locum quà Divinitùs conſecratum in Conſiſtorio Romano iam priùs oſtenſâ, totquè iam donis ac Diplomatibus adeò præcellentibus uberiùs monſtratâ animi propenſione conteſtatus eſt, id certè non facturus, ſi quam Divinæ à S. Conrado iactatæ conſecrationis (uti contendis) fraudem ſuſpicatus fuiſſet. Quinimò quia Imperator iam antè confirmatam ejuſmodi dedicationem plura Monaſterio Einſidlenſi Diplomata ſub ſtylo uniformi conceſſerat, Cancellaria Impe-

44.

45.

ratoria huic ita inſiſtebat, ut nè ratio quidem dictaret, ſupervenienti prædictâ Bullâ Leonis VIII. eſſe mutandum: *uti Redingius in ſuis Refutat. argumentatus eſt.* Tuum porrò figmentum eſt, quòd ante Heinricum Conſtantienſem Epiſcopum nemo illius Bullæ Pontificiæ meminerit, cùm tamen iſte Epiſcopus in ſuo authentico Inſtrumento diſertè dicat: *iſtas litteras Apoſtolicas à ſummis Pontificibus ac Epiſcopis Conſtantienſibus abſque contradictione, & impugnatione toleratas fuiſſe, utpote de quarum omnimodâ veritate, nec non ſuſpicionis carentiâ, ac obſervantiâ earundem diuturnâ per plurium centenariorum annorum curricula inconcuſſè & irreprehenſibiliter factâ plenariè ſibi conſtet.* Ex quibus

46. enervatur etiam argutia tua, quâ non minùs ineptè, quàm inefficaciter redarguis ſuſpectam illam Leonis VIII. Bullam, eò quòd ejus prima Innocentij. IV. confirmatoria tribus iam tranſactis ſæculis conceſſa, hactenus edita non fuerit.

47. Ad *ſeptimam* Reſp. Heideggere, confundis hic argumentum Vetuſtatis, quatenùs fundat prudentialem credibilitatis evidentiam pro aliquo Fidei articulo, & quatenus aliquod extraordinarium & miraculoſum Dei factum ſub ratione prudentiali reducit ad Fidei principium, in ipſiſmet ſacris Litteris fundatum. At verum eſt, Vetuſtatem, quatenùs pro religioſâ Einſidlenſi peregrinatione inducitur, nihil habituram efficaciæ, niſi ratio prudentialis inde deducta cohæreat cum Verbo Dei, & Veritate Fidei; hac tamen tanquàm primâ ſeu Majori præmiſsâ ſuppoſitâ, ita licet ſubſumere ſecundam, ſive Minorem præmiſſam Gnomes, vel Syneſeos judicio definitam, ut ex iſtis inferatur legitima prudentialis concluſio virtutis Moralis, v. g. Religionis directiva. Quod adeò circa Divinam Einſidlenſis Sacelli conſecrationem locum habere, *patet ex dictis præc. cap. prob. 4.*

48. Ad *octavam* Reſp. Quæ circà Papatum Leonis VIII. affers, minimæ ejus ſunt efficaciæ, ut Catalogum Romanum, & varias poſteriorum Pontificum Bullas, adſtipulante communi illius temporis Scriptorum ſuffragio, Leonem VIII. legitimis Pontificibus annumerantes, è medio tollere valeant. Nec eſt, cur urgeas argumentum ex electione, ſi advertas, Papatum ita eſſe Petro conceſſum à Chriſto Domino, ut iſto Divino Pontificatûs jure potiatur, quiſquis in Romanâ Eccleſiâ Petro legitimè ſuccedit; hæc autem ſucceſſio per electionem varia fuit in Eccleſiâ Romanâ, ac illo ipſo tempore ſub juramento iſtud eligendi jus (uti videre eſt apud Baronium à te allegatum) ſaltem *Cumulativè* tranſtulerunt Romani in Imperatorem, ut proinde ipſemet fatearis, Benedictum V. in ſeditione creatum fuiſſe. Eo ipſo igitur, quòd Leo VIII. non tantùm ab Imperatore, ſed ab univerſis Epiſcopis tum Italiæ, tum Germaniæ, Romaniſquè Principibus

bus, ac tandem populo poſt mortem Ioannis XIII. ſit receptus; atque adeò ſi non *Formali*, *Viruali* ſaltem electione ſit in Papam ſubrogatus, ut illius temporis Hiſtorici uniformiter teſtantur, probatquè præallegata Bulla Leonis VIII. omninò firmum manet, Leonem VIII. illo tempore, quo iſta Bulla fuit Decreta, fuiſſe legitimum Pontificem. Sed eſto, ipſum non fuiſſe verum Papam, exinde quidem probares, pro dictâ Divinâ conſecratione non ſubſtitiſſe illo tempore momentum confirmationis Pontificiæ, minimè tamen probares, rationis prudentialis ex argumentis coram dicto Conſiſtorio Pontificio deductis, & judicio tot Epiſcoporum probatis depromptæ, ut ſic moralis virtutis, atque adeò Religionis ſufficienter directivæ pondus locum non habuiſſe: accedente præſertim poſterioribus temporibus authoritate aliorum quoquè Pontificum, de miraculoſis inſuper in illo Divino Sacello Dei operationibus, & continuato fidelium ad eundem ſacrum locum confluxu atteſtantium.

Ad *nonam* Reſp. Nullam inter Pontificios eſſe controverſiam de Papæ errabilitate, dum ex officio ſuæ Pontificiæ authoritatis, ſive (uti ajunt) ex Cathedrâ loquitur ad univerſalem Eccleſiam: ſed quæſtionem duntaxat eſſe, an extrà Concilium univerſale quoad Fidei dogmata loqui poſſit ex tali authoritatis Pontificiæ munere, Divinitùs inſtituto? *uti hæc patent ex dictis ſuprà Diſſert. 4. Sect. 2.* Neque tamen hîc ad rem facere iſtam quæſtionem, cùm ex ipſiſmet ſacris Litteris, non verò ex Pontificiâ authoritate *præc. cap. 3. prob. 1.* ſit definitum iſtud principium, quòd ſcilicet locis ac rebus inanimatis per ſpecialem Dei operationem & apparitionem ac ſignificationem myſterioſam ſacratis, & ut ſic ſymbolicum aliquem reſpectum erga Deum obtinentibus ſit adhibendus cultus religioſus, adorationis non quidem *Abſoluta* & *Intranſitiva*, ſed *Reſpectiva* & *Tranſitiva*, ſive in ipſum Deum ac Chriſtum relatæ. Quo adeò principio ſuppoſito, ita licet per argumenta rationem prudentialem fundantia procedere, ut, licèt hiſce ſubeſſet falſitas Materialis, eſſet tamen ad voluntatem applicativa & repræſentativa Honeſtatis, Moralem Religionis virtutem *Formaliter Objectivè* ſpecificantis. At iſtâ Honeſtatis actum religioſum ſpecificantis repræſentatione factâ, voluntatis per radium gratiæ Divinæ purificata & ſublimata in eam ita intendit, ut, quemadmodùm figuræ artificialis expreſſio ac effigies ſub ratione artefacti æquè æſtimatur in argento & in auro, ita Moralis religionis rectitudo per illam prudentialis rationis ideam voluntati repræſentata, & per Divinæ Gratiæ impulſum à voluntate acceptata non contaminetur ex Materiali errore, ſed ſub ratione talis rectitudinis integram ſuam virtutis ſpeciem 49. 50.

ciem

ciem ex objecti ſui Formalis ſpecificatione accipiat, *uti prac. cap. 3. prob. 1. demonſtratum eſt.* Et hinc falſum eſt, quòd, ſi Patriarcha Iacob, intendendo nimirùm ad Formalem Matrimonij honeſtatem, ex invincibili circà Liam ſuppoſitam ignorantiâ fuerit quidem excuſatus à facinore fornicationis inceſtuoſæ, non tamen fecerit actum in genere præcisæ Moralitatis *Formaliter* honeſtum. Falſum etiam eſt, quòd judicium de Divinâ Einſidlenſis ſacelli conſecratione ſit alienum, non verò proprium, dum quiſpiam ex rationibus prudentialibus, mediante Divinæ Gratiæ inſtinctu, intrà mentem ſuam propriam id format, & ſic religioſi erga illum ſacrum locum Reſpectivi, ergà Chriſtum verò Abſoluti Latrevtici cultûs, ac Hyperdulicæ erga Virginem Deiparam venerationis honeſtatem Moralem voluntati ſuæ applicat. Falſum inſuper eſt, quòd judicium, cui Sacelli Einſidlenſis cultus innititur, ſit conjunctum cum practicâ dubitatione. Quin potiùs, licèt *Metaphyſicè* ac *Speculativè* loquendo, alicui ſuboriri poſſit aliquid dubietatis, ex rationibus tamen prudentialibus derivari plenam & perfectam Moralem certitudinem dubitationis practicæ omnimodè excluſivam, atque adeò cultûs religioſi in genere virtutis Moralis cum infallibilitate directivam, *conſtat ex prædictis cit. prob. 1.*

51. Ad *decimam* Reſp. Ea, quæ Redingius *Diſſert. 10.* diſſeruit de Morali prudentiali ac ſupernaturali certitudine, eſſe deprompta ex ipſiſmet Theologicis ac Philoſophicis principijs prudentiæ, nec non Eubuliæ, ac Gnomes, ſeu Syneſeos virtutum eidem annexarum naturis proprijs ab Ariſtotele olim, poſterioribus autem temporibus à Divo Thomâ Aquinate præſertim, ad mentem SS. Patrum exactè deſcriptis, ut adeò Heideggeri contrà eam cavillatio ad nihil aliud valeat, niſi quòd ipſum vel de imperitiâ, vel calumniandi & cavillandi libidine apertè convincat. Quòd autem ſe adeò ſimplicem fingat, ut neget, à ſe intellectum prætactum Redingij diſcurſum, in hoc ſanè ſe ipſum redarguit, dum eum ſecundùm integram ſubſtantiam, niſi quòd ſub loco vocis *cultûs Hyperdulici* (peſſimâ ſanè Idololatriam obtrudendi intentione) ſuppoſuerit vocem adorationis, Beatiſſimæ quoquè Virgini exhibendæ. Verùm quia illam ipſam Redingij Diſſertationem ejuſque fundamenta neque alibi, neque *in citatâ Diſſert. 6.* excuſſit, imò quia *ibidem* ait, ea non judicari à ſe digna ulteriori examine, ideò ea omninò inconcuſſa ſtabunt, ipſo licèt buccis ſuis, non ratione aliquâ, ſed cavillatione duntaxat plenis obſtrepente.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

EX dictis infertur. Ab ipſo jam Heideggero *cit. Diſſert. 6. §. 10.* agnitum eſ- 52.
ſe, qualiter peregrinationis Einſidlenſis, & Sacelli Divinitùs ibi conſe-
crati cultus ſub ratione prudentiali reducatur in veræ ac Orthodoxæ Fidei
principium, inducatquè adeò Moralem virtutis Religionis infallibiliter di-
rectivam certitudinem. At huic ſecundùm Prudentiæ rationem & natu-
ram, in Dei Verbum, ac Fidei veritatem reducibili dictamini nihil ſolidi op-
ponere potuit prætactus Tigurinus Miniſter. Viderit ergo ipſemet,
quo ſpiritu adeò protervè pugnet contra veritatem à
ſe planè ſatis agnitam.

FINIS.

CO

igitized by Google

COROLLARIUM FINALE,
in quo ſigillatim excutiuntur ineptiæ Heideggerianæ in ſuis adversùs Peregrinationem Einſidlenſem Vindicijs Anno 1669. ſive potiùs 1670. editis.

MEMBRUM I.

De Ineptijs Heideggerianarum Conſequentiarum.

PRima eſt, quòd *pag. 225.* inferat, ſuſpectam eſſe Bullam Divinæ Sacelli Einſidlenſis Dedicationis confirmatoriam, cùm ſedecim inter iſtam Confirmationem, & illam Dedicationem intervenerint Anni. Quis autem non videat iſtam puerilem ineptiam? 1.

Secunda, quòd *pag. 226.* prætactam Bullam nitatur facere ſuſpectam, cùm ante Heinricum Conſtantienſem Epiſcopum, qui Anno 1363. eam dicatur, deſcribi curâſſe, nemo ejus meminerit. At in contrarium eſt, quòd iſte Conſtantienſis Epiſcopus ſuper illâ Bullâ eatenùs fecerit authenticum Tranſumptum, ut tandem *in fine* aſſerat, præſcriptas litteras Apoſtolicas, & omnia contenta in eis, à ſummis Pontificibus & Epiſcopis Conſtantienſibus abſque contradictione qualibet, nec non impugnatione fuiſſe toleratas &c. Inſuper dixerit, ſibi plenariè conſtare de omnimodâ illarum litterarum veritate, & ſuſpicionis carentiâ, ac obſervantiâ per plurium centenariorum annorum curricula inconcuſsâ & inviolabiliter factâ. Unde præterquàm quòd illa Heideggeriana illatio ſit ab authoritate Negativâ, ſitquè adeò contra formam, convincitur, ineptiari in ipsâ quoquè materiâ. 2.

Tertia, quòd *eâdem pag. 226.* Bullam Innocentij IV. ceu primam Bullæ Leoninæ confirmatoriam, conetur ſuſpectam reddere, cùm hactenùs edita non ſit. At quis non videt hujus illationis ineptiam? Siquidem ſi iſte argumentandi modus valeret, omnes litteræ quantumvis authenticæ, publicæ luci non expoſitæ, forent ſuſpectæ. 3.

Quarta, quia *pag. 240. & 241.* ex eo, quòd Redingius Sacellum Einſidlenſe, ut- 4.

ſe, utpote cultu Reſpectivo tum Latriæ propter Chriſtum ejus CONSECRATOREM, tum Hyperduliæ propter Beatiſſimam Virginem illi conſecrationi aſſiſtentem, tum Duliæ propter Sanctos cælites ibi tunc præſentes, venerabile aſſeruerit, infert, eſſe præferendum ſacræ domui Lauretanæ, utpote Latriæ duntaxat ac Hyperduliæ, non autem Duliæ Reſpectivo cultu honorabile. At contra eſt, quòd illa ipſa domus Lauretana ob Sanctitatem Reſpectivam ex Angelo Gabriele & S. Ioſepho meritò colatur Duliæ quoquè cultu Tranſitivo.

5. Nec eſt, cur Heideggerus hinc inferat, omnia loca fore tali cultu honoranda, cùm Angeli ubique locorum tanquàm decori teſtes interveniant; hîc enim agitur de ſpeciali ob ſingularem alicujus Angeli, vel Sancti operationem, locis inde ſacratis competente reverentiâ, cujuſmodi in domo Lauretanâ erat ex Gabrielis Archangeli, Mariæ Verbum Divinum ex ſe incarnandum annunciantis, apparitione.

6. *Quinta*, *pag. 241.* eſt expreſſa, ubi ex eo, quòd Redingius omnium Sanctorum plenitudinem, *ſecundùm ſuppoſitionem pro generibus ſingulorum*, aſſeruerit, collatam in Sacellum Einſidlenſe, inde *ſophiſticè* inferat *ad ſuppoſitionem pro ſingulis generum*. Cætera, quæ *uſque ad pag. 249.* habet, varijs in locis refutata videre licebit.

7. *Sexta*, dum *pag. 249.* ex eo, quòd mediante gratiâ, intuitu Chriſti & beatiſſimæ Virginis meritorum, in Sacello Einſidlenſi conceſsâ, homines independenter à ſuis meritis, tam validè excitentur ad pœnitentiam, hinc conetur *dolosè* inferre, Sacellum Einſidlenſe conferre remiſſionem peccatorum *ex opere operato*, atque adeò *immediatè*, non autem mediante actu pœnitentiæ per gratiam excitato.

8. *Septima*, dum *pag. 255. ac ſeqq.* ex eo, quòd Veritas ſucceſſerit Veteris Teſtamenti figuris, ait, prohibitum adorare Deum in figurâ & typo ſeu ſymbolo. Et tamen *pag. 259. & 260.* admittit, licere, Deum adorare ſub ſymbolo, Veritatem non ut futuram, ſed ut præſentem repræſentante. Ex quo proinde Heideggeriano principio evaneſcunt omnes cavillationes ipſius, negantis, Deum in uno ſymbolo ſeu loco per operationem Divinam præ alijs myſterioſo, poſſe adorari in ſpiritu & veritate.

9. *Octava*, dum *pag. 261.* petit, ex ſacris Litteris probari, quòd, ſicut Deus mediantibus diverſis ſyderibus diverſimodè, quoad effectus naturales operatur, ſic mediantibus diverſis ſymbolis ad Deum ipſum, ejuſque Sanctos reſpectum peculiarem habentibus, operetur varios gratiæ effectus. At hoc ipſum demonſtrant tum Sacramenta, præ alijs rebus corporalibus effectuum gratiæ operativa, tum miracula, ex Sanctis Reliquijs juxta SS. Patrum authoritatem provenientia, tum miraculoſæ ſanationes, olim procedentes ex umbrâ Petri, & ſudarijs Pauli.

No-

Digitized by Google

Nona, quòd *pag. 261. & 262.* Antiquitati Orthodoxæ contra aperta Patrum teſtimonia *alibi* deducta, illudendo, non diſtinguat in erigendis templis piam antiquæ Orthodoxiæ intentionem. Juxta quam ea tanquàm templa Deo *primariò*, Sanctis verò *ſecundariò*, cum debitâ ad Deum & Chriſtum ſubordinatione, atque adeò non tanquàm templa, ſed tanquàm Baſilicas erexerunt. 10.

Decima, dum *pag. 266.* miraculo ſimillimum aſſerit, quòd Majores Tigurini in abrogandis peregrinationibus ſacris, rem tantam & humanis concupiſcentijs adverſantem conficere potuerint, dum tamen Rhætiæ vicinæ incolæ nuper Divæ Einſidlenſi valedicturi, eò pertingere non potuerint. 11.

Undecima, quòd *pag. 268. & 269.* adductis plurimis adversùs diverſos Pontifices Romanos calumnijs, ex hoc redarguat ſpiritum Romanæ Eccleſiæ, in hoc apertè repugnans Sancto Auguſtino *lib. cont. Epiſt. Petil. cap.* 11. Imò *ibidem* ex quorundam Tigurinorum ſuæ concupiſcentiæ pravæ ſpiritu abutentium peregrinatione Einſidlenſi, malitioſè infert, iſtam à ſuis religioſè abolitam fuiſſe. 12.

Duodecima, dum *pag. 270. & ſeq.* imputat Redingio, quaſi calumnioſè impoſuiſſet ſibi, quòd Divam Virginem, vel ejus Einſidlenſem imaginem æquiparârit Milyttæ Veneri. At res ita ſe habet, quòd Heideggerus *in ſuâ Diſſert. Synod. in fine. § 4.* dixerit, Tigurinos peregrinantes ad Sacellum Einſidlenſe, dum aliqui illorum ex ſpiritu Tiguri jam tunc invaleſcente, turpiùs egerunt, perindè ſe habuiſſe, ac ſi non tam Virginem, quàm more veterum Babyloniorum Milyttam Venerem imploratum iviſſent. Exinde proin Redingius quæſivit ex iſto Doctore Tigurino, quid ſub iſtâ Milyttâ Venere intelligat, an Beatiſſ. Virginem? An ejus imaginem Einſidlenſem? In quo adeò utroque ſub iſtâ hypotheſi ipſum damnat blaſphemiæ. Judicet ergo lector, an Redingius calumniæ reus ſit erga Heideggerum, vel hic potiùs blaſphemiæ ergà D. Virginem, nec non calumniæ ergà ſuos Majores, utpote quos *indefinitè* incuſet, in illâ peregrinatione Einſidlenſi perinde ſe habuiſſe, ac ſi more Babyloniorum Milyttam Venerem imploratum iviſſent. Sed ridicula ſanè ſunt, quæ de Cornelio à Lapide & alijs producit, longè puriori, quàm Heideggerus, ſpiritu per figuram Rhetoricam, non *ſecundùm rei veritatem*, ſed *ſecundùm analogicam proportionem*, comparantibus Beatiſſ. Virginem cum Dianâ. 13. 14. 15.

Decimatertia, dum *pag. 277.* ex eo, quòd exempla quarundam extraordinariarum dedicationum neſciverit, firmo argumento probare, falſa, ex proprio ſuo cerebro confingit, ea ſe prodere ſuâ vanitate. Imò *ibidem* ex eo, quòd Concilium Lugdunenſe & Carthaginenſe V. Prælatos moneant, ut fal- 16.

Digitized by Google

ſa documenta & altaria ex ſomnijs conſtituta prævalere non permittant, exinde à particulari Diſparato (cujuſmodi illationis genus pueri quoquè Dialectici norunt, eſſe vitioſum) concludit, neque probandas eſſe ſacras conſecrationes, probatas licèt ac firmis argumentis ſtabilitas.

17. *Decimaquarta*, quòd *pag. 278.* contendat, Chronicon Hermanni Contracti eſſe interpolatum, dum in eo fit mentio Divinæ Sacelli Einſidlenſis conſecrationis. At nequè illi Tigurino Doctori conceditur, ſuæ Bibliothecæ exemplaria eſſe puriora exemplari, ex quo Hermannus illud teſtimonium depromſit, neque ſi facta fuiſſet aliqua interpolatio, utpote de re, quam miracula, Bullæquè Pontificiæ &c. probabant, intervenire potuiſſet aliqua falſitas.

18. *Decimaquinta*, quòd *pag. 280.* aſſerat, Heinricum Epiſcopum Conſtantienſem primum fuiſſe, qui in Bullâ Anno 1363. editâ meminerit Bullæ Leonis. At econtrario in præfati Heinrici Epiſcopi authentico fit atteſtatio, tum quòd eo jam tempore, Anno ſcilicet 1363. fuerit Bullæ Leonis VIII. diuturna per plurium centenariorũ annorum curricula inconcuſsè & irreprehenſibiliter facta obſervantia; tum quòd eædem litteræ Apoſtolicæ fuerint à Summis Pontificibus & Epiſcopis Conſtantienſibus ſuis prædeceſſoribus, abſque contradictione qualibet, vel impugnatione toleratæ. Quomodò igitur Heideggerus ex Heinrici Epiſcopi litteris Bullam Leonis VIII. impugnare potuerit, ipſe jam viderit.

19. *Decimaſexta*, quia *pag. 281.* iterum nititur, argumentari ab authoritate negativâ, ibiquè falsò ſupponit, quòd conſecratio Divina Einſidlenſis, dum nonnulli ſcriptores ejus non meminerunt, non pervenerit ad notitiam. Cujus tamen contrarium probant non tantùm frequentes litteræ Apoſtolicæ, ſed Heinrici Conſtantienſis præadductum authenticum, ac jugis, ipſomet Heideggero *in ſuâ Synod. Diſſert.* fatente, obſervantia &c.

20. *Decimaſeptima*, dum *pag. 284. & 285.* ex eo, quòd Otto Imperator in ſuo Diplomate ante Bullam Leonis VIII. edito non meminerit Divinæ illius conſecrationis, hanc ſuſpectam reddere conatur. At quia iſte Imperator hanc rem non ſui, ſed Pontificij Fori eſſe (en iſtum pium Imperatorem longè aliter ſenſiſſe, quàm tuam Reformationem, Divinum ſeu Eccleſiaſticum & prophanum forum promiſcuè confundentem) agnovit, non erat, cur in ſuo Diplomate aliquid de hoc diſcerneret.

21. *Decimaoctava*, dum *pag. 286.* arguit ex eo, quòd Capella Einſidlenſis per cæleſtem vocem pronunciata ſit, Divinitùs conſecrata, nullatenùs inferri, eſſe factam à Deo ſeu Chriſto, cùm illud etiam, quod à Divis, id eſt Angelis factum eſt, Divinitùs dicatur perpetratum. At contra eſt, quòd Divorum, ſcili-

Digitized by Google

ſcilicet Angelorum facta tunc ſolùm poſſint dici Divinitùs patrata, ſi ad opus aliquod miraculoſum concurrant *quidem Inſtrumentaliter*, Deus autem *Principaliter*. Ad quod à Redingio jam priùs inculcatum ſi advertere voluiſſet Heideggerus, ſtatim vidiſſet ineptiam & nullitatem ſuæ conſequentiæ.

Decimanona, dum *cit. pag. 287.* ex eo, quòd Divinitùs facta Sacelli Einſidlenſis conſecratio, dicatur Angelica, non attentis argumentis à Redingio deductis, contendit, non eſſe à Chriſto factam. At Heideggerus inanitatem ſuæ conſequentiæ ſtatim vidiſſet, ſi advertiſſet ad ea, quæ *pag. 338.* expreſſit, ubi nititur oſtendere, qualiter Chriſtus veniat nomine Angeli. 22.

Vigeſima, dum *pag. 288.* redarguit Redingium, quaſi *in ſuis Refutat. pag. 77.* dixerit, S. Conradum *confuſè* proceſſiſſe coràm ſancto Papæ Conſiſtorio in ſuæ circà Einſidlenſis Sacelli conſecrationem viſionis narratione. At Redingius *loco citato* nihil iſtorum habet, ſed, ſi ponderentur argumenta *ibi* deducta, prudens lector advertet, non ſoluta, ſed deluſa eſſe ab Heideggero. Verum quidem eſt, quòd apud Redingium *pag. 73.* legantur præallegata verba, ſi tamen contextus ex integro legatur, videre licebit, quàm impertinenter & fraudulenter procedat Heideggerus, prætermittendo, quæ Redingius diſtinxit circa *Publicam* & *Judicialem* Divinæ illius conſecrationis probationem, & *Privatam* viſionem, ac inde petitam allegationem. 23. 24.

Vigeſimaprima, dum *pag. 289.* ex eo, quòd Redingius ob rationes *pag. 75. ac ſeq.* deductas, aſſerat, prætactam conſecrationem dici poſſe Angelicam denominatione tum *inadæquatâ* in ordine ad Angelos, tum *adæquatâ* in ordine ad cauſas partim *miniſteriales*, partim *principalem*, Chriſtum nimirùm ceu magni conſilij Angelum, ineptè contendit, quandam contradictionis ſpeciem inferre. At ex hoc apparet, quòd Heideggerus Dialecticæ, præciſiones ad majorem claritatem facere docentis, valde imperitus ſit; hiſcè namquè præciſionibus ſtantibus, licet rem quandoquè *inadæquatè*, quandoquè verò *adæquatè* citra contradictionem conſiderare. Utrovis autem modo conſideretur Einſidlenſis Divinitùs facta conſecratio, licet, illam dicere Angelicam, tum quòd ipſomet Heideggero *cit. pag. 289.* fatente, juxta S. Chryſoſtomum per Angelos *Galat. 3. v. 19. Alternativè ſaltem*, intelligantur Sacerdotes. At iſti nè *Alternativè* quidem dici poſſent Angeli, ſi hæc vox ipſis non poſſet ritè applicari: tum quòd idem Heideggerus *pag. 290.* diſertis verbis fateatur, tum Miniſtros & Doctores Eccleſiæ *ſacris Scripturis conformiter* dici Angelos, tum Chriſtum cum epitheto *Magni conſilij*, ſeu *Fœderis* Angelum vocari. Unde tandem erit conſequens, ſive *inadæquatè* ſecundùm præciſionem, cum reſpectu ad ſolos propriè dictos Angelos; ſive cum ordine ad omnes Divinæ ilii conſecrationi præſentes, ipſummet etiam Chriſtum, *adæquatè* conſideretur prætacta conſecratio, 25. 26.

ritè

27. ritè vocari Angelicam. Nec, ſi lex ſub reſpectu ad cauſam Principalem *Divinæ* dicta, ſub reſpectu ad cauſam Miniſterialem ritè vocatur Moſaica, licebit Heideggero mirari, cur conſecratio *Divinitùs*, ſive à Chriſto facta, ſub reſpectu ſaltem ad cauſas Miniſteriales, Angelos nimirum, dicatur Angelica.

28. *Vigeſimaſecunda*, per totam Diſſertationem V. deducta, videri poteſt refutata in præcedentibus Diſſertationibus.

29. *Vigeſimatertia*, dum *Diſſert. 6. à pag. 307. uſque ad pag. 313.* nititur inferre, quòd nos Pontificij Spiritûs S. teſtimonium internum, quo Reformati Divinitatem Scripturæ, adeoquè Dei revelantis intrà mentes ſuas inditam evidentiam comprobent, immeritò explodamus. At quomodò iſtud Spiritûs S. teſtimonium, ac Dei revelantis evidentia in prætenſæ Reformationis ſpiritu locum habeat, dum tantis contradictionibus inter ſe pugnant, tamquè varia non tam veritatis, quàm falſitatis argumenta præſeferunt, *uti patet ex præced. Diſſert. 2.*

30. *Vigeſimaquarta*, dum *pag. 316. ac ſeq.* diſcurrendo circà Divinæ revelationis traditionem & propoſitionem, non ſcit diſtinguere inter prudentialem credibilitatis evidentiam, & ipſum Fidei, ceu virtutis Theologicæ Motivum, uti hæc vero ac perito Theologo diſcutienti facilè patebunt, nec opus eſt, hîc fruſtrà tempus terere.

31. *Vigeſimaquinta*, dum *pag.* 320. ex eo, quòd Divina Sacelli Einſidlenſis conſecratio non ſit Fidei articulus, infert, immeritam eſſe iram, quâ ejus perſecutor afficitur. Verùm in hoc manifeſtè ſe prodit Heideggerus, quòd neſciat diſtinguere inter Fidei articulum, ſive certitudinem Fidei, & inter prudentialem credibilitatis evidentiam, ſive moralem certitudinem.

32. *Vigeſimaſexta*, dum *pag. 321.* ex eo, quòd Redingius dixerit, Motivum Formale Fidei Theologicæ eſſe primam Veritatem revelantem, infert, ſe Reformatos minimè culpari poſſe, quatenùs ſine authoritate Eccleſiæ credant Verbo Dei. At in hoc rursùs manifeſtat Heideggerus ſuam tum in Motivo Fidei & prudentiali credibilitatis evidentiâ imperitiam, tum in Eccleſiæ authoritate tanquàm primario hujus credibilitatis fundamento, non autem Fi-
33. dei fundamento agnoſcendo perfidiam. Eadem imperitia Heideggeri proditur *pag. 322.* ubi illam prudentialem credibilitatem evertendo, totus alienus eſt à Fide, quæ requirit piam Spiritûs S. motionem, intellectum captivantem in obſequium Chriſti. Cui proinde piæ motioni omninò prælucere debet prudentiale argumentum, uti hæc fuſiùs deducta videre licet *ſupra Diſſert. 2.* Quæ denique *pag. 323.* producit, *in præcedentibus* diſcuſſa videre licet.

34. *Vigeſimaſeptima*, dum *pag. 326. ac ſeq.* in exponendo ſacro *Act. 3. v. 21* textu, contendit, ſuum ex prætenſæ Reformationis ſpiritu ſenſum præferendum

Digitized by Google

dum expoſitioni Divi Thomæ Aquinatis, ex ſenſu antiquiore Theologorum ac Patrum Orthodoxorum, procedere ſoliti. At vel hinc proditur ille Heideggeri ſpiritus *Diſſert.* 2. agitatus. Etſi verò iſte Miniſter varias Doctorum Pontificiorum ſententias alleget, quibus nonnullæ Chriſti poſt ejus aſcenſionem in terris apparitiones non tam de *Quantitativâ & corporali Circumſcriptivâ*, quàm de *Virtuali* per operationem, vel ſui ſplendoris in terris exhibitionem, aut ſui ſub Angelo repræſentationem ab ipſis exponuntur. Ex hoc tamen nihil proficit: poſito enim, ſed minimè dato, Chriſti in Sacello Einſidlenſi præſentiam fuiſſe non tam *Quantitativam*, quàm *Virtualem*, hinc tamen minimè evacuatur Sacelli hujus Reſpectiva Sanctitas, ſicuti ex eo etiam, quòd Deus in templo Salomonis, nec non in Arcâ Fœderis Virtualem ſuam præſentiam ſpeciali ſigno comprobârit, oportebat, exinde ſpeciali veneratione Reſpectivâ ea honorari, *uti patet ex præced. Diſſert.* 15.

Vigeſimaoctava, dum *pag.* 333. *et ſeq.* falsò ſupponit, quaſi Chriſto in terris corporaliter poſt ſuam aſcenſionem apparente, nos Pontificij non aliam Virtualem ipſius in cælis præſentiam adſtrueremus, quàm per meriti ſui efficaciam etiamnum exhibeat in terris. At ſecus eſt, quòd, cælo ad breviſſimum ſpatium quandoque *Corporaliter*, non autem *Virtualiter* relicto, dicamus, eum ibi manſiſſe non tantùm ſuæ operationis virtute, ſed throni ſui ibidem fixi jure uſque ad omnium reſtitutionem prorſus immobili. Unde omnes Heideggerianæ argumentationes ibi factæ convincuntur, procedere ex falſo ſuppoſito. Quæ porrò *à pag.* 336. *uſque ad pag.* 350. protulit Heideggerus, *in præcedentibus* refutata videre licet. 35.

Vigeſimanona, dum *pag.* 349. *&* 350. in ſuis argumentationibus ſupponit, quaſi Chriſtus Triumphator utendo cæremonijs Eccleſiæ dicatur à nobis Pontificijs, ſe ſubjeciſſe Eccleſiæ legibus, cùm tamen à Redingio per Heideggerum *citato* dicatur, ſe habuiſſe ad illas *authoritativè*. Unde argumentationes illæ iterum procedunt ex falſo ſuppoſito. 36.

Trigeſima, dum *pag.* 351. nititur, Angelorum erga homines curam ſeu cuſtodiam evertere, & *pag.* 352 infert, Angelos fore omniſcios, ſi futuras preces in ſpeculo Divinitatis vidiſſent. At quàm inepta ſit iſta conſequentia, videre licet *in præced. Diſſert.* 14. *ſect.* 2. *& alibi.* 37.

Trigeſimaprima, dum *pag.* 352. Humanitati Chriſti vel negat Inſtrumentariam (hæc enim, & non alia tribuitur illi à nobis Pontificijs) ex Divinitate pendentem ad patranda miracula virtutem, ſacris Textibus (ſi opus ſit) validè probandam, vel ex falſo ſuppoſito procedere probatur, ſi de aliâ, quàm Inſtrumentariâ virtute contenderet, ſe locutum fuiſſe. 38.

Trigeſimaſecunda, dum *pag.* 353. petit, ut ſibi ratio detur, cur aqua in ter- 39.

ræ ex-

Digitized by Google

râ ex Chriſti contactu fuerit ſanctificata in ordine ad Gratiam ſanctificantem *Practicè* ſignificandam. At pudeat Heideggerum hujus ineptiæ: quia enim Chriſto placuit, aquam, non verò terram elevare ad Eſſe Sacramenti, jam tota inde quæſtio ſoluta eſt. Quæ porrò *ibidem n. 6.* producit ex Redingio, calumniando, non autem ratione aliquâ ſolidâ refutando, oſtendunt Heideggerum illuſorem, non Doctorem.

40. *Trigeſimatertia*, dum *pag. 254.* exſibilat Cæremonias, utpote à Chriſto non inſtitutas, circà Sacrificium Eucharisticum in Eccleſiâ Romanâ uſurpari ſolitas. At planè Heideggere in hoc agis contrà tuæ Reformationis Confeſſionem Helveticam, ingenuè fatentem, Eccleſiæ ſemper fuiſſe poteſtatem, circà Sacramentorum adminiſtrationem ſancire Cæremonias.

41. *Trigeſimaquarta*, dum *pag. 355. ac ſeq.* impugnat efficaciam verborum Euchariſticæ conſecrationis. At de hac ex inſtituto egimus *Diſſert. 7. & 8.*

42. *Trigeſimaquinta*, dum *pag. 358.* circà iſtarum vocum *Hoc* & *Corpus* in verbis conſecrationis ſignificationem, & *pag. 364. ac ſeq.* circà actionem Chriſti Corporis ſub ſpeciebus Euchariſticis introductivam, varias Pontificiorum Doctorum non de *Subſtantiâ*, ſed de *Modo* duntaxat controvertentium, ſententias recenſendo, more ſuæ Reformationis utitur fallaciâ *Accidentis*, inferendo, quòd ipſa Corporis Chriſti ſub accidentibus panis Euchariſticis introductivæ actionis ſubſtantia eſſet ſuſpecta, eò quòd modi, ſub quibus exponunt eam Doctores Pontificij, ſubſint iſtorum controverſiæ.

43. *Trigeſimaſexta*, dum, *pag. 368. ac ſeq.* ait impoſſibile, quòd Chriſtus (in genere ſcilicet cauſæ *Efficienter* ſuſtentativæ) ſe ipſum uniat accidentibus Euchariſticis, niſi à ſe ipſo eſſet ſeparatus, adeoquè realiter diſtinctus. Quomodò igitur Chriſtus quà Deus ſe ipſum *Hypoſtaticè* unire potuit Humanitati? Quomodò etiam habere potuit poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterum mediante unione reaſſumendi eam?

44. *Trigeſimaſeptima*, dum *pag. 369.* negat, veram manducationem poſſe ſubſiſtere abſque effectu nutritionis. At ſi hoc verum eſſet, quomodò verum eſſet, quòd Chriſtus jam impoſſibilis, nec adeò nutritionis capax dicatur *Lucæ ult.* comediſſe, vel manducâſſe?

45. *Trigeſimaoctava*, dum *pag. 370.* contendit, oportere deſtrui id, quod verè manducatur, maximè per modum ſacrificij. At Heideggerus cum Capharnaitis videtur non niſi talẽ (Carnis ſuggeſtioni, non autẽ veræ fidei amicam) Corporis Chriſti, quà iſtud *immediatè* prematur dentibus, & ſic laceretur ac deſtruatur, ſentire manducationem. Si enim *Mediatam & Sacramentalem*, & *realem* ſub ſpeciebus Euchariſticis Corporis Chriſti manducationem antiquæ Orthodoxiæ, ſacriſquè Scripturis conformiter crederet, non ita craſsè loqueretur.

Trige-

Digitized by Google

Trigeſimanona, dum *cit. pag. 370.* ex Divo Thomâ Aquinate *q. 77. a. 6.* nititur probare, quòd, corruptis accidentibus Evchariſticis, non producatur à Deo materia prima, ex quâ agens creatum educat naturaliter formam ſubſtantialem. Verùm Heideggerus non integrè allegavit hunc ſanctum Doctorem, doloſè prætermittendo, quòd *ibidem* probet, Quantitati Dimenſivæ remanenti poſt conſecrationem, vi hujus Divinitùs impertiri vim Formæ ſubſtantialis ex ſpeciebus Evchariſticis generatæ, per modum primi ſubjecti ſuſtentativam. 46.

Quadrageſima, dum *pag. 341.* infert, duas in eodem loco & ſubſtantiâ ex ſpeciebus Sacramentalibus generatâ, fore quantitates, ſi materia in inſtanti diſſolutionis Sacramentalium ſpecierum, per Deum ceu naturæ auctorem producta, eſſet affecta ſuâ propriâ dimenſivâ quantitate. At ſi Heideggerus advertiſſet ad Generationis ab ipſomet Ariſtotele traditam, luminequè adeò naturali cognitam definitionem (quâ dicitur, fieri corruptionem prioris ſubſtantiæ, *nullis remanentibus accidentibus*) longè aliter diſſeruiſſet. 47.

Quadrageſimaprima, dum *ibidem* quærit, an ergo materia creatur ante vel poſt corrupta accidentia Sacramentalia. At ſi Heideggeri lumen Philoſophicum non adeò eſſet obfuſcatum, quin poſſet diſtinguere inter naturæ ac temporis inſtantia, iſtam dubitationem ipſemet ſolvere noſſet. 48.

Quadrageſimaſecunda, dum *pag. 372.* acriùs invehitur in terminos, quibus Myſterium aliquod Philoſophicum, vel Theologicum per ſpecialem aliquam energiam explicatur, quòd nimirum Myſteria Fidei non ſint adſtruenda ſub terminorum cothurnis & involucris. At in hoc imitatur Arianos, quibus æquè infenſa fuit vox *Homouſios* præcipui Fidei Myſterij *compendioſè* ac *myſterioſè* explicatoria. 49.

Quadrageſimatertia, dum *pag. 373.* infert, Chriſtum ſui ipſius *ſecundùm identitatem* fuiſſe participem, ſi Corpus ſuum ſub ſpeciebus Evchariſticis manducârit. Siccinè igitur Heideggerus diſtinguere non valet *Identitatem* ab *accidentariâ* motûs ſeu manducationis *participatione*? O ſtupidum Philoſophum, meritò fatentem *pag. 374.* ſe capere non poſſe (ſcire potiùs nolle) novitia Scholæ noſtræ Myſteria. 50.

Quadrageſimaquarta, dum *pag. 375.* capere non poteſt, quomodò aliquid ſub diverſo reſpectu in ordine ad unionem aliquam *accidentariè* advenientem ac de novo productam, poſſit ſui ipſius cauſa eſſe. At nunquid Chriſtus quà Deus fuit cauſa ſuæ Hypoſtaticæ cum Humanitate unionis? Cur igitur ex hoc repugnet, Chriſtum eſſe cauſam accidentariæ Corporis ſui cum ſpeciebus Evchariſticis unionis? 51.

Quadrageſimaquinta, dum capere non poteſt, quomodò Deus ſuâ infinitâ 52.

potentiâ facere poſſit, ut accidentia ſint ſine proprio ſubjecto? Siccinè igitur F dei Myſteria ac infin tum Potentiæ Divinæ pelagus credis Heideggere, non latiùs ac profundiùs ſe extendere, quàm tu proprij cerebri tui ambitu capere poſſ s?

53. *Quadrageſimaſexta*, dum *cit. pag.* 375. cavillando, arguit, nullam eſſe ſimilitudinem inter Chriſtum, ſe ipſo tanquàm cibo utentem, & animam ipſius propriâ virtute ad inferos deſcendentem. At audi Heideggere ſimilitudinem ſequenti argumentatione expoſitam. Chriſtus ſe ipſo quà cibo ſub Sacramentalibus ſpeciebus utens, non aliter egit in ſe ipſum, niſi quoad motum aliquem accidentarium. At eo ipſo, quòd anima Chr ſti propriâ virtute ad inferos deſcenderit, evincitur, egiſſe in ſe ipſam quoad motum accidentarium. Quia proinde nullatenùs implicat, idem agere in ſe ipſum *quoad motum accidentarium*, conſequens eſt, nullatenùs repugnare, quòd Chriſtus ſeipſum ſub ſpeciebus Sacramentalibus manducârit.

54. *Quadrageſimaſeptima*, dum *pag.* 376. illudit, quaſi Redingius dixiſſet, animam Chriſti tertiâ die reſurrexiſſe. At Heideggerus in hoc iterum cavillatorem agit; Redingius enim *loco citato* ſolùm dixit, animam Chriſti in inſtanti reſurrectionis ſe reuniviſſe corpori (quod iſti Miniſtro Tigurino, ſi dotium gloriæ ex animâ in corpus redundantium peritus ac particeps futurus eſſet, non tam abſurdum videretur) & ita reſurrexiſſe (quis niſi ſtupor ſub iſto loquendi modo non ſubintelligat Chriſtum) tertiâ die.

55. *Quadrageſimaoctava*, dum *cit. pag.* 376. petit, conciliari præter alias iſthanc quoquè analogiam, quòd ſcilicet *Corpus Chriſti fractum, & Sanguis fuſus in Miſſâ juxta inſtitutionem adſit in menſâ, illud integrum & illibatum, hic in membris & venis incluſus*? At inſtitutio Miſſæ facta eſt ſub ultimâ cœnâ ſub fractione tamen ac fuſione Sacramentali, *Corporaliter* peragendâ in cruce: ſicuti proinde in iſtâ ſub Sacramentalibus ſpeciebus Chriſtus manebat integer & illibatus, ſic crede Heideggere, rem hodieque ſe habere in Miſſæ Sacrificio, ſiquidem Chriſtus id, quod ipſe tunc fecerat, faciendi poteſtatem conceſſerit Apoſtolis, eorumquè ſucceſſoribus ſacerdotibus. Cætera, quæ *ibidem* & *pag.* 377. cavillat ille Miniſter, facilè ſolventur ex dictis, præſertim *Diſſert.* 7. 8. & 9.

56. *Quadrageſimanona*, in quâ *à pag.* 380. *uſque ad pag.* 389. multa contrà Papæ authoritatem ac Leonem VIII. calumnioſè coarguit, refutata videri poteſt *Diſſert.* 4. & 15.

57. *Quinquageſima*, in quâ *à pag.* 389. *uſque ad pag.* 394. *item à pag.* 396. *uſque ad pag.* 401. multa contrà miracula effutit, refutata habetur *Diſſert.* 3. *Sect.* 5. & *Diſſert.* 15. Hîc tamen notandum venit, quòd Heideggerus *pag.* 390 fateatur, ad ſacras SS. Gervaſij & Prothaſij Reliquias fuiſſe facta miracula, nec jam audet

audet improbare honorem à Sancto Ambroſio publicè delatum his ſacris corporibus. Inſuper *ibidem* fatetur, miraculorum donum illo tempore non exſpirâſſe, ſed locum inveniſſe propter Arianam hæreſin, veræ Fidei tunc profligatricem. Quid ergo Heideggere dixeris de temporibus tuæ Reformationis? Oportet enim fatearis,quòd vel iſta invexerit hæreſim graviſſimam, dum ſacratum Reliquiarum cultum Idololatriæ damnat, vel certè oportuiſſet, iſtam hæreſi graviorem Idololatriam profligari miraculis, in Zwinglio tamen tuo fruſtrà deſideratis. 58.

Quinquageſimaprima, dum *pag. 392. ac ſeq.* non niſi calumnioſis ex ſuo ac Reformatorum Miniſtrorum cerebro confictis allegationibus invehitur in miracula Divæ Virginis Heremitanæ. At iſtas, ſi opus ſit, juratis omni exceptione majoribus tum vivis, tum ſcriptis teſtimonijs licebit retundere. 59.

Quinquageſimaſecunda, dum *pag. 394.* ait, Redingium committi cum ſuo Betſcharto,quòd iſte aſſeruerit,ab initio ſacratæ Ædis Divina,eaquè frequentia emicuiſſe miracula, *quæ tamen vel minùs conſignata, vel monumentis antiquis per crebra incendia abſumptis è memoriâ hominum exciderint.* Ille verò ſcripſerit, *Oſtendi poſſe plura antiquiſſima Inſtrumenta à Summis Pontificibus, alijſque Prælatis ac perſonis publicis authentizata, in quibus perhibeatur teſtimonium de miraculis.* At Heideggere, paratus ſum ad oculum tibi commonſtrare id, quod ſcripſit Redingius, nec in hoc committitur cum Betſcharto, cùm iſte de monumentis miraculorum *ſpecificè*, ille de Inſtrumentis miraculorum *in genere* mentionem facientibus, loquatur. 60.

Quinquageſimatertia, dum *pag. 395.* ait, Inſtrumentum Majorum ſuorum, Tigurinorum & Bernenſium ſigillo munitum, quo Sacellum Einſidlenſe à Deo conſecratum dicitur, refutari ex eo, quòd non obligent poſteros, quæ Majores vel fecerunt, vel ſenſerunt, cùm alioquin Joſua nunquam potuiſſet Majorum ſuorum Idololatriam exuere. Siccinè leviter Heideggere agis cum tuis Majoribus, eorumquè Religione, ſub quâ patriæ liberationem tam heroicè vindicârunt? 61.

Quinquageſimaquarta, dum *pag. 396.* contendit, Latriam à nobis Pontificijs Divæ Virgini exhiberi, Hyperduliæ nomine palliatam. At calumniam iſtam repreſſam videre licet *Differt. 14.* 62.

Quinquageſimaquinta, dum *pag. 401.* ex eo, quòd ſecundùm Cajetanum dicamur Sanctis, nos *abſolutè* vovere, infert, quòd eâdem ratione Deo & Sanctis voveamus. At iſtis vovendo, *abſolutè* quidem deferimus cultum Duliæ; eo ipſo tamen, quòd iſte ex ratione objecti Formalis ſit *Virtualiter* Tranſitivus in Deum ceu ultimum finem, cui *Ultimatè* deferatur cultus *Latriæ* dictus, conſequens eſt, Heideggerum ineptè fuiſſe argumentatum. 63.

Digitized by Google

64. *Quinquageſimaſexta*, dum *pag. 402. & 403.* oblatas miraculorum Divæ Virginis Einſidlenſis probationes recuſat, tum quòd neque Iudices, neque teſtes neque Pontifices Romani illorum approbatores ſibi forent æqui. Invitat proinde nos ad miracula, Tiguri in conſpectu ſuo edenda. Quaſi verò qui omnia ejuſmodi miracula Antichriſto blaſphemè tribuit, non inſtar Pharisæorum ijs illuſurus eſſet, meritoquè adeò auditurus increpationem Chriſti in Phariſæos, ementito ſpiritu miracula quærentes latam.

65. *Quinquageſimaſeptima*, dum *pag. 404.* ait, ſe loco illorum *vulgatæ Bibliorum editionis* verborum, *Ecce in deſerto eſt*, ſequentia: *Ecce in Eremo eſt*, ex ſenſu Græco commodè tranſtuliſſe & applicâſſe ad Sacellum Einſidlenſe. At fucus non abſtergitur Heideggere, dum vel rudimentorum Grammaticalium immemor, vel calumniandi ſpiritu turgens, nomini Apellativo *Eremus*, ſuppoſuiſti nomen *Proprium* Sacelli Einſidlenſis, Demonſtrativum.

66. *Quinquageſimaoctava*, dum *pag. 405.* ait, ſe non ſuccenſere ijs, qui Chriſtum adorant in Eremo, ſive Sacello Einſidlenſi, ſed quòd in Eremo fingant locum à Chriſto conſecratum, quòd peregrinos eò alliciant, quaſi extrà Eremum non in quolibet conclavi, vel templo eâdem efficaciâ Chriſtus adorari poſſit, quòd hoc faciant quæſtûs accipiendi gratiâ: quòd locum eum ſacratiorem reliquis fingant, quòd adorent ibi potiùs Sanctos, quàm Chriſtum, quòd peregrinantes ad ipſos lactent ſpe Indulgentiæ, ſatisfactionis, meriti. Verùm iſtæ tam calumnioſæ, quàm impiæ aſſertiones Heideggeri jam alibi ſpeciatim *Diſſert. 9. Sect. 2. Diſſert. 11. Sect. 3. Diſſert. 14. & 15.* refutatæ ſunt.

67. *Quinquageſimanona*, dum *cit. pag. 405.* contendit, tantam eſſe efficaciam precum ſuarum, quas in ſuo conclavi ardenter fudit, quanta foret earum, quas, ſiquidem neceſſum eſſet, in loco publico, cultui Divino deſtinato, ſolus privatus funderet. Quod equidem libenter ipſi concedo, dum in templo, non aliâ Fide ac devotione, intentioniſquè puritate hactenùs ſatis manifeſtatâ, quàm in conclavi ſuo preces fundit: hinc tamen minimè evincit, loci ſanctitatem ad efficaciam precum nihil conferre, prout iſtud *præced. Diſſert. 15.* refutatum videre licet.

68. *Sexageſima*, dum *pag. 406.* concedit, preces fidelium junctas eſſe efficaciores coràm Deo, quàm ſingulorum ſeparatim Deo oblatas. Hinc, quia nullus locus eſt ſacratior, niſi vel ex precibus Eccleſiæ ibi factis, vel ex Sanctorum orationibus, ſive meritis Chriſti, ac Deiparæ interceſſionibus, ob ſpecialem ad ipſos reſpectum nobis *ibidem* peculiariter applicandis, idcircò manifeſtè ſequitur, in uno loco præ alijs ſacrato noſtras preces eſſe efficaciores ad certa gratiæ beneficia à Deo impetranda.

69. *Sexageſimaprima, pag. 407.* nihil niſi calumnias circà Pontificios Confeſ-

ſarios,

ſarios, ac impietatis circà ſacerdotum Cælibatum argumenta continet, de quibus *ſuprà Diſſert.* 13. *Sect.* 3.

Sexageſimaſecunda, dum *pag.* 408. concedit, in Templis præ alio loco urgere majorem Chriſti meriti gratiam, atque hanc majoris gratiæ efficaciam importare quandam Virtualem Chriſti præſentiam, ita tamen, ut non alligetur loco. At in hoc Heideggerus vel apertam contradictionem, vel æquivocationis fallaciam committit. Aut enim contendit, iſtam ad certum locum Chriſti meritorum alligatam efficaciam eſſe ex ipsâ loci conditione independenter à Chriſti voluntate; vel iſtam ait, eſſe dependentem ex Chriſti voluntate in hunc locum ſpecialiter propendente? Si prius ſubintelligat, fallaciter nobiſcum agere convincitur, nihil enim horum nos Pontificij ſomniamus. Si poſterius intendat, oportet, aliquam rationem vel ex precibus Eccleſiæ, aut Sancti alicujus, Beatiſſimæ præſertim Virginis, ſive ſanctificatione per ipſummet Chriſtum ut ſic merita ſua peculiariter applicantem, factâ aſſignare, cur iſta gratiæ meritorum Chriſti efficacia ſit major in uno præ alijs locis. Hoc autem poſito, jam ſibimet convincitur Heideggerus contradixiſſe. 70.

Sexageſimatertia, dum *pag.* 409. negat, vim ſuæ argumentationis evaneſcere, quòd nolens volens fateri debeat ſpecialem Chriſti in uno præ alijs loco Virtualem præſentiam. At iſtâ jam jam ſtatutâ, tale formatur argumentum. Chriſtus præ alijs locis adorandus eſt in ſpiritu & veritate, ubi per majorem meritorum ſuorum, atque adeò Gratiæ efficaciam peculiarem exhibet ſui præſentiam Virtualem. At Chriſtus in uno præ alijs locis majorem meritorum ſuorum, atque adeò gratiæ efficaciam exhibendo, conteſtatur peculiarem in tali loco ſui præſentiam Virtualem. Minor iſta ab ipſomet Heideggero jam extorta eſt. Major autem probatur. Quod enim Chriſtus facto ipſo conteſtatur, id licet nobis omninò in ſpiritu & veritate recognoſcere. At per adorationem Chriſti in ordine ad gratias peculiares in illo loco expetendas, ubi major meritorum Chriſti efficacia, atque adeò peculiaris ejus præſentia Virtualis viget, nihil aliud fit, niſi quòd recognoſcamus iſtam majorem meritorum Chriſti, & gratiæ in tali loco efficaciam. Ergo iſtam Virtualem Chriſti in tali præ alijs locis præſentiam per adorationem ibi factam in ſpiritu & veritate licet omninò recognoſcere. 71. 72.

Sexageſimaquarta, dum *pag.* 410. & 411. illa Chriſti Domini verba: *Ecce hic, vel illic eſt Chriſtus, nolite credere*, contendit, non eſſe intelligenda de Pſeudochriſto, ſeu Pſeudoprophetis, ſed de ipſomet Chriſto, quatenùs à Pontificijs aſſeritur, *realiter* exiſtere in Eucharistiâ, ſive quandoq; in terris, 73.

In

In Eremo præſertim, ac Sacello Einſidlenſi *corporaliter* apparuiſſe.

74. Verùm contrà iſtam expoſitionem ſtat ſequens argumentatio. Nam ſermo ibi eſt de Chriſto, quatenùs decipit fideles falſis prodigijs ac ſignis. At neque Chriſtus poteſt facere prodigia falſa, ijſque decipere fideles, neque in Evchariſtiâ, ſi ibi non eſſet *realiter* præſens, neque in Eremo, ſi ibi nullatenùs vel *Corporaliter*, vel *Virtualiter* aliquando præſens fuiſſet, poſſet cum veritate dici ipſe, utpote realiter ibi non exiſtens, falſum patrâſſe miraculum, quia non entis nulla eſt operatio. Quia ergo Chriſtus ibi locutus eſt de falſis prodigijs *realiter* patrandis, non poſſunt in ipſum vel *fictitiè* tantùm præſentem, vel *realiter* alicubi exiſtentem referri. Ergo illa Chriſti Domini verba non poſſunt procedere de vero Chriſto, ſed de Pſeudochriſto &c. En igitur Heideggere ipſum ſacrum contextum tibi adverſantem.

75. *Sexageſimaquinta*, dum *pag.* 412. ſuam calumniandi libidinem purgare nititur. At credas mihi Heideggere, me non pluris facere inania tua convitia, quàm muſcas auribus perſtrepentes, ſed vel hinc anſam arripio provocandi lectorem, ut reſponſiones Heideggerianas conferat cum argumentis oppoſitis, & ſanè deprehendet, ne unicum quidem ſolidè ſolvi, ſed
76. ſuis vel technis, vel calumnijs eludi. Quod equidem petenti ad oculum demonſtrare ſum paratus, unum ſuperaddens, quòd legenti Heideggerianas Diſſertationes facilè patere poſſit, hunc Miniſtrum aut ferè nunquam procedere ex ſacris Litteris, aut ſi iſtas alleget, ipſis imponere ſenſum, in quo meritò deſideretur, ut non tantùm ex ſuo cerebro, ſed firmiori fun-
77. damento oſtendatur, eſſe verus ac genuinus. Et quia iſtud Heideggerus præſtare nunquam valebit, nihil minùs facit, quàm ut Regulæ (*quòd nempe ſolis ſacris Litteris in rebus fidei ſit inſiſtendum*) per ſuæ Reformationis Miniſtros jugiter inculcatæ inſiſtat: niſi enim cerebri ſui commenta ſuperbè jactitet pro Verbo Dei ſacris Litteris contento, apertum erit, Diſſertationibus ipſius nè apicem quidem ſacrarum Litterarum favere.

MEMBRUM II.

De Erroribus Heideggeri commiſſis adversùs Dialecticam & Philoſophiam.

1. PRimus eſt, quòd *pag.* 213. & 214. *item* 216. & 217. faciat illationem à Diſparatis, & argumentetur ex puris particularibus, inferendo, S. Conradi librum *de Secretis Secretorum*, nec non ejuſdem viſiones ac miracula eſſe dubia, eò quòd dentur alij etiam libri apocryphi, multæquè ſint confictæ viſiones.

Secun-

Secundus, quòd *pag.* 214. inferat ex authoritate purè Negativâ, argu- 2.
mentando, prædictum S. Conradi librum eſſe fictitium, eò quòd ejus non meminerit Trithemius, aliorum tamen Scriptorum Eccleſiaſticorum factâ mentione.

Tertius, quòd *pag.* 224. & 280. iterum ab authoritate Negativâ, quia ni- 3.
mirum Otto I. in Diplomate poſt duos à Bullâ Divinæ Sacelli Einſidlenſis conſecrationis confirmatoriâ annos, hujus non meminerit, arguat ex puris adeò Negativis, à termino non diſtributo ad diſtributum procedendo. *Vide de hoc Diſſert. 15. Sect. 2. cap. 4. n. 45.*

Quartus, dum hoc argumentandi genus ab authoritate Negativâ *pag.* 4.
279. mordicùs tueri conatur argumento Baronij, in quo tamen longa eſt diſcrepantia cum præſenti cauſâ.

MEMBRUM III.

Calumniæ Heideggeri adverſus Conſtantienſes Epiſcopos, ſuoſquè inclytæ Tigurinæ Reipublicæ Majores.

PRima eſt, quòd *pag. 213.* S. Conradi librum *de Secretis Secretorum*, abſque 1.
fundamento aſſerat apocryphum. Cujus refutationem vide præſentis hujus Operis *Diſſert. 15. Sect. 2. cap. 4. n. 41.*

Secunda, quòd *pag. 215.* Huldrico Conſtantienſi Epiſcopo imponat, quaſi 2.
miracula S. Conradi cenſuerit, non eſſe omni exceptione majora, ita ut de ijs nefas ſit dubitare. Quam refutatam videbis *cit. cap. 4.*

Tertia, quòd *pag. 216.* impoſuerit tam S. Conrado, quàm Summo Ponti- 3.
fici Calixto, quaſi in Bullâ canonizationis prætacti Sancti Epiſcopi dubitanter locutus eſſet de ejus miraculis. *Vide hanc refutatam citato cap. 4. n. 42.*

Quarta, quòd *pag. 217.* ex viſione aliquâ fictitiâ à Balæo impudentiſſi- 4.
mo & maledictiſſimo (uti eum vocat Index librorum prohibitorum) authore hæretico recenſitâ argumentetur, quaſi viſio S. Conradi fuiſſet phantaſtica.

Quinta, quòd *pag. 224.* imponat Ottoni Conſtantienſi Epiſcopo, quaſi 5.
Anno Chriſti 1430. impugnârit Divinam Sacelli Einſidlenſis conſecrationem. Verùm cauſam controverſiæ non fuiſſe de iſtâ Divinâ conſecratione, ſed de concernentibus Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſive quoad Indulgentias Pontificias, non quidem *ſecundùm ſubſtantiam*, ſed *ſecundùm modum* tangentem punctum Iuriſdictionis, conſtat ex Inſtrumento Procuratorio ad Romanam Curiam de Anno 1433. Indict. XI. Pontificatûs Eugenij 3. Maij 28.

Sexta, quòd *cit. pag. 224.* pari impoſturâ Hugonem Conſtantienſem Epiſ- 6.
copum

copum

copum redarguat illius Divinæ conſecrationis Anno 1515. impugnatæ, cùm tamen Acta Diætæ Tiguri tunc habitæ in Archivio (quantum iſtud negotium concernunt) Einſidlenſi extantia, probent, iſtum Dominum Epiſcopum coràm deputatis Cantonum non aliam Monaſterio Einſidlenſi tunc moviſſe litem, niſi ſuper Exemptione.

7. *Septima*, dum *pag.* 253. aſſerit, ſe ab intentato Majoribus ſuis irreverentiæ crimine eſſe immunem, tum quòd Deus *Ezech.* 20. *v.* 18. vetet, nè ambulemus in præceptis Patrum noſtrorum, tum quòd *Ioſue* quoquè *cap.* 24. *v.* 2. & 3. traduxerit Idololatriam ſuorum parentum.

8. *Octava*, dum *pag.* 265. Majores ſuos Tigurinos à violatione voti eam ob cauſam excuſat, quòd vovendo peregrinationem Eremitanam, voverint rem impiam, imò Idololatricam. Ex quo ſanè Majores ſuos impietatis iterum iterumquè redarguit. In quo tamen ſibimet contradicit Heideggerus, *pag.* 266. negans, ſuos majores fuiſſe infideles, eò quòd, licèt erroribus ac infirmitatibus fuerint impliciti, tamen doctrinam falſam & impiam non tenuerint, nec profunditates ſathanæ omninò noverint, &c.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Prior numerus Paginam, poſterior Marginalem Numerum denotat.

A.

ABſtinentia à certis cibis pia & laudabilis. 696. 18. & ſeq.

Actûs Imperatorij & meritorij diſtinctio. 616. 44.

Abuſus non tollit uſum, 391. 74.

Æneas Sylvius multa ſcripſit, quæ ipſemet ut Papa Pius II. retractavit. 229. 64. 252. 32.

Aërij hæreſeos articuli. 48. 40.

S. Ambroſij teſtimonia de Eccleſiâ viſibili. 117. 23. de Romanâ. 160. 20. 306. 23. de ejuſd. in Petro primatu. 237. 82. 240. 88. de Sacrificio Miſſæ. 511. 36. de Sacramento Baptiſmi. 362. 23. & Confirmationis. 355. 56. Sanctorum veneratione. 838. 63.

Amorſdorfius hæreſis arguit Zwinglianos. 61. 41.

SS. Angeli invocandi. 769. 26. pro nobis orant. 766. 22.

Ipſorum cuſtodia. 785. 20.

Animæ, *vide Defunct.*

Anti-Chriſti epitheta. 261. 18. adventus. 287. 110.

S. Antonius fuit Monachus. 731. 33.

S. Apoſtoli errorem indulſiſſe a Zwinglianis dicuntur. 106. 69.

Arbitrij liberi definitio. 655. 33. aſſertio. 645. & 649. 20. fulcitur SS. PP. teſtimonijs. 652. 26.

Arianiſmus an totum mundum infecerit. 150. 30.

Articulus adiaphorus quis. 69. 66.

S. Athanaſij adhuc pueri adminiſtratum baptiſma validum. 418. 10.

S. Auguſtini ſententiæ de libero arbitrio. 655. 32. concupiſcentiâ. 676. Crucis ſigno. 374. 13. Eccleſiâ Romanâ. 160. 20. 204. 2. & ejus primatu. 198. 4. 231. 17. 69. & ſeq. Viſibili. 115. 20. 131. *quam & deſcribit.* 166. 30. Fide ſine operibus ſolâ non juſtificante. 613. 34. & ſeq. Gratiâ & Merito. 641. 33. & ſeqq. Miraculis. 175. 32. Pontificum ſummorum Succeſſione. 162. 26. Purgatorio. 574. 27. SS. Reliquiarum veneratione. 786. 2. Sacramentis. 338. *Baptiſmi.* 338. 1. & ſeq. 363. 24. 393. 2. 401. 25. *Eucharistiæ.* 104. 62. & ſeq. *Pœnitentiæ.* 357. 5. *Sacramentali Confeſſione.* 552. 28. *Satisfactione.* 562. 28. Sanctorum cultu & invocatione. 751. 38. 763. 15. Verbo Dei tradito. 14. 48.

Auguſtinus Decanus Eremi aſſerit contra Heideggerum Hyperduliæ cultum, 705. 34. Latriæ tranſitivum. 747. 23. 754. 45. 756. 49. & ſeq. Miſſæ Sacrificium. 333. 49. & ejus ritus. 542. 10. Orationes & oblationes pro defunctis. 334. 52. Pe-

Digitized by Google

52. Peregrinationes ſacras ac Religioſas. 821. 17. *Eremitanam.* 840. 1. 854. 30. *Hieroſolymitanam.* 853. 28. *Lauretanam.* 854. 29. SS. Reliquiarum Venerationem. 793. 20.

Romanæ Eccleſiæ primatum. 335. 57. Sacramentum *Eucharistiæ.* 437. 50. & ſeq. *Tranſubſtantiationem.* 465. 36.

Sanctorum cultum & Invocationem. 769. *uſque ad* 774. Vota Monaſtica. 336. 56.

Calumnias ſibi factas retorquet. 107. 72. 167. 2. & ſeq.

B.

Baldingeri rationes de Sacris ac Religioſis Peregrinationibus. 816. 2. 840. 1.

Baptiſmus. *Vide Sacramentum.*

S. Baſilij aſſertum de Veneratione Sanctorum. 831. 42.

Beatorum viſio. 779. 49. eſt duplex. 769. 35.

Bellarminus à Vedroſio minùs probè citatus. 213. 21. vindicatur 233. 74. & ſeq. probat ſeptem Sacramenta. 349. 86.

Benedictinus Ordo commendatur. 754. 39.

Benedictiones variarum rerum. 380. 34. S. Crucis in ſpecie. 374. 15. allegata, aſſeritur. 388. 62.

S. Bernardi teſtimonium de Primatu Petri, & Rom. Pontificis. 239. 86.

Beza Deum volitorem peccati conſtituit. 188. 1. & 193. 26. SS. Euchariſtiæ Sacramentum convitiatur. 424. 13. 520. 3.

Biblia Tigurina antiqua librum tertium Machabæorum admittebant. 18. 60.

Bonum Virtutis eſt duplex. 695.

Breitingerus inter notas veræ Eccleſiæ. 156. 3. ponit nomen Catholici. 163. 31. ejuſdem puritatem agnoſcit uſque ad quartum ſæculum. 243. 5.

Bullingeri mens de ſervandis ferijs. 127. 4. de Eccleſiâ. 142. 1. præſertim in prioribus ſæculis. 243. 4. & Baptiſmo. 393. 2.

C.

Cælibatus Sacerdotum & Epiſcoporum ritè introductus. 705. approbatur à SS. Patribus & Concilijs. 707. 18. & 20. 712. 31. & ſeq.

Cæremoniarum uſus. 371. 75. approbatur à SS. Patribus. 538. 9. earundem condendarum poteſtas eſt penes Eccleſiam. 376. 21. Cæremoniæ Sacrificij Miſſæ ab initio uſque ad finem expenduntur. 539. 12. non ſunt Sathanæ impoſturæ. 384. 46.

Cain liberè peccavit. 672. 24.

Calvinus minùs ſobriè ſcripſit de Deo. 191. 15. & ſeq. de Chriſto & Virgine Beatâ. 192. 21. & 22.

Ejuſdem convitia in Patres primorum quinque ſæculorum. 89. 5. Prophetas. 90. 9. Spiritum ſanctum. ibid. 10. in S. Auguſtinum. 365. 29. 398. 19.

Ejuſdem doctrina de cæremonijs. 377. 24. de Concilijs. 75. 7. item 77. 18. *Speciatim de Niceno.* 83. 32. de Eccleſiâ. 111. 4. 142. 1. & 2. 146. 21. *de ejuſdem Notis.* 155. 1. & ſeq. de Romanâ. 288. 11. de Gratiâ. 661. 50. de Iuſtificatione. 625. 4. de Sacramentis. 338. 1. 339. & ſeq. *Baptiſmi.* 75. 1. & ſeq. *ejuſd. Miniſtro.* 420. 6. Scomma de Sacrificio Miſſæ. 510. 31.

Capharnaitæ paſſi ſcandalum. 445. 71. & ſeq.

Catholici nomen veræ Eccleſiæ diſtinctivum. 156. 6. & ſeq. 11. Romanæ

Eccle-

Eccleſiæ ſingulariter competit. 165. 35.

Chriſtus Einſidlenſe Sacellum dedicavit. 855. 32. Univerſali Eccleſiæ & non fidelibus in particulari ſuam promiſit aſſiſtentiam. 152. 36. quî dicatur Mediator. 581. 7. qui Sanctificatio noſtra? 629. 21. qualiter in Evchariſtiâ ſit præſens. 280. 86. 438. 53. 450. 83. conſecravit in Emaus. 470. 14. conſecrandi poteſtatem communicavit Apoſtolis, eorumq; Succeſſoribus. 500. 35. pingi & ſculpi ſolebat in Calicibus. 808. 19. veſtis illius cultus. 793. 18.

S. Ioannis Chryſoſtomi teſtimonia, de cultu S. Crucis. 390. 71. de viſibili Eccleſiâ. 117. 23. de Romanæ & Petri primatu. 240. 89. de Sacramento Baptiſmi. 362. 23.

Clerus imperio civili non ſubjacet. 268. 39.

Communio. *Vide Evchariſtia.*

Concilia Oecumenica non habita ſunt ante quartum ſæculum. 103. 56.

Deciſiones eorundem habendæ pro articulis Fidei. 78. 20. non ſubjacent privatorum inſtinctuum examini. 79. 22. legitima habent aſſiſtentiam infallibilem Divinæ veritatis. 80. 24. 84. 40. approbant, & examinant controverſias fidei. 86. 44. nihil tamen decernere poſſunt ſine authoritate Papæ. 310. 34.

Eorundem, & S. Scripturæ differentia. 85. 41. Variorum Præſides & acta. 223. uſque ad 228. 60. ſpeciatim Florentini. 137. 34. & Francofurdenſis. 84. 37.

Illegitima. 83. 33. & ſeq.

Concupiſcentia ſine aſſenſu noſtro non eſt peccatum. 676. 1. & ſeq. manet in regenitis. 681. 18. ſpectatur tripliciter. 678. 10.

S. Conradi de Sacello Einſidlenſi divinitùs conſecrato authoritas. 859. 43. & ſeq.

Conſcientiæ propriæ Spiritus enervatur. 39. 1. & ſeqq.

Conſilia Evangelica à præceptis diſtinguuntur. 683. 1. & ſeq. ex Chriſti & Patrum doctrinâ aſſeruntur. 685. 8. & ſeqq.

Crux Chriſti qualiter adoranda. 387. 59. 389. 66. & ſeqq. inventa. 855. 33.

Crucis ſignum antiquitùs in uſu fuit. 372. 3. & ſeq. 386. 56. 390. 69. 808. 19. ejus figura ſerpens æneus. 391. 75.

Cultus Latriæ & Duliæ. 739. 1. diſtinctio inter utrumque. 744. 15. Hyperduliæ. 749. 33.

S. Cyrilli Alexandrini teſtimonia de legalitate Concilij Nicæni. 81. 26. de Eccleſiâ, errori quòd non ſit obnoxia. 150. 27. de Sacramento Baptiſmi. 362. 23.

Cyrilli Hieroſolymitani de Iejunio. 698. 25. de Sanctorum cultu & invocatione. 752. 40.

S. Cypriani teſtimonia de viſibilitate Eccleſiæ. 117. 23. de ejuſd. indefectibilitate. 150. 27. de Romanæ principatu. 240. 89. de Sacramento Baptiſmi. 362. 22. de Ioannis baptiſmate. 411. 24.

D.

Defuncti precibus & ſacrificijs juvantur. 530. 36. & ſeqq. 566. 2. 569. 14.

Denarius Evangelicus eſt merces. 642. 36.

Deus ſecundùm cujuſque naturam operatur. 660. 48. impoſſibilia non præcipit.

cipit. 663. 1. & ſeqq.

Dies Dominica vice Sabbati. 832. 43. Corporis Chriſti. 488. 23.

Diſpenſationes Pontificiæ. 252. 34.

Dæmonum illuſiones. 280. 83.

Doctrinæ antiquitas veræ Eccleſiæ eſt nota. 161. 24. Ethniciſmo præferenda. 165. 37. quæ? 166. 39. diſſonantes inter Pontificios non ſunt de dogmatibus fidei definitis. 312. 40.

E.

Eccleſia Æthiopica & Græca credunt Purgatorium. 576. 31. & 578. 37. earundem ritus. 137. 32. & ſeq. errores. ibid. 34. Reconciliatio cum Romanâ. 321. 42.

Eccleſia Reformata non eſt vera. 125. 54. & 131. 17. ac ſeq. diſcrepat ab Æthiopicâ & Græcâ. 137. 32. & ſeq. atque Romanâ. 318. 59. & 60. item ab Eccleſiâ ſæculi Apoſtolici. 140. 45. & primorum ſæculorum. 99. & 100. 46. & ſeq.

Deinde. Eccleſiæ veræ notas non habet. 153. 40. SS. Concilijs obloquitur. 87. 49. SS. Patrum authoritatibus abutitur. 88. & ſeq. involvitur contradictionibus. 61. 41. inſiſtens privato ſpiritui periclitatur. 69. 36. Mulieri Samaritanæ comparatur. 498. 40.

Item. Antiquorum hæreticorum errores reproducit 39. 2. & convenit cum Arianis. 48. 38. Donatiſtis. 46. 32. Eunomianis. 51. 50. Manichæis. 50. 46. & ſeq. Pelagianis. 49. 42. & 50. 48. Picardis. 126. 2. Vigilantianis. 52. 55. Waldenſibus. 126. 2.

Ejuſdem Doctores minùs ſobriè de Deo ſcribunt. 190. 13. Papam Anti-Chriſtum calumniantur. 257. 41. & 350. 44. ſed refutantur. 256. 1. & ſeq. Sacramentum definiunt. 342. 22. *Eucharistiæ* negant. 427. 25. quamvis communionem ſub utraque ſpecie contendant. 468. 7.

Eccleſia Romana aſſeritur. 46. 32. 152. 35. veræ Eccleſiæ notas præſefert. 319. 1. & 326. 27. æſtimatur ex S. Concilij *Tridentini* decretis. 122. 37. Nititur *Nicæni* definitionibus. 102. 55. Oſtenditur, qualiter ſit fundata ſuper Petro & Paulo. 238. 85. nunquam defeciſſe. 319. 2. nec deſolata fuiſſe. 331. 43. nec pravis Pontificum moribus contaminari. 308. 30. nec ex Curiæ depravatione defectionem in fide pati. 296. 8. 332. 47.

Eſt una Sancta Catholica. 326. 27. & ſeq. viſibilis. 124. 48. ac ſic SS. Patrum teſtimonijs roborata.

Ejuſdem authoritas. 209. 1. primatus. 198. 1. & ſeq. 201. 13. 335. 57. principatus. 209. 1. ſuper omnes Eccleſias. 215. 28. *quem Imperatores.* 229. 63. *& SS. Patres agnoſcunt.* 218. 36.

Ejuſdem item in dogmatibus fidei conſenſio & unitas. 64. 51. 305. 21. Modernæ & Veteris. 242. 1. 246. 60. 320. 3. & ſeq. puritas. 328. 35. & ſeq.

Eccleſia vera comparatur agro ſeminato. 329. 36. Mulieri Apocalypticæ. 120. 33.

Eadem an abſcondi poſſit? 47. 36. an in unius hominum portionis anguſtiâ includi? 126. 1. An ſit errabilis? 142. 1. negatur. 146. 10. an viſibilis, & qualiter. 110. 1. aſſeritur. 115. 10. 118. 26. 131. 17. & ſeq. An Elias eandem in ſe ſolo latuiſſe crediderit? 119. 8.

Vera à falſâ cognoſcitur ex doctrinæ im-

impietate. 188. 1. non eſſe vera, carens ſucceſſione. 234. 76. incontaminabilis ex multiplicitate peccatorum. 151. 34.

Ejuſdem veræ notæ. 96. 36. ac ſeq. 102. 52. 153. 38. 155. 1. *deſumuntur præcipuè ab antiquitate.* 161. 24. *nomine Catholici.* ibid. 27. *doctrinæ ac fidei unitate & ſanctitate.* 326. 27. ac ſeq. *miraculis.* 167. 1. & *ſucceſſione Summorum Pontificum.* 162. 26. poteſtas determinandi certos ritus & cæremonias. 376. 21. tempus Jejuniorum. 693. 13. tituli. 99. 46. & ſeq.

Einſidlenſis Sacelli divinitùs facta conſecratio. 842. 5. & ſeq.

Eliſæus mortuum ſuſcitavit. 791. 15.

Exorciſmorum uſus. 280. 85. 378. 27. 384. 48. & ſeq. vocatus error magicus. 259. 12. pietati conformis. 276. 69. & ſeq. effectus eorundem. 277. 74.

Eucharistia. *Vide verb. Sacramentum.*

F.

Facere in SS. Litteris quandoque ſumitur pro ſacrificare. 507. 21.

Fides diſtingui debet à virtute Religionis. 149. 26. quarto & quinto ſæculo etiam Reformatis concedentibus fuit illibatæ doctrinæ. 82. 29.

Sola non juſtificat. 609. 21. 613. 34. à falſis ſemper diſcerni potuit. 120. 22.

Quæritur. An propriæ conſcientiæ ſenſui innitatur? 39. 1. & an hoc contradictionem involvat. 53. 1. *aſſeritur* 61. 41. & ſeq. An quoquè ad unius hominum portionis anguſtiam, ſub quâ Eccleſia ſubſiſtat, reduci poſſit. 126. 1. & ſeq.

Fidei articulus quis? 310. 34. qualiter à Papâ decernatur? 124. 23.

Ejuſdem prudentiales Regulæ. 74. 1. & ſeq. defectio ex Curiæ Romanæ depravatione prætendi non poteſt. 294. 1. & ſeq. nec ex ſchiſmate communionis ſolutio. 309. 32.

Fulberti Carnotenſis vindiciæ. 105. 64.

G.

Genevenſis Gloſſa S. Matthæum defectûs memoriæ arguit. 89. 7.

Gentiles converſi an circumcidendi? 69. 68. item. 80. 25.

Georgij Rhæti Converſionis motiva. 257. 1. 300. 1.

Rationes de libero arbitrio. 645. 1. cæremonijs in Sacramentorum adminiſtratione & aliàs exercitis. 571. 1. de Chriſto quà Mediatore. 379. & *ejus ad inferos deſcenſu.* 515. 1. de Concupiſcentiâ. 676. 1. de conſilij & præcepti diſtinctione. 683. de Divinæ legis implendæ poſſibilitate. 663. de verâ Eccleſiâ. 110. *ejuſdem notis.* 151. *quà viſibilis.* 110. *quà non errabilis.* 142. de Romanæ authoritate. 209. *cum Eccleſiâ Veteri conſonantiâ.* 242. *primatu.* 198. *principatu.* 209. *notis veræ Eccleſiæ attributis.* 319. de Fidei prudentiali Regulâ. 74. de hæreticorum varijs in dogmatibus fidei contradictionibus. 53. repugnantijs cum SS. Oecumenicis Concilijs. 74. & in citandis SS. Patrum authoritatibus illuſione & abuſu. 88. de Imaginum ſacrarum veneratione. 801. de Iuſtificationis *cauſâ formali.* 622. *& operibus ad eam diſpoſitorijs.* 604. de Lymbo Patrum. 515. de Meritis. 630. de Miraculis. 167. de Miſſæ ſacrificio. 490. 2. de Monaſterijs. 720. de Præcepti & Conſilij diſtinctione. 683. de Prædeſtinatione. 594. de Purgatorio. 566. de

Qua-

Digitized by Google

Quadrageſimæ præcepto. 690. de ſacrarum Reliquiarum veneratione. 785. de Sacramentorum *ſeptenario numero.* 338. *virtute & efficaciâ.* 356. Baptiſmi *neceſſitate.* 393. *Miniſtro.* 415. *differentiâ inter Chriſti & Ioannis.* 405. Evchariſtiæ *adoratione.* 484. *Chriſti in eâdem præſentiâ.* 421. *Communione ſub unâ tantùm ſpecie.* 467. *more aſſervandi & deferendi ad ægrotos.* 476. *Tranſubſtantiatione.* 455. Pœnitentiæ *Sacramentali Confeſſione.* 544. *ac ſatisfactione.* 554. de Sacerdotum cælibatu. 701. Sanctorum invocatione & veneratione. 760. de Verbo Dei non ſcripto. 1. Votis Monaſticis, 720.

Ejuſdem Georgij Rhati de ſuâ Converſione Syllogiſmus. 111. 5. defenditur. 121. 36.

Gratia diſtinguitur in efficacem & ſufficientem. 666. 14. 671. 22. Iuſtificans eſt forma homini juſto inhærens. 624. 10. libertatem creatæ voluntatis non auſert. 654. 30. & ſeq. prævenit opera noſtra. 601. 22. 656. 37.

De eâdem SS. Patrum authoritates. 626. 16. controverſæ ſententiæ. 313. 43. 315. 50. 316. 54. & ſeq.

Græci S. Rom. Eccleſiæ reconciliati. 137. 33.

Gregorij Magni humilitas & mens de primatu Eccleſiæ. 228. 62.

H.

Hæreſis Aërianorum. 289. 115. Donatiſtarum. ibid. Elxaitarum. 288. 112. Pelagianorum. ibid. 400. 23. Ptolomæitarum. 289. 115. Vigilantiarorum. ibid. 116.

Hæreſes ortæ ex Lutheraniſmo. 64. 45.

Hæreticus quis. 312. 40. 313. 42. 317. 57.

Hæreticorum contradictiones in ſuiſmet dogmatibus. 61. 41. & ſeq. 65. 55. inanis jactantia de claritate S. Scripturæ. 33. 6. & de propriæ conſcientiæ Spiritu. 56. 25. & ſeq. *refutata.* 61. 41. & ſeq. *item* 96. 36. repugnantes doctrinæ cum SS. Oecumenicis Concilijs. 74. 1. & ſeq. Traditionum rejectio. 48. 38. & 41.

Heinrici Heideggeri argutiæ de Cultu Duliæ & Latriæ. 741. 9. & ſeq. *& voce* Hyperduliæ. 740. 4. de Eccleſiâ Romanâ. 200. 11. de Gratiâ Prædeterminante. 655. 34. de Miraculis. 168. 4. & ſeq. Miſſæ Sacrificio. 324. *refutata.* 333. 49. & 536. 4. *refutata.* 541. 16. de Primatu Petri. 335. 57. de Peregrinationibus ſacris & Religioſis. 817. 8. 846. 12. *refutata.* 832. 43. & 855. 37. de Sacramentorum Septenario numero. 341. 20. *refutata.* 351. 46. & 355. 57. de Sacramento Euchariſtiæ. 45. 29. 422. 5. *refutata.* 437. 50. *in ejuſdem adorationem ſcomma.* 489. 24. & Tranſubſtantiatione. 457. 10. *refutata.* 465. 36. de Sanctorum invocatione. 770. 28. & interceſſione. 325. 23. *refutata.* 334. 53. de Votis Monaſticis. 325. 24. *refutata.* 335. 56.

Ejuſdem convitia in S. Auguſtinum. 92. 25. *refutata.* 103. 58. in SS. Concilia Oecumenica. 86. 47. Exorciſtas. 259. 13. Romanos Pontifices, & alios in S. Ordine conſtitutos. 260. 15. & ſeq. *refutata.* 278. 77.

Ejuſdem invectivæ in Admodùm R. P. Auguſtinum Reding. D. Decanum Eremi. *propter exploſa Calvini & Lutheri miracula.* 173. 27. & 28. *refutata.* 184. 64. in Lutheranos *propter redargutos Calvinum, Szegedinum, Zvvinglium* 94. 30. & ſeq. *& propter Lutheri aſſiſtentem Spiritum, & Zvvinglij*

glij

Digitized by Google

gij monitorem. 171. 20. & ſeq. *refutata.* 181. 50. & ſeq.

Heidelbergenſes Brentij & Lutheri Catechiſmos reijciunt. 46. 31.

Eorundem Catechiſmi doctrinæ de Iuſtificatione. 614. 36. & Pœnitentiâ. 622. 3.

Heinricus Hottingerus conatur conciliari Lutheranis. 48. 23. 63. 50. doctrinæ puritatem in Eccleſiâ ad trecentos annos reſtringit. 245. 5.

Helvetica Confeſſio Eccleſiam inviſibilem docet. 111. 4. Veteres crediſiſſe, Miſſam verum eſſe Sacrificium. 320. 4. 324. 19. 333. 49. 505. 2. & obſervâſſe Quadrageſimale Iejunium. 690. 2.

S. Hieronymus aſſerit Eccleſiæ Romanæ primatum. 221. 41. 235. 77. Peregrinationem Hieroſolymitanam. 831. 41. Sanctorum invocationem & venerationem. 760. 1.

I.

Iacobus Andreas confitetur doctrinarum diſſenſionem inter Reformatos. 61. 44.

Iacobus Patriarcha. an Deum, vel Angelum adorarit? 770. 28.

Ianſeniſtæ. *Vide infra Ieſuitæ.*

Eorundem ſpecialia dogmata. 314. 48. & ſeq. uſque ad 318. *item* ergo S. Sedem reverentia & ſubjectio. 317. 58.

Iejunia ſunt bona. 292. 126. 695. 16. etiam ex devotione. 699. 30. & S. Scripturæ conformia. 693. 12. licet Picardi contemnenda. 127. 4. *Vide plura Verbo Quadrageſima.*

Ieſuitarum & Thomiſtarum de Prædeterminatione certamen allegatum. 302. 11. *exploſum.* 313. 43. & ſeq.

Ieſuitarum item ceu Moliniſtarum & Ianſeniſtarum allegatum. 303. 13. *exploſum.* 314. 48.

Ieſuitis imputata convitia. 302. 10. *diluta.* 312. 42.

Illyricus. *Vide Matthæus Flaccus.*

Imagines Sacræ an colendæ? 801. 1. qui? 84. 36.

Earundem cultus & uſus. 275. 66. probatur ex SS. Litteris. 803. 11. & ſeq. ac SS. Patrum authoritatibus. 306. 16.

Ioannis Baptiſma differt à Chriſti 405. 1. & ſeq. peccata dimittit in ſpe, Chriſti in re. 410. 22.

Iob Angelos invocavit. 771. 30.

Ioſephi à Coſtâ 169. 12. *citati* Vindiciæ. 178. 42.

S. Irenæi de Verbo Dei tradito aſſertum. 7. 20. & 18. 60. item 139. 42. de Eccleſiâ Romanâ. 160. 20. & ejus primatu. 219. 38.

Iudas Iſcariotes primus hæreticus. 288. 112. & 290. 120.

Iuſtificatio. 604. 1. & ſeq. non ex ſolâ fide. 609. 21. aſſerta à SS. Patribus. 611. 30.

Ejuſdem cauſa formalis. 622. 1. & ſeq.

Iuſtificato an lex impoſſibilis? 314. 49.

S. Iuſtini Martyris aſſerta Euchariſtia. 483. 25. & liberum arbitrium. 681. 17.

K.

Kemnitius Euchariſtiæ cultum abnegans. 485. refellitur. 489. 22.

L.

Lauretana Domus. 857. 40.

Leo Iſauricus Iconoclaſtes. 754. 44.

Leo I. improbat facta aliquot Patrum Concilij Chalcedonenſis. 86. 48.

Leo VIII. verus Papa. 843. 7. & 860. 48.

Lex Divina impleri poteſt. 665. 10. etiam SS. Patrum teſtimonio. 669. 19. & ſeq.

Liturgia S. Iacobi & aliorum. 270. 49. & 526. 24.

Lutheri Catechiſmus ab Heidelbergenſibus & Tigurinis reiectus. 47. 35. diabolus aſſiſtens. 172. 23 & ſeq. 183. 58. doctrina plurimarum origo hæreſum. 62. 45. miraculum. 167. 2. ad peccandum exhortatio. 563. 30. in Zwinglium invectiva. 281. 90.

Lutheranorum cum Zvvinglianis lis Sacramentaria. 58. 31. & ſeq. 67. 63. & 70. 71.

Lymbus Patrum aſſeritur 587. 11. etiam SS. Patrum teſtimonijs. 589. 14.

M.

S. Mariæ Deiparæ tituli. 250. 29. immaculata Conceptio nondum definita. 309. 33. honor exhibitus per Miſſæ Sacrificia. 500. 33.

Marpurgenſium in articulis de Cœnâ diſſenſio. 65. 55.

Martyrium ſubit vices baptiſmi. 404. 33.

Matthæi Flacci in Lutheranos ſcommata. 61. 42.

Melchiſedechi Sacerdotium. 497. 25. & 516. 49.

Menſa ſubinde ſumitur pro altari. 507. 23. & 517. 50.

Merita quid. 633. 13. & 638. 26. aſſerta ex SS. Litteris. 634. 15. & Patribus. 636. 18.

Chriſti non excludunt noſtra. 256. 49. & 271. 53.

Miracula *impugnata*. 169. ac ſeq. *aſſerta*. 176. 35. & ſeq. ſunt Nota veræ Eccleſiæ. 168. 1. ac ſeq. item 174. 31. ac ſeq.

Miraculum factum cum Macedone ſimulatè Eychariſtiam ſumente 471. 17.

Miſſa pro quibus offerri poſſit. 254. 43.

An ex Veteri teſtamento probari?

Negativam vide. 492. 6. *refutatam.* 497. 25. *Aſſertivam.* 490. 2. *confirmatam.* 494. 15. *etiam SS. Patrum authoritatibus.* 496. 21.

An ex Novo?

Negativam vide. 502. 4. *refutatam.* 510. 33. & ſeq. *affirmativam.* 502. 1. *confirmatam.* 505. 18. *etiam* ex *SS. Concilijs & Patribus.* 508. 24. *ac traditione ad noſtra uſque tempora.* 509. 28.

Eſt antiquitùs linguâ latinâ celebratâ. 249. item etiam ſolo Sacerdote communicante. 255. 47. verum ſacrificium credita. 270. 49. *fatentibus etiam Heterodoxis.* 320. 4. propitiatorium pro vivis & defunctis. 520. 1. ac ſeq. 525. 20. ac ſeq.

Eandem abroget, Luthero diabolus ſuggerit. 183. 58.

Ejuſdem Cæremoniæ 537. 8. *à principio uſque ad finem.* 539. 12.

Nomen. 510. 38.

Molinæi mens de Eccleſiâ. 114. 18. 126. 2.

Moliniſtarum ſententiæ de Gratiâ. 314. 48. & ſeq.

Monachorum ac Monaſteriorum antiquitas. 330. 40. 725. 22.

Monachorum Benedictinorum laus. 734. 39. ac ſeq.

Monaſtica vota 620. 1. 725. 22.

Mornæus de baptiſmate. 54. 8. & 9.

Moyſes ad placandum Deum Patriarcharum patrocinium adhibuit. 769. 26.

Mulier Apocalyptica typus Eccleſiæ, 120. 33.

Muſculus Luthero-maſtix. 72. 76. docet Eccleſiam inviſibilem. 111. 4.

N.

Naturæ & Gratiæ vires, 672. 25.

Neceſſitas Antecedens & Conſequens, 651. 25. 662. 53.

Coactionis & infallibilitatis. 316. 52.

Nicolai Galli confeſſio de doctrinarum inter Reformatos diſſenſione, 61. 43.

O.

Obedientiæ Votum eſt Conſilij. 685. 7.

Oblationes & orationes pro quibus offerri poſſint. 532. 39. ſunt Gratulatoriæ ad Sanctos, & Impetratoriæ pro nobis, 529. 32. & 532. 39.

P.

Papa Vicarius Chriſti eſt, 271. 51. & 283. & ſeq. Concilijs per ſe, vel ſuos præſidet. 223. 45. ac ſeq. ac definitivè ſolus decidit, 230. 65. & errare non poteſt in rebus fidei & morum, 264. 30. ac ſeq. atque vi dejectos reſtituit. 223. 44.

Ipſe non eſt Anti Chriſtus. 281. 89. uſque ad 293. 128. nec Chriſto contrarius, 284. 101. & ſeq. *neque quà Mediatori.* 291. 122.

Nec filius perditionis, aut homo peccati. 281. 89.

Paparum ſucceſſio. 139. 42. 203. 16. 233. 74. 336. 61. nota veræ Eccleſiæ. 204. 18. & ſeq.

Papæ poteſtas. 86. 45. 250. 31. 255. 45. 310. 34. & ſeq. prærogativæ. 139. 39. primatus. 198. 1. & ſeq. principatus. 209. 1. ac ſeq.

Papæ 260. 15. allegati, an fuerint apoſtatæ? 331. 44. An Magi? 278. 76.

Pariſienſis Schola Pontificibus reſtitit, 300. 3. ſed non in concernentibus fidem. 307. 27.

Papæ non concedens infallibilitatem in decernendis fidei dogmatibus niſi unà cum Concilio. 310. 36.

Parvuli an per fidem parentum ſalventur? 402. 28. non baptizati privantur cælo. 393. 2. & ſeq.

SS. Patrum authoritas conciliat prudentiale credibilitatis argumentum in rebus fidei. 99. 45. doctrinæ eorundem puritas. 97. 37. potiùs ſequenda, quàm Reformatorum Spiritus, 101. 51. & ſeq.

Eorundem aſſertæ ſententiæ & authoritates, de Arbitrio libero. 652. 26. de Cæremonijs. 377. 25. & ſeq. de Chriſti ad inferos deſcenſu. 589. 14. de Concupiſcentiâ. 679. 12. de Conſilijs Evangelicis. 685. 9. & ſeq. de Crucis ſigno. 378. 26. de Divinæ Legis implendæ poſſibilitate. 669. de Eccleſiâ verâ, 117. 23. *& Romanæ primatu.* 202. 15. 218. 36. de Gratiâ Iuſtificante, 611. 30. 626. 16. *& ejuſdem cauſâ formali.* 626. 16. de Ieiunio Quadrageſimali. 694. 141. de Imaginum SS. Veneratione. 806. 16. de Lymbo Patrum. 589. 14. de Meritis. 636. 20. de Miſſæ ſacrificio. 270. 49. 320. 4. 496. 21. 508. 24. *quà propitiatorio pro Vivis & Defunctis.* 526. 22. de Monaſterijs. 731. 33. de SS. Pontificum ſucceſſione. 203. 17. de Purgatorio. 571. 21. de Quadrageſimâ. 694. 141. de Sacramentis Bapiſmi. 361. 21. & ſeq. 364. 27. *& ejuſdem neceſſitate.* 397. 13. *ac differentiâ inter Chriſti & Ioannis.* 408. 14. Confirmationis. 343. 24. Euchariſtiæ. &

ejuſdem adoratione. 457. 11. *Reali Chriſti præſentiâ.* 435. 44. *More eandem aſſervandi.* 479. 12. *Tranſubſtantiatione.* 459. 15. Pœnitentiæ *Sacramentali Confeſſione.* 548. 17. *& ſatisfactione.* 559. 20. de Sacerdotum Cælibatu. 707. 20. de Sanctorum Invocatione, & Veneratione. 774. de Verbo Dei tradito. 2. 41. de Votis Monaſticis. 731. 33.

S. Pauli caſtitas. 737. 48. ſudarium. 823. 20. & ſeq.

S. Paulus primus Eremita Monachus. 731. 33.

Paupertatis Votum eſt Conſilij. 685. 8. de eo SS. Patrum ſententiæ. ibid. 9.

Peccati diſtinctio in Lethale & Veniale. 534. 45. Veniale. 668. 17. cum ſtatu gratiæ ſubſiſtere poteſt. 673. 28.

Peccati Deum authorem Calvinus. 188. 2. Volitorem Scharpius & Beza ſtatuunt. ibid. 1. & ſeq.

Peregrinationum Sacrarum approbatio. 821. 17. & ſeq. exempla. 831. 42.

Peregrinatio Einſidlenſis. 854. 30.

Perfectionis ſtatus licèt non præceptus. 684. 7. vovetur. 686. 12.

S. Petrus Romæ fuit. 201. 13. 205. 22. præſedit. ibid. 14. 206. 24. 336. 60.

Ius ſucceſſionis reliquit. 203. 16. & 206. 25.

Ejuſdem epiſtola ubi ſcripta. 205. 21. & 23. Umbra. 793. 19. & 823. ac ſeq.

Picardi Sacramenta agnoſcunt tantum quatuor. 127. dies feſtos, iejunia, & Sanctorum interceſſionem reijciunt. ibid. 40.

Pœna duplex, damni & ſenſûs. 591. 16.

Pœnitentia. *Vide Sacramentum.*

Præcepta Cæremonialia & Moralia. 686. 14.

Cæremonialia & Iudicialia morte Chriſti abolita. 686. 12. Nec omnia, quæ divinitùs ſunt inſtituta pro omnibus, omnes obligant ſub præcepto. 473. 21.

Prædeſtinatio variis erroribus à Reformatis docetur. 596. 10. & ſeq. non tollit libertatem arbitrij. 597. 10. eſt ex meritis. ibid. 10.

An prædeſtinati, ſe eſſe certò credere debeant omnes ad fidem vocatos. 599. 17.

Præſcientia Dei. 601. 23.

Profeſſio Religioſa Baptiſmo comparatur. 733. 36.

Pſalmi linguâ Latinâ decantati. 249. 27.

Purgatorium quid ſit. 573. 26. aſſeritur. 566. 2. & 569. 14. etiam Patrum & Conciliorum authoritatibus. 572. Græcis creditum. 578. 31. & agnitum à Gentilibus & Mahumetanis. 578. 38.

Q.

Quadrageſimale Iejunium traditum ab Apoſtolis. 696. 20. ritè præceptum. 692. 10. approbatum à SS. Patribus. 694. 14. rejectum à Montaniſtis. 700. 35. & Picardis. 127. 40.

R.

Reatus culpæ & pœnæ. 577. 35.

SS Reliquiarum cultus pius & ſanctus. 786. 2. 791. 14. ac ſeq.

Rerum benedictarum virtus. 251. 33.

Reſurrectio alia Corporalis, alia Spiritualis. 533. 41.

Rituum varietas doctrinam non variat. 268. 42.

Roma Ethnica, non Catholica vocatur Babylon. 198. 127.

S.

S.

Sabbati obſervantia, quia cæremonialis, abrogata. 687. 13.

Sacelli Einſidlenſis conſecratio, & ejuſdem circumſtantiæ. 842. 5. & ſeq.

In eodem Chriſti ac SS. cultus. 945. 11.

Sacerdotum cælibatus an præcipi poſſit. 701. 1. & ſeq. oſtenditur legitimè introductus. ibid. 16.

Sacerdotum conjugium non eſt conjugium, ſed ſacrilegium. 737. 47.

Sacramenti definitio. 359. 13. efficacia & virtus. 253. 38. ac ſeq. 356. 1. & ſeq. collatio gratiæ ex opere operato. 358. 12. 366. 33. & ſeq. numerus ſeptenarius. 338. 1. & ſeq. 342. 22. & ſeq.

Sacramentorum cæremoniæ. 371. uſque ad 392. 510. & ſeq. *eorundem* Miniſtrorum malitia non invalidant Sacramentum. 368. 38.

Sacramentum Baptiſmi. 342. 23. in caſu neceſſitatis adminiſtrari poteſt à laico, etiam fœminâ. 415. 1. & ſeq. imò collatum ab hæretico eſt validum. 367. 36. neceſſarium verò non tantùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medij. 49. 42. 393. 1. & ſeq. quod ipſamet quoq; Confeſſione Helveticâ evincitur. 401. 27. Tempori Paſchali & Pentecoſtes non aſtringitur. 403. 31. & ſi illius copia deficit, Martyrium, & Perfecta Contritio vices ſubit. 404. 33. & ſeq.

Ejuſdem Cæremoniæ. 377. 25. & ſeq. differentia inter Chriſti & Ioannis. 405. 1. & 407. 11.

Super eo Decreta Conciliorum Carthaginen. 400. 23. Milevit. *ibid.* 24. Nicæni. 74. 1. & ſeq.

Sacramentum Confirmationis. 243. 24. 352. 52. 414. 34.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt adorandum cultu Latriæ. 485. 8. & ſeq. aſſeritur ex Ioanne. 433. 39. Lucâ. 432. 38. Matthæo. 426. 22. Nicæno Concilio. 75. 5. & ſeq. S. Paulo. 433. 40. SS. Patrum authoritatibus. 435. 44. ex ortis & damnatis hæreſibus. 434. 41.

Ejuſdem accidentia. 451. 85. quantitas. 452. 86. reliquorum ſubjectum inhæſionis. *ibid.*

Ejuſdem Communio ſub unâ ſpecie. 458. 13. aſſeritur, nullo in contrarium extante præcepto, exemplo Chriſti & aliorum &c. 469. 12. parvulis olim conceſſa eſt. 151. 31.

Ejuſdem Conſecrationis verba expenduntur. 439. 54. & ſeq. vocula *Eſt* an ſumatur pro tò *ſignificat.* 427. 25. 437. 51. quid tò *Hoc?* 439. 54. 465. 36. & nomen Panis denotet? 439. 56.

Ejuſdem Tranſubſtantiatio. 273. 60. 280. 86. 458. 12. fulcitur SS. Patrum authoritatibus. 459. 15. ſolutis in contrarium argumentis. 461. 25.

Chriſti *in eâdem* adoratio. 252. 36. 253. 40. 272. 55. 484. 1. & præſentia. 421.

Mos *eandem* aſſervandi & deferendi ad ægrotos. 476. 1. 478. 10. ex SS. Concilijs & Patribus aſſeritur. 480. 15. 483. 25. delatione Diaconis concreditâ. 482. 23. Miraculum *de eâ.* 471. 17.

Sacramentum Pœnitentiæ. 343. 25. 352. 50. 364. 28. 544. 1. & ſeq.

Ejuſdem epitheta. 553. 31. *Confeſſio Sacramentalis* neceſſaria. 456. 14. 551. 24. etiam Sanctorum Patrum teſtimonijs

Digitized by Google

nijs. 548. 17. publicâ abrogatâ. 551. 25.
Satisfactio Sacramentalis. 554. 1. & ſeq. diſtinguitur in congruam & condignam. 563. 33. 565. 37. aſſeritur exemplis. 557. & SS. Patrum teſtimonijs. 559. 20.
Sacramentum Extremæ Unctionis. 344. 27. 353. 51.
Sacramentum Ordinis. 345. 30. &
Sacramentum Matrimonij. 345. 31. 359. 49.
Sacrificij definitio. 506. 19. diſtinctio inter Crucis & Euchariſticum. 514. 44.
Sacrificij nomine ſubinde eleemoſynæ & alia bona opera veniunt. 5 5. 47.
Sanctorum cultus. 751. 38. 529. 31. & ſeq. & interceſſio primis jam ſæculis agnita eſt. 250. 30.
Scholæ vel plurimum in Monaſterijs florebant. 733. 38. Pariſienſis, *Vide ſupra.*
S. Scriptura qualiter clara. 32. 1. & ſeq. qualiter veritates fidei contineat. 505. 18.
Ejuſdem & Conciliorum differentia. 85. 41.
Sculterus admittit Romanæ Eccleſiæ judicaturam. 210. 4.
Simeon Monachus Trevirenſis à dæmone illuſus. 184. 63.
Simonis Magi impium dogma. 282. 96. 288. 112.
Sixtus Senenſis falsè à Vedroſio citatur &c. 104. 60.
Sportulæ quid. 528. 30.
Stuckij dogma de Eccleſiâ. 114. 18. de Waldenſibus. 126. 3. confictum diadema Pontificium. 258. 5. refellitur. 269. 441.

T.

Tertullianus de Traditionibus & Eccleſiaſticis Ritibus 529 32.
Theodoſius voti causâ Hieroſolymam inviſit. 831 42.
Tigurina Confeſſio cum Capharnaitis retrorſum abit, negans realem Corporis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam. 446. & ſeq. Miniſtros ſuos, ut moribundos in fide confortent, hortatur. 480. 17. Lutheri dogma monſtroſum, ipſum hæreſiarcham vocat 45. 9.
Tigurinus Catechiſmus, omnibus alijs abrogatis, promulgatur. 80. 23. Baptiſmum & Euchariſtiam probat eſſe Sacramenta. 342 23.
Ejuſdem vigeſimus nonus articulus aſſerens, legem Dei obſervatu impoſſibilem, examinatur. 665. 11. & ſeq.
Tigurinorum olim erga Sacellum Einſidlenſe devotio. 855. 31 & ſeq.
Tobiæ liber Canonicus. 786. 21.
Tranſubſtantiatio. *V. de Sacramentum Euchariſtia.*

U.

Valens Monachus à dæmone deceptus. 280. 83.
Vedroſij argutiæ Catholicorum doctrinis contrariæ. de libero arbitrio. 646. 4. *refutata.* 654. 30. de Cæremonijs. 372. 4. *refutata* 371. 36. de Chriſto quà Mediatore. 580. 3. *refut.* 583. 12. de Concupiſcentiâ, *quam non diſtinguit à peccato.* 677. 4. *refut.* 680. 14. de Conſilijs & Præceptis 684. 4. *refut.* 687. 15. de cultu Duliæ & Latriæ. 702. 6. *refut.* 709. 24. de legis Divinæ impoſſibilitate. 663. 4. *refut.* 671. 21. de Eccleſiâ

cleſiâ verâ *quam docet, ad Vnius hominum portionis anguſtiam coarctabilem.* 127. 6. *refut.* 133. 20. *errabilem.* 143. 4. *refut.* 148. & *inviſibilem* 111. 6. *refut.* 118. 27 de ejuſdem Veræ Eccleſiæ notis. 156. 7. *refut.* 163. 29. de Romanâ, *cui abnuit conſenſionem in fidei dogmatibus.* 300. 2. *refut.* 307. 24. & *cum Veteris Eccleſiæ doctrinâ.* 244. 8. *refut.* 247. 22. *Eccleſiæ veræ notas.* 322. 11. *refut.* 322. 11. *refut.* 328. 35. *primatum.* 199. 6. *refut.* 204. 18. *principatum.* 210. 7. *refut.* 219. 38. de fide *quâ ſolâ juſtificante.* 606 9. *refut.* 612. 32. de ejuſdem Fidei prudentiali regulâ, *quam conatur probare inniti propriæ conſcientiæ ſenſui.* 38. 4. *refut.* 46. 32. de imaginum Sacrarum cultu. 802. 5. *refut.* 807. 18. de Iuſtificationis causâ formali, *quam docet extrinſecam Iuſtitiæ Chriſti imputationem.* 623. 6. *refut.* 628. 16. de Lymbo Patrum. 586. 6. *refut.* 590 16. de Meritis. 631. 4. *refut.* 638. 26. de Miraculis. 169. 10. *refut.* 176. 35. de Miſſæ ſacrificio, *quòd non conſtet ex Veteri Teſtamento.* 492. 6. *refut.* 497. 25. *neque Novo.* 502. 4. *refut. nec ſit propitiatorium.* 521. 4. *refut.* 527. 25. de Monaſterijs. 722. 9. *refut.* 731. 33. de Præceptis & Conſilijs. 684. 4. *refut.* 687. 15. de Prædeſtinatione. 595. 6. *refut.* 600. 19. de Purgatorio. 567. 5. *refut.* 573. 26. de Quadrageſimæ præcepto. 690. 4. *refut.* 695. 16. de Reliquiarum Sacrarum Veneratione. 786. 5. *refut.* 794. 28. de Sacerdotum Cælibatu. 702. 6. *refut.* 709. 24. de Sacramentorum numero. 339. 6. *refut.* 346. 33. *quibus gratiam conferendi virtutem abnuit.* 357. 3. *refut.* 363. 26. de Baptiſmo. *vi ſolius præcepti, & non medij neceſſario.* 394. 4. *refut.* 398. 19. *Chriſti & Ioannis ſuâ opinione indiſtincto.* 405. 4. *refut.* 409. 18. de Baptiſmi Miniſtro; *quem in caſu neceßitatis negat, eſſe poſſe laicum præſertim fœminam.* 416. 3. *refut.* 418. 11. de Euchariſtiâ. 423. 8. *refut.* 444 69. in quâ calumniatur *Chriſti adorationem.* 488. 20. *Communionem ſub Vnâ tantùm ſpecie.* 486. 7. *refut.* 473. 21. Morem *aſſervandi & deferendi ad ægrotos.* 476. 3. *refut.* 480. 14. *Tranſubſtantiationem.* 455. 3. *refut.* 461. 25. de Pœnitentiâ, *in quâ exterminat Sacramentalem Confeßionem.* 545 6. *refut.* 551. 23. & *ſatisfactionem.* 555. 4. *refut.* 561. 24. de Sanctorum invocatione & Veneratione. 760. 4. *refut.* 776. de S. Scripturæ claritate. 32. 2. *refut.* 36. 13. de Verbo Dei non ſcripto. 28 4. *refut.* 13. 45. item 22. 2. *refut.* 26. 16. de Votis Monaſticis. 722. 6. *refut.* 731. 33.

Ejuſdem dicteria in S. Auguſtinum. 103. 59. in Deum, *quem docet authorem peccati.* 188. 3. *refut.* 162. 24. in Papam, *quem vocat Anti-Chriſtum.* 257. 3. *refut.* 267. 36.

Idem Vedroſius ſibi ipſi contrarius. 69. 53. & 103. 56. propriæ Conſcientiæ Spiritum Concilijs antefert. 76. 8. *refut.* 82. 27. & Reformatos, *quos* 90. 12. *diluit.* SS. Patrum teſtimonijs illuſoriè uti convincitur. 98. 40. & ſeq.

Vires naturæ & gratiæ. 672. 25.

Virginitas laudata. 292. 126.

Vocatio Divina. 669. 18. *ſecundùm propoſitum.* 599. 17.

Vota ſunt licita & valida. 686. 12. ſed liberæ electionis. 688. 17.

Vota Monaſtica. 7 0. 1. probata antiquitate 7 5. 22. & SS. Patrum æſtimonijs. 731. 34.

Caſtitatis Religioſæ 726. 24. *Obedientiæ.* 729. 29. *Paupertatis.* 7 0. 31.

Wal-

W.

Waldenſium hæreſeos dogmata. 135. 28. & ſeq. à Reformatis agnita. 126. 2. licèt ſuiſmet diſſona. 141. 47.

Z.

Zwinglij doctrina de Eucharistiâ. 54. 12. de Miſsâ. 55. 15. de Oratione pro defunctis. 90. 8. 530. 36. de Sacramento Baptiſmi. 400. 24.

Ejuſdem Monitor. 168. 3. 281. 50. & ſeq.

Zwinglianorum in Lutheranos & cæteria. 64. 52. 67. 63. 70. 71. & 281. 90. diſſenſio à Waldenſibus. 127. 5. Super verba, *Hoc eſt Corpus meum,* expoſitio. 427. 25. & 437. 51.

AMICE LECTOR.

Errata, quæ fortè irrepſerunt, pro tuâ benevolentiâ, & prudentiâ corrige, & ignoſce.

Omnia ad maiorem Dei gloriam, & S. Matris Eccleſiæ exaltationem.


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3

Digitized by Google



Digitized by Google